BIBLIA SACRA
VULGATAE EDITIONIS,
SIXTI V. PONTIFICIS MAXIMI
iussu recognita,
& CLEMENTIS VIII.
auctoritate edita

cum selectissimis Litteralibus Commentariis

IOANNIS GAGNAEI,
IOANNIS MALDONATI,
EMMANUELIS SA,
GUILIELMI ESTII,
IOANNIS MARIANAE,
PETRI LANSSELII,
THOMAE MALVENDAE,
IO. STEPHANI MENOCHII,
IACOBI TIRINI,
IACOBI GORDONI,
& IACOBI BENIGNI BOSSUET.

ACCEDUNT

Romanae Correctiones, ac Lectionum Varietates a FRANCISCO LUCA BRUGENSI observatae, & Notationes in loca variantia ab eodem concinnatae, in sua singulae capita tributae: nec non selecta variorum Prolegomena, nunc primum in unum collecta: indices denique plures accuratissimi.

TOMUS DECIMUSNONUS
complectens reliqua capita ex IEREMIA & prophetiam BARUCH.



VENETIIS
MDCCLIII.

Excuderunt { MODESTUS FENTIUS, &
IOANNES TYBERNINUS sub signo Providentiae.

CAPUT TRIGESIMUMTERTIUM.

Promittit Dominus se dimissurum peccata populi sui, & a captivitate reducturum, multis beneficiis subsequentibus: germinavit David germen iustitiæ faciens iustitiam & iudicium in terra, & firmissimum est pactum Domini cum David & semine Iacob vehementer multiplicando.

1. ET factum est verbum Domini ad Ieremiam secundo, cum
adhuc clausus esset in atrio carceris, dicens: 2. Hæc dicit
Dominus qui facturus est, & formaturus illud, & paratu-
rus, Dominus nomen eius. 3. Clama ad me, & exaudiam
te: & annuntiabo tibi grandia, & firma quæ nescis. 4.
Quia hæc dicit Dominus Deus Israel ad domos urbis hu-
ius, & ad domos regis Iuda, quæ destructæ sunt, & ad
munitiones, & ad gladium 5. venientium ut dimicent cum Chaldæis, & im-
pleant eas cadaveribus hominum, quos percussi in furore meo & in indignatio-
ne mea, abscondens faciem meam a civitate hac, propter omnem malitiam eo-
rum. 6. Ecce ego obducam eis cicatricem & sanitatem, & curabo eos: & re-
velabo illis deprecationem pacis & veritatis. 7. Et convertam conversionem Iuda,
& conversionem Ierusalem: & ædificabo eos sicut a principio. 8. Et emundabo
illos ab omni iniquitate sua, in qua peccaverunt mihi: & propitius ero cunctis
iniquitatibus eorum, in quibus deliquerunt mihi, & spreverunt me. 9. Et erit
mihi in nomen, & in gaudium, & in laudem, & in exultationem cunctis gen-
tibus terræ, quæ audierint omnia bona, quæ ego facturus sum eis: & pave-
bunt, & turbabuntur in universis bonis, & in omni pace, quam ego faciam
eis. 10. Hæc dicit Dominus: Adhuc audietur in loco isto, (quem vos dicitis
esse desertum, eo quod non sit homo nec iumentum: in civitatibus Iuda, &
foris Ierusalem, quæ desolatæ sunt absque homine, & absque habitatore, &
absque pecore) 11. vox gaudii & vox lætitiæ, vox sponsi & vox sponsæ, vox
dicentium: Confitemini Domino exercituum, quoniam bonus Dominus, quo-
niam in æternum misericordia eius: & portantium vota in domum Domini:
reducam enim conversionem terræ sicut a principio, dicit Dominus. 12. Hæc
dicit Dominus exercituum: Adhuc erit in loco isto deserto absque homine, &
absque iumento, & in cunctis civitatibus eius, habitaculum pastorum accuban-
tium gregum. 13. In civitatibus montuosis, & in civitatibus campestribus, &
in civitatibus quæ ad Austrum sunt; & in terra Beniamin, & in circuitu Ieru-
salem, & in civitatibus Iuda, adhuc transibunt greges ad manum numerantis,
ait Dominus. 14. * Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & suscitabo verbum
bonum, quod locutus sum ad domum Israel & ad domum Iuda. 15. In die-
bus illis, & in tempore illo, germinare faciam David germen iustitiæ: & fa-
ciet iudicium & iustitiam in terra. 16. In diebus illis salvabitur Iuda, * & Ie-
rusalem habitabit confidenter: † & hoc est nomen, quod vocabunt eum, Do-
minus iustus noster. 17. Quia hæc dicit Dominus: Non interibit de David vir, qui
sedeat super thronum domus Israel. 18. Et de sacerdotibus & de Levitis non in-
teribit vir a facie mea, qui offerat holocautomata, & incendat sacrificium, &

; M I AE

: factum est verbum Domini ad Ieremiam,
·itum potest fieri pactum meum cum die,
sit dies & nox in tempore suo: 21. Et
, David servo meo, ut non sit ex eo fi-
itæ & Sacerdotes ministri mei. 22. Sicuti
metiri arena maris: sic multiplicabo se-
tros meos. 23. Et factum est verbum
nquid non vidisti quid populus hic locu-
; elegerat Dominus, abiectæ sunt: &
non sit ultra gens coram eis? 25. Hæc
diem & noctem, & leges cælo & terræ
ob & David servi mei proiiciam, ut non
is Abraham, Isaac, & Iacob: reducam
ır eis.

E N S I S

Dominicani secuti sunt. Porro quem Epanorthotes probavit prototypo Hebraico is convenit. וזה אשר־יקרא־לה; idest, *Et hic qui vocavit eam*, vel: *Et hoc quod vocabit eam* (sequitur יהוה צדקנו: *Dominus iustitia nostra*, vel *iustus noster*) quare ille genuinus videtur.

Fuit locus iste demutatus ex altero simili, qui est capite vigesimo tertio superiori: sic enim ibi legitur sexto versu ex nostra editione: *In diebus illis salvabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter, & hoc est nomen quod* (*quo* Lob. Hier. Richel.) *vocabunt eum, Dominus iustus noster*. Hebraice ad similem est modum וישראל ישכן לבטח וזה שמו אשר יקראו יהוה צדקנו quod est: *Et Israel habitabit in confidentia, & hoc nomen eius quod* [vel *quo*) *vocabunt Dominus iustus noster*. Aut si legas יקראו, ut in punctatis est Bibliis, utque 70 legere (id quod ex Græcis antigraphis, & Hieronymi commentariis liquet.) *Et hoc nomen eius quod* (vel *quo*, vel *qui*) *vocabit eum Dominus iustus noster*. Hieronymus commentariis suis testatum reliquit se יקראו legisse. Ex eo igitur loco hic in quibusdam vulgatæ editionis codicibus mutatum in primis est *Ierusalem* cum *Israel*: deinde addita est vox *nomen*: præterea *vocabit* in *vocabunt* est transformatum; denique *eum* pro *eam* substitutum. Fuit enim vicesimi tertii capitis lectio scribis notior, quod ea in sacro tempore, quod adventum vocat Catholica Ecclesia, quotidie legatur canaturque.

Porro nonnulli Interpretes ita fere tricesimo

mo tertio capite, ut vicesimo tertio est, vertunt: & quidem recentiores nonnulli hoc modo: *Et hoc est nomen quo vocabit eum illi* (scilicet Ierusalem, sive Ecclesiæ) qui in Hebraicis scholiis adfertur. Inter veteres LXX. (ut certe in Regia & Complutensi editione est) transtulerunt *καὶ τοῦτο ἐστιν τὸ ὄνομα ὃ καλέσουσιν αὐτῷ* : *Et hoc est nomen quod vocabunt*; (*a*) in aliis editionibus, quas viderim, tricesimi tertii capitis posteriorem partem invenire haud potui. Chaldæus paraphrastes sic reddit: *Et hoc nomen eius quo ipsi vocantes eum*: sic enim in Regio opere legimus קרן לה וריז שמה דיהון קרזלה. Sed melius nostra sane sententia in Venetis Bibliis punctatum est, שמה לה ita ut sit: *Et hoc nomen eius, quo ipsi vocantes eam*, Hebræo conformiter. Nam sequitur: *Fient nobis iustitiæ a præsentia Domini in medio eius*; quod nomen personæ non convenit, sed apte loco quadrat, ipsi Ierusalem, cuius mentio proxime antecedit: quare & non בנוה sed בנוה scribendum est, ut mihi esse videtur tam in Regia quam in Veneta editione: Vicesimo tertio capite dixit paraphrastes: *Fient nobis iustitiæ a præsentia Domini in diebus eius*: illi itaque loco masculini generis puncta congruant, ac vere congruunt. Hi igitur Interpretes ad eum fere modum tricesimo tertio capite transtulerunt, quo vicesimo tertio legitur: nimirum, quod existimarint tricesimi tertii capitis locum, ex eo qui in vicesimo tertio similis est, interpretandum. Ceterum non ita & nostrum Interpretem Hieronymum convertisse tricesimo tertio capite, ut vicesimo tertio, ex melioribus fideque dignioribus libris discimus.

(a) Apud Theodoritum legitur: *Et hoc est nomen quo vocabitur*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. SECUNDO: postquam in carcere erat; nam prius sæpius illi factum fuerat. Itaque iungenda sunt hæc verba, SECUNDO CUM ADHUC CLAUSUS ESSET, vel, *Secundo de hac re*, ut ait R. David. IN ATRIO CARCERIS; pro, *in carcere atrii*, auctore R. David, ut cap. superiori vers. 2.

V. 2. QUI FACTURUS EST. Quod dicit, ut Isai. XLVI. 11. *Locutus sum, & adducam illud: creavi, & faciam illud*. Ita exponit R. Salom. Hebr. affixum est generis feminini. Itaque R. David exponit עשה, *faciens eam, Ierusalem*; id est, qui amplificaturus est, formaturus, præparaturus, restauraturus est eam, ut prædixit præcedenti cap. Magis mihi placet versio interpretis nostri, & interpretatio R. Salomon. quæ eadem Ionathæ est.

V. 3. ET FIRMA: *fortia*, בצורות; id est, res arduas, & difficiles, quas nisi me revelante comprehendere non poteris, ut Ps. CXXXVIII. 6. *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam*.

V. 4. AD DOMOS: על בתי, *de domibus, & de munitionibus, & gladio*. QUAE DESTRUCTAE SUNT, quæ paulo post destruentur. Hebraice. אל הסללות ואל החרב, *Quæ destructæ sunt aggeribus & gladio*; aut *propter aggeres, & gladium* (Chaldæorum) ut R. David interpretatur: vel, *ut ex illis fierent aggeres, & gladio pugnaretur*, ut exponit R. Salomon. Quo etiam sensu videntur Sept. vertisse *εἰς χάρακα, in vallum*: & Chald. Paraph. *ad congerendos aggeres contra eos, qui pugnant gladio*.

V. 5. VENIENTIUM. Intelligitur *ἀπὸ κοινοῦ, & ad domos Iudæorum venientium*; id est, qui venturi sunt, ut pugnent cum Chaldæis, vel, quia venerunt, ut pugnarent cum Chaldæis, ut ratio reddatur, quam ob rem destructæ sunt, quia cives ausi sunt Chaldæis resistere; si enim non restitissent, non essent dirutæ domus eorum: ita R. David. ET IMPLEANT: ולמלאם, *& ut impleant eas*, domos. *Ut*, non est hoc loco *αἰτιατικὸν*, sed *ἐπιβατικόν*. Non enim significat caussam, sed eventum, & consecutionem, ut multis aliis locis adnotavimus: non enim propterea cum Chaldæis pugnaverunt, ut everterentur, sed inde, ut everterentur, consecutum est.

V. 6. OBDUCAM EIS: ei, ut Hebraice legitur, & in emendatioribus nostræ versionis exemplaribus, & ut Septuaginta transtulerunt: intelligitur autem, Civitati. Relativum sine antecedente, Hebræorum more. CICATRICEM: ארוכה, *medicinam*, ut supra cap. XXX. 17. DEPRECATIONEM PACIS,

XXVIII. 6. & XXIX. 10. & Isai. XLIV. 26.

V. 15. GERMEN IUSTITIAE: filium iustum, Christum, ut sup. XXIII. 5.

V. 16. DOMINUS IUSTUS NOSTER. Vide explicationem cap. XXIII. 5.

V. 17. NON INTERIBIT: לֹא־יִכָּרֵת, *non excidetur*: ad verbum, id est non deerit. Hebraismus, qualis vers. sequenti, & apud Isai. XLVIII. 19. *Et fuisset quasi arena semen tuum, & stirps uteri tui ut lapilli eius: non interisset & non fuisset attritum nomen eius a facie mea*. Sensus est: *Non auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat qui mittendus est*, Gen. XLIX. 10. & Psal. CXXXI. 11. *Iuravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eum; de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*. Aut significat regnum Christi futurum esse perpetuum, ut Luc. I. 33. *Et regni eius non erit finis*, & Psal. LXXXVIII. 30. *Et ponam in sæculum sæculi semen eius: & thronum eius sicut dies cæli*.

V. 18. NON INTERIBIT: non deerit, ut versu præcedenti. Significat, sicut regnum Christi, ita sacerdotium Evangelicum futurum esse perpetuum, & Eucharistiæ sacrificium non defuturum, ut antiquissimus Hippolytus dixit, quod omnia sacrificia veteris legis virtute contineat.

V. 24. DUAE COGNATIONES: Davidis & Aaronis, regum & sacerdotum, ut R. David & R. Salom. interpretantur, de his enim loquebatur vers. 17. 18. 21. 22. ET POPULUM MEUM DESPEXERUNT. Qui hoc dicunt, putantes non esse iam illi reges, neque sacerdotes, qui eum regant. EO QUOD NON SIT ULTRA GENS; id est, quia putant eos non habituros successionem, ac posteritatem. Gentem aliquando vocant Hebræi non solum barbaras nationes, sed quamvis etiam hominum multitudinem, ut Gen. XVII. 4. *Erisque pater multarum gentium*: & vers. 20. *Et faciam illum in gentem magnam*. Idemque cap. XXI. 13. 18. & cap. XXV. 23. *Duæ gentes sunt in utero tuo*; id est, duo populi, duæ posteritates, quemadmodum hoc loco gentem appellat Ieremias, quas ante cognationes vocaverat.

V. 25. NON POSUI; id est, firmum, stabile, & perpetuum feci.

V. 26. CONVERSIONEM EORUM, id est *captivitatem*, שְׁבוּתָם, ut vers. 7. & aliis locis, quos illic adnotavimus.

SA.

Verf. 1. ATrio carceris, pro carcere atrii, fcilicet regii.

V. 2. Istud, fcilicet quod prædicit. Hebr. *eam*, fcilicet Ierufalem, fecundum quofdam, quamquam Hebr. femineum fumitur interdum pro neutro, ut *hæc*, pro, *id*. Paraturus, id eft difpofiturus. LXX. totum locum fic vertunt, *Faciens terram, & plafmans eam, ut dirigat eam*.

V. 3. Firma. Chald. *refervata*, id eft occulta.

V. 6. Deprecationem, id eft quod petunt, feu optant. Chald. *portam pœnitentiæ*. Hebr. *abundantiam*, feu *multitudinem*. Veritatis, fcilicet datis his, quæ promifi.

V. 7. Conversionem. Chald. & LXX. *tranfmigrationem*, fcilicet captivitatem. A principio. LXX. *prius*.

V. 9. Erit, fcilicet Ierufalem fpiritualis, id eft Ecclefia. In nomen, id eft nominata, feu celebris, vel in gloriam. Pavebunt, fcilicet hoftes eorum.

V. 10. Dicitis, id eft dicturi eftis brevi. Foris. Hebr. & Chald. *in plateis*.

V. 11. Vota. Hebr. & Chald. *confeffionem*, id eft laudem. LXX. *dona*. Conversionem, id eft captivitatem. A principio. LXX. *prius*.

V. 12. Accubantium, id eft accubare facientium.

V. 13. Numerantis. Solet id vefperi fieri, reducto grege ad caulas: intelliguntur vero per hæc officia paftorum fpiritualium. Chald. *adhuc difcet populus per manum Meffiæ*.

V. 14. Verbum bonum, fcilicet promiffionem de Meffia.

V. 15. David, id eft Davidi. Germen. Chald. *Chriftum*.

V. 17. David, id eft Chrifto, vel de ftirpe David. Vir, id eft Chriftus, vel fidelis fucceffor. Thronum, fcilicet Ecclefiam.

V. 21. Filius, fcilicet Chriftus.

V. 22. Stellae. Hebr. Chald. & LXX. *militia*.

V. 24. Hic, fcilicet Babylonicus, feu Iudaicus. Eo quod; pro, ita ut. Gens; quafi dicat, alicuius momenti.

V. 26. Conversionem, id eft captivitatem.

Verf. 6. ET revelabo eis deprecationem pacis et veritatis. Ad gratiam novi teftamenti pertinet hæc promiffio. Senfus eft: Revelabo eis pacem & veritatem, pro qua deprecati funt patres eorum; quafi dicat: Quod patribus promifi, filiis præftabo. In Hebræo legitur paulo aliter, idque plenius & fignificantius: *Et aperiam eis thefaurum pacis & veritatis*, fcilicet ingentem copiam, & abundantiam pacis, iuxta illud Pfalm. lxxi. *Orietur in diebus eius iuftitia & abundantia pacis*. In pace autem intelligitur reconciliatio hominis cum Deo; in veritate autem fides promifforum; ut fenfus fit: Reconciliabo eos mihi, adoptans eos in filios, & præftabo quidquid promifi. Septuaginta interpretes, nec deprecationem habent, nec thefaurum, fed hoc modo: *faciam pacem & fidem*.

V. 8. Et emundabo illos ab omni iniquitate sua, in qua peccaverunt mihi, et propitius ero cunctis iniquitatibus eorum. Similiter dictum eft fupra cap. xxxi. Cum enim dixiffet Dominus: *Dabo legem meam in vifceribus eorum, & in corde eorum fcribam eam*, poftea fubiicit: *Propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius*. Ex quibus manifefte confequitur utramque iuftificationis partem, videlicet obedientiam legis, & remiffionem peccatorum, æque ad gratiam novi teftamenti pertinere; & neutrum eorum obtineri poffe, fine fanguine mediatoris Chrifti. Et fane definita eft Apoftoli Pauli fententia ad Hebr. ix. *Sine fanguinis effufione non fit remiffio*. Quod fi dicas, etiam veterem legem ad remiffionem peccati valuiffe, per facrificia & fanguinem victimarum illius legis, occurrit rurfum idem Apoftolus, & id, ne fentiamus, prohibet; dicens cap. x. *Impoffibile eft fanguine taurorum & hircorum auferri peccata*. Quod fi eft impoffibile, & tamen fi fanguinis effufione non fit remiffio, (ut iam allegatum eft ex cap. ix.) confequens eft, non nifi fanguine Agni immaculati Chrifti peccata deleri; & falli eos, qui vel legem naturæ, vel legem Moyfi, quantum in ipfis erat, dicunt valuiffe ad remittenda pœnitentibus peccata.

MA-

V. 9. ET ERIT MIHI IN NOMEN, id est gloriosum. CUNCTIS GENTIBUS TERRAE; apud omnes gentes. ET PAVEBUNT, ET TURBABUNTUR. Hebr. *timebunt*, & *pavebunt*, scilicet eos. IN UNIVERSIS BONIS. Hebr. *propter omne bonum*, & *omnem pacem*. Ea illis gentibus timendi causa, bona & felicitas eorum, scilicet Iudæorum. *Pacis* nomine cuncta bona Hebræi intelligunt.

V. 10. ADHUC AUDIETUR. Oratio pendens usque ad versum sequentem. ET FORIS IERUSALEM, scilicet in oppidis suburbanis Hebr. *in plateis Ierusalem*: sic Chald. Quid audietur?

V. 11. VOX GAUDII. Omnia lætis vocibus & iubilo personabunt. CONFITEMINI, laudate; quasi dicat: Audietur vox multorum venientium in templum cum hymnis, & canticis. ET PORTANTIUM VOTA. Hebr. *laudem*, Sept. *dona*. Chald. *sacrificium confessionis*. Erant sacrificia in gratiarum actionem, quæ hoc loco *laudem*, seu *confessionem*, vocat. REDUCAM ENIM CONVERSIONEM. Hebr. *captivitatem*. SICUT A PRINCIPIO, cum eos de Ægypto liberavi.

V. 12. HABITACULUM PASTORUM. Hic נוה deduxit Hieronymus a *navah*, quod est *habitare*, quod facere non solet. ACCUBANTIUM GREGUM. Hebr. *facientium accubare gregem*: sic Sept. Hoc est, erunt rursus in agris caulæ & mapalia, quod non contingit nisi tempore pacis.

V. 13. AD MANUM NUMERANTIS; id est, quotquot numerari poterunt greges, transibunt Pastores oves noctu manu numerant. Ad hunc morem alludit. Aut fortasse significat fore, ut ex gregibus tributa Regibus solvantur: quod ut fiat, in loco angusto transeuntes pecudes ministri regii manu numerant.

V. 14. SUSCITABO, id est implebo quod promisi, liberationem, aut potius Christi adventum vocat. VERBUM BONUM

V. 15. GERMEN IUSTITIAE. Christum, ut cap. XXIII. 5. Chald. *Christum iustitiæ germinare faciam*.

V. 16. QUOD VOCABUNT EUM. Sic Chald. Goth. *vocabit eum*. Hebr. *vocavit eam*: sed genera in Hebr. lingua facile commutantur. Aut olim aliter legebant, argumento Chald. versionis quæ habet *eum*: & quoniam repetuntur verba posita cap.

XXIII.

xiii. Ergo vocabunt homines, seu vocabit Deus Messiam, germen de quo dixit. Dominus iustus. Hebr. *Dominus iustitia nostra*. Iudæi, ut hæc verba a Christo detorqueant, dicunt sic Ierusalem a Deo vocari, scilicet *Dominus iustitia nostra*. Pro *Dominus*, Hebr. est nomen ineffabile.

V. 17. Non interibit. Hebr. *non excidetur Davidi*, id est non auferetur sceptrum de domo eius. Perpetuum erit Christi filii David regnum. Lucæ 1. vers. 33. *Et regni eius non erit finis*.

V. 18. Non interibit: non excidetur, non deficiet, scilicet sacerdos. Ecce sacerdotium Evangelicum: nam sacerdotes Levitici, & eorum sacrificia ubi? Incendat, adoleat, sive thurificet sacrificium. Caedat victimas. Hebr. *faciat*: sed *facere* pro *sacrificare*. Non deerit qui hæc faciat.

V. 20. Si irritum: hoc & sequenti versu significat, tam firma fore quæ dixit de posteris David, & de sacerdotibus, quam sunt firmæ leges diei & noctis, ut quæque veniat suo tempore.

V. 22. Sicuti enumerari. Hebr. *quia non numerabitur militia cælorum*: sed אשר *aser* ponitur pro כאשר *caaser*, id est *quia*, pro *sicut*: sic Hebr. Ergo sicut stellæ numerari non possunt, sic nec David posteri.

V. 24. Duae cognationes .... abiectae sunt, scilicet David & Aaron, Regia & Sacerdotalis. Despexerunt, scilicet alii populi, cum eos videant carere Rege & sacerdotibus. Eo quod non sit; pro, ita ut non sit ultra gens coram eis. Hebr. *abesse amplius gens coram eis*; id est, non ponunt nos in numero aliarum gentium, non videbimur illis coire in unam populi formam. Id populus dicebat. Quid Deus?

V. 25. Si ..... non posui; id est, si firmas & perpetuas non feci leges diei ac noctis.

V. 26. Conversionem, captivitatem reducam. Ergo si leges diei & nocti, cælo & terræ positæ, ut servent ordinem suum, moveri non possunt; sic neque deerit e semine Iacob & David, qui in eo populo sit Princeps. Hebr. *dominetur*; sed reducam eos, & miserebor.

MALVENDAE.

Vers. 1. Et factum est verbum Domini ad Ieremiam secundo, &c. Alii: *Fuit autem verbum Iehovæ ad Iirmeiam secundo*, &c. Hæc, inquiunt, prophetia etsi eadem argumento cum superiore est, diversa tamen est tempore, ut inscriptio docet, vers. 1. Sunt autem partes illius quatuor, prima est, exordium, ver. 2. & 3. Secunda, propositio prophetiæ, inde ad vers. 19. tertia confirmatio, inde a vers. 23. postrema, confutatio, reliquis versibus capitis. Cum adhuc clausus esset in atrio carceris. Alii: *Cum ipse adhuc detineretur in atrio custodiæ*, de quo supra cap. xxxii. 2.

V. 2. Haec dicit Dominus. Hebr. *Sic dixit Iehovah*, &c. Huius, inquiunt, exordii (quo Deus propositionis sequentis fundamenta proponit) duo sunt loci; unus a persona Dei promissiones præstituri ex natura & fœdere suo, hoc versu; altera persona Iudæorum, cum fuerint comparati ad percipiendum sancte liberationem suam, versu sequente. Qui facturus est, et confirmaturus illud, et paraturus. Hebr. *faciens eam, Ihuh formans eam, ad apparare eam*. Alii: *qui facit eam, Iehova, qui format eam ut stabiliat illam*, scilicet Ierusalaim, vel Iudæam, hoc est Ecclesiam, allegorice; id est, magnificaturus & amplificaturus est eam, aucturus dignitatibus & honoribus: ad hæc formaturus & fi-cturus est eam, ut firmet, disponat, præparet eam; hoc est, innovaturus, instauraturus, præparaturus, adornaturus est illam. Plerique tamen affixa feminea cum Nostro pro neutris accipiunt, usu linguæ: I. *qui facit hoc, Iehova, qui format hoc, ut præparet hoc*. II. *facturus istud*, quod deinceps promissurus est, *Iehova formans istud ad stabiliendum ipsum*: ut Is. xlvi. 11. Dominus nomen eius. Hebr. *Iehovah nomen eius*. Alii: *Iehova nomine*.

V. 3. Clama ad me, et exaudiam te, &c. Alii: *Invoca me, & respondebo tibi*, &c. Secundus locus exordii, per exhortationem expressus. Et firma. *Betzuroth*, proprie, *munita*: quidam, *fortia*, id est difficilia intellectu. Alii: *ardua, recondita, abstrusa, secreta*, quasi sigillo munita, ut vulgo dicunt. Quae nescis: *quæ non agnoscis*;

eas domos cadaveribus hominum; id eſt, ſed Chaldæi omnia replebunt cadaveribus Iudæorum; *quos ego percuſſi in furore meo, & in æſtu meo, & quod abſcondi vultum meum ab urbe iſta propter omnem malitiam eorum*. III. Tremellius, & Iunius: *Venientibus ad pugnandum contra Chaldæos*; id eſt, ſic ait Iehova de familiis huius urbis venientibus conſilio ſuo ad pugnandum, &c. *immo ad explendas ipſas* familias *cadaveribus hominum*: correctio, qua Deus conſilio Iudæorum opponit ſuum: *quos percuſſero ira mea & excandeſcentia mea: & propter quorum omnem malitiam abſcondi faciem meam a civitate hac*. Emplocem Hebraici ſermonis ad evidentiam tranſtulimus.

V. 6. ECCE EGO OBDUCAM EIS CICATRICEM, ET SANITATEM, ET CURABO EOS. Alii ex Hebr. I. *Ecce ego aſcendere faciam ei medelam & medicinam, ſanaboque eos*. II. *Ecce ego aſcendere faciens ei emplaſtrum*, id eſt, *imponam ei emplaſtrum*, ſeu *cataplaſma, & medicinam, & curabo eos*. III. *Ecce ego faciens ei aſcendere curationem*, ſeu *faciens ut aſſurgat ad iuſtam conſtitutionem*, ut II. Paralip. XXIV. 13. *& ſanitatem, & curabo eos*, &c. Prolepſis ſive propoſitio ſumma promiſſionum ſequentium, quæ allegorice hoc verſu poſita, ſequentibus explicatur. Sunt autem earum partes duæ; reſtitutionis, quæ exponitur tribus verſibus; & fructuum ex reſtitutione eventurorum, a verſu 10. uſque ad 19. qui fructus hic ſignificantur pacis & ſtabilitatis nomine. Hebr. ad verbum: *Ecce ego aſcendere faciens ei*, vel *ſuperimponens ei longum, & ſanationem*: vide de hac locutione ſupra cap. XXX. 17. ET REVELABO ILLIS DEPRECATIONEM PACIS ET VERITATIS. Ex Hebr. I. Sanctes: *& revelabo eis multitudinem pacis & veritatis;* id eſt, depromam eis multiplicem pacem, & ſtabo promiſſis. II. Vatablus: *copiam pacis & veritatis*; id eſt, efficiam ut vivant in magna pace erga Deum parta remiſſione peccatorum per Chriſtum, & promiſſiones meas omnes illis præſtabo. III. Leo Iudæ: *& aperiam eis theſaurum pacis & fidei*. IV. Forſterus, *& aperiam eis orationem ſuavem*, ſeu *exorationem pacis & veritatis*. V. Mercerus: *& revelabo eis ſuavem & ſupplicem orationem*, ſeu *conciliationem pacis & veritatis*: quæ eſt expoſitio

Kim-

Kimchi in libro Radicum. VI. Marinus: *& revelabo eis densitatem, grossitiem, copiam paeis & veritatis*. VII. Avenarius: *& revelabo eis exorationem paeis & fidei*; id est, exorabunt a me pacem & omnem prosperitatem, & ego exaudiam, præstabo. VIII. Tremellius, Iunius, Buxtorfius: *& revelabo eis abundantiam, affluentiam pacis, & veritatis*, seu *fidei*, seu *pacis*, *& quidem stabilissimæ*. IX. Hispanicus Interpres: *y revelarles he Multitud de Paz, y de Verdad*, id est, *de Prosperidad con el complimiento de mie Promessas*. *Descripcion del Evangelio*.

V. 7. Et convertam conversionem Iuda, &c. Alii hunc versum ex Hebr. exponunt: *Nam reducam captivam multitudinem Iehudæ, captivamque multitudinem Iisraelis*; *& ædificabo eos ut antea*, vel *& instaurabo, eos ut olim fuerunt*. Restitutionis promissæ partes ponuntur, liberatio a peccato, & salus duobus versibus: finis sive usus illius, gloria, vers. 9.

V. 8. Et spreverunt me. Alii I. *& perfide a me defecerunt*. II. *& quibus deficientes in me rebellaverint*. III. *& quibus transgressi sunt*, seu *prævaricati sunt*, *in me*.

V. 9. Et erit mihi in nomen, et in gaudium. Hebr. *Et erit mihi nomini, gaudio*. Quidam: *Et erit mihi in nomen gaudii*; id est, hac ratione comparabo mihi famam gratissimam. Alii: *Quod erit mihi nomini gaudii*: hypallage, pro *gaudio nominis*, seu *nominatissimo*, vel *celebri gaudio*. In laudem, et in exultationem. Hebr. *excellentiæ*, vel *laudi*, *& decori*, seu *ornamento*, *gloriæ*. Cunctis gentibus. Alii: *apud omnes gentes*. Et in omni pace quam ego faciam eis. Hebr. *& super omnem pacem, quam ego faciens ei*. Relativum *ei* est femineum, id est captivæ abductioni, seu ecclesiæ reduci, de qua vers. 7. Quidam reddunt: *& ad totam illam pacem, quæ ego effecturus sum illam*, ecclesiam. *Pacem*, id est prosperitatem, felicitatem, copiam bonorum omnium, ut sæpissime vox usurpatur in Scriptura.

V. 10. Haec dicit Dominus: Adhuc audietur, &c. Quidam hunc versum ex Heb. reddunt: *Sic ait Iehova: Adhuc audietur in loco hoc, quem vos dicitis vastari, adeo ut nullus insit homo, nullumque iumentum, in civitatibus Iehudæ, & in plateis Ierushalaimorum desolatis adeo ut nullus insit homo, nullusque habitator, & nullum iumentum*: *Audietur inquam, vox gaudii*, &c. Prior liberationis fructus, ut diximus vers. 6. hic primum exornatur, quatuor versibus; & auctor, effectorque illius Christus promittitur, vers. 14. & 15. 16. deinde posterior fructus, nimirum stabilitatis æternæ, exponitur vers. 17.

V. 11. Vox gaudii, et vox laetitiae, vox sponsi, et vox sponsae. Vide supra cap. vii. 24. & cap. xvi. 9. Vox dicentium, Confitemini Domino exercituum, &c. Vide in Psalm. cxxxv. Et portantium vota in domum Domini. Hebr. *venire facientium*, seu *adducentium confessionem domum* Ihuh. Alii: I. *& ii adducent laudem in domo Iehovæ*. II. *offerentium gratiarum actionem in domo Iehovæ*. תודה *todah*, erat quoque species sacrificii, de qua Levit. vii. 12.

V. 13. In civitatibus montuosis, seu *montanis*, et in civitatibus campestribus, &c. De hac distributione vide supra cap. xxxii. 44. In civitatibus Iudae: id est, totius regni. Adhuc transibunt greges ad manum numerantis. Alii: I. *sub manibus minantis*. II. *per manus numerantis*, id est pastoris, quod vesperi cum reducunt oves ad caulas, numerant eas pastores; quasi dicat, Non relinquet Dominus gregem suum sine pastoribus: sed ecclesiæ perficiet optimos ministros, qui in eam omnia boni pastoris officia exhibebunt. Per enumerationem, intelligit omnem curam probi pastoris. III. *adhuc transibunt greges opera numerantis*, pro ratione illa, quam exposuimus Levit. xxvii. 32. quasi dicat, Adhuc erunt decimationes pecorum ipsi Iehovæ.

V. 14. Ecce dies venient, &c. Quidam hunc versum ex Heb. reddunt: *Ecce dies venturi sunt, dictum Iehovæ, cum præstabo verbum istud optimum, quod prolocutus sum erga domum Iisraelis, & erga domum Iehudæ*. Promissio de Christo effectore bonorum præcedentium, in quo omnes promissiones Dei sunt etiam, & Amen ad Dei gloriam II. Cor. 1. 20. Et suscitabo verbum bonum. Hebr. *& surgere faciam*, seu *stabiliam*, *confirmabo*, *ratificabo*, &c. id est, adimplebo promissionem illam optimam, quam pollicitus sum in gratiam fidelium Iudæorum; hoc est, mittam Christum Filium meum.

panaceo Euchariſtiæ in Eccleſia, quod Chriſtus ſummus & æternus Sacerdos continenter per ſuos vicarios & miniſtros ſacerdotes Novi Teſtamenti offert Patri, &c. quodque unicum inſtar eſt omnium veteris Inſtrumenti Sacrificiorum, & pro illis omnibus ſubrogatum, & quod omnia illa antecedentia, unicum præfigurabant.

V. 19. ET FACTUM EST VERBUM DOMINI AD IEREMIAM, DICENS. Alii: *Deinde fuit verbum Iehovæ ad Iirmeiam, dicendo*. Confirmatio præcedentis promiſſionis, a documentis naturalibus, uſque ad v. 23. cum in perſona Chriſti, v. 20. & 21. tum in omnibus Eccleſiæ membris v. 22.

V. 20. HAEC DICIT DOMINUS: SI IRRITUM POTEST FIERI, &c. Quidam hunc verſum ex Hebr. exponunt: *Sic ait Iehova: Si irritum facere poteſtis fœdus meum de die, & fœdus meum de nocte, idque ut non ſit diurnum tempus & nocturnum tempore ſuo*. Alii: *Sic dicit Iehova: Si irritum facere poteſtis fœdus meum, quod inii cum die, & fœdus meum, quod inii cum nocte, ut non ſit dies, & nox ſuo utrumque tempore*: vide ſupra cap. XXXI. 35.

V. 21. ET PACTUM MEUM IRRITUM ESSE POTERIT CUM DAVID SERVO MEO, &c. Fœdus æternum regni & ſacerdotii Chriſti in Eccleſia continet hic verſus.

V. 22. SICUT ENUMERARI NON POSSUNT STELLAE CAELI, &c. Alii: *Ut non poteſt numerari exercitus cælorum, nec poteſt menſurari arena maris; ita augebo ſemen Davidis ſervi mei, & Levitarum miniſtrantium mihi*, id eſt pios inſitos in Chriſtum Davidis filium, qui fecit nos reges & ſacerdotes Deo & Patri ſuo, I. Petri II. 5. & Apocalyp. I. 6. & v. 10.

V. 23. ET FACTUM EST VERBUM DOMINI AD IEREMIAM, DICENS. Alii: *Rurſus fuit verbum Iehovæ ad Iirmeiam, dicendo*. Confutatio ludificationum, quibus utuntur hoſtes Eccleſiæ, & infirmi percelluntur, eodem argumento, quo confirmatio.

V. 24. NUMQUID NON VIDISTI QUID POPULUS HIC LOCUTUS SIT? Alii: *An non animadvertis quid populus iſte loquantur?* Populus infirmus videlicet, & abiiciens ſpem promiſſionum ex præſentibus malis. DUAE COGNATIONES QUAS ELEGERAT DOMINUS, &c. Alii ex Hebr. *Duas iſtas familias*, nempe Iehudæ & Biniaminis; ſeu Iehudæ, & Iſraelis; vel quod malunt

lunt alii, Aaronis & Davidis, seu sacerdotum & regum, de quibus verſ. 21. & 22. *quas elegerat Iehova; iam ſpernit ipſas: & populum meum contemnunt illi*, hoſtes Eccleſiæ, *adeo ut non videatur eſſe amplius gens in conſpectu illorum*.

V. 25. SI PACTUM MEUM INTER DIEM ET NOCTEM, &c. Alii ex Hebr. I. *Si fœdus meum non pepigi cum die ac nocte: ſi leges cæli & terræ non dedi*. II. *Si non fœdus meum interdiu & noctu: ſi ſtatuta cæli & terræ non diſponam*.

V. 26 EQUIDEM ET SEMEN IACOB, &c. Alii hunc verſum ex Hebr. transferunt. I. *Etiam ſemen Iahakobi & Davidis ſervi mei repudiabo, quo minus accipiam de poſteritate eius principes ſuper ſemen Abrahæ, Iſaac, & Iahakobi: reducam enim captivitatem eorum, & miſerebor eorum*. II. *Etiam ſemen Iahakobi & Davidis ſervi mei proiiciam*, ſeu *ſpernam ne ſumam de ſemine eius, qui dominentur in ſemen Abrahami, Iiſchaki, & Iahakobi; cum reduxero multitudinem captivam eorum, miſetius ipſorum*. Senſum duorum iſtorum verſuum ita concipiunt: Id eſt, potius aliquis fœdus meum & ſtatutum de naturæ converſione initum præſtari a me impediverit, quam ut ſempiternam Eccleſiæ adminiſtrationem ex promiſſo mihi extorqueat.

MENOCHII.

Verſ. 1. SECUNDO: poſtquam ſcilicet erat in carcere; nam prius ſæpius illi factum fuerat. IN ATRIO CARCERIS. Vide dicta ſuperiori capite numero 20.

V. 2. QUI FACTURUS EST ILLUD: facturus, & effectum daturus id quod promiſit. LXX. habent, *Faciens terram & formans eam*, id eſt Ieruſalem, & Iudæam reficiens, & reſtaurans.

V. 3. CLAMA AD ME: ad impetrandum reditum e captivitate. FIRMA. In Hebræo eſt, *fortia*; id eſt, res arduas, & difficiles, quas niſi me revelante comprehendere non poteris.

V. 4. AD DOMOS: de domibus. AD MUNITIONES: de munitionibus, quas Iudæi ſubverſis domibus excitarunt, ut in eis machinas bellicas erigerent contra Chaldæos. ET AD GLADIUM: & de gladiis, & viris armatis urbem propugnantibus.

V. 5. UT IMPLEANT EA CADAVERIBUS: Particula *ut* non ſignificat cauſam, ſed eventum, non enim propterea venerant ut cadaveribus ſuis aggeres, & foſſas implerent. FACIEM MEAM: favorem meum.

V. 6. OBDUCAM EIS CICATRICEM: cicatricem, & vulnus Iudæorum ſanabo, reducens eos e captivitate. SANITATEM, reddam. REVELABO EIS DEPRECATIONEM PACIS: oſtendam eis, concedam eis pacem, quam precibus poſtularunt. VERITATEM: fidem promiſſorum integre illis præſtabo.

V. 7. CONVERTAM CONVERSIONEM, id eſt reducam captivitatem ut ſupra cap. XXX. 3. 18. & infra 11. & 26. AEDIFICABO EOS: ſtabiliter conſtituam eos in Iudæa. SICUT A PRINCIPIO: cum eos ex AEgypto in terram promiſſionis induxit, & ibi ſtabilivit.

V. 9. ET ERIT: Ieruſalem, & Eccleſia per Ieruſalem ſignificata. IN NOMEN, Dei, ut ſic per eam nominis Dei fama promulgetur inter gentes, quæ gaudebunt, laudabunt, & admiratione, & ſacro timore & reverentia pavebunt, ſcilicet ad tantam Dei bonitatem, & beneficentiam. TURBABUNTUR: timore etiam percellentur, intelligentes eum qui amicos ſuos tam multis bonis potuerit cumulare, poſſe etiam inimicos ſuos perdere. IN OMNI PACE, id eſt in omni rerum proſperitate, & affluentia; hoc enim ſignificat pax apud Hebræos: ut Pſalm. CXXI. 7. *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis*.

V. 10. ET FORIS IERUSALEM: & plateis Ieruſalem.

V. 11. VOX SPONSI, & SPONSAE; quaſi dicat: Lætas inibitis nuptias in Ieruſalem, & maxime exultabitis in nuptiis Chriſti, & Eccleſiæ. CONFITEMINI DOMINO. Hoc carmen intercalare ceciniſſe Iudæos in reditu e Babylone, patet Eſdræ Lib. I. III. VOTA: oblationes ex voto debitas, ut etiam victimas. CONVERSIONEM TERRAE: *captivitatem terræ*, ut ex Hebræo habent Pagninus, & Vatablus.

V. 12. ACCUBANTIUM GREGUM, id eſt gregum, qui pre ubertate paſcuorum, & ſaturitate in paſcuis, more ſuo procumbent, & quiete accubabunt.

V. 13. TRANSIBUNT GREGES AD MANUM NUMERANTIS: ſolet enim paſtor veſperi reducto grege ad caulas, in earum oſtio

eum & oretis pro tanto beneficio, immo totis viribus *clametis* ad ipsum: sic enim, neque alia via decrevit perficere quæ hac lege promisit.

V. 3. GRANDIA beneficia, ET FIRMA, id est munita, fortia, stabilia, quæ a nemine præpediri vel infringi poterunt; QUAE tu modo NESCIS; scies autem postea & senties, nempe infinita bona Ecclesiæ Christi communicanda partim in terris, partim in cælis: ita Lyranus & Vatablus.

V. 6. OBDUCAM EIS, supple, Iudæis adhuc reliquis, CICATRICEM; quasi dicat: Hactenus iustum me vindicem exhibui scelerum vestrorum, nunc deposita hac persona, clementem agam medicum ac chirurgum, qui inflicta vulnera curabo: ET DEPRECATIONEM PACIS AC VERITATIS, id est pacem, seu felicitatem quam deprecantur, itemque veritatem, seu fidelitatem promissorum illis exhibendorum, exhibebo de facto & REVELABO EIS.

V. 7. ET CONVERTAM, id est in patriam reducam, CONVERSIONEM *a* IUDA; id est, Iudæos per pœnitentiam ad me conversos, & e Chaldæa in Iudæam reverti volentes.

V. 9. ET ERIT MIHI tunc Synagoga Iudaica, vel potius Ecclesia Christiana, *in nomine*; id est, nomen meum in ea, & per eam apud omnes *gentes* sanctificabitur & celebrabitur, ob eximia beneficia per me illi præstita. Quæ eadem de causa *gaudebunt*, meque *laudabunt*, & sacro timore ac reverentia PAVEBUNT & quasi TURBABUNTUR ad tantam bonitatem meam, & tantam *pacem*, id est felicitatem illius: ita S. Thomas, Rabanus & Hugo.

V. 10. IN FORIS: Hebraice & Chaldaice, *in plateis*, IERUSALEM AUDIETUR iterum VOX SPONSI ET SPONSAE, id est cantus ac iubilus nuptialis.

V. 11. VOX DICENTIUM, CONFITEMINI DOMINO, &c. Ut David Psal. CXVII. vobis præcinuit. Et vero carmen Davidicum hoc intercalasse Iudæos canticis suis cum Chaldæa remigrarent in Iudæam, constat ex I. Esdræ III.

V. 13. GREGES, cum vespere ad caulas reducuntur, TRANSIBUNT AD MANUM pastoris NUMERANTIS omnes, & explorantis an quæ ovicula desit gregi. En munus seduli pastoris, maxime Evangelici, *nosse* omnes oviculas suas; immo *vocare* singulas.

las *e* *nominatim*, nullum *perdere d.*

V. 15. GERMINARE FACIAM DAVID GERMEN IUSTITIAE; id eſt, producam e ſtirpe Davidis Chriſtum fontem omnis iuſtitiæ, inquit Chaldæus. *Nomen* eius,

V. 16. DOMINUS IUSTUS NOSTER: nempe iuſtiſſimus in ſe, & noſtrum omnium iuſtificator. Sed de his alibi *e*.

V. 17. NON INTERIBIT DE DAVID VIR, QUI SEDEAT SUPER THRONUM DOMUS ISRAEL. Id de temporali Iudæorum regno exponi non poteſt, cum iſtud poſteris Davidis poſt Zorobabelem, & omnibus Iudæis poſt excidium urbis per Titum, ereptum conſtet. Ergo per *virum* hunc intelligendus eſt Chriſtus, qui per ſe, perque vicarios ſuos *regnabit in domo Iacob*, id eſt reget Eccleſiam, in ſempiternum *f*: ita SS. Patres & Doctores. Simili modo,

V. 18. DE SACERDOTIBUS NON INTERIBIT VIR; QUI INCENDAT SACRIFICIUM. Eſt catachreſis alludens ad ritus antiquæ legis, ubi occiſæ victimæ cremabantur. Sed hic intelligi SS. Euchariſtiam, antitypon & complementum *g* omnium veterum ſacrificiorum, in qua Chriſtus metaphorico caritatis igne quaſi ſuccenditur, cæditur, abſumitur. Et hoc ſacrificium durabit uſque ad finem mundi: ita S. Hippolytus Martyr *h* & alii Patres. Verum audiſtin, quid dicat?

V. 24. POPULUS HIC Chaldæus, inquit Rabanus & S. Thomas; vel, ut Hugo & Vatablus, Iudæorum incredulus populus: DUAE, inquiunt, COGNATIONES, id eſt duæ familiæ; una regia Davidis, altera ſacerdotalis Aaronis: ita Theodoretus, Rabanus & Hugo; vel duæ tribus, Iuda & Beniamin, ut vult Lyranus, ABIECTAE SUNT a Deo, & prædæ Chaldæis obiectæ; quid ultra ſpei ſupereſt Iudæis, ut pro *populo* Dei habeantur, & priſtinæ dignitati aliquando reſtituantur? Et hucuſque crevit *deſpectus*, ſeu contemptus, ut non amplius habere dignentur Iudæos pro *gente*, ſeu populo: eo quod putent, ſtirpitus excifum iri a Chaldæis: ita LXX. & paſſim interpretes. Sed quamdiu

V. 25. & 26. LEGES CAELI ET TERRAE ſtabunt, nempe uſque ad finem mundi, tamdiu DE SEMINE IACOB ET DAVID ASSUMAM PRINCIPES, Eccleſiæ meæ, nempe Meſſiam regem, & Apoſtolos eius, & Apoſtolorum ſucceſſores Pontifices, Epiſcopos, aliosque principes Eccleſiæ: vere *principes* SEMINIS, id eſt ex ſemine, ABRAHAM, ISAAC ET IACOB: non iam ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum & promiſſionem, ut S. Paulus ad Romanos IX. *6.* exponit. De CONVERSIONE dixi ſupra verſ. 7.

(a) Ierem. xxx. 3. 18. & xxxIII. 11. 26.
(b) Ioan. x. 14.
(c) Ibid. & 21.
(d) Ioan. xvII. 12. & xvIII. 9.
(e) Ierem. xxIII. 6. & Iſaiæ Ix. 6. &c.
(f) Lucæ I. 32.
(g) Levit. I. in fine.
(h) Hippol. Lib. de Conſummat. mundi.

GORDONI.

Verſ. 16. DOMINUS IUSTUS NOSTER, &c. Hoc nomen Chriſto impoſitum fuit cap. XXIII. ver. *6.* Hebr. *ipſe vocabit eam*, *Dominus iuſtus noſter*, ſcilicet Ieruſalem, hoc eſt Eccleſiam. Nomen ergo ſupra impoſitum Chriſto, nunc attribuitur Eccleſiæ in ea retinendum; utpote in qua omnes dicent, Chriſtus eſt iuſtitia noſtra: & fruſtra putant aliqui hunc locum in Hebræo eſſe depravatum a Iudæis, & poſitum eſſe לה *lah*, *eam* pro maſculino, ne cogerentur fateri Chriſtum eſſe Deum. Septuaginta habent maſcul. αὐτῷ. Ceterum in hac varia lectione, ſicut *eam*, ad Eccleſiam, ita, *eum* ad germen refertur. Sane quidem nihil definio; ſed retinendum hic eſſe, *eam*, ſuadent plura exemplaria: & ſufficit citatum cap. XXIII. ut probemus contra Iudæos Chriſtum eſſe Deum. De Calvini imputata iuſtitia, alibi.

V. 23. & 24. Duæ cognationes iſtæ ſunt domus Iuda & Iſrael.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Verſ. 6. OBDUCAM CICATRICEM: vulnera ſanabo Iudæorum reſtituendo eos priſtinæ libertati. REVELABO: oſtendam illis pacem, quam orantes petebant.

Verſ. 9. Extollent nomen Dei, timebunt turbati tam potentem ſalvatorem ſuorum amicorum.

Verſ. 16. & 17. Senſus de ſuſcitando Chriſto ex ſemine David hic eſt Dominus iuſtus noſter, cuius regni non erit finis, nec deficiet hoſtia Euchariſtica in hoc ſpirituali regno Eccleſiæ, donec compleantur omnia.

Verſ.



CAPUT XXXIV.

Prædicit Dominus se traditurum regem Sedeciam in manus regis Babylonis, una cum Ierusalem, quam igni succendet, eo quod pactum, quod coram Domino pepigerant de dimittendis his liberis quos ex Hebræis sibi in servitutem subiecerant, non servaverint.

1. VErbum quod factum est ad Ieremiam a Domino, quando Nabuchodonosor rex Babylonis, & omnis exercitus eius, universaque regna terræ, quæ erant sub potestate manus eius, & omnes populi bellabant contra Ierusalem, & contra omnes urbes eius, dicens: 2. Hæc dicit Dominus Deus Israel: Vade, & loquere ad Sedeciam regem Iuda: & dices ad eum: Hæc dicit Dominus: Ecce ego tradam civitatem hanc in manus regis Babylonis, & succendet eam igni. 3. Et tu non effugies de manu eius: sed comprehensione capieris, & in manu eius traderis: & oculi tui oculos regis Babylonis videbunt, & os eius cum ore tuo loquetur, & Babylonem introibis. 4. Attamen audi verbum Domini Sedecia rex Iuda, Hæc dicit Dominus ad te: Non morieris in gladio, 5. sed in pace morieris, & secundum combustiones patrum tuorum regum priorum qui fuerunt ante te, sic comburent te: & væ Domine, plangent te: quia verbum ego locutus sum, dicit Dominus. 6. Et locutus est Ieremias propheta ad Sedeciam regem Iuda universa verba hæc in Ierusalem. 7. Et exercitus regis Babylonis pugnabat contra Ierusalem, & contra omnes civitates Iuda, quæ reliquæ erant, contra Lachis, & contra Azecha: hæ enim supererant de civitatibus Iuda, urbes munitæ. 8. Verbum quod factum est ad Ieremiam a Domino, postquam percussit rex Sedecias fœdus cum omni populo in Ierusalem, prædicans: 9. Ut dimitteret unusquisque servum suum, & unusquisque ancillam suam, Hebræum & Hebræam, liberos: & nequaquam dominarentur eis, id est, in Iudæo & fratre suo. 10. Audierunt ergo omnes principes & universus populus, qui inierant pactum ut dimitteret unusquisque servum suum, & unusquisque ancillam suam liberos, & ultra non dominarentur eis: audierunt igitur, & dimiserunt. 11. Et conversi sunt deinceps: & retraxerunt servos & ancillas suas, quos dimiserant liberos, & subiugaverunt in famulos & famulas. 12. factum est verbum Domini ad Ieremiam a Domino, dicens: 13. Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego percussi fœdus cum patribus vestris, in die qua eduxi eos de Terra Ægypti, de domo servitutis, dicens: 14. (a) Cum completi fuerint septem anni, dimittat unusquisque fratrem suum Hebræum, qui venditus est ei, & serviet tibi sex annis: & dimittes eum a te liberum: & non audierunt patres vestri me, nec inclinaverunt aurem suam. 15. Et conversi estis vos hodie, & fecistis quod rectum est in oculis meis, ut prædicaretis libertatem unusquisque ad amicum suum: & inistis pactum in conspectu meo, in domo, in qua invocatum est nomen

meum

meum super eam. 16. Et reversi estis, & commaculastis nomen meum: & reduxistis unusquisque servum suum, & unusquisque ancillam suam, quos dimiseratis ut essent liberi & suæ potestatis: & subiugastis eos ut sint vobis servi & ancillæ. 17. Propterea hæc dicit Dominus: Vos non audistis me, ut prædicaretis libertatem unusquisque fratri suo, & unusquisque amico suo: ecce ego prædico vobis libertatem, ait Dominus, ad gladium, ad pestem, & ad famem: & dabo vos in commotionem cunctis regnis terræ. 18. Et dabo viros, qui prævaricantur fœdus meum, & non observaverunt verba fœderis, quibus assensi sunt in conspectu meo, vitulum quem conciderunt in duas partes, & transierunt inter divisiones eius: 19. Principes Iuda & principes Ierusalem, eunuchi & sacerdotes, & omnis populus terræ, qui transierunt inter divisiones vituli: 20. Et dabo eos in manus inimicorum suorum, & in manus quærentium animam eorum: & erit morticinum eorum in escam volatilibus cæli, & bestiis terræ. 21. Et Sedeciam regem Iuda, & principes eius, dabo in manus inimicorum suorum, & in manus quærentium animas eorum, & in manus exercituum regis Babylonis, qui recesserunt a vobis. 22. Ecce ego præcipio, dicit Dominus, & reducam eos in civitatem hanc, & præliabuntur adversus eam, & capient eam, & incendent igni: & civitates Iuda dabo in solitudinem, eo quod non sit habitator.

(a) Exod. xxi. 2. Deut. xv. 12.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 3. COMPREHENSIONE CAPIERIS, תפש תתפש, *capiendo* (passive) *capieris*; id est, certo, ac sine dubio capieris: nota phrasis. ET OCULI TUI; id est, venies in conspectum Regis Babylonis: eadem periphrasis supra XXXII. 4.

V. 5. IN PACE, id est non violenta morte. Nam alioqui non est in pace mortuus, qui mortuus est in captivitate. SECUNDUM COMBUSTIONES. Solebant Reges unguentis & aromatibus condiri, & incensis odoramentis suffiri, ut apparet II. Paralip. XVI. 14. COMBURENT TE, id est suffient; non enim comburebantur, sed sepeliebantur Iudæi. Sic R. David, & R. Salomon. ET VAE DOMINE PLANGENT TE, id est regio more. Regibus enim dicebatur a plangentibus, *Væ Domine*, & *Væ Inclyte*: privatis autem hominibus, *Væ frater*, & *væ soror*, ut apparet supra XXII. 18. Tradunt Hebræi, quemadmodum recitat hoc loco R. Salomon, vivente Nabuchodonosore vinctos e carcere non exiisse; post eius autem mortem Sedeciam e vinculis eductum, humaniterque tractatum, ideoque honorifice sepeliri potuisse.

V. 8. PERCUSSIT FOEDUS. Non fuit novum fœdus, sed antiqui fœderis renovatio: nam Exod. XXI. 2. & Deut. XV. 12. Deus præceperat, ut quicumque haberet servum Hebræum, anno septimo manumitteret. Itaque Sedecias cum populo convenit, ut fœdus illud servarent, quod iam abrogaverat avaritia. Percussit autem fœdus de hoc præcepto servando potius, quam de aliis, quia magis ad rem pertinebat: ne Deus illos in servitutem redigeret. PRAEDICANS: לקרא להם דרור, *ad prædicandam libertatem*, ut Septuag. & Chald. reddiderunt.

V. 9. HEBRAEUM, ET HEBRAEAM: quia de aliis Dei præceptum non intelligebatur.

V. 10. QUI INIERANT PACTUM: אשר באו תירבב, *qui iverant in pactum*, id est qui consenserant. Phrasis Hebraica raro occurrens, quam noster Interpres rectissime expressit. Nam & Latine inire pactum dicitur, quasi ire in pactum, sicut ire in alterius sententiam.

V. 11. ET CONVERSI SUNT; id est, ab instituto, & fœdere discesserunt, mutaverunt voluntatem. DEINCEPS. Post, & iterum eos in servitutem redegerunt.

V. 15. CONVERSI ESTIS; id est, cum con-

longam parenthesim, aut hyperbaton. Et erit morticinum eorum: נבלתם, *cadaver eorum*, id est non sepelientur. Delectatur noster Interpres hoc verbo, eoque libenter utitur, ut supra cap. vii. 33. & ix. 22. & xvi. 18. Quod etsi Latinum est, minus aliquando convenit, quam cadaver; non enim quodvis cadaver morticinum appellatur, sed quod sponte sua, ac sine violentia mortuum est, ut cum Levit. xi. 11. dicitur, *morticina vitabitis*.

V. 21. Qui recesserunt; id est, qui recedent, dabo in manus Chaldæorum in patriam suam parta victoria redeuntium; ut R. David, & R. Salomon explicant, quamvis ad tempus recessisse a nobis videantur. Nam cum Chaldæi Ierosolymam obsiderent, audito nuntio Pharaonem regem Ægypti in auxilium Iudæorum venire, obsidionem solverunt, ut dicitur infra cap. xxxvii. 4. postea autem redeuntes urbem & Sedeciam ceperunt. Atque eo tempore, quo Chaldæi aberant, existimantes Iudæi se iam esse liberatos, servos, quos pacto fœdere manumiserant; iterum servituti subiecerunt, ut vers. 11. dictum est.

V. 22. Praecipio: Chaldæis, ut ad obsidionem redeant. Dicitur Deus non solum facere, sed etiam præcipere, quod permittit fieri, ut sua providentia in bonum convertat. Sicut dixit David Deum præcepisse Semei, ut sibi malediceret, II. Reg. xvi. 10.

S A.

Vers. 5. Comburent te, id est in tui gratiam aromata. Verti poterat, *comburent tibi*: id enim potius Hebr. indicant. Vae Domine, scilicet dicentes.

V. 8. Praedicans, id est voce præconis denuntians.

V. 14. Completi; pro, compleri cœpti. Septem. LXX. *sex*. Et serviet; pro, serviet enim.

V. 15. In oculis meis, id est coram me, vel me approbante. Pactum, scilicet de dimittendis servis. Super eam, id est in ea: abundat vero, more Hebræo.

V. 16. Commaculastis. Chald. *violastis*, scilicet contemnentes meum præceptum.

V. 17. Libertatem. Ironice. Commo-

MOTIONEM, scilicet capitis, id est derisum. LXX. *dispersionem*.

V. 18. TRANSIERUNT, scilicet velut dicentes ita secemur, si fœdus violabimus.

V. 19. EUNUCHI. Chald. *principes*. LXX. *dynastæ*, id est optimates, seu magistratus.

V. 20. QUAERENTIUM, scilicet occidere. ANIMAM, id est vitam.

V. 21. RECESSERUNT, scilicet ab obsidione, quod audissent adventare Ægyptios in auxilium.

V. 22. EO QUOD; pro, ita ut.

E S T I I.

Vers. 11. ET CONVERSI SUNT DEINCEPS, ET RETRAXERUNT SERVOS ET ANCILLAS SUAS, QUOS DIMISERANT LIBEROS. Duo præcipua invenimus extitisse peccata, propter quæ populus Israel, & Iuda a Domino sæpe & varie afflicti, tandem in hostium venerunt potestatem. Alterum contra Deum, alterum contra proximos. Contra Deum committebatur idololatria, & aliæ superstitiones, in quas passim invehuntur prophetæ. Contra proximum erant furta, rapinæ, homicidia, adulteria, & in primis oppressiones pupillorum & viduarum: itemque iniuriæ adversus servos & ancillas; de quo hoc capite. Etenim cum in lege præscriptum esset Exodi XXI. Deuteron. XV. si completis septem annis servitutis, unusquisque servum suum Hebræum, vel ancillam Hebræam dimittat in libertatem, & præceptum illud multis retro annis a populo non fuisset observatum, rex Sedecias cum principibus & universo populo, pactum inierat coram Domino de manumittendis septimo anno servis suis Hebræis. Verum paulo post pœnitentia ducti, eosdem retraxerunt & iterum servituti subiugarunt: quod eorum factum tantopere Deo displicuit, ut hoc capite solum illud peccatum a propheta commemoretur, propter quod tradendos eos dicit in manus inimicorum. Locus utilis, & insignis ad ostendendum, quantum provocetur ira divina, si non iuste & clementer agamus etiam cum infimæ fortis hominibus. Unde Iob cap. XXXI. inter cetera pietatis suæ opera etiam hoc ponit dicens: *Si contempsi subire iudicium cum servo meo, & ancilla mea, cum disceptarent adversum me*.

M A R I A N A E.

Vers. 1. VERBUM. Rursus de Ierusalem excidio, de Regis Sedeciæ captivitate loquitur; præterea de servorum libertate.

V. 3. SED COMPREHENSIONE CAPIERIS, o Sedecia. Hebr. *capiendo capieris*. ET OCULI TUI OCULOS REGIS BABYLONIS VIDEBUNT, id est in conspectum eius adduceris. ET BABYLONEM INTROIBIS, venies o Sedecia.

V. 5. SED IN PACE MORIERIS, non gladio, aut morte violenta. ET SECUNDUM COMBUSTIONES. Sic Sept. & Chald. Hebr. *in combustionibus*. Nimirum *Beth* olim erat ubi nunc *Caph*, quæ lectio est commodior. Verum ii Reges non comburebantur, sed aromatibus differti sepeliebantur, II. Paral. XVI. 14. sed & odores cremabant, ut corpus mortui suffirent. Id *combustiones* & *comburere* vocat. Itaque ubi nos, COMBURENT TE, Heb. *comburant tibi*, Chald. *comburent super te*, secundum combustiones patrum tuorum Regum priorum. ET VAE DOMINE. Næniæ & planctus ea verba pars sunt; quasi dicat, In tuo funere plangent.

V. 7. URBES MUNITAE; id est, ex munitis urbibus eæ tantum supererant, nec dum captæ, ut aliæ, easque Chaldæi impugnabant.

V. 8. PERCUSSIT REX SEDECIAS FOEDUS. Non erat fœdus novum de servis liberandis, sed veteris præcepti instauratio: Exod. XXI. 2. Deut. XV. 12. PRAEDICANS. Hebr. *prædicans eis* (sic servis & ancillis) *libertatem*, aut voce præconis denuntians.

V. 9. HEBRAEUM. De iis servis Hebræis erat lex, non de aliis. NEQUAQUAM DOMINARENTUR EIS. Hebr. *& non servire in eis*, id est servituti non eos addicerent. Eadem verba proximo vers. eodem modo explicanda. ID EST, IN IUDAEO ET FRATRE SUO. Hebr. *in Iudæo fratre suo unusquisque*, id est ut nullus in servitutem redigeret fratrem suum Iudæum.

V. 11. ET CONVERSI SUNT, retractarunt quod fecerant; scilicet dantes servis libertatem.

V. 14. CUM COMPLETI FUERINT SEP-

que singulos nudatis gladiis per medium ansire iubet. Deinde mucronibus sanguine us oblitis, adhibitis etiam aliis ad eam m necessariis, inimicitias eum Priamo per ligionem confirmant: sic hic dicit, inter ıas vituli partes transiisse qui fœdus fe- :runt de servorum libertate, non verbis lum, sed & factis illud confirmantes.)ui illi fuerunt?

V. 19. PRINCIPES.... EUNUCHI. Chald. :r *eunuchos* proceres intelligit. Sane ea ɔce non solum castratos, sed aulicos in- ·lligunt divini libri, sed Regis intimos.

V. 20. ET ERIT MORTICINUM, id est ıdaver hominis violenter occisi, seu, ut lieronymus Ezech. IV. *morticinum est, uod absque effusione sanguinis moritur.*)uod nescio an in Hebr. voce נבלה *ne- :lah*, & Græca *θνησιμαῖον* servetur. Ac ·edam iis vocibus promiscue cadaver o- ıne significari. Ergo cadaver Iudæorum ·it bestiis esca.

V. 21. QUI RECESSERUNT A VOBIS. Iebr. *qui Babylonii ascendunt a vobis*, .ilicet ad tempus, ut AEgyptiis obviam ent, qui obsessis opitulatum veniebant, ıp. XXXVII. 4. illis vos tradam.

V. 22. PRAECIPIO, scilicet Chaldæis.)icitur Deus præcipere quod permittit, II. :egum XVI. 10. Deus (ait David) præ- ipit Semei ut maledicat mihi. Quid præ- ıpit? ET REDUCAM EOS, ut capiant & vertant civitates. EO QUOD NON SIT HA- ITATOR. Hebr. *absque habitatore desola- o eas urbes, eo quod*, id est ita ut *non t habitator*.

MALVENDAE.

ers. 1. VERBUM QUOD FACTUM EST AD IEREMIAM, &c. Hoc ıput, inquiunt, duas prophetias continet: nam de rege, usque ad vers. 8. alteram : regno toto, ceteris versibus ad finem sque. In priore prophetia præter inscri- ıionem, vers. 1. narratur mandatum de ronuntiando eventu Tzidkiiæ, versibus uatuor; & obsequium prophetæ, vers. 6. : 7. QUAE ERANT SUB POTESTATE MA- US EIUS. Heb. *dominationis, dominii, di- onis, manus eius*. Alii: *in dominio eius*, el *quæ parebant imperio eius*.

V. 2. ECCE EGO TRADAM CIVITATEM

HANC

HANC &c. Vide historiam II. Regum XXV.

V. 3. ET TU NON EFFUGIES DE MANU EIUS, &c. Vide de hoc versu supra cap. XXXII. 4. SED COMPREHENSIONE CAPIERIS. Hebr. *& capiendo capieris*, vel *& prehendendo prehenderis*. Alii: I. *sed certissime comprehenderis*. II. *sed omnino prehenderis*.

V. 5. SED IN PACE MORIERIS. Alii: *cum pace moriturus es*; id est, naturali, non violenta morte: alioqui in captivitate mortuus est. ET SECUNDUM COMBUSTIONES PATRUM TUORUM, REGUM PRIORUM, QUI FUERUNT ANTE TE, SIC COMBURENT TE. Vide II. Paralipom. XVI. 14. & honorifice pro dignitate regia sepelieris vel cremaberis. Quidam reddunt: I. *in rogo enim, quemadmodum patres tuos antecessores tuos, comburent te*. II. *& secundum combustiones maiorum tuorum regum priorum, qui fuerunt ante te, sic adolebunt tibi*; subaudi, *aromata*. In funeribus regum Iudæorum solebant comburere aromata; quasi dicat, Cremabunt in gratiam tui aromata, more regio. III. *& ustionibus maiorum tuorum, regum præcedentium qui fuerunt ante te, similiter ustiones odorum comburent populares tibi*. ET VAE DOMINE, PLANGENT TE. Alii: *& dicentes, Eheu Domine, plangent te*. Solebant enim in funere voce lugubri inclamare, *Eheu Domine*. Hispanicus Interpres. *Aysennor, te endechaian*, id est, *Endecharte han con endechas venerables como a rey*.

V. 7. ET EXERCITUS REGIS BABYLONIS, &c. Alii hunc versum reddunt: *Copiis regis Babyloniæ oppugnantibus Ieruschalaima, & omnes civitates Iehudæ reliquas, Lacischum, & Hazekam: nam reliquæ erant e civitatibus Iehudæ, civitates munitæ*. De Lachis, vide in Iosue X. 3. & 31. & cap. XV. 39. De Hazeka, vide in Iosue X. 10.

V. 8. VERBUM, QUOD FACTUM EST, &c. Hunc versum alii ex Hebr. convertunt. *Verbum, quod fuit ad Iirmeiam a Iehova, postquam pepigisset rex Tzidkiia fœdus cum omni populo, qui erat Ieruschalaimis, de promulganda ipsis libertate*. In secunda hac prophetia narrantur, primum occasio, versibus quatuor; deinde vero denuntiatio ipsa, reliquis. Occasio autem fuit huiusmodi: obsidentibus Babyloniis Ieruschalaima, visum est Iudæis ad deprecandum & præsentem Dei iram avertendam, promulgare libertatem servorum ex lege: cum autem Babylonii adventante AEgyptio obsidionem ad tempus solvissent, ut narratur infra cap. XXXVII. 5. tunc Iudæi ad pristinam suam nequitiam revertentes, in servitutem iterum eos vindicarunt, quos publico iudicio & fide publica liberaverant. Quamobrem Deus iudicium suum comparat elegantissime cum illorum maleficio.

V. 9. UT DIMITTERET UNUSQUISQUE SERVUM SUUM, &c. Vide de hac lege exod. XXI. 2. & sequentibus, & Deuteron. XV. 12. & sequentibus, & infra vers. 14. ET NEQUAQUAM DOMINARENTUR EIS. Heb. *ad neutiquam servire in eis*. Alii: I. *ne ullus uteretur eis tamquam servis*. II. *ne amplius premeret eos servitute*. III. *ne servire sibi per ipsos*, vel *ut non exigeret servitutem ab ipsis*. Hispanice, *a no servirse de ellos*: vide de hac locutione supra cap. XXX. 8. sic versu sequente.

V. 10. & 11. Hos duos versus evidentius quidam ex Hebr. convertunt: I. *Consenserant*, seu *paruerant autem omnes principes, & omnis populus, qui hoc fœdus inierant, ut quisque manumitteret servum suum, & quisque ancillam suam liberos, ne amplius eos servitute premeret; & ut consenserant, manumittebant. Post hoc conversi repetierunt servos & ancillas, quas manumiserant; & redegerunt eos iterum ut essent servi & ancillæ*. II. *Et auscultantes omnes principes, totusque populus, qui convenerant in fœdus, ut dimitteret quisque servum suum, & quisque ancillam suam liberos, ut non exigeret servitutem ab ipsis amplius; auscultantes, inquam, dimisissent: Iterum vero postea recepissent servos illos & ancillas, quos dimiserant liberos, & subigerent eos in servos & in ancillas*. QUI INIERANT PACTUM. Heb. *Qui venerunt in fœdus*. Sic quoque Latini loquuntur. Virgilius IV. AEneidos:

aut hæc in fœdera veni

id est consensi, ut Servius exponit.

V. 12. ET FACTUM EST VERBUM DOMINI, &c. Quidam: *Fuit ergo verbum Iehovæ*, Christi Dei æterni cum æterno Patre & Spiritu Sancto, *ad Iirmeiam a Iehova*, a Deo Patre, *dicendo*. Vides mysterium Sacræ Triadis.

V. 13. HAEC DICIT DOMINUS DEUS, &c.

... commatio, verbisque quatuor: posterior sententiæ dictio, postquam Iudæorum populus reus peractus est, ad finem usque capitis.

V. 14. CUM COMPLETI FUERINT SEPTEM ANNI. Hebr. *Ab extremitate, a fine septem annorum*, id est ineunte septimo anno, vel initio septimi anni. Sic enim accipiendum esse annotavimus in Deuteron. XV. 1.

V. 15. IN DOMO, IN QUA INVOCATUM EST NOMEN MEUM SUPER EAM. Vide de hac locutione supra cap. XXXII. 34.

V. 16. ET REVERSI ESTIS, ET COMMACULASTIS NOMEN MEUM. Alii *sed mutato consilio profanastis nomen meum*. II. *sed rursus profanastis nomen meum*. Vide de hac locutione in Genes. XXVI. 18. QUOS DIMISERATIS UT ESSENT LIBERI ET SUAE POTESTATIS. Hebr. *eos, quos dimisistis liberos animæ eorum*, vel *ad animam suam*. Alii I. *quos dimiseratis liberos ad desiderium suum*, ut Psam. XXVI. 12. II. *in animam suam*; id est, ut abirent quo vellent. III. *quos manumiseratis ut liberi essent, suoque arbitrio viverent*. Hispanicus Interpres: *que aviades dexado libre a su voluntad*.

V. 17. ECCE EGO PRAEDICO VOBIS LIBERTATEM, AIT DOMINUS, AD GLADIUM, AD PESTEM, ET AD FAMEM. Alii ex Hebr. I. *Ecce ergo ego exclamo vobis libertatem, dictum Iehovæ, ad gladium, ad pestem, & ad famem*. Metaphora; quasi dicat: Denuntiaturus sum in perniciem vestram, liberam facultatem invadendi vos gladio hostili, pesti, & fami, ut perdant vos. *Ecce ego promulgo contra vos libertatem, dictum Iehovæ, gladio, pesti, & fami*: nimirum, ut libere & late in vos grassentur. ET DABO VOS IN COMMOTIONEM, &c. Vide de hac locutione supra cap. XXIV. 9.

V. 18. ET DABO VIROS, &c. Alii hunc versum ex Hebr. exponunt: I. *Et tradam viros istos, qui fœdus meum transgressi sunt, neque rata, firma habuerunt*, vel *neque adimplerunt verba fœderis, quod pepigerunt in conspectu meo*, id est in templo meo, *cæsa in duas partes bucula, transitu inter partes eius facto*. II *Tradam enim homines istos, qui transgressi sunt fœdus inter dimidiatas partes eius vituli, quem dissecuerant in duo*: ex antiqua fœdus iungentium formula, de qua Genes. XV. 17. Forsterus ita hunc versum accipit: *Et tradam viros, qui transgrediuntur pactum meum, qui non firmaverunt verba pacti, quod sciderunt coram me, cum vitulum scinderent in duas partes, & transirent inter partes eius. Volens scilicet Deus per os prophetæ significare, quod qui pactum cum ipso sancitum disciderunt, ipsi vicissim ad eum modum, quo vitulus discissus fuit, discindendi essent. Et hic quidem ritus postea a gentibus receptus, ut ad confirmanda fœdera porcam cæderent silice; uno dicente: Sicut porca fœde cadat, qui fœdera ruperit. Et Virgilius Lib.* VIII. *eius mentionem faciens, inquit*.

Stabant, & cæsa iungebant fœdera porca.

Etiam ipsæ gentes, percutere seu ferire pacta, pro sancire & firmare fœde dixerunt. Hæc ille, qui sane minus accurate ritus exposuit. Vide Notas in Genes. XV. 18.

V. 21. QUI RECESSERUNT A VOBIS. Heb. *ascendentium desuper vos*. Quidam: *quæ copiæ abiverunt a vobis*. Solventes obsidionem (ut diximus in vers. 8.) ad obsistendum AEgyptio: audito enim adventu AEgyptii, Chaldæi recesserunt ab obsidione urbis, ut dicitur infra cap. XXXVII. 5.

MENOCHII.

Vers. 3. COMPREHENSIONE CAPIERIS, id est certo, ac sine dubio capieris.

V. 5. IN PACE: non violenta, sed naturali morte. SECUNDUM COMBUSTIONES, &c. Sic gentiles cadavera suorum comburebant. Aliqui ex Hebræo vertunt, *comburent tibi*, scilicet aromata, & odores intendent in funere tuo: vide quæ de hoc ritu dixi in Oeconomicis Lib. I. cap. XXX. num. 2. VAE DOMINE, PLANGENT TE. Vide dicta cap. XXII. num. 18.

V. 8. PERCUSSIT FOEDUS: vel promittens generatim quod divinam legem esset servaturus, vel peculiariter legem de servo septimo anno manumittendo, iuxta legem Exodi XXI. 2. & Deuteronom. XV. 12. quam abrogaverat avaritia. Percussit autem fœ-

fœdus de hoc præcepto servando, quia magis ad urgentem eo tempore necessitatem pertinebat, ut scilicet placatus Deus eos in servitutem non daret. PRAEDICANS, id est voce præconis denuncians.

V. 9. HEBRAEUM, ET HEBRAEAM: quia de aliis Dei præceptum non intelligebatur.

V. 11. CONVERSI SUNT, id est ab instituto, & fœdere discesserunt voluntate mutata. RETRAXERUNT: in servitutem.

V. 15. CONVERSI ESTIS VOS, id est cum conversi essetis; cum a peccato patrum vestrorum discessissetis. AMICUM: proximum suum servum Hebræum, vel ancillam. IN DOMO, &c. in templo, quod est domus mea, & nomine meo appellatur templum Domini.

V. 16. COMMACULASTIS NOMEN MEUM: dedecore affecistis, violantes pactum, quod interposito meo nomine iureiurando firmaveratis.

V. 17. UT PRAEDICARETIS LIBERTATEM: ut vocaretis eos ad libertatem, LXX. habent, *Ut vocaret dimissionem unusquisque ad proximum suum*. PRAEDICO VOBIS LIBERTATEM; id est, manumittam vos, ut non sitis amplius servi mei, neque vos defendam, sed permittam in gladium, pestem, & famem incidere. IN COMMOTIONEM. Hebr. & LXX. *in dispersionem* ut vagi, instabiles, timidi, & trepidi, vagemini, & toto orbe spargamini.

V. 18. VITULUM, &c. Vel sensus est, Dabo ut vitulum, ut scilicet per varia regna dividantur, ut dixerat numero præcedenti. Vel vox *vitulum* nectenda est cum particula illa, *Non observaverunt*, ut sensus sit, Non servaverunt pactum, quod cæso vitulo, & diviso, &c. sanxerunt; & hæc videtur melior expositio. De ritu hoc transeundi per divisiones vituli, vide dicta Genes. xv. num. 9. & 10.

V. 20. QUAERENTIUM ANIMAM EORUM: postulantium, & quærentium eos ad necem. MORTICINUM: cadaver eorum iacebit insepultum. QUI RECESSERUNT A VOBIS: ad tempus, postea reversuri. Hoc dicit qui cum Chaldæi Ierusalem obsiderent, audientes Pharaonem AEgypti regem advenire, ut opem ferret Iudæis, obsidionem solverunt, ut dicitur infra capite XXXVII. 4. postea autem redeuntes, urbem, & Sedeciam ceperunt.

V. 22. PRAECIPIO: Chaldæis, ut ad obsidionem redeant. Dicitur Deus non solum facere, sed etiam præcipere id quod permittit fieri, ut sua providentia in bonum convertat; sic dixit David Deum præcepisse Semei ut sibi malediceret, II. Regum XVI. 10. EO QUOD NON SIT: ita ut non sit.

TIRINI.

Vers. 1. NABUCHODONOSOR BELLABAT CONTRA IERUSALEM: nempe anno 10. Sedeciæ: nam ut colligitur ex dictis initio cap. XXVIII. anno 10. Sedeciæ mense Tisri, seu Septembri, inchoabatur annus septimus, seu Sabbaticus, quo in memoriam & gratitudinem liberationis Hebræorum ex Ægypto, iubebantur libertate donare servos suos omnes & ancillas Hebræas. Vide Chronicon. *a*.

V. 5. IN PACE MORIERIS; id est pacifica, seu naturali morte, non violenta: testantur enim Hebræi in sua chronologia quam vocant *Seder olam*, id est historiam sæculi; ubi & planctum ei exhibitum commemorant, nempe; *Heu! mortuus est rex Sedecias bibens fæces omnium ætatum*, id est luens peccata priorum sæculorum, ut Genebrardus ibidem exponit. Et hoc prædicit hic Ieremias, cum ait: VAE DOMINE, PLANGENT TE. Quin & magnifica pompa sepeliendum prædicit, licet in carcere Babylonico exstinctum: SECUNDUM COMBUSTIONES PATRUM TUORUM; id est, eodem ritu & apparatu quo solent reges antecessores & parentes tuos, etiam TE COMBURENT: vel, ut alii ex Hebræo vertunt, *tibi comburent*, supple, aromata & unguenta: neque enim solebant corpora flammis absumere Iudæi, sed cadaveri lecto argenteo vel ferreo superposito, aromata & unguenta partim iniiciebant, partim apponebant, quæ mox flammis absumebant cadavere ex parte afflato & adusto. Ita regi Asa factum, testatur Scriptura cum ait *b*, *Posuerunt eum super lectum suum, plenum aromatibus & unguentis, & combusserunt super eum ambitione nimia*: ita Hugo, Lyranus, Vatablus, Isidorus, a Castro, Maldonatus, Sanches, a Lapide. De ritibus cadaverum sepeliendorum apud Gentiles vide Hieronymum Magium *c*.

V. 8. PERCUSSIT REX FOEDUS CUM OMNI

Po-

plendam adornant, ego ordino ac destino ad iustam scelerum vestrorum pœnam ac vindictam sumendam. Sicut in simili *præcepit* Semei *ut malediceret h Davidi*. Iusta sane & congrua pœna: sicut enim ipsi servos revocabant in servitutem, ita Deus revocabat Chaldæos ad eorum obsidionem, expugnationem & excidium; EO QUOD, pro, adeo ut, NON SIT amplius HABITATOR.

(a) Chron. cap. xxi. & xxx.
(b) Par. xvi. ult. & xxi. 19.
(c) Hieron. Magius Lib. III. Miscellan. cap. xi.
(d) Lucæ ii. vers. 21.
(e) Ierem. xv. 2.
(f) Ierem. xxxiv. 8.
(g) Gen. xv. 10. & Exodi xxiv. 8.
(h) IV. Reg. xvi. 16.

GORDONI.

Vers. 5. COMBURENT TE. More solito comburent tibi aromata, non enim comburebantur reges: vide II. Par. Par. xvi. 14.

V. 18. ET DABO VIROS, &c. Occisione vituli confirmari solebat fœdus: vide Exod. xxiv. 5. dividendo vitulum in partes, & transeundo per medium, imprecabantur mortem si fœdus violarent.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 5. IN PACE. Non violenta morte, sed naturali.

Vers. 11. CONVERSI SUNT: mutarunt voluntatem.

Vers. 15. Per amicum intelligit servos Hebræos.

Vers. 17. PRAEDICO LIBERTATEM; hoc est, non eritis servi mei, sed vos deseram.

Vers. 18. UT VITULUM: eritis inter gentes, ut vitulus iste fœderis; hoc est, divisi, dissipati, vagi.

Vers. 22. PRAECIPIO. Permittit hic agere Chaldæos, & eorum opera utitur ad pœnam.

CA-



CAPUT XXXV.

Exemplo obedientiæ Rechabitarum, præcepta patris sui licet dura servantium, expostulat Dominus de pertinaci Iudæorum inobedientia adversus ipsius præcepta: quapropter his prænuntiat Dominus mala, illis autem bona.

1. VErbum, quod factum est ad Ieremiam a Domino, in die-
bus Ioakim filii Iosiæ regis Iuda, dicens: 2. Vade ad do-
mum Rechabitarum: & loquere eis, & introduces eos in
domum Domini, in unam exedram thesaurorum, & da-
bis eis bibere vinum. 3. Et assumpsi Iezoniam filium Ie-
remiæ filii Habsaniæ, & fratres eius, & omnes filios eius,
& universam domum Rechabitarum: 4. Et introduxi eos
in domum Domini ad gazophylacium filiorum Hanan, fi-
lii Iegedeliæ hominis Dei, quod erat iuxta gazophylacium principum, super
thesaurum Maasiæ filii Sellum, qui erat custos vestibuli: 5. Et posui coram
filiis domus Rechabitarum scyphos plenos vino, & calices: & dixi ad eos:
Bibite vinum. 6. Qui responderunt: Non bibemus vinum: quia Ionadab filius
Rechab, pater noster, præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos, & filii
vestri, usque in sempiternum: 7. & domum non ædificabitis, & sementem non
seretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis: sed in tabernaculis habitabitis
cunctis diebus vestris, ut vivatis diebus multis super faciem terræ, in qua vos
peregrinamini. 8. Obedivimus ergo voci Ionadab filii Rechab, patris nostri,
in omnibus quæ præcepit nobis, ita ut non biberemus vinum cunctis diebus
nostris nos, & mulieres nostræ, filii, & filiæ nostræ: 9. & non ædificaremus
domos ad habitandum: & vineam, & agrum, & sementem non habuimus:
10. sed habitavimus in tabernaculis, & obedientes fuimus, iuxta omnia, quæ
præcepit nobis Ionadab pater noster. 11. Cum autem ascendisset Nabuchodo-
nosor rex Babylonis ad terram nostram, diximus: Venite, & ingrediamur Ie-
rusalem a facie exercitus Chaldæorum, & a facie exercitus Syriæ: & mansi-
mus in Ierusalem. 12. Et factum est verbum Domini ad Ieremiam, dicens: 13.
Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Vade, & dic viris Iuda, & ha-
bitatoribus Ierusalem: Numquid non recipietis disciplinam ut obediatis verbis
meis, dicit Dominus? 14. Prævaluerunt sermones Ionadab filii Rechab, quos
præcepit filiis suis ut non biberent vinum: & non biberunt usque ad diem
hanc, quia obedierunt præcepto patris sui: ego autem locutus sum ad vos, de
mane consurgens & loquens, & non obedistis mihi. 15. Misique ad vos omnes
servos meos prophetas, consurgens diluculo, mittensque & dicens: (a) Con-
vertimini unusquisque a via sua pessima, & bona facite studia vestra: & nolite
sequi deos alienos, neque colatis eos: & habitabitis in terra, quam dedi vobis
& patribus vestris: & non inclinastis aurem vestram, neque audistis me. 16.
Firmaverunt igitur filii Ionadab filii Rechab præceptum patris sui, quod præ-
ceperat eis: populus autem iste non obedivit mihi. 17. Idcirco hæc dicit Do-

ego adducam super Iuda; & super o-
afflictionem, quam locutus sum adver-
os, & non audierunt: vocavi illos, &
item Rechabitarum dixit Ieremias: Hæc
: Pro eo quod obedistis præcepto Iona-
mandata eius, & fecistis universa, quæ
it Dominus exercituum Deus Israel: non
:chab, stans in conspectu meo cunctis

N T A R I A

V. 4. AD GAZOPHYLACIUM; vel, ad cubiculum. Multa fuisse cubicula, quæ templo adhærerent, dicunt Hebræi, ubi templi, & vasorum custodes habitarent, & templi supellectilem asservarent; quæ idcirco noster Interpres appellat gazophylacia. HOMINIS DEI, id est Prophetæ, ut Ionath. R. David, & R. Salomon interpretantur. IUXTA GAZOPHYLACIUM PRINCIPUM. Creditur, inter alia cubicula seu gazophylacia unum fuisse, in quo principum dona servarentur. SUPER THESAURUM: ממעל ללשכת, *supra gazophylacium*, aut *cubiculum*; idem enim nomen est, quod noster Interpres nunc exedram, nunc gazophylacium, nunc thesaurum varietatis causa vertit. CUSTOS VESTIBULI: שמר הסף, R. David interpretatur *præfectum supellectilis, & vasorum vinariorum*. Ionath. & R. Salomon אמרכליא *principem*, *præpositum*; unde videri possent Galli suos *marguilierios* appellasse, nisi a Latinis etiam Matricularii dicerentur. *Vestibuli*: סף & *limen* significat, ut Iud. XIX. 27. & Ezech. XL. 6. 8. & omne vasorum genus, ut docet R. David: II. Regum XII. 9. Septuaginta verterunt φυλάσσοντος τὴν ὁδὸν, *qui viam custodiebat*, id est aditum templi; eodem sensu, quo noster Interpres.

V. 6. QUIA IONADAB. Adnotat R. David, a Ionadab usque ad Ioacim, quo tempore hæc facta esse dicuntur, trecentos circiter fluxisse annos, quo toto tempore numquam Rechabitæ vinum degustassent.

V. 7. IN QUA VOS PEREGRINAMINI: peregrinos vocat, ut ait R. Salomon, quia cum non essent ex semine Abrahæ, non acceperant hereditatem in terra promissa; ideo

ideo prudentissimus pater iussit eos tamquam peregrinos sine possessionibus vivere, & vino non uti, sed aqua, quam qui peregrinantur, manu solent ex flumine delibare, ut trecentos illos Gedeonis milites fecisse legimus, Iud. VII. 6. Singulare hoc est Christianis exemplum ad imitationem, qui non habent hic civitatem permanentem, sed aliam inquirunt, ad Hebr. XIII. 14. Cur autem dicat eos multis diebus victuros super terram, si hoc fecerint, dubium. R. David hoc tribuit humanæ naturæ, quod possessiones hominem solicitum & anxium reddere soleant, & solicitudo vitam minuat. Ego paternæ benedictioni potius adscribo; quasi dicat: Si vultis diu vivere super terram, obedite mihi parenti vestro, præcepienti, neve possessiones habeatis, neve bibatis vinum: scriptum enim est, *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram.* Exod. XX. 12.

V. 11. CUM ASCENDISSET: cum venisset, Hebraismus sæpe a nobis explicatus. AD TERRAM NOSTRAM, id est quam habitabamus; non enim terram possidebant, id est cum cœpisset Iudæam vastare, ubi tentoria nostra habebamus. DIXIMUS, cogitavimus, consilium inivimus, ut reciperemus nos in urbem. A FACIE EXERCITUS, propter exercitum. Dicere, pro decernere, cogitare, consilium inire. VENITE, pro, Eia, aut, agedum: A FACIE, pro, propter: tres sunt Hebraismi, qui passim occurrunt. Occurrunt autem Rechabitæ tacitæ obiectioni. Potuisset enim Ieremias illis obiicere, cur ergo non in tentoriis, sed in urbe habitatis?

V. 14. PRAEVALUERUNT; id est, plus ponderis habuerunt verba Ionadab apud filios suos, quam præcepta mea tam sæpe repetita, tanto studio commendata apud vos. Atqui ille homo erat, ego Deus. Hebr. הוקם את דברי, *confirmata sunt verba Ionadab*, id est a filiis eius observata. Iungitur verbum singulare nomini plurali, ut R. David adnotavit. MANE CONSURGENS, id est diligenter, ut supra VII. 13. 25. & XI. 7. & XXV. 3. 4. & XXVI. 5. & XXIX. 19.

V. 16. FIRMAVERUNT, id est servaverunt, compleverunt re ipsa, ut vers. 14.

V. 18. DIXIT IEREMIAS: persona Dei; statim enim persona Dei loquitur versu sequenti, quod Deus illi dixerat, quamvis hic non exprimatur. Non ergo opponitur Ieremias Deo.

V. 19. PROPTEREA: propterea inquam: iam enim dixerat, *Pro eo quod*, &c. versu præcedenti. Huiusmodi repetitionibus, cum longior oratio interposita fuit, Hebræi uti solent.

S. A.

Vers. 2. RECHABITARUM. Hi originem ducebant ab Hobab Moysis socero. EXEDRAM THESAURORUM. Chald. *gazophylacium*.

V. 4. DOMUM, id est atrium templi. GAZOPHYLACIUM: supra vertit *exedram*. LXX. *pastophorium*. HOMINIS DEI. Chald. *Prophetæ Domini*. THESAURUM. Chal. *gazophylacium*. Hebr. eadem vox quam vertit supra *exedram* & *gazophylacium*. VESTIBULI. LXX. *viæ*.

V. 7. PEREGRINAMINI, scilicet erant peregrini, non Israelitæ. Chald. *habitatis*.

V. 11. DIXIMUS, scilicet inter nos.

V. 14. CONSURGENS, id est surgere faciens Prophetas; quasi dicat, Mature excitans.

V. 16. FIRMAVERUNT, id est constanter observarunt.

V. 19. STANS, &c. quasi dicat, serviens mihi. Chaldæus, *ministrans coram me*.

E S T I I.

Vers. 6. NON BIBEMUS VINUM, QUIA IONADAB FILIUS RECHAB PATER NOSTER PRAECEPIT NOBIS, DICENS: NON BIBETIS VINUM ET DOMUM NON AEDIFICABITIS, ET SEMENTEM NON SERETIS, &c. Suggeruntur hic duo loci communes contra hæreticos nostri ævi. Unus, ad statuendam obedientiam quæ debetur Ecclesiæ, id est prælatis Ecclesiæ. Optime enim sic argumentamur: Rechabitæ tanto studio servaverunt præceptum patris sui carnalis, ut nec biberent vinum, nec nisi necessitate pressi intrarent civitatem; sed habitarent ruri in tabernaculis, nullam pene corporis curam agentes; multo igitur magis oportet nos obedire Ecclesiæ, quæ est mater nostra, de qua Christus Matth. XVIII. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & Publicanus*. Et Cypria-

V. 7. Et domum non aedificabitis. Si domos, vineas & segetes non habebant, unde vivere debebant? Sane ex pecore, ideo in tuguriis & caulis eos habitare vult. Ut vivatis diebus multis, non solum propter obedientiam, sed quia aquæ potus salutaris est: tum vita in agris nulla aeris infectione ut in urbibus: sic *villæ*, *havoth* a vita vocantur Hebraice. Denique labor pastoritius vires exercet, nec exhaurit, ut in agricolis fit. In qua vos peregrinamini. Erant e posteris Iethro soceri Moysis: quare non acceperant agros in Terra promissa, erantque ut peregrini in ea.

V. 11. Cum autem ascendisses Nabuchodonosor, id est venisset. Ad terram nostram, ubi nos versabamur. Diximus, id est cogitavimus, visum est nobis. A facie exercitus, id est propter exercitum ingredi Ierusalem.

V. 14. Praevaluerunt, &c. Hebr. *confirmata sunt verba Ionadab*. De mane consurgens; id est diligenter sum locutus: sæpe hac forma loquendi utitur. Illi obedierunt, vos non, etiamsi diligenter vos monui.

V. 15. Neque colatis eos. Hebr. *ad serviendum eis*, ut serviatis eis, scilicet diis alienis, idolis. Nolite sequi deos alienos. Id monui.

V. 16. Firmaverunt; id est, constanter servarunt Rechabitæ præceptum patris sui.

V. 17. Universam afflictionem adducam. Hebr. *omne malum*. Vocavi illos, et non responderunt mihi, id est non obtemperarunt; ideoque mala adducam.

V. 18. Non deficiet. Hebr. *non excidetur*, pro, *non deficiet*, ut Chald. etiam & Sept. posuerunt. De stirpe Ionadab. Hebr. *vir Ionadabo*, scilicet non deficiet Stans in conspectu meo, id est superstes.

M A L V E N D AE.

Vers. 1. VERBUM, QUOD FACTUM EST, &c. Alii: *Verbum quod fuit ad Iirmeiam a Iehova temporibus Iehojakimi filii Ioschiiæ regis Iehudæ, dicendo*. Prophetia, inquiunt, hæc (cuius inscriptio continetur vers. 1.) duas habet partes, typum, usque ad vers. 12. & anagogen sive accomoda-

da-

dationem propheticam, reliquis versibus capitis.

V. 2. RECHABITARUM. Quinam isti fuerint, fusissime Explanatores edisserunt. Tremellius, & Iunius hic reddunt: *Abi ad familiam Recabæorum*, qui orti erant ex Kinæorum gente, ac proinde nullam possessionem sibi attributam lege obtinebant, sed victum comparabant ex publicis ministeriis: vide I. Paralipom. II. 55. Si de his tamen plura nosse ad satietatem usque percupis, adito Scaligerum in Elencho Trihæresii, cap. XXIV. & XXV. Serrarium Lib. III. Trihæresii, cap. IX. & in Minervali, cap. XIII. & a XV. usque ad XXIII. ex utriusque enim concertationibus aliquem fructum fortasse referes. ET DABIS EIS BIBERE VINUM. Alii: I. *&* *propinabis eis vinum*. II. *ut des bibendum eis vinum*. III. *&* *potare facies eos vinum*; id est, offeres eis ut bibant.

V. 4. ET INTRODUXI EOS IN DOMUM DOMINI, &c. Alii ex Hebr. hunc versum reddunt: *Adduxi eos ad domum Iehovæ*, *in cubiculum filiorum Chananis filii Iigdaliæ*, *viri Dei*; ut Deuteronom. XXXIII. I. sic commendatur pietas & functio huius Sacerdotis: *quod est prope cubiculum principum*, id est præfectorum templo; *quod est supra cubiculum Mahaseiæ*, *filii Schallumi*, *observantis limen*. QUI ERAT CUSTOS VESTIBULI. Hebr. *observantis limen*, vel *vas*; id est, qui erat custos vasorum templi, quæ observabantur in ipso limine seu vestibulo templi vel præpositus custodiæ portæ: vide in II. Reg. XII. 9. Hos Hebræi intelligunt præfectos sacris vasis & universæ supellectili templi, quasi dicas Thesaurarios, Sacristas. Kimchi vult hunc impositum vasis vinariis templi, & Rechabæos ductos in cellarium.

V. 6. QUIA IONADAB FILIUS RECHAB PATER NOSTER. Scaliger cap. XXIV. Elenchi, pertendit hunc Ionadabum diversum fuisse ab illo II. Reg. X. 15. qui occurrit regi Iehudæ: nam ille vixit temporibus Iehu, & Ochoziæ regis Iehudæ, a quo ad templi excidium sunt anni 298. at hic in Ieremia Rechabitæ loquuntur de Ionadabo tamquam patre suo, qui præsens præsentibus austeram, nuperam & novitiam victus regulam præceperit: neque loquuntur de ipso tamquam de atavo, aut quovis vetusto generis proauctore, sed de parente proximo: nam ipsimet dicunt patrem suum Ionadabum sibi ipsis hanc austeritatem victus præcepisse. Præterea ille Ionadab qui II. Reg. X. 15. occurrit regi, neque in territoriis habitabat, cum obviam venerit regi, neque homo quieti instituti videtur esse, cum rex ab eo quærat an eius cor sit rectum & pacificum erga se: ut homo militaris sine dubio fuerit, & ideo propter eius dignitatem collocaverit eum in curru suo. Sane hæc non conveniunt vitæ monasticæ. *Igitur*, infert Scaliger, *ille Ionadab Rechabita apud Ieremiam verus & proximus pater erat eorum*, *quos ad se vocavit Ieremias*, *&* *illis pocula vino plena antepofuit*. *Temporibus ergo Ieremiæ illa severa regula instituta*. *Sane originem Rechabitarum istorum non antiquiorem repeti posse quam a Iosiæ*, *aut a Manassis ultimis regni annis*, *certo certius est*. Hæc Scaliger immani, qua solet semper, confidentia. Ergo iuxta Scaligerum Ionadab iste pater erit Chabatziniæ, avus Iirmeiæ, proavus Iaazaniæ, quem cum fratribus & filiis, & universa Rechabitarum familia ad se vocavit Ieremias, supra vers. 3. Plerique tamen, hunc & illum unum & eundem Ionadabum esse verisimilius existimant, qui dictus sit pater istorum Rechabitarum, id est vel unus insignior ex maioribus, vel eius austeri instituti auctor. Et recte isti Ieremiæ dicere potuerunt, Ionadab pater noster præcepit nobis: haud aliter quam nos Dominicani vere nunc dicere possumus: Sanctus Dominicus Pater noster maudavit nobis, ut a carnibus abstineremus. Tremellius, & Iunius: *Nam Ionadab filius Rechabi*, *pater noster*, *id est*, *celebris ille progenitor familiæ nostræ*, *timens Dei*, *cuius mentio est* II. *Reg.* X. 15. Vatablus: *Ionadab autem filius Rechab hæc præcepta filiis dederat*, *qui amicus Iehu regis Israelis fuit*, II. *Reg.* X. 15. Hoc ipsum passim & Hebræi & Nostri affirmant. Notat Kimchi a Ionadabo usque ad Iehoiakimum, quo tempore hæc facta esse dicuntur, trecentos circiter annos effluxisse, quo tempore Rechabitæ vinum non degustarunt. FILIUS RECHAB, id est pronepos, aut progenitus, sive ex posteris Rechabi: sic vers. 8. 10. 14. & 16. PRAECEPIT NOBIS, DICENS, &c. Alii *interdixit nobis*, *dicendo*: *Ne bibitote vinum*, *vos*, *aut filii vestri in æternum*, seu *usque in sæculum*, vel *umquam*. Ductus non hu-

cutione supra cap. XXXII. 33. sic versu sequente.

V. 15. MISIQUE AD VOS OMNES SERVOS MEOS PROPHETAS, &c. De hoc versu vide in II. Paralipom. XXXVI. 15. & supra cap. VII. 25. & cap. XXV. Quidam hunc versum ex Hebr. transferunt: *Cumque mitto ad vos omnes servos meos prophetas, inde a diluculo indesinenter, dicendo, Revertimini iam quisque a via sua pessima, & bonas efficite actiones vestras*, vel *& bona facitote*, seu *emendate opera vestra, neque sequamini deos alienos colendo eos; ita manete in hac terra, quam tradidi vobis & maioribus vestris: non tamen inclinatis aurem vestram, neque auscultatis mihi.*

V. 16. FIRMAVERUNT IGITUR FILII IONADAB, &c. Alii: *Certe ratum servaverunt filii Iehonadabi*, &c. Replicatio praecedentis contestationis, vers. 14. continens membra duo comparationis, nempe Rechabitas, & Iudaeos, de quibus deinceps sententia fertur a Deo. Hilteron proteron.

V. 17. IDCIRCO HAEC DICIT DOMINUS, &c. Alii: *Idcirco sic ait Iehova exercituum, Deus Israelis*, &c. Prior sententiae pars in Iehudaeos, hoc versu.

V. 18. DOMUI AUTEM RECHABITARUM DIXIT IEREMIAS, &c. Quidam: *Familiae vero Rechabaeorum dixit Irmeia*, &c. Posterior sententiae pars de Rechabaeis, duobus versibus.

V. 19. NON DEFICIET VIR DE STIRPE IONADAB FILII RECHAB, STANS IN CONSPECTU MEO CUNCTIS DIEBUS. Hebraei exponunt, *stans coram me*; id est, ministrans mihi in templo. Existimant enim Hebraei filias Rechabitarum nupsisse Levitis, & Sacerdotibus, ex quibus procreati sint filii, qui essent Levitae & Sacerdotes ministrantes Domino in templo. Hanc interpretationem refellit Scaliger cap. XXIV. Elenchi: quod tametsi posteritas ex filiabus Rechabitarum, & filiis sacerdotum sint sacerdotes, tamen hoc pertinet ad Rechabitas; non enim offerrent qua Rechabitae, sed qua Levitae & filii sacerdotum: nam genus maternum habetur pro nullo, & apud Hebraeos receptum est axioma. *Familia matris non vocatur familia*. Ipse Scaliger exponit hos Rechabitas esse, qui Hasidaei postea vocati sunt, de quibus I. Machabaeor. II. 42. qui erant corpus quoddam, collegium, societas, seu tagma, aut systema.

ma, vulgo dicimus, confratriam, eorum, qui sponte se addicebant functionibus legis, & offerebant in templo, non quidem per se, (non enim erant sacerdotes) sed sacerdotes eorum nomine, & quotidie victimam immolabant, & sanctimoniæ operabantur in templo, neque a templo recedebant, ut faciebat illa Anna prophetissa apud Lucam: de quibus plura vide apud eumdem Scaligerum cap. XXII. Elenchi: & Serrarium Lib. III. Trihæresii, cap. VII & IX. & in Minervali cap. X. & XI. Ergo quod pollicetur Deus Rechabitis non defuturos de eorum posteris, qui ministrent Deo in templo, sic accipit Scaliger, id est, qui operentur sanctimoniæ in templo, ut Corporati Assidæi. Serrarius vult hoc plene completum in veris & spiritualibus Rechabitis, viris perfectioris vitæ sub Evangelio, in Ecclesia Christi, nempe ascetis, monachis, religiosis. Vatablus & alii exponunt hic, *stare coram Deo*, esse, gratos, acceptos illi fore, quibus ipse favet, quosque tuetur ac defendit; quasi dicat, Posteros Ionadabi gratia & favore sum prosecuturus, quamdiu illi vixerint, numquam desinam memor esse nepotum Ionadabi. Eos quos amamus, non sinimus a conspectu nostro recedere. Tremellius & Iunius exponunt: *Non exscindetur vir Ionadabo filio Rechabi, qui stet coram me omnibus temporibus;* id est, perpetua erit gens ista coram me, ex prædictione Iehonadabi, supra vers. 7. nam illos ex captivitate fuisse reduces ostendit Hezra I. Chronicorum II. 55. nam de ipsis tamquam de præsentibus loquitur. Biniamin Tudelensis qui sub Alexandro III. Pontifice orbem suscepta peregrinatione peragravit, in itinerario suo, si non mentitur, aut nugatur, pag. LXXV. hac narrat: *Regio Saba, quæ nunc terra Aliman dicitur, regioni Sennaar a septentrione confinis, cuius tractus unum & viginti itinera continet per solitudines facienda: atque in hac regione Iudæi illi habitant, qui Rechab filii appellantur, alio nomine viri Theima. Est enim Theima illorum regionis initium, quos nunc Hanan Hanassi gubernat. Est autem urbs ipsa Theima magna & frequens. Horum regio inter montes, qui septentrionales dicuntur, sedecim dierum itinere protenditur, urbibus magnis, & munitissimis exculta, nullique externæ gentis iugo subdita: unde prodeuntes incolæ finitimas & remotiores etiam gentes diripiunt omnes, quotquot sunt, usque ad Arabes, qui cum ipsis fœdus habent.* Hactenus ille. Qui mox subdit: *Atque ii Iudæi, filii Rechab, quos modo indicabamus, agros colunt, & pascua, & armenta atque pecora possident, latissimam regionem & vastam obtinentes, qui ex omnibus proventibus suis decimas dant in usum discipulorum sapientum, doctrinæ atque concionibus perpetuo vacantium, & Pharisæorum, qui Tziionem lugent, & Ierusalaim deplorant; carnibus ac vino perpetuo abstinentes, pullatisque vestibus semper induti, specubus aut casulis inhabitantes, cunctisque diebus præter sabbatum ieiunantes, assiduis etiam precibus Dei misericordiam, & nomen sanctum implorantes erga liberationem captivitatis Israel. Idem etiam precantur Iudæi omnes viri regionis Theima & Telimaas, in qua centum fere millia Iudæorum sunt: inter quos Selomoh Hanassi, hoc est summus, eiusdemque frater Hhanan Hanassi ex progenie Davidis regis,* &c. Hæc Binjamin. Subiicit his Scaliger cap. XXV. Elenchi: *Ego non dubito eosdem esse, quorum meminit Ieremias, præsertim cum Biniamin adiicit, ii, qui vocantur filii Rechab. Hoc enim modo indicat notissimos & celeberrimos fuisse. Nulli autem fuerunt præter illos, de quibus Ieremias. Sunt igitur ii ipsi. Sed in exilio Babylonico multum mutarant a castigata illa regula, ut solet accidere iis, qui solum patrium verterunt.*

MENOCHII.

Vers. 1. IN DIEBUS IOAKIM. Supra monui non servari in hoc volumine prophetarum ordinem temporis, nam quæ hic narrantur prius acciderunt, quam quæ superioribus capitibus tradita sunt.

V. 2. VADE AD DOMUM, &c. Rechabitarum exemplo docet Dominus quam male sibi Iudæi obedierint. RECHABITARUM. Vide quæ dixi Iudicum I. 16. erant autem Rechabitæ filii, aut posteri Ionadab familiaris Regis Iehu IV. Reg. X. 15. Ionadab autem filius fuerat Rechab, ut eodem loco dicitur, & hoc cap. num. 6. Rechab autem genus ducebat ex Iethro socero Mosis. Nominati sunt Rechabitæ a Rechab, qui in ea familia clarissimus fuit: I. Paral. II. 55. IN UNAM EXEDRAM. Cubi-

servans legem Patris, aut prælati, sua obedientia robur addit legi.

V. 18. DIXIT IEREMIAS: in persona Dei. STANS IN CONSPECTU MEO. Ipsa Rechabitarum pia vita, & observantia, & quasi Nazaræatus, vocatur hic statio, sive ministerium Domini: sic religiosi dicuntur coram Deo stare, & illi servire, suasj leges servando.

T I R I N I.

Vers. 2. VADE AD DOMUM, id est ad hospitium, seu tabernaculum, RECHABITARUM: nam, hi, ut patet ex vers. 7. *domos* proprie dictas non incolebant. Erant hi origine Madianitæ. *Cinæi* olim vocati, ab Iethro socero Moysis, alio nomine *Cinæo* dicto, utpote de stirpe *Cin* oriundo: sed inserti Iudæis, legi Iudaicæ perpetuo religiosissime adhæserunt; postea que a *Rechab* viro præ ceteris illustri, parente Ionadab sociis regis Iehu IV. Reg. x. 23. *Rechabitæ* dici cœperunt, de quibus alibi *a* fusius. EXEDRAE sic dictæ a *sessione*, erant cubicula, seu cellæ in appendicibus templi constructæ, ubi sacerdotes & Levitæ sedere ac quiescere poterant, ut nunc Canonici in subselliis chori. In iisdem asservabatur quoque suppellex & thesauri templi: unde vers. 4. *exedra* vocatur GAZOPHYLACIUM. Et hoc multiplex erat, unum GAZOPHYLACIUM PRINCIPUM, in quo dona a principibus oblata, utpote pretiosa, seorsim asservabantur: alterum populi, tertium Gentilium, &c. Et erant hæc ipsa quoque multiplicia, & varii variis gazophylaciis propositi: unde unum vocatur hic *thesaurus*; Hebraice, *gazophylacium* MAASIAE; alterum GAZOPHYLACIUM FILIORUM HANAN, FILII HOMINIS DEI, id est *filii Prophetæ*, ut Chaldæus vertit cum Vatablo & Lyrano. Sic *Moyses b* vocabatur *homo Dei*, & *Samuel c* & *David* & alii.

V. 6. PATER PRAECEPIT NOBIS, id est regulam vivendi nobis præscripsit: neque enim in rigore præceptum fuit, quale in re tam ardua non possunt parentes filiis imponere, v. g. de Religione ineunda, de vita cælibe agenda, de perpetua abstinentia, &c. Fuit ergo hoc consilium, sed valde religiosum ac sanctum, & in lege tam imperfecta valde laudabile. Quidni ergo etiam

etiam laudabilis obedientia, quæ Prælatis Ecclesiæ similia subinde præcipientibus a populo Catholico exhibetur? inquit S. Hieronymus, Augustinus *d* & alii Patres.

V. 16. FIRMAVERUNT; id est, firmiter & constanter observarunt, Rechabitæ, non tam præceptum quam nudum consilium patris sui, idque in re valde dura & ardua: POPULUS AUTEM ISTE Iudaicus NON vult *obedire* MIHI Domino ac Deo suo, rem levem ac facilem non iam suadenti, sed rigide præcipienti.

V. 19. PROPTEREA NON DEFICIET VIR DE STIRPE IONADAB FILII RECHAB, STANS IN CONSPECTU MEO CUNCTIS DIEBUS; id est, stirps Rechabitarum per excidium Iudaicum non deficiet, non excindetur *e*, ut multæ aliæ aliarum familiarum stirpes: & inter posteros eorum semper erunt aliqui, qui in pia ista patrum suorum observantia perstabunt, Deoque deservient, & quasi familiares eius amici, iugiter in conspectu eius & cum eo versabuntur. Sic enim Nazaræi longe minori abstinentia promerebantur, ut dicerentur stare coram Deo, illique ministrare; quidni Rechabitis longe religiosioribus id concedamus? Sic S. Benedicto *f*, sic S. Francisco, sic S. Pachomio, sic S. Ignatio aliisque illustribus Sanctis atque Ordinum fundatoribus promissum a Deo, quod Ordo eorum numquam deficeret, sed viris insignibus perpetuo floreret.

(a) Num. x. sub fin. & Iudic. 1. 16. & 1. Paral. II. 55. & Chron. cap. lxvi. tab. 2.
(b) Iosue xiv. 6.
(c) 1. Reg. ix. 7.
(c) Hieron. ad Paulinum August. præfat. in Ps. lxx.
(e) Ierem. xxxix. 10. in commen.
(f) Arnoldus VVion in Chronicis Benedict. Lib. I. cap. 1.

GORDONI.

Vers. 1. **R**Echabitæ sunt Cinæi. Vide
2. 4. I. Paral. II. 55. & prodierunt ex Ietro, ex quo nempe natus est Rechab: de horum instituto disseruit hic Cornelius. Quod vers. 4. est GAZOPHYLACIUM, idem reputatur ac thesaurus vel exedra; & principes suum habebant designatum talem thesaurum ad dona excipienda.

V. 19. NON DEFICIET, &c. Non deficient imitatione, ut aliqui interpretantur, quamvis generatione defecerint: vel dici potest non defecisse, quia plerique probabiliter opinantur, Rechabitas fuisse electos ad aliquod ministerium templi, v. g. ut essent cantores; sicut Gabaonitæ destinati fuerunt ut Templo deservirent.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 1. Hoc capitis initium si conferatur cum præcedentibus, facile ostendet non servari hic ordinem temporis in narrationibus propheticis.

Vers. 2. & 6. A Iethro socero Mosis genus ducebat Rechab, cuius filius fuit Ionadab, de quo IV. Reg. x. Ab hoc Ionadab, qui vixit cum Iehu rege usque ad Ioakim fluxerunt anni fere trecenti.

Vers. 11. IN TERRAM NOSTRAM: nam Rechabitæ e Madian venerunt Ierosolymam fugientes Chaldæos.

Vers. 18. Propter obedientiam Deus bona pollicetur Rechabitis.



CAPUT XXXVI.

*Domini mitit Ieremias inclusus carcere per Baruch librum comminationum,
em legat coram omni populo ut resipiscant: porro rex Ioakim ipsum igni
nsumit, iubens Ieremiam & Baruch comprehendi, qui absconditi erant: Ie-
nias autem iussu Domini iubet Baruch alium scribere, & Ioakim ac semen
is una cum Ierusalem prædicit perdendos.*



T factum est in anno quarto Ioakim filii Iosiæ regis Iu-
da: factum est verbum hoc ad Ieremiam a Domino, di-
cens: 2. Tolle volumen libri, & scribes in eo omnia
verba, quæ locutus sum tibi adversum Israel & Iudam,
& adversum omnes gentes, a die qua locutus sum ad te,
ex diebus Iosiæ usque ad diem hanc: 3. Si forte audien-
te domo Iuda universa mala, quæ ego cogito facere eis,
atur unusquisque a via sua pessima: & propitius ero iniquitati, & pec-
orum. 4. Vocavit ergo Ieremias Baruch filium Neriæ: & scripsit Ba-
x ore Ieremiæ, omnes sermones Domini quos locutus est ad eum, in
ine libri: 5. & præcepit Ieremias Baruch, dicens: Ego clausus sum,
aleo ingredi domum Domini. 6. Ingredere ergo tu, & lege de volu-
in quo scripsisti ex ore meo, verba Domini, audiente populo in do-
omini, in die ieiunii: insuper & audiente universo Iuda, qui veniunt
itatibus suis, leges eis: 7. Si forte cadat oratio eorum in conspectu
i, & revertatur unusquisque a via sua pessima: quoniam magnus furor
gnatio est, quam locutus est Dominus adversus populum hunc. 8. Et fe-
uch filius Neriæ, iuxta omnia quæ præceperat ei Ieremias propheta,
ex volumine sermones Domini in domo Domini. 9. Factum est au-
anno quinto Ioakim filii Iosiæ regis Iuda; in mense nono: prædica-
ieiunium in conspectu Domini omni populo in Ierusalem, & univer-
titudini, quæ confluxerat de civitatibus Iuda in Ierusalem. 10. Legit-
ruch ex volumine sermones Ieremiæ in domo Domini, in gazophyla-
mariæ filii Saphan scribæ, in vestibulo superiori, in introitu portæ
omus Domini, audiente omni populo. 11. Cumque audisset Michæas
amariæ filii Saphan omnes sermones Domini ex libro: 12. descendit
um regis ad gazophylacium scribæ: & ecce ibi omnes principes sede-
lisama scriba, & Dalais filius Semeiæ, & Elnathan filius Achobor,
arias filius Saphan, & Sedecias filius Hananiæ, & universi principes.
nuntiavit eis Michæas omnia verba, * quæ audivit legente Baruch
mine in auribus populi. 14. Miserunt itaque omnes principes ad Ba-
udi filium Nathaniæ filii Selemiæ, filii Chusi, dicentes: Volumen,
legisti audiente populo, sume in manu tua, & veni. Tulit ergo Ba-
ius Neriæ volumen in manu sua, & venit ad eos. 15. Et dixe-
runt

runt ad eum: Sede, & lege hæc in auribus nostris. Et legit Baruch in auribus eorum. 16. Igitur cum audissent omnia verba, obstupuerunt unusquisque ad proximum suum, & dixerunt ad Baruch: Nuntiare debemus regi omnes sermones istos. 17. Et interrogaverunt eum, dicentes: Indica nobis quomodo scripsisti omnes sermones istos ex ore eius. 18. Dixit autem eis Baruch: Ex ore suo loquebatur quasi legens ad me omnes sermones istos: & ego scribebam in volumine atramento. 19. Et dixerunt principes ad Baruch: Vade, & abscondere tu & Ieremias, & nemo sciat ubi sitis. 20. Et ingressi sunt ad regem in atrium: porro volumen commendaverunt in gazophylacio Elisamæ scribæ: & nuntiaverunt audiente rege omnes sermones. 21. Misitque rex Iudi ut sumeret volumen: qui tollens illud de gazophylacio Elisamæ scribæ, legit audiente rege, & universis principibus qui stabant circa regem. 22. Rex autem sedebat in domo hiemali in mense nono: & posita erat arula coram eo plena prunis. 23. Cumque legisset Iudi tres pagellas vel quatuor, scidit illud scalpello scribæ, & proiecit in ignem, qui erat super arulam, donec consumeretur omne volumen igni, qui erat in arula. 24. Et non timuerunt, neque sciderunt vestimenta sua, rex & omnes servi eius, qui audierunt universos sermones istos. 25. Verumtamen Elnathan, & Dalaias, & Gamarias, contradixerunt regi ne combureret librum: & non audivit eos. 26. Et præcepit rex Ieremiel filio Amelech, & Saraiæ filio Ezriel, & Selemiæ filio Abdeel, ut comprehenderent Baruch scribam, & Ieremiam prophetam: abscondit autem eos Dominus. 27. Et factum est verbum Domini ad Ieremiam prophetam, postquam combusserat rex volumen, & sermones quos scripserat Baruch ex ore Ieremiæ, dicens: 28. Rursum tolle volumen aliud: & scribe in eo omnes sermones priores, qui erant in primo volumine, quod combussit Ioakim rex Iuda. 29. Et ad Ioakim regem Iuda, dices: Hæc dicit Dominus: Tu combussisti volumen illud, dicens: Quare scripsisti in eo annuntians: Festinus veniet rex Babylonis, & vastabit terram hanc, & cessare faciet ex illa hominem, & iumentum? 30. Propterea hæc dicit Dominus contra Ioakim regem Iuda: Non erit ex eo qui sedeat super solium David: & cadaver eius proiicietur ad æstum per diem, & ad gelu per noctem. 31. Et visitabo contra eum, & contra semen eius, & contra servos eius, iniquitates suas; & adducam super eos, & super habitatores Ierusalem, & super viros Iuda, omne malum, quod locutus sum ad eos, & non audierunt. 32. Ieremias autem tulit volumen aliud, & dedit illud Baruch filio Neriæ scribæ: qui scripsit in eo ex ore Ieremiæ omnes sermones libri, quem combusserat Ioakim rex Iuda igni: & insuper additi sunt sermones multo plures, quam antea fuerant.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

Vers. 13. *Quæ audivit legente Baruch*. Pro *legente* ablativo absolute posito, non est substituendus accusativus *legentem*.

QUISQUE A VIA SUA PESSIMA: vel, si forte Dominum exorent, & veniam ab eo impetrent, ut cap. sequenti, versu & cap. XXXVIII. 26. & cap. XLII. 2.

V. 9. PRAEDICAVERUNT IEIUNIUM: publico præconio indixerunt. IN CONSPECTU DOMINI, id est in templo, ubi Dominus habitabat; vel, ut omnes inclinarent *in conspectu Domini*, id est, procidentes & orantes ante conspectum Domini, sicut dixit vers. 7. *Si forte cadat oratio eorum in conspectu Domini*.

V. 10. IN INTROITU PORTAE, id est orientalis, ut Ionathas, & R. David, & R. Salomon. interpretantur. Cur autem nova diceretur, explicavimus supra XXVI. 10.

V. 12. AD GAZOPHYLACIUM SCRIBAE: על לשכת, *ad cubiculum*: vide cap. superiori, vers. 2. *Scribæ*, a secretis Regis.

V. 16. OBSTUPUERUNT UNUSQUIQUE AD PROXIMUM SUUM; id est, obstupentes mutuo se respiciebant; sicuti Hispani antiqua cantione dicunt, *Miravan se unos a otros, yatodos trembla la barva*.

V. 18. EX ORE SUO LOQUEBATUR QUASI LEGENS; id est, prompte, ac memoriter mihi dictabat, quemadmodum si ex libro aliquo legeret: significat verba non fuisse a Ieremia meditata atque composita, sed a Spiritu sancto suggesta, sicut cum David dicit, *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*: Psal. XLIV. 2.

V. 22. REX AUTEM SEDEBAT: יושב, *habitabat in domo*, in qua per hyemem habitare consueverat. Huc spectat, quod dicit, MENSE NONO, ut reddat causam, cur rex in domo hyemali habitaret, & cur ad focum esset, quia hyems erat; sicut Ioannes dicit cap. XVIII. 18. *Frigus erat, & calefaciebant se*. ET POSITA ERAT ARULA: instrumentum prunis plenum, quod prunarium vulgo vocant. Septuag. ἐσχάρα πυρός, eodem sensu. Chaldæus נורא, *ignis*, *focus*.

V. 24. NEC SCIDERUNT VESTIMENTA SUA. Sicut Iudæi in rebus tristibus facere solebant: Iosue VII. 6. Iud. XI 35. & I. Regum IV. 12. & II. Regum I. II. & XIII. 31.

V. 26. ABSCONDIT AUTEM EOS DOMINUS.

nus. Non est sensus, Dominum eos in alium locum transtulisse; sed ipsos sese abscondisse sic, ut cum in domo, ubi erant, quærerentur, non permiserit Deus eos inveniri, ut explicat R. David. Sic dicit Ioan. VIII. 59. & XII. 36. Iesum abscondisse sese, id est effecisse, ut nemo se videre posset: sic enim interpretor.

V. 29. Festinus veniet: בוא יבוא, *veniendo veniet*: nota phrasis; id est, certo veniet, aut cito veniet, quod recte expressit noster Interpres dicens, *Festinus veniet*. Nam hoc etiam phrasim illam significare manifestum est, Habac. II. 3. *Veniens veniet, & non tardabit*. Idem enim est, *Non tardabit*, & *Veniens veniet*. Dicit autem cito venturum regem Babylonis, cum iam fortasse venisset, ut diximus versu 6. Quia hæc prophetia quamvis anno quinto regni Ioacim scripta recitataque fuerit, ut dicitur versu 9. tamen multo ante a Ieremia fuerat pronunciata. Iussus enim fuerat vers. 2. scribere omnia, quæ ab anno decimo tertio Iosiæ prædixisset. Et cessare faciet, id est spoliabit illam hominibus & opibus. Per iumenta enim opes significantur, quod armenta, & pecora in maximis olim divitiis haberentur, ut adnotavimus supra XXXI. 27.

V. 32. Multo plures quam ante fuerant: כהמה דברים רבים, *sermones multi similes illis prioribus*, ut Chaldæus & Septuaginta verterunt. Qui autem hi sermones fuerint, hic non dicitur; sed credendum est multo fuisse acerbiores, quam illi priores, ut eventus demonstravit, & aliqua ex parte hoc loco declaratur, cum dicitur vers. 30. *Non erit ex eo, qui sedeat super solium David: & cadaver eius proiicietur ad æstum per diem, & ad gelu per noctem*.

S A.

Vers. 2. Volumen, scilicet membranam, in qua Hebræi sua scribebant, & deinde involvebant.

V. 5. Clausus, scilicet carcere.

V. 6. Ieiunii, scilicet fuerat id indictum ob metum Chaldæorum.

V. 7. Cadat, scilicet prospere. Chald. *acceptabilis sit*.

V. 10. Gazophylacio. LXX. *domo*. Scribae, scilicet regii, id est Cancellarii. Vestibulo. Hebr. Chald. & LXX. *atrio* Novae. Chald. *Orientis primæ*.

V. 12. Gazophylacium. LXX. *domum*.

V. 16. Unusquisque ad proximum suum, id est omnes inter se.

V. 19. Et Ieremias. Apparet fuisse tunc liberatum carcere.

V. 22. Arula, id est focus editior.

V. 23. Scidit, scilicet ille iubente Rege, ille vel Rex. Scalpello scribae, id est cultello pennario.

V. 25. Contradixerunt regi. Heb. & Chald. *rogaverunt Regem*.

V. 26. Abscondit. Chald. *protexit*.

V. 29. Festinus. Heb. *veniendo*, id est omnino, seu certissime.

V. 30. Sedeat, scilicet diu. Filius enim eius Ioachin solum tribus mensibus regnavit.

V. 31. Et non; pro, quia non. Audierunt. Chald. *obedierunt*.

E S T I I.

Vers. 5. & 6. Et praecepit Ieremias Baruch dicens: Ego clausus sum, nec valeo ingredi in domum Domini. Ingredere ergo tu, et lege de volumine. Notanda prompta voluntas prophetæ Ieremiæ, ad annunciandum populo verba Dei. Iam enim in carcerem missus erat propter Dei verba regi, principibus, & populo nunciata, iam per se prædicationis officium implere non potest, sed quod facere per se non potest, per nuncium facit & interpretem Baruch. Itaque reipsa ostendit, quod tametsi ipse clausus, & alligatus esset in carcere, tamen verbum Dei non esset alligatum. Talem zelum etiam Apostolus Paulus habebat, cuius hæc sunt verba II. Timoth. II. *In quo laboro usque ad vincula, quasi male operans, sed verbum Dei non est alligatum*. Quid ergo dicturi sunt, qui liberi, & nulla persecutione pressi, in annunciando verbo Dei tam sunt negligentes?

M A R I A N AE.

Vers. 1. Et factum est. Dictat Ieremias suas prophetias. Rex librum comburit, instaurat Ieremias illum.

V. 2.

quam delatores desunt, qui gratiam Principum per eum modum aucupentur. Pessima ars, sed multorum successibus aucta.

V. 14. IUDI FILIUM; id est, quemdam e tribu Iuda miserunt. Principes ad Baruch: sic Heb. FILII CHUSI. *Chusi AEthiopem* significat, sed hic est nomen proprium.

V. 16. OBSTUPUERUNT UNUSQUISQUE AD PROXIMUM SUUM, id est se mutuo respiciebant præ timore. Metus incluserat vocem.

V. 18. EX ORE SUO LOQUEBATUR QUASI LEGENS. Heb. *ex ore suo legebat ad me*, id est prompte dictabat, quasi Ieremias ex libro ea verba legeret. ATRAMENTO. Solebant graphio scribere, unde id nomen, aut plumbo. Ideo dicit quomodo Baruch scriberet quæ Ieremias dictabat.

V. 20. IN ATRIUM, scilicet regiæ ingressi sunt Principes. VOLUMEN COMMENDAVERUNT. Heb. *visitare fecerunt*, id est deposuerunt. IN GAZOPHYLACIO, in exedra Elisamæ scribæ, id est a commentariis. Ea erat exedra, ubi Michæas Principes invenit, vers. 12.

V. 22. REX AUTEM SEDEBAT, scilicet Ioakim, seu *habitabat*. IN DOMO HIEMALI, id est ubi per hiemem habitare solebat, ARULA. Sic Septuaginta, id est prunarium. PLENA PRUNIS. Heb. *incensa*. Explicat opportunitatem, quam Rex habuit ad comburendum librum.

V. 23. TRES PAGELLAS VEL QUATUOR. Si volumen, quomodo pagellæ? Sed plicaturas vocat pagellas. Hebr. *portas*, quia volumen claudebatur, ut nostri libri. VEL QUATUOR. Heb. *& quatuor:* sic Septuag. sed *&* pro *vel* sumitur, ut & Chald. vertit. SCIDIT ILLUD SCALPELLO. Sept. *novacula*, gladiolo, quo solent, qui scribunt, pennas adaptare. ET PROIECIT. Sic Chald. Heb. *& facere proiicere*, id est faciebat proiicere. Neque enim ut lectæ sunt quatuor paginæ, totus liber combustus est; sed tunc cœpit, deinde, ut legebantur aliæ paginæ, scindebat eas, & mittebat in ignem: Hebr. Schol.

V. 24. NEQUE SCIDERUNT VESTIMENTA SUA, ut solebant in rebus tristibus. Postea tamen ob combustum librum instituerunt ieiunium septima die mensis Kisleu. Nimirum ea die id factum est.

V. 25. CONTRADIXERUNT. Sic Septuaginta

ginta, Heb. *intercesserunt*, seu *rogaverunt*, ut Chald. scilicet ne librum combureret Rex; sed ille noluit, ac potius iussit.

V. 26. UT COMPREHENDERENT BARUCH, scilicet ut in carcerem mitterent. ABSCONDIT AUTEM EOS DOMINUS. Fortassis ἀορασίᾳ percussit ministros illos, ut non agnoscerent Prophetas. Ut Sodomitæ non potuerunt ianuam Lot invenire, eo genere cæcitatis percussi, ut ait Augustinus.

V. 29. FESTINUS VENIET. Hebr. *veniendo veniet Babylonius*, id est certissimo veniet. ET IUMENTUM? Per *iumenta*, greges & armenta intelligo, quibus opes eorum hominum præcipue constabant. Ergo tum homines, tum opes eorum auferet Rex Babylonius.

V. 30. NON ERIT EX EO QUI SEDEAT, scilicet diu; natu Ioachin filius Ioakim tribus tantum mensibus regnavit. PROIICIETUR AD AESTUM, sepultura asini sepelietur. Quod de eo Rege dixerat cap. XXII. 18. & 19.

V. 31. ET VISITABO, puniam.

V. 32. ADDITI SUNT SERMONES MULTO PLURES. Qui illi fuerint, clam est, sed certe acerbiora quam ante nuntiasse, credi debet, & scripsisse in novo libro.)

MALVENDAE.

Vers. 1. ET FACTUM EST IN ANNO QUARTO IOACIM, &c. Totum hoc caput, inquiunt, narrativum est, cuius historia tria maxime capita continet: primum est fidei, quam Iirmeia & Baruch adhibuerunt, ad testandum Dei voluntatem, decem primis versibus: secundum, contra dictionum, quæ a summatibus obvenerunt, & periculorum a rege, usque ad vers. 27. tertium, sententiæ dictio in contravenientes, ad finem usque. ANNO QUARTO IOACIM, vel *Iehoiakimi*, &c. videlicet sub finem illius, habitis duabus illis concionibus, quæ positæ sunt supra cap. XXV. & XXXV. quod confirmatur infra v. 5. & 9.

V. 2. A DIEBUS IOSIAE USQUE AD DIEM HANC: quod est spatium viginti trium annorum. Vide supra cap. XXV. 3.

V. 4. OMNES SERMONES DOMINI, QUOS LOCUTUS EST AD EUM. Alii clarius: *Omnia verba Iehovæ, quæ eloquebatur ipsi Iirmeia*. IN VOLUMINE LIBRI: id est, in libro plicatili, qui in cylindrum convolvebatur, ut erant priscorum libri. Sic Psalm. XXXIX. 8.

V. 5. ET PRAECEPIT IEREMIAS BARUCH, &c. Alii: *Deinde præcepit Iirmeia Barucho*, &c. perscripto volumine: quod fuit anno quinto, mense nono, ut ostendit vers. 9. EGO CLAUSUS SUM. Heb. *Ego prævalitus, prævalidatus, valide conclusus, cohibitus, coercitus*. Plerique exponunt, Vinctus in carcere. Sed huius carceris nulla antea mentio: neque satis convenit cum vers. 19. infra. Alii, id est, domi me contineo ac delitesco metu Iehoiakimi. Nonnulli: *Ego detentus*. Huius detentionis caussas, etsi præscriptis verbis in Scriptura legi non meminimus, tamen tres simul putamus in hoc tempus concurrisse: prima est, interdictum regis, qui principio regni ediderat insignia impietatis, & crudelitatis suæ documenta, supra cap. XXVI. secunda fuit, abstentio (ut Patres loquebantur) ecclesiastica, qua verisimile est principes Sacerdotum regi assentantes Iirmeiam quodammodo excommunicasse, ne orationem amplius haberet ad populum, aut templum accederet, adductos duabus illis prophetiis, quas enuntiaverat anno quarto, supra cap. XXV. & XXXV. tertia est, mandatum Dei, quo voluit Deus consulere prophetæ suo, & absentia silentioque (quod improbi in beneficio ponebant) punire Ecclesiam Iudæorum.

V. 6. IN DIE IEIUNII: non imperati lege, sed conceptivi seu indictivi, ut apparet ex vers. 9.

V. 7. SI FORTE CADAT ORATIO EORUM IN CONSPECTU DOMINI. Alii: *Si forte procidat deprecatio eorum coram Iehova*, vel *si forte procidant deprecantes ipsi coram Iehova*. Hypallage rethorum. Ex verbo: *Si forte cadat gratiam eorum coram Iehovah*; id est, Si forte ipsi sint digni gratia & misericordia Dei, vel Deus eos sua gratia dignos efficiat, id est, per hypallagem, si forte ipsi in gratiam Dei incidant. Hispanice eleganter dicimus, *Caher en gracia de otri*.

V. 9. FACTUM EST AUTEM IN ANNO QUINTO, &c. Alii hunc versum ex Hebr. reddunt: *Fuit autem anno quinto Iehoiakimi filii Ioschiiæ regis Iehudæ, mense nono, cum indixissent ieiunium*, impersonaliter, hoc est *indicto ieiunio coram Iehova toti populo* Ie-

chalaimis: *cum totus populus venientes ex* *itibus Iehudæ essent Ieruschalaimis*.
10. IN VESTIBULO SUPERIORE, IN OITU PORTAE NOVAE DOMUS DOMI- Quidam: *in atrio superiore ad ostium domus Iehovæ recentioris*, de qua vi- upra cap. XXVI. 10. sed cum nullum m superius templi alibi legatur, forte עלין *ghelion*, non sit epithetum *atrii*, *ortæ*; & vox *atrii* in regimine lega- *in atrio altissimi ostii portæ domus Ie- novæ*. Altissima enim erat attributum domus Domini novæ: vide II. Re- XV. 35. & supra cap. XX. 2. & cap. 10. Aut forte atrium Altissimum di- fuit, quod prope altissimam portam i esset.
11. CUMQUE AUDISSET MICHAEAS, secunda pars narrationis, ut diximus rs. 1.
12. DESCENDIT IN DOMUM REGIS AZOPHYLACIUM SCRIBAE. Alii: *De- : in domum regis ad cubiculum iuris-* , vel *legisperiti*. Sic statim: vide de oce in II. Samuel. VIII. 17. Expo- *Iurisperiti*, nimirum Elischamahi, ox nominatur iurisperitus. Erat au- le quidam veluti rector & moderator nsilio regis ac principum. Alii, a Se- regis fuisse putant. Sed quale istud munus in regia fuerit, fuse diximus Samuel. VIII. Sic infra vers. 20. :NATHAN FILIUS ACHOBOR: de quo upra cap. XXVI. 22.
4. IUDI. Hebr. *Iehudi*, proprie *Ie- s* vel *Iudæum*: sed hic est nomen m, singularis cuiusdam hominis, non ne gentis. Existimant fuisse hunc orem regis, ut ex sequentibus con-

:6. OBSTUPUERUNT UNUSQUISQUE OXIMUM SUUM. Hebr. *expaverunt socium suum*; id est, expavescentes se respiciebant. Hispanice, *mirances otros y a todos tiembla la barba*. *: ut expavescerent vir ad amicum* vel *ut expavescentes alloquerentur al- um;* id est, capita conferrent affe. lammodo & perculsi prophetiæ gra- ut demonstrant consilio suo, vers.

. EX ORE SUO QUASI LEGENS LO- UR AD ME OMNES SERMONES I- Alii: I. *Ore suo dictabat mihi omnes sermones istos*. II. *Ex ore suo pronuntiabat mihi omnia verba hæc*; quasi dicat, Memoriter ac promptu mihi dictabat, ac si ex libro legisset. Significat verba non fuisse a Ieremia meditata atque composita, sed a Spiritu sancto instillante.

V. 22. ET POSITA ERAT ARULA CORAM EO PLENA PRUNIS. Hispanicus Interpres: *y havia un brasero ardiendo delante de el*. Alii: I. *& acerra, arula, foculus, receptaculum ignis coram eo ardebat*. II. Forsterus: *& habebat focum ante se ardentem*. III. *idque cum foco ante ipsum accenso* אח *ach*, aiunt esse *focum*, *caminum*, *rogum*, in quo fovetur ignis.

V. 23. TRES PAGELLAS. At si volumen erat plicatile, in cylindrum convolutum, ut erant libri priscorum, & nunc videmus legem a Iudæis scribi in modum rotuli, quemadmodum annotavimus supra vers. 4. totum volumen non erat nisi una continua & perpetua pagina. Heb. ex verbo: *tres ianuas*, seu *ostia*, *valvas*. Fortasse intelligit פרסיות *pharsiioth*, id est sectiones, quibus hodieque Iudæi utuntur in Bibliis, in quibus aliquæ dicuntur apertæ, aliæ clausæ, more portarum, & sunt veluti portæ, quibus introeunt in lectionem Scripturæ: de quibus vide Ioannem Buxtorfium in Abbreviationibus Hebræorum, pag. 140. & 249. Quidam exponunt, quantum tres aut quatuor pagellæ, seu tabulæ ordinariorum librorum, aut pugillarium continere possunt. SCIDIT ILLUD SCALPELLO SCRIBAE. Hebr. *novacula scribentis*. Alii: I. *cultello scribæ*, seu *pennario*. II. *scalpello scriptorio*. III. *novacula scribæ*. IV. *scalpo librario*. V. *cultro Scribæ*. Quidam hunc versum reddunt: *Fuit ergo cum legisset Iehudi tria folia aut quatuor, ut laceraret illud scalpro librario, & proiiceret in ignem, qui erat in foco, donec consumeretur totum volumen igne illo, qui erat in foco*.

V. 24. ET NON TIMUERUNT, NEQUE SCIDERUNT VESTIMENTA SUA, &c. Alii: *Non autem expaverunt, aut conterriti sunt, neque laceraverunt vestimenta sua*, &c. id est, ne paululum quidem perculsi sunt, ut illi supra vers. 16.

V. 26. IEREMIEL FILIO AMELECH. Heb. *Filio Hamelech*. Noster & plerique alii, *Hamelech* nomen proprium esse existimarunt. Nonnulli appellativum, unde reddunt: *Immo præcepit rex Ierachmeeli filio* re-

regis, id est filio suo: quamobrem toti Ioakimi familiæ deinde maledicitur, infra vers. 30. ABSCONDIT AUTEM EOS DOMINUS. Hebr. *& abscondit*, seu *occultavit eos Iehovah*. Cum singulariter horum occultatio Iehovæh tribuatur, opus proculdubio divinæ virtutis fuisse videtur, ut miraculose eos vel invisibiles reddiderit, ut Ioan. VIII. 59. vel alio deportaverit.

V. 27. ET FACTUM EST VERBUM DOMINI, &c. Tertia pars capitis, ut dictum est in vers. 1.

V. 28. RURSUS TOLLE VOLUMEN ALIUD. Hebr. *Revertere accipe tibi volumen posterius*, seu *alterum*; id est, Iterum, rursus cape tibi, &c. vide de hac locutione in Genes. XXVI. 18.

V. 29. ET AD IOACIM REGEM IUDA DICES, &c. Alii: *de Iehoiakimo autem rege Iehudæ dicito*, &c. Huius prophetiæ partes sunt, coniectatio, hoc versu; & sententiæ latio, duobus sequentibus.

V. 30. ET CADAVER EIUS PROIICIETUR AD AESTUM PER DIEM, ET AD GELU PER NOCTEM. Alii: *& cadaver eius erit proiectum æstui diurno, & gelu nocturno*. Vide supra cap. XXII. 19.

V. 31. OMNE MALUM, QUOD LOCUTUS SUM AD EOS. Alii: *totum illud malum, quod proloquebar eis*, eo volumine, quod ab illis exustum est.

V. 32. ET INSUPER ADDITI SUNT SERMONES MULTO PLURES QUAM ANTEA FUERINT. Alii ex Hebr. *& adhuc additum est*, impersonaliter, pro *addita sunt super ea*, vel, *illis verba similia*, sive *eiusmodi*, seu *eiusdem generis*.

MENOCHII.

Vers. 1. ET FACTUM EST, &c. Postquam scilicet Ioakim re cum Nabuchodonosor composita Babylone redierat, sed non ita secure quin adhuc Iudæi metuerent Nabuchodonosoris reditum; quare ad eum avertendum indixerunt ieiunium n. 6.

V. 2. VOLUMEN. Hebr. מגלה *megilla*, significat convolutionem; olim enim liber instar mappæ geographicæ erat quasi una membrana, ex variis membranis consuta, quæ in cylindrum convolvebant; hoc est enim Hebræis *megilla* & Latinis *volumen*.

V. 4. EX ORE IEREMIAE: dictante Ieremia.

V. 5. EGO CLAUSUS SUM: in carcere a Ioakim, vel ut alii melius interpretantur, sensus est: Ego domi me contineo, ac delitesco metu Ioakim, neque egredi possum sine periculo. Non erat autem par periculum in Baruch, qui non erat auctor prophetiæ, sed iussus aliena tantum scripta recitabat.

V. 6. IN DIE IEIUNII: erat ieiunium extraordinarium indictum ob causam num. 1. dictam.

V. 7. SI FORTE CADAT; id est, si forte convertantur ad Dominum, & ante eius conspectum precantes procidant: simili phrasi ait cap. XXXVIII. 26. *Prostravi ego preces meas coram rege*.

V. 9. PRAEDICAVERUNT IEIUNIUM: publico præconio indixerunt. IN CONSPECTU DOMINI, id est in templo, ubi Dominus habitabat. Vel sensus est, ut omnes ieiunarent in conspectu Domini, id est orantes, & procidentes ante conspectum Domini.

V. 10. IN GAZOPHYLACIO: cubiculo, exedra: vide superiori cap. n. 2. GAMARIAE FILII SAPHAN. Memoratur alibi hic Saphan scriba, nimirum IV. Reg. XXII. 3. II. Paralipomenon XXXIV 8. inter eos qui a Iosia missi fuerant ad Holdam prophetidem; videtur etiam hic Saphan pater fuisse Ahicam, qui Ieremiam eripuit de manu Sacerdotum, ut vidimus supra in fine capitis XXVI. IN VESTIBULO SUPERIORI: intelligit porticum, qua ibatur ad atrium Levitarum, quod erat vicinius ipsi templo, & altius reliquo populi, & gentium atrio, ubi portam novam Ioathan extruxerat. Vide dicta supra cap. XXVI. 10

V. 12. GAZOPHYLACIUM: cubiculum, exedram, ut n. 10. SCRIBAE, id est secretarii, vel ut explicat Vatablus Cancellarii regii. PRINCIPES: viri primarii, proceres Iudæorum.

V. 16. OBSTUPUERUNT, &c. id est obstupescentes mutuo se respiciebant. NUNCIARE DEBEMUS REGI, &c. Non quærunt an nunciare debeant, sed affirmant, si forsan te verbis prophetæ perculsus, sibi & reipublicæ consuleret.

V. 18. QUASI LEGENS: prompte, & expedite dictabat, ac si legeret in libro aliquo.

V. 19. ABSCONDERE, &c. suadent hoc proceres, quia non ignorabant impii regis ingenium.

:ulis meis viderer perecllere & frangere ınimos populi: ita Theodo etus, Rabanus, S. Thomas, Lyranus. Unde verſ. 19. ab iſdem emittitur e carcere, ut contra regis furorem ſeſe abſcondat.

V. 6. IN DIE IEIUNII: quod Iudæi poſt liberatum regem ſuum e manibus Nabuchodonoſoris, ad avertendas alias clades ultro indixerant *menſe nono*, ut dicitur verſ. 9. quo menſe nullum ante vel a Deo, vel Synagoga indictum fuerat ieiunium; ſed exinceps manſit indictum die ſeptima dicti menſis noni, idque vel maxime ad expiandam exuſtionem libri Ieremiæ hoc die factum a rege Ioakim, ut videre eſt in Menologio Hebræorum apud Genebrardum.

V. 7. SI FORTE CADAT ORATIO EORUM IN CONSPECTU DOMINI; id eſt, ſi forte accepta fiat deprecatio pœnitentium coram Domino, ut cap. ſeq. verſ. 19. fere ſimilem phraſim verſam videmus: ita Chaldæus, S. Thomas & Dionyſius.

V. 9. IEIUNIUM IN CONSPECTU DOMINI tum cenſebatur, cum ieiuni toto die proſternerent ſe & orarent ante conſpectum Dei in templo, inquit Maldonatus.

V. 12. AD GAZOPHYLACIUM SCRIBAE, id eſt ad cubiculum *a* ſecretarii, vel, ut Vatablus, Cancellarii regii.

V. 16. OBSTUPUERUNT UNUSQUISQUE AD PROXIMUM SUUM; id eſt, cum ſtupore reſpiciebant ſe mutuo.

V. 18. EX ORE SUO QUASI LEGENS LOQUEBATUR, id eſt prompte & expedite *b*, non præmeditata vel quæſita, ſed a Spiritu ſancto ſuggeſta verba depromebat, tanta celeritate ac ſi ex libro legiſſet: ita Maldonatus. ET EGO SCRIBEBAM ATRAMENTO: quem ſcribendi modum perantiquum eſſe, vel ex hoc loco colligimus: ut & uſum libri quadrangularis cum pagellis, ex verſ. 23. Quid porro principes?

V. 19. VADE ET ABSCONDERE TU ET IEREMIAS; nempe, ne rex audita hac libri evulgatione vos morte afficiat.

V. 22. & 23. SEDEBAT REX: Hebraice *habitabat*, IN DOMO HIEMALI, ſeu in qua per hiemem commorari ſolebat: ET CORAM EO ARULA, id eſt foculus, ſeu receptaculum prunarum, quo ſe calefaciebat: ita LXX. & Chaldæus. In hunc foculum coniecit rex per fruſta librum diſciſſum SCALPELLO SCRIBAE, id eſt cultello pen-

na-

nario: ita Hugo, S. Thomas, Vatablus, Lyranus. Quod vero vel maxime factum oportebat,

V. 24. NON TIMUERUNT, NEQUE SCIDERUNT VESTIMENTA SUA, id est, timorem vel horrorem non ostenderunt scindendo de more vestimenta sua, ut nuper fecerat pius *Iosias c* parens huius Ioakimi, immo & impius Achab *d*, & tot alii.

V. 26. ABSCONDIT DOMINUS Ieremiam & Baruch, protegendo eos in latibulo ad quod confugerant, nec permittendo ut istic reperirentur a quærentibus: ita Chaldæus, Rabanus & Hugo.

V. 30. Ex Ioakim rege NON ERIT filius vel nepos QUI SEDEAT SUPER SOLIUM DAVID. Tentavit quidem Ioachin filius eius solium hoc conscendere *tribus* circiter *mensibus*; sed pacifice in eo non resedit *e*, abductus in Babylonem cum omni sua aula: posteri vero Ioachini non fuerunt reges, sed ut summum duces, iique tributarii *f* regibus Persarum. ET CADAVER Ioakimi insepultum ut loco publico putrescat. Ita illi prædixit etiam alibi *g* Ieremias, & vidimus IV. Reg. XXIV.

(a) Ierem. xxxv. 2.
(b) Psal. xliv. 2.
(c) IV. Reg. xxii. 11.
(d) III. Reg. xxi. 26.
(e) IV. Reg. 24. 8. &c.
(f) Esdr. ix. vers. 36.
(g) Ierem. xxii. 19.

GORDONI.

Vers. 1. NOtatur rei gestæ annus, qui est quartus Ioachimi, primus Nabuchodonosor, & primæ captivitatis initium, ut noto ad annum 3374. Lectus liber est in die ieiunii indicti ad placandum Deum: nullum enim tunc occurrebat solemne ieiunium, ut constat ex vers. 9. & ex menologio.

V. 30. NON ERIT EX EO QUI SEDEAT SUPER SOLIUM DAVID: nam Iechonias huius Ioachimi filius tantum per tres menses regnavit, quod est ac si non regnasset; posteri vero non fuerunt reges, sed duces populi, ut Zorobabel, &c. Machabæi vero ad aliam tribum pertinebant, ne quis obiiciat Aristobulum.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 5. EGO CLAUSUS, in carcere, ut aliqui locum interpretantur. Alii sentiunt Ieremiam tantum se domi continere propter metum a rege iniectum.

Vers. 9. PRAEDICAVERUNT, publicarunt ieiunium ad placandum Deum.

Vers. 10. IN GAZOPHYLACIO: in cubiculo, in vestibulo. Porticus est qua ibant ad Levitarum atrium.

Vers. 18. Tam prompte hæc dictavit mihi ista, ac si legisset in libro.

Vers. 22. ARULA, foculus.

Vers. 23. TRES PAGELLAS. Per paginas intelligi possunt capita vel paragraphi, nisi qui velit fuisse librum compactum, ut nostro sæculo videmus.

Vers. 30. NON ERIT. Iechonias quidem filius regnavit per tres menses; sed tam exiguum tempus non computatur regnum.

CAPUT XXXVII.

Iechoniæ succedens petit pro se orare Ieremiam: qui, relicta a Chaldæis Ie-
m propter adventum exercitus Pharaonis, prophetat Chaldæos redituros, & Ie-
m exusturos; ipse quoque Ieremias urbem egrediens, cæsus in carcerem detru-
unde a Sedecia eductus, servatur in vestibulo carceris, assignata ipsi indies
panis.



T regnavit rex Sedecias filius Iosiæ pro Iechonia filio Ioa-
kim: quem constituit regem Nabuchodonosor rex Babylo-
nis in terra Iuda. 2. Et non obedivit ipse, & servi eius,
& populus terræ, verbis Domini, quæ locutus est in ma-
nu Ieremiæ prophetæ. 3. Et misit rex Sedecias Iuchal fi-
lium Selemiæ, & Sophoniam filium Maasiæ sacerdotem,
ad Ieremiam prophetam, dicens: Ora pro nobis Dominum
Deum nostrum. 4. Ieremias autem libere ambulabat in me-
uli: non enim miserant eum in custodiam carceris. Igitur exercitus Pha-
gressus est de Ægypto: & audientes Chaldæi, qui obsidebant Ierusalem,
nodi nuntium, recesserunt ab Ierusalem. 5. Et factum est verbum Do-
l Ieremiam prophetam, dicens: 6. Hæc dicit Dominus Deus Israel: Sic
egi Iuda, qui misit vos ad me interrogandum: Ecce exercitus Pharao-
i egressus est vobis in auxilium, revertetur in terram suam in Ægyptum:
edient Chaldæi, & bellabunt contra civitatem hanc: & capient eam, &
nt eam igni. 8. Hæc dicit Dominus: Nolite decipere animas vestras, di-
Euntes abibunt, & recedent a nobis Chaldæi; quia non abibunt. 9. Sed
rcusseritis omnem exercitum Chaldæorum, qui præliantur adversum vos,
cti fuerint ex eis aliqui vulnerati: singuli de tentorio suo consurgent,
dent civitatem hanc igni. 10. Ergo cum recessisset exercitus Chaldæo-
Ierusalem propter exercitum Pharaonis, 11. egressus est Ieremias de Ie-
ut iret in Terram Beniamin, & divideret ibi possessionem in conspectu ci-
2. Cumque pervenisset ad portam Beniamin, erat ibi custos portæ per
nomine Ierias, filius Selemiæ filii Hananiæ, & apprehendit Ieremiam
am, dicens: Ad Chaldæos profugis. 13. Et respondit Ieremias: Falsum
fugio ad Chaldæos. Et non audiunt eum: sed comprehendit Ierias Ie-
& adduxit eum ad principes. 14. Quam ob rem irati principes contra
n, cæsum eum miserunt in carcerem, qui erat in domo Ionathan scri-
: enim præpositus erat super carcerem. 15. Itaque ingressus est Ieremias
m laci & in ergastulum: & sedit ibi Ieremias diebus multis. 16. Mit-
m Sedecias rex tulit eum: & interrogavit eum in domo sua abscondi-
ixit: Putasne est sermo a Domino? Et dixit Ieremias: Est; & ait: In
gis Babylonis traderis. 17. Et dixit Ieremias ad regem Sedeciam: Quid
ibi, & servis tuis, & populo tuo, quia misisti me in domum carce-
Ubi sunt prophetæ vestri, qui prophetabant vobis, & dicebant: Non
x Babylonis super vos, & super terram hanc? 19. Nunc ergo audi ob-

secro

ſecro domine mi rex: Valeat deprecatio mea in conſpectu tuo & ne me remittas in domum Ionathan ſcribæ, ne moriar ibi. 20. Præcepit ergo rex Sedecias ut traderetur Ieremias in veſtibulo carceris: & daretur ei torta panis quotidie, excepto pulmento, donec conſumerentur omnes panes de civitate: & manſit Ieremias in veſtibulo carceris.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. PRo Iechonia. Is non regnavit niſi tribus menſibus, ideoque non ſolet inter reges Iuda numerari: lege hiſtoriam IV. Reg xxiv. 17.

V. 4. Libere ambulabat. Hebr. בא ויצא, *ingrediebatur & egrediebatur*, id eſt liber erat: recte noſter Interpres Hebraiſmum explicavit. Id etiam ipſum ſignificat, In medio populi, ut hic & IV. Reg. iv. 13. *In medio populi mei habito*; id eſt, libere vivo, non habeo ullam litem.

V. 8. Nolite decipere animas vestras; id eſt, nolite vobis falſo perſuadere, nolite eam falſam opinionem in animum inducere, ut dicatis Chaldæos eſſe diſceſſuros: aut nolite cum periculo vitæ veſtræ errare, ut infra xlii. 20. Euntes abibunt; id eſt, omnino abibunt, ita ut non amplius redeant. Notus eſt Hebraiſmus.

V. 11. Et divideret in possessionem. Quæ ſibi fortaſſe obvenerat hereditate, vel, ut alii dicunt, ut poſſeſſionem caperet eius agri, quem emerat ab Hananeel, ſupra xxxii. 9. & ſic ab illo ſepararet: vel, ut Ionathas interpretatur, ut divideret poſſeſſionem, quam habebat in Anathoth Beniamin urbe ſua inter filios ſuos; eodemque modo exponit R. Salom. Sed nuſquam eum filios habuiſſe legimus, & Hieronymus virginem fuiſſe contendit: להלק משם בתוך העם; quod alii interpretantur, *ut ſe inde ſubduceret ex medio populi*, vel, *cum populo*, qui ſoluta obſidione turmatim egrediebatur. Sicut in obſidione Troiæ poeta deſcripſit:

Panduntur portæ, iuvat ire, & Dorica caſtra,
Deſertoſque videre locos.

Ad eundem ferme modum R. David interpretatur. Sept. diverſo ſenſu, τοῦ ἀγοράσαι ἐκεῖθεν ἐν μέσῳ τοῦ λαοῦ, *Ut emeres inde* (aliquid) *in medio populi*, id eſt in mercatu.

V. 12. Custos portae per vices; id eſt, qui per vices ſuas mutari ſolebat, qui vice tunc ſua portam cuſtodiebat. Heb. בעל פקדת, *dominus præfecturæ*; id eſt, dux qui cuſtodibus portæ præerat. Porta autem Beniamin appellabatur, ut ait R. David, una ex portis Ieruſalem, vel quod in tribu Beniamin ſita eſſet, vel quod illac ad Beniamin iretur: ſicut ſolent portæ urbis ex iis locis nomen habere, quo per eas itur.

V. 15. Itaque ingressus: כי בא, alii, *Ingreſſus enim eſt*, ut ſit quaſi parentheſis, qua ratio reddatur, cur ante domum Ionathan carcerem appellaſſet. Alii, *Cum ingreſſus fuiſſet, ibique manſiſſet diebus multis*. Et sedit, id eſt habitavit, *manſit*, ישב.

V. 16. Putasne est sermo a Domino; id eſt, revelavitne tibi Dominus vere, quod contra hanc civitatem hactenus prædixiſti. Aut, eſtne aliquid novi, quod tibi Dominus dixerit? *Eſt*, ſcilicet quod ſequitur, In manus regis Babylonis traderis. Aut, Sermo, quem hactenus prædixi, a Domino erat, & præterea hic, quem nunc addo, futurum, ut tradaris in manus Regis Babylonis.

V. 18. Ubi sunt; id eſt, non ſunt Prophetæ, appareant, & probent ſe eſſe Prophetas: phraſis non ſolum Hebræis, ſed Latinis etiam uſitata, ut Deut. xxxii. 37. *Ubi ſunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam*: & Pſal. lxxviii. 10. & Pſal. cxiii. 10. *Ne quando dicant Gentes, ubi eſt Deus eorum?* quaſi dicat: Ex eventu ipſo cognoſcere poteſtis veſtros Prophetas eſſe mentitos: prædixerant enim Regem Babylonis non eſſe venturum, quem videtis iam veniſſe.

V. 19. Valeat deprecatio mea. Hebr. תפל, *cadat oratio mea in conſpectu tuo*. Hebraiſmus, pro, ſine te a me exorari,

ctene, an secus hoc a Sedechia factum sit, si quæratur, nemo dubitabit dicere, quin recte, & sancte hoc factum fuerit, quod sancti Prophetæ preces & interpellationem pro se, & regno suo suppliciter petierit; quamvis in eo peccaverit, quod non simul monitis sancti prophetæ obtemperaverit. Si recte factum; nulla ergo in illis verbis continetur iniuria, nec Dei, nec Christi mediatoris. Vanum ergo est, & calumniosum, quod Hæretici dicunt, nostras preces, quibus ad sanctos cum Christo regnantes dicimus, *Sancte Petre, S. Paule, orate pro nobis*, continere iniuriam mediatoris; cum nihil aliud dicamus, quam quod hic dictum est ad Ieremiam. Fatendum est ergo, Sanctos ita esse intercessores, ut nihilominus verum etiam maneat, quod Apostolus ait, I. Tim. II. *Unus est mediator Dei & hominum homo Christus Iesus*. Vide plenius II. Machab. xv. ubi Ieremias etiam defunctus pro populo orat.

V. 4. IGITUR EXERCITUS PHARAONIS EGRESSUS EST DE AEGYPTO, ET AUDIENTES CHALDAEI, RECESSERUNT AB IERUSALEM. Et mox vers. 6. HAEC DICIT DOMINUS, ET REDIENT CHALDAEI, ET BELLABUNT CONTRA CIVITATEM HANC, ET CAPIENT EAM. Per hoc moraliter significatur, diabolum interdum ad tempus a tentatione cessare, sed sæpe post aliquantum temporis intervallum, maioribus viribus animam hominis oppugnare, quæ nisi singulari gratia Dei præmunita fuerit, & diligenti custodia se observet, in laqueos diaboli incidat, & fiant secundum Evangelium sæpe posteriora hominis illius, peiora prioribus.

MARIANAE.

Vers. 1. ET REGNAVIT REX SEDECIAS. Consultus Ieremias, an Babylonii, qui soluta obsidione ibant contra AEgyptios, redituri essent, respondet redituros. Coniicitur in carcerem. QUEM, scilicet Sedeciam constituit Regem Babylonius.

V. 4. LIBERE AMBULABAT, scilicet Ieremias. Hebr. *ingrediens & egrediens in medio populi*: perinde est, Hieronymus sententiam expressit. NON ENIM MISERANT EUM IN CUSTODIAM CARCERIS. Heb. *domum carceris*. RECESSERUNT Chaldæi: sic.

Chald.

Chald. Hebr. *ascenderunt ad Ierusalem:* sic Sept. sed *ascenderunt*, pro, abierunt, scilicet contra AEgyptios.

V. 7. ET REDIENT CHALDAEI; pro, redibunt.

V. 8. NOLITE DECIPERE ANIMAS VESTRAS, id est vos ipsos. Plerumque homines sibi ipsis assentantur, credunt quod cupiunt. EUNTES ABIBUNT, id est omnino abibunt Chaldæi: sic Iudæi putabant.

V. 9. VULNERATI, transverberati, transfixi, si aliqui manserint e Babyloniis. Verbum דקר *dakar*, *transverberare* significat. SINGULI. Hebr. *quisque consurgent*. Nam *quisque* collectivum est, & iungitur plurali. Hyperbole. Consurgent illi pauci?, & comburent Ierusalem. Post hæc Ieremias vult in patriam ire.

V. 11. ET DIVIDERET IBI POSSESSIONEM IN CONSPECTU CIVIUM. Hebr. *ut divideret inde in medio populi*. Quæ verba possunt intelligi, ut Hieronymus expressit. Chald. *ut divideret hæreditatem filiis suis*. At plerique e nostris, & Hieronymus I. contra Iovinianum, Ieremiam virginem faciunt. Alii, *ut divideret se inde*, id est se subtraheret ab ea urbe, ubi male eius verba accipiebant. *In medio populi*, id est a medio populi, ubi versabatur, se subtraheret. Nec desunt qui verbum חלק *halak* sumentes in significatione *leniendi* explicent: Ut se inde (pro, ibi) in patria oblectaret, laxaret animum. In medio populi, id est inter suos, quippe & negotio & obsidionis malis oppido fessus erat.

V. 12. AD PORTAM BENIAMIN. Sic dicta, quod ea iretur ad oppida tribus Beniamin. CUSTOS PORTAE PER VICES. Heb. *dominus præfecturæ*, id est custodiæ eius portæ perfectus, dixit Ieremiæ. PROFUGIS, aut *dilaberis*.

V. 14. IPSE ENIM PRAEPOSITUS ERAT SUPER CARCEREM. Hebr. *nam ipsam* (domum) *fecerant domum carceris*: sic Hebr. sic Sept. & Chald. Itaque illud pronomen אתו *otho* non referunt ad Ionathan, sed ad domum eius, quam in carcerem conformarent.

V. 15. INGRESSUS EST IEREMIAS IN DOMUM LACI. Hebr. *in domum putei*. Multi carceres forma putei sunt. Is puteus cisterna erat. Hebr. *bor.* ET IN EAGASTULUM. Hebr. *& in hospitia*. Chald. *& in medium tabernarum*. Ante ibi tabernæ erant rerum venalium, aut hospitia: sed mutato quamvis usu, retinet nomen vetus. SEDIT, sive *habitavit*: mansit ibi diebus multis.

V. 16. EST SERMO A DOMINO? id est, num aliquid denuo tibi de statu rerum revelavit? Id rogat Sedecias. Respondet Ieremias:

V. 18. UBI SUNT PROPHETAE VESTRI; quasi dicat, Veniant. Res ipsa illos mendacii arguit.

V. 19. VALEAT DEPRECATIO MEA. Hebr. *cadat deprecatio mea:* sine te exorari. Qua forma loquendi cap. superiori vers. 7. usus est. ET NE ME REMITTAS IN DOMUM IONATHAN. Carcer is, ubi catenus fuerat, sævus erat, quippe forma & nomine puteus.

V. 20. PRAECEPIT ERGO REX SEDECIAS UT TRADERETUR. Hebr. *& commendaverunt*, sive *posuerunt*. IN VESTIBULO CARCERIS. Kimhi, *in carcere, quod erat in vestibulo*, scilicet Regiæ: de quo cap. XXXII. 2. & cap. XXXIII. vers. 1. quibus locis hoc ille modo explicat, & constructionem inversam esse ait. ET DARETUR EI TORTA PANIS QUOTIDIE, EXCEPTO PULMENTO; scilicet quod dabatur etiam illi. Heb. *ex platea pistorum.* scilicet empta torta dabatur. Chald. *de vico pistorum*. Sept. *de foris*, *ubi panes faciunt*; nihil hi de pulmento: חוץ *huz* & *foris* significat & *plateam*: אפה *opheh* etiam & *pistorem* & *coctionem* significat. Inde variæ interpretationis occasio. Ad hæc Hieronymus מחוץ *mihuz* putavit significare *præter*. Ita intellexit *præter coctiones*, quod explicuit illis verbis, *excepto pulmento*; scilicet iussit Rex ut daretur torta.

MALVENDAE.

Vers. 1. ET REGNAVIT REX SEDECIAS, &c. Quidam: *Postea regnavit Tzidkiia*, &c. Vide in II. Regum XXIV. 17. & sequentibus. Duo hæc capita perpetuam historiam continent, quomodo Iirmeia exceptus fuerit Ieruschalaimis toto regis Tzidkiiæ tempore.

V. 3. ET MISIT REX SEDECIAS, &c. Alii: *Miserat quidem rex Tzidkiia*; id est, rex quidem ipse primum facilis esse visus est, & Deum serio accedere; usque ad vers. 11. sed evanuit totum illud speciosum studium præterito metu, & aulicis improbe

in

que & regnum Iudæorum per Chaldæos everſum iri.

V. 8 QUIA NON ABIBUNT: vel, *nam non ſunt abituri*, videlicet, omnino ita ut dicitis: nam abiverunt quidem, infra verſ. 11. ſed paulo poſt redintegrarunt obſidionem cœptam.

V. 9. SED ETSI PERCUSSERITIS, &c. Hunc verſum alii ex Heb. reddunt: *Quin ſi percuteretis omnes copias Chaldæorum oppugnantium vos, & reliqui eſſent ex eis homines transfixi; quiſque in tentorio ſuo exurgerent, & comburerent civitatem hanc igne.* Amplificatio per hypotheſin hyperbolicam, qua oſtendit etiamſi Chaldæi circumvenirentur, (ut adhibitis Ægyptiis facturum ſe Tzidkiia providebat) nihil tamen ex eo effecturum iri.

V. 11. ET DIVIDERET IBI POSSESSIONEM IN CONSPECTU CIVIUM. Diverſimode alii ex Hebr. I. *ut lubrificaret ſe inde in medio populi*, id eſt ut more rei lubricæ, quæ manibus teneri non poteſt, elaberetur e Ieruſalaimis permixtus turbæ egredienti, & illinc ſe proriperet; quaſi dicat: Cum ſoluta obſidione multi proficiſcerentur rus, conatus eſt Ieremias per mediam turbam illinc ſe proripere. II. *ad labendum inde in medio populi*; id eſt, Biniaminitarum, & tribulium ſuorum, in agros ſuos & poſſeſſiones obſidione ſoluta redeuntium. III. *ut divideret ſeipſum*, ſive *ut ſegregaret ſe inde, quia erat in medio populi*; vel, *quo ſe illic ſegregaret de medio populi*. Nolebat enim manere in populo, ne coniiceretur in carcerem. IV. Forſterus; *ad diſpertiendum inde in medio populi*, partem inde auferendi de agro, partem vero relinquendi amicis pro opera ſua. V. poſſis reddere: *ad levificandum ſe*, vel *blandiendum ſibi in medio populi*; id eſt, ut egreſſus Ieruſalaim, & rediens in ſolum patrium, ibi ſe inter ſuos reficeret ac recrearet ſeu refocillaret a laboribus obſidionis. In infinito חלק *chaliek* eliſa eſt littera *He* character coniugationis Hiphil, nam ſcribendum fuerat החלק *hachalik*, quidam putant factum euphoniæ cauſa. Sed ego, ut clancularìam & diſſimulatam ſubductionem ſeu dilapſum, vel modicam & exiguam refocillationem Ieremiæ, quam captabat, indicaret.

V. 12. AD PORTAM BINIAMIN. Hebræi ſic dictam volunt, vel quod in ſorte Binia-

niaminis esset, vel quod per eam iretur in sortem Biniaminis: de qua vide II. Reg. XIV. 13. & infra cap. XXXVIII. 7. AD CHALDAEOS PROFUGIS. Alii: *Ad Chaldæos tu deficis*. Quorum potentiam magnifice propheta prædicaverat: sic impius iste perfide dissimulans odium prophetiarum, perfidiæ & transfugii Iirmeiam criminatur: ut solent homines improbi, qui honeste videri volunt procurare turpia.

V. 13. ET RESPONDIT IEREMIAS: FALSUM EST, &c. Alii hunc versum ex Heb. reddunt: I. *Dicebat ergo Ieremias: Mendacium est, ego nequaquam ad Chaldæos deficere volui: at ille nolebat eum audire, sed prehensum Ieremiam adduxit Ierias ad Principes*. II. *Cui dixit Iirmeia, Falsum est, minime deficio ad Chaldæos: non tamen auscultavit ei; sed prehendit Ireia Iirmeiam, & adduxit ad principes*.

V. 14. EUM MISERUNT IN CARCEREM. Alii: *& posuerunt eum in domo*, seu *in loco vinculi*, seu *in vinculis*. IN DOMO IONATHAN SCRIBAE, IPSE ENIM PRAEPOSITUS ERAT SUPER CARCEREM. Heb. *in domo Iehonathanis scribæ, quia eum*, vel *eam fecerunt in domum coercitionis*. Alii: I. *domum Iehonatanis scribæ, ipsam enim fecerant domum carceris*. II. *in domo Iehonathanis scribæ, nam eam apparaverant pro carcere*. III. *in domo Iehonathanis scribæ, hunc enim præfecerant carceri*. IV. Forsterus: *quoniam illum præfecerunt domui carceris*.

V. 15. ITAQUE INGRESSUS EST IEREMIAS IN DOMUM LACI. Alii, *in domum*, seu *locum foveæ, cisternæ, putei*, seu *laci*; id est, *in foveam illam*. Hispanicus Interpres: *en la casa de la mazmora, o del fosso*. Vatablus: *in locum horrendæ foveæ & atræ*. ET IN ERGASTULUM. חנֻיות *chanuvioth*, varie exponunt. I. Sanctes, *& in locum ubi manebant detenti*. II. Vatablus, *& in ergastula*, sive *hospitiola*; seu *ad cellulas ubi detinebantur vincti*. Hispanicus interpres; *y en las camarillas dela prison*. III. Mercerus: *& ad mansiones, habitacula, hospitia, diversoria. Ceterum*, inquit, *in Haruch inveni chanvioth dictum fuisse locum in monte templi extra cellam iudiciariam, quam appellant* לשכה הגזית *lischcah hagazith, id est, cellam seu cubiculum exciso lapide constructum*. Ad eum plane modum quo Tullianum, de quo Salustius in coniuratione Catilinæ, cap. LV. & Latomiæ Syracusanæ, de quibus Cicero Lib. V. in Verrem, Oratione X. & Seneca de consolatione ad Mariam, cap. XVII. IV. Marinus: *& ad castrametationes*, vinctorum scilicet, ubi vincti manebant. V. Avenarius: *& ad mansiunculas*, id est ad ergastula, vel ad cellulas in quibus detinebantur vincti. VI. Leo Iudæ: *& in profundissimas mansiunculas*. VII. Tremellius, Iunius, Buxtorfius: *& in cellulas illius*, id est, de alia in aliam circumducentes reclusissent eum in penitissima, ubi vix fontes, nisi perduelles, collocabantur. VIII. Schindlerus secutus Chaldæos, & nonnullos Hebræorum: *& ad Tabernas* seu *apothecas*. Ante carcerem erant tabernæ, in quibus custodes desidebant, & hospites erant. IX. *& ad officinas*, ubi varia opera fiunt. X. Forsterus singulare facit חניות *chaniioth*, vel חניות *chaniiuth*, *ad depositionem, repositionem* exponit: *in domum laci & repositionis*, id est ubi positi erant custodes, vel ubi reposuerunt eum. Nos reddidimus ex nativa verbi significatione: *& ad desidentias*, seu *residentias*, id est, ad turmam, agmen, globum, cohortem militum excubantium. Hispanice, *al cuerpo de guardia*.

V. 18. ET UBI SUNT PROPHETAE VESTRI, &c. Exponunt, quasi dicat: Age, si placet, compareant illi, ut prophetiarum comparatione apud æquos iudices audita innotescat veritas: nam spiritus prophetarum sunt prophetis subditi I. Corinth. XIV. 32. Ad hoc autem postulatum reticente rege, Iirmeia saltem sibi petit de æquiori loco prospici, si negligitur causa veritatis. Sed videntur hæc verba insultantis in pseudoprophetas, detecta eorum faude & falsitate, reversis denuo Chaldæis post profligatum AEgyptium, ad obsidionem verbi.

V. 19. VALEAT DEPRECATIO MEA IN CONSPECTU TUO. Alii: I. *Cadat, quæso, deprecatio mea in conspectu tuo*; id est, sine impetrem quæ peto, sine te exorem. Posternere orationem, vel facere cadere orationem, est humiliter supplicare. II. *Procidat iam deprecatio mea coram te*, vel *Procido iam deprecans te*: vide supra cap. XXXVI. 7.

V. 20. PRAECEPIT ERGO REX, &c. Hunc versum alii ex Heb. transferunt: *Quamobrem præcepit rex Tzidkiia ut deponerent*, seu *committerent Iirmeiam in atrium custodiæ*,

flagellis. Scribae. Vide superiori cap. num. 12.

V. 15. In domum laci: in carcerem tenebricosum, fœtidum, cœnosum, similem lacui, foveæ, aut sepulcro. Ergastulum. Ergastulum proprie est officina ubi servi compediti opus faciebant; inde accipitur pro carcere, & custodia. Sedit, id est habitavit: sic superiori cap. num. 22.

V. 16. Putasne est sermo a Domino? id est, revelavit ne tibi Dominus vere quod contra hanc civitatem hactenus prædixisti? vel sensus est: Habes ne aliquid novi quod tibi Dominus dixerit? Est: scilicet, quod sequitur, in manu regis Babylonis traderis, &c. Vel sensus est, Sermo quem hactenus prædixi, a Domino erat, ut etiam quæ nunc addo; scilicet futurum ut tradaris in manus Regis Babylonis.

V. 18. Ubi sunt, &c. quasi dicat: Satis ex eventu intelligere potestis vestros prophetas esse mentitos; prædixerant enim Regem Babylonis non esse venturum, quem videtis iam venisse.

V. 19. Valeat deprecatio mea; id est, sine te a me exorari, aquiesce precibus meis.

V. 20. In vestibulo carceris: qui carcer commodior erat, & salubrior. Torta panis; id est, panis rotundus, & orbicularis, quæ dicitur torta, quod esset in orbem contorta. Excepto pulmento, id est præter pulmentum, sive obsonium, quod etiam illi dari voluit. Mansit in vestibulo carceris: usque ad expugnationem urbis.

T I R I N I.

Vers. 8. Nolite decipere animas vestras, id est nolite vobis ipsis imponere, dicentes: Euntes abibunt Chaldaei; id est, omnino & ex integro abibunt, non iterum reversuri. Quin & adeo fixum Deo est, Ierosolymam exscindere, ut licet Chaldæi ab AEgyptiis, vel a vobis cæderentur, ita ut vix pauci cædem evaderent, iisque graviter saucii; Deus tamen vel per hos paucos saucios universa vestra agmina prosterneret ac contereret, urbemque vestram flammis absumeret: ita Sanchez. Soluta obsidione, egreditur urbe Ieremias.

V. 11. Ut divideret possessionem non

cum

cum filiis suis, ut vult Chaldæus: nullos enim liberos habuit, sed virgo *a* permansit Ieremias; sed cum fratribus aliisve propinquis suis. Et hanc forte prætexuit causam fugæ suæ ex urbe sibi adeo infesta, & mox peritura: ita fere S. Thomas, Lyranus & Dionysius.

V. 12. Sed fugientem APPREHENDIT IERIAS, nepos HANANIAE, cui mortem supra *b* intentavit Ieremias. Et hac occasione avum hic ulcisci voluit nepos: ita R. Salomon, Lyranus & a Lapide.

V. 14. Tradit ergo eum *principibus*, qui CAESUM pugnis vel flagellis, ut Rabanus, S. Thomas & Lyranus, volunt, MISERUNT EUM IN CARCEREM, seu, ut sequitur,

V. 15. IN DOMUM LACI: quia enim profundus erat carcer, & tenebricosus, fœtidus ac cœnosus, merito vocari poterat *lacus* vel fovea. Sic Ioseph *c* dicitur *descendisse in foveam*, & Daniel *d* *proiectus in lacum leonum*. A Christo vocatur carcer *tenebræ e exteriores*, id est locus extreme tenebricosus. Hic quoque vocatur ERGASTULUM, id est operatorius locus, quia in carcere cogebantur ut plurimum vincti, maxime si servi essent, molere, pinsere, vel aliis modis operari. Porro hanc foveam seu lacum Ieremiæ multis post seculis insigni templo a Constantino Imp. exornatum fuisse, scribit Nicephorus *f*. Est hæc tertia Ieremiæ incarceratio. Prima citatur cap. XX. 2. Altera cap. XXXII. 3. & cap. XXXVI. 5. Tertia hic & cap. XXXII. 3. Sed mox eductum ex hoc lacu iubet

V. 20. REX SEDECIAS asservari IN VESTIBULO, id est in atrio, CARCERIS, seu in aula anteriori, ubi quasi in libera custodia degeret, & facile ab omnibus adiri posset. Hic etiam emit agrum ab Hanameel patruele suo, cap. XXXII. 3. Hic datur ei quotidie TORTA PANIS; Hebraice, *kickar*, id est rotundus & quasi in orbem contortus panis. Pinsebatur is ut stata forma, ita etiam stata quantitate & pondere: v. g. unius vel alterius libræ. Simili modo *talentum*, quia stato erat pondere & forma orbiculari, *kickar* ab Hebræis vocatur. *Pulmentum* quoque, id est obsonium, iussit rex adiici tortæ pani Ieremiæ, etiam extrema fame urbem depascente; Deo singulari sua providentia curante annonam servo suo.

(a) Præfat. & cap. XVI. vers. 2.
(b) Ierem. XXVIII. 16.
(c) Sap. X. vers. 13.
(d) Dan. XVI.
(e) Mich. XXV. 30.
(f) Niceph. Lib. VIII. cap. XXX.

GORDONI.

Verf. 9. Conditionalis hæc vera dat exempla scientiæ conditionatæ.

V. 15. Ter missus est Ieremias; primum, cap. XX. 2. deinde cap. XXIII. 3. denique tertio ut hic notatum est.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Verf. 9. Declarat certissimum esse excidium, quod denunciat.

Verf. 11. Incertum quæ sit hæc possessio.

Verf. 12. IERIAS: filius Hananiæ vocatur, sed nepotes filii vocantur. Vir Ieremiæ infensus.

Verf. 15. Domus laci carcer est. ERGASTULUM, officina ubi, ut in triremibus, captivi opera faciebant.

Verf. 16. EST, traderis.



CAPUT XXXVIII.

emias principibus a rege traditus mittitur in lacum lutosum: unde iussu regis per Abdemelech eductus in vestibulum carceris, suadet regi ut egrediatur ad Chaldæos, dioqui nec ipse eos effugiet, & civitas ab eis igne succendetur: iubet quoque rex Ieremiæ ut hoc colloquium servet secretum.



Udivit autem Saphatias filius Mathan, & Gedelias filius Phassur, & Iuchal filius Selemiæ, & Phassur filius Melchiæ, sermones, quos Ieremias loquebatur ad omnem populum, dicens: 2 Hæc dicit Dominus: (*a*) Quicumque manserit in civitate hac, morietur gladio, & fame, & peste: qui autem profugerit ad Chaldæos, vivet, & erit anima eius sospes & vivens. 3. Hæc dicit Dominus: Tradendo tradetur civitas hæc in manu exercitus regis Babylonis, & ca-
eam. 4. Et dixerunt principes regi: Rogamus ut occidatur homo iste: de
stria enim dissolvit manus virorum bellantium, qui remanserunt in civitate
& manus universi populi, loquens ad eos iuxta verba hæc: siquidem ho-
iste non quærit pacem populo huic, sed malum. 5. Et dixit rex Sedecias:
ipse in manibus vestris est: nec enim fas est regem vobis quidquam ne-
. 6. Tulerunt ergo Ieremiam, & proiecerunt eum in lacum Melchiæ filii
'ech, qui erat in vestibulo carceris: * & submiserunt Ieremiam funibus in
, in quo non erat aqua, sed lutum: descendit itaque Ieremias in cœnum.
idivit autem Abdemelech Æthiops vir eunuchus, qui erat in domo regis
misissent Ieremiam in lacum: porro rex sedebat in porta Beniamin. 8.
ressus est Abdemelech de domo regis, & locutus est ad regem, dicens:
omine mi rex, malefecerunt viri isti omnia quæcumque perpetrarunt con-
remiam prophetam, mittentes eum in lacum ut moriatur ibi fame, non
nim panes ultra in civitate. 10. Præcepit itaque rex Abdemelech Æthio-
cens: Tolle tecum hinc triginta viros, & leva Ieremiam prophetam de
ntequam moriatur. 11. Assumptis ergo Abdemelech secum viris, ingres-
domum regis, quæ erat sub cellario: & tulit inde veteres pannos, * &
a quæ computruerant, & submisit ea ad Ieremiam in lacum per funicu-
2. Dixitque Abdemelech Æthiops ad Ieremiam: Pone veteres pannos, &
issa & putrida, sub cubitu manuum tuarum, & super funes: fecit ergo
is sic. 13. Ex extraxerunt Ieremiam funibus, & eduxerunt eum de lacu:
autem Ieremias in vestibulo carceris. 14. Et misit rex Sedecias, & tulit
eremiam prophetam ad ostium tertium, quod erat in domo Domini: &
x ad Ieremiam: Interrogo ego te sermonem, ne abscondas a me ali-
5. Dixit autem Ieremias ad Sedeciam: Si annuntiavero tibi, numquid
erficies me? & si consilium dedero tibi, non me audies. 16. Iuravit er-
Sedecias Ieremiæ clam, dicens: Vivit Dominus, qui fecit nobis animam
i occidero te, & si tradidero te in manus virorum istorum, qui quæ-
imam tuam. 17. Et dixit Ieremias ad Sedeciam: Hæc dicit Dominus

exer-

exercituum Deus Israel: Si profectus exieris ad principes regis Babylonis, vivet anima tua, & civitas hæc non succendetur igni: & salvus eris tu, & domus tua. 18. Si autem non exieris ad principes regis Babylonis, tradetur civitas hæc in manus Chaldæorum, & succendent eam igni: & tu non effugies de manu eorum. 19. Et dixit rex Sedecias ad Ieremiam: Solicitus sum propter Iudæos, qui transfugerunt ad Chaldæos: ne forte tradar in manus eorum, & illudant mihi. 20. Respondit autem Ieremias: Non te tradent: audi quæso vocem Domini, quam ego loquor ad te, & bene tibi erit, & vivet anima tua. 21. Quod si nolueris egredi: iste est sermo, quem ostendit mihi Dominus: 22. Ecce omnes mulieres, quæ remanserunt in domo regis Iuda, educentur ad principes regis Babylonis: & ipsæ dicent: Seduxerunt te, & prævaluerunt adversum te viri pacifici tui, demerserunt in cœno & in lubrico pedes tuos, & recesserunt a te. 23. Et omnes uxores tuæ, & filii tui educentur ad Chaldæos: & non effugies manus eorum, sed in manu regis Babylonis capieris: & civitatem hanc comburet igni. 24. Dixit ergo Sedecias ad Ieremiam: Nullus sciat verba hæc, & non morieris. 25. Si autem audierint principes quia locutus sum tecum, & venerint ad te, & dixerint tibi: Indica nobis quid locutus sis cum rege, ne celes nos, & non te interficiemus: & quid locutus est tecum rex: 26. Dices ad eos: Prostravi ego preces meas coram rege, ne me reduci iuberet in domum Ionathan, & ibi morerer. 27. Venerunt ergo omnes principes ad Ieremiam, & interrogaverunt eum: & locutus est eis, iuxta omnia verba quæ præceperat ei rex, & cessaverunt ab eo: nihil enim fuerat auditum. 28. Mansit vero Ieremias in vestibulo carceris, usque ad diem quo capta est Ierusalem: & factum est ut caperetur Ierusalem.

(a) Sup. XXI. 9.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 6. Et submiserunt Ieremiam funibus in in lacum in quo non erat aqua. Non præponas præpositionem *in* nomini *funibus*, nec coniunctionem *&* nomini *lacum*, accusativo mutato in ablativum, sublatoque eo quod sequitur *in quo: Et in lacu non erat aqua*. Prior enim lectio, & certior & clarior est.

Vers. 11. Et antiqua quæ computruerant. Adiectivo *antiqua* non addas substantivum *vestimenta*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 2. ET ERIT ANIMA EIUS SOSPES, ET VIVENS: והיתה־לו נפשו לשלל, *& erit anima illi in spolium*: id est, pro magno ducet, quod vitam suam servaverit, dedens se hostibus. Similis Hebraismus supra XXI. 9. *Et erit ei anima sua quasi spolium*, & infra cap. sequenti vers. 18. & cap. XLV. 5. Nam spolia, quæ vi ab hostibus eripimus, in magno habemus pretio. Sic illud exposuimus ad Philipp. II. 6. *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*; id est, non magni fecit, quia natura & iure suo, non raptu, æqualitatem Dei habebat. Ad eundem fere modum R. David. R. vero Salom. quemadmodum spolium, quod ab hostibus sibi ereptum pecunia redemisset.

V. 4. DE INDUSTRIA ENIM. Heb. כי על כן, *quia*

SUB CELLARIO. תחת האוצר, *sub thesauro*, ad verbum, id eſt, in eam partem domus, quæ ſub penu erat, ubi ſcruta erant, & panni uſu conſumpti ad tergenda vaſa.

V. 12. SUB CUBITO: & מתחת SUBTER FUNES, *ne lædaris funibus*.

V. 13. IN VESTIBULO CARCERIS. In carcere, qui erat in veſtibulo, ut ſup. XXXII. 2. 12. & XXXIII. 1.

V. 14. AD OSTIUM TERTIUM: מבוא, *ad exitum*, aut introitum tertium templi. Erat regia iuxta templum, unaque templi porta portæ regiæ e regione reſpondebat, ut ea commode rex domo ſua in templum adiret, ut ait R. David: ea autem erat tertia templi porta, a porta, ut opinor, orientali numerando. Alii interpretantur tria fuiſſe templi atria, mulierum, virorum, & ſacerdotum. Ad atrium igitur ſacerdotum Regem cum Ieremia locutum. Alii e contrario tertium oſtium vocari putant, ad quod poterant homines etiam immundi accedere. Prima R. David interpretatio probabilior. Credibile enim eſt Prophetam ſignificare voluiſſe Regem ad locum ſibi commodiſſimum Ieremiam accerſiſſe. Sept. exiſtimarunt nomen Hebr. השלישי, *tertia*, eſſe proprium: itaque illud integrum reliquerunt, εἰς οἰκίαν ἀσαλισιὴλ.

V. 16. QUI FECIT NOBIS ANIMAM HANC; id eſt, qui nobis vitalem ſpiritum dedit. Qui dat *ſalutem populo, qui eſt ſuper eam, & ſpiritum calcantibus eam*, ſcilicet terram, ut ait Iſai. XLII. 5. quaſi dicat, Non tollam a te animam, quam Deus tibi dedit. Non ſeparabo quæ Deus coniunxit. Alludit ad locum illum Geneſ. cap. II. 7. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem eius ſpiraculum vitæ*.

V. 19. SOLICITUS SUM: דאג, *timeo Iudæos*. Sept. λόγον ἔχω τῶν Ἰουδαίων, *Rationem habeo Iudæorum*. NE FORTE TRADAR: פן יתנו אתי בידם, *ne forte tradant me* IN MANUS EORUM. Chaldæi, *in manus Iudæorum*, ut R. David interpretatur. Magis enim Iudæorum quam Chaldæorum opprobria verebatur. Noſter Interpr. ut ambiguitatem tolleret, optime reddidit, *ne forte tradar in manus eorum*.

V. 22. OMNES MULIERES, QUAE REMANSERUNT IN DOMO REGIS IUDA, id eſt Ioachin. Cum enim Ioachin eum matre ſua ſe regi Chaldæorum dedidiſſet, ut

ſcri-

scribitur Lib. IV. Reg. XXIV. 12. multæ mulieres inferioris conditionis in domo Regis remanserunt, ut R. David interpretatur: quæ ipsæ quoque eductæ sunt postea capta urbe tempore Sedeciæ, ut dicitur cap. sequenti vers. 9. EDUCENTUR: מוצאות, *eductæ sunt*. Noster Interpres alium sensum videtur exprimere voluisse. Mulieres, quæ hactenus remanserunt in domo Regis, id est in domo tua, ut loquatur de secunda persona per tertiam, quæ nondum ad Chaldæos sponte confugerunt, (ut significet aliquas iam confugisse) vi educentur, & irridebunt te, dicentes quod sequitur, SEDUXERUNT TE, ET PRAEVALUERUNT, id est persuaserunt tibi. VIRI PACIFICI TUI, id est familiares, & amici tui; pseudoprophetæ, & principes qui illis credebant, ut exponunt R. Salomon. & R. David. Hebr. אנשי שלמך, *viri pacis tuæ*, id est, qui tibi pacem iactabunde pollicebantur, qui tibi dicebant, *Pax, pax, cum non esset pax*, supra IV. 10. & VI. 14. & VIII. 11. & XXIII. 17. Homo pacis tuæ, in quo sperasti, qui edebat panes tuos, magnificavit super te supplantationem, Psal. XL. 10. DEMERSERUNT IN COENO; id est, cum te in periculum coniecerint, deserent te. Sicut Galli dicunt, *ils te laisseront dans la bourbe*.

V. 23. ET CIVITATEM HANC COMBURET IGNI. Hebr. תשרף, *combures;* id est, in causa eris, ut comburatur, ut R. David, & R. Salomon explicant. Noster autem Interpres, etsi active reddidit, videtur passive legisse תשרף, *& civitas hæc comburetur igni;* quemadmodum Sept. & Chaldæus Paraphrastes transtulerunt: sensusque videtur mihi melior, & minus coactus; sic enim loqui solet Propheta.

V. 24. VERBA HAEC, quæ mihi dixisti; quasi dicat: Ne indices hæc in vulgus, ne populus perterreatur; quod si feceris, non occidam te.

V. 26. PROSTRAVI EGO PRECES MEAS: מפיל אני, *cadere feci precationem meam in conspectu regis;* id est, exoravi regem, aut supplex me orabundus ad pedes Regis abieci. Hebraismus, qualem sup. explicavimus cap. XXXVI. 7. & cap. XXXVII. 19. ET IBI MORERER. Hebraismus etiam est, pro, ne ibi morerer: qualis ille notissimus Psal. XXVII. 1. *Nequando taceas a me, & assimilabor descendentibus in lacum*; id est, ne similis sim descendentibus in lacum; quamquam hoc loco est למות, *ad moriendum ibi*, id est ne moriar ibi.

V. 27. IUXTA OMNIA VERBA. Credendum est Ieremiam rogasse Regem, (quamvis hoc loco non dicatur) ne se mitteret in carcerem Ionathæ, sicut rogaverat cap. præcedenti vers. 19. itaque non est mentitus. ET CESSAVERUNT AB EO: interrogando. Destiterunt eum rogare. Hebr. ויחרשו ממנו *tacuerunt ab eo*, id est reliquerunt illum. Hebraismus, ut ille Psalm. XXVII. 1. *Ne taceas a me*, id est ne derelinquas me: & Psalm. LXXXII. 2. *Ne taceas, neque compescaris Deus*, id est ne me deseras, nec te subtrahas: & Psalm. XXXVIII. 3. *Humiliatus sum, & silui a bonis;* id est, longe discessi, non fui particeps bonorum, quamquam Hebræi aliter.

V. 28. USQUE AD DIEM QUO CAPTA EST; id est, usque ad diem nonam mensis quarti anni undecimi regni Sedeciæ, ut dicitur cap. sequenti vers. 2.

S A.

Vers. 1. POPULUM, scilicet qui ad eum conveniebat in carcerem publicum.

V. 4. PRINCIPES, scilicet prædicti.

V. 5. FAS EST. Hebr. & Chald. *possum*.

V. 6. LACUM, id est foveam, seu antrum. VESTIBULO. Chald. & LXX. *atrio*.

V. 11. CELLARIO. Hebr. *thesauro*.

V. 12. MANUM, id est brachiorum.

V. 14. OSTIUM, scilicet atrii templi, per quod Rex ingredi solebat.

V. 16. ANIMAM, &c. pro, animas nostras.

V. 22. REGIS IUDA, scilicet Ioachin, qui & Iechonias. DICENT, scilicet tibi; quasi dicat, Mulieres te reprehendent. PACIFICI, id est familiares. COENO. Chald. *confusione*.

V. 27. AUDITUM, scilicet de actis cum Rege.

ESTII.

e contra magna sæpe pericula, potius cum Ieremia tunc nihil temere loquatur.

V. 24. 25. & 26. Dixit ergo Sedecias ad Ieremiam: Nullus sciat verba haec, et non morieris. Si autem audierint principes, dices ad eos: Prostravi ego preces meas coram rege. Ex his verbis & adiunctis, discimus, aliud esse celare veritatem, aliud dicere mendacium; & hoc quidem semper illicitum esse; illud autem licitum & concessum. Ieremias enim interrogatus a principibus, quid cum eo locutus esset rex, respondit, rogasse se regem, ne reduceretur in lacum. Id autem etiam eum petiisse satis ex toto colloquio intelligitur. Ceterum de consilio deditionis faciendæ prudenter tacuit. Simili scilicet prudentia, Abraham cum peregrinaretur cum Sara uxore sua, ne eius causa interficeretur, interrogatus de ea, sororem esse dixit, uxorem tacuit. Et Samuel I. Reg. xvi. veniens in Bethlehem, ut ungeret regem David, dicebat: *Ad sacrificandum Domino veni*. Id dixit quod verum erat, & tuto dici poterat: alterum autem, quod sine periculo proloqui non potuisset, tacuit.

MARIANAE.

Vers. 1. Audivit. Ieremias a Principibus mittitur in lacum, inde eductus a Rege, in mitiorem carcerem transfertur.

V. 2. Erit anima eius sospes, id est vitam retinebit. Hebr. *& erit anima eius in spolium* (id est in lucrum, id lucrabitur) *& vivet*, qui scilicet fugerit ad Chaldæos. Id dicebat Ieremias. Quid Principes? Petunt a Rege ut occidatur.

V. 4. De industria. Hebr. *quia propterea* (id est per istum modum.) Dissoluit manus, id est debilitat Ieremias vires militum. Non quaerit pacem, id est bonum. Per pacem Hebræi intelligunt bonorum copiam, felicitatem. Quid Rex? Annuit.

V. 5. Nec enim fas est regem vobis quidquam negare. Hebr. *quia non Rex potest vobiscum verbum*, id est aliquid contra id quod vultis decernere.

V. 6. In lacum. Hebr. *in puteum*, in quem funibus demittunt Prophetam. Puteus is cisterna erat: id proprie בור *bor* signi-

significat. QUI ERAT IN VESTIBULO CARCERIS, aut *in carcere vestibuli*, scilicet Regiæ, ut superiori cap. vers. 20. in eo etiam carcere erat puteus, in quem noxii præcipui mittebantur. DESCENDIT ITAQUE, &c. Hebr. *& submersus est Ieremias in luto*.

V. 7. ABDEMELECH vox significat *servum Regis*: sic Chald. *& audivit servus Regis*, id est aulicus. Sed plerique putant esse nomen proprium. EUNUCHUS. Aut quia castratus, aut *Princeps unus ex optimatibus*, ut vertit Chald. Verum de ea voce plura aliis locis. REX SEDEBAT. Sic omnes vertunt; sed forte verti posset, *habitabat in porta Beniamin*: nam ad portas solent esse arces, ubi Reges habitare possunt. Ergo Regi loquitur Abdemelech.

V. 9. UT MORIATUR IBI. Hebr. *& morietur sub se*, id est in loco illo, ubi positus est. *Sub se* Hebr. sæpe significat *in loco suo*. FAME. Hebr. *a facie famis*, id est propter famem. Quid Rex?

V. 10. TOLLE TECUM. Hebr. *tolle in manu tua*, id est imperio: duc tu triginta viros.

V. 11. DOMUM REGIS, QUAE ERAT SUB CELLARIO. Domus Regis non erat sub cellario: ergo ingressus est eam partem domus Regis, quæ erat sub cellario, id est prope cellarium. Hebr. apertius: *Ingressus est domum Regis sub thesauro*. Forte sub eo] loco, ubi thesaurus, locus erat subterraneus, in quem vestes laceras proiiciebant: sic Sept. *Intravit domum Regis ad subterraneum*.

V. 12. SUB CUBITU MANUUM TUARUM. Hebr. *sub axillis manuum tuarum*, id est brachiorum tuorum. ET SUPER FUNES. Hebr. *& subter funibus*: sed utraque lectio consona est: nam funes super pannos erant, si corpus respicias; & sub eis, si locum. Inter axillas & funes panni erant, ne a funibus Ieremias vexaretur.

V. 14. AD OSTIUM TERTIUM, sive *introitum tertium*. Quod esset id ostium, divinare non attinet. Quidam putant illud fuisse, quod Regiæ ostio respondebat, per quod Rex veniebat in templum. Sed quare *tertium* vocaretur, non explicant. Ego atrii alicuius ostium crediderim: nam in Sanctuario unum tantum ostium Orientem versus fuisse crediderim. Rex rogat Ieremiam, ut futura nuntiet. Ille se excusat.

V. 15. SI ANNUNTIAVERO TIBI; pro, etiamsi annuntiavero tibi, an non interficies me? id est utique interficies.

V. 16. QUI FECIT NOBIS ANIMAM HANC, id est dat nobis vitam & animam. Rex iurat non permissurum ut Ieremias occidatur.

V. 17. VIVET ANIMA TUA, id est tu vives. ET SALVUS ERIS TU. Hebr. *vives tu, & domus tua*, id est familia tua, o Rex, si te tradideris Chaldæis.

V. 19. SOLICITUS SUM. Hebr. *timeo Iudæos transfugas*. NE FORTE TRADAR IN MANUS EORUM, scilicet Iudæorum. ET ILLUDANT MIHI, me scilicet occidendo cum ignominia. Timeat multos, quem multi timent: & hunc Regem subditos exacerbasse tributis aut sævitia crediderim. Et est ignavia crudelis. Quid Ieremias?

V. 22. ECCE OMNES MULIERES; scilicet aut ex familia Regis Ioachin, cum ivit in Babylonem, aut ex tua familia. QUAE REMANSERUNT; pro, remanserint. EDUCENTUR. Hebr. *educta sunt*; pro, educentur ad Principes Babylonios, ut scilicet eis abutantur. ET IPSAE DICENT. Tu times opprobria virorum, quod peius est, mulieres insultabunt, & dicent: SEDUXERUNT TE, fecerunt ut in varia mala præceps ires. VIRI PACIFICI TUI. Hebr. *viri pacis tuæ*; id est, tibi familiares intimi, aut qui tibi pacem pollicebantur, neque venturos hostes, falsi prophetæ.

V. 23. ET CIVITATEM HANC COMBURET IGNI, scilicet Rex Babylonius. Sept. & Chald. *Civitas hæc comburetur*. Nimirum pro תשרוף *thisroph*, ipsi legerunt תשרף *thisareph*, id est *incendetur*. At ut nunc est, significat *incendes*; scilicet tu, o Rex, tua obstinatione eris combustionis causa: sic Hebræi explicant.

V. 24. VERBA HAEC, scilicet quæ mihi dixisti, nemo sciat. ET NON MORIERIS; quasi dicat: Si secus feceris, & cuiquam hæc revelaveris, occidam te.

V. 26. PROSTRAVI EGO PRECES MEAS. Hebr. *cadere ego feci precem meam*, id est ad pedes Regis me precabundus abieci. Oravit ne eum reduceret in domum Ionathan. ET IBI MORERER, Hebr. *ad moriendum ibi*, id est ex quo mors mea sequeretur, si me mitteret in domum Ionathan.

V. 27. ET CESSAVERUNT AB EO, scilicet Principes a Ieremia rogare aliquid amplius.

tentes Iirmeiam funibus: in fovea autem illa nulla erat aqua, sed lutum, adeo ut immergeretur Iirmeia luto. Hæc, inquiunt, verba, *qui erat in atrio custodiæ*, de industria transposuimus, ut emploce Hebraici contextus illustris esset. Hic autem ars nefaria aulicorum observanda est, qui hominem addictum morti clam tollendum putant, & carcere (qui ex omni iure ad custodiam, non ad supplicium constitutus est) pro supplicio abutuntur. Communiter tamen ex ordine Hebraicorum verborum existimant, cisternam illam fuisse in atrio ipso custodiæ. FILII AMELECH. Hebr. *Hamelech*. Plerique nomen proprium, alii appellativum faciunt, exponuntque: *filii regis*, ut supra cap. XXXVI. 26. sic infra vers. 11. DESCENDITQUE IEREMIAS IN COENUM. Hebr. *& demersus, infixus fuit Iirmeia in luto*. Iosephus: *Ille vero usque ad collum mersus ibi manebat*.

V. 7. AEDEMELECH AEthiops. Heb. עבד מלך *Ghebed-Melech:* sonat *Servus Regis*; de quo infra cap. XXXIX. 16. VIR EUNUCHUS. Alii: *vir aulicus*. Vide in Genes. XXXVII. 36. IN PORTA BENIAMIN: de qua supra cap. XXXVII. 17. Quidam exponunt: Id est in publico iudicio, ubi principes alii non audebant cum propheta experiri iure.

V. 9. MITTENTES EUM IN LACUM, UT MORIATUR IBI FAME, NON SUNT ENIM PANES ULTRA IN CIVITATE. Alii: I. *nempe quod coniecerunt eum in lacum, morietur enim eodem loci fame, cum nullus supersit panis in urbe*. II. *eo quod coniecerunt eum in istam foveam, qui moriturus fuerat in loco suo propter famem, quia nihil est panis amplius in hac civitate*. Id est, debebat illis fuisse satis, quo Iirmeia communi hac fame erat moriturus, in ipso atrio custodiæ, ubi ante erat, nec fuerat acceleranda mors illius novo illo diro & infami carcere cisternæ. UT MORIATUR. Hebr. *& mortuus est ibi:* utitur præterito, ob commiserandi affectum; quasi dicat: Adeo teter & exitialis est carcer, ut iam iam moriturus sit, & fere iam pro mortuo sit habendus, nempe cœno immersus. IBI. Hebr. *sub se*, vel *subtus se*. Alii: *in loco ipso*, cœnosæ cisternæ. Nonnulli: *in loco suo*, id est in atrio custodiæ, ubi locum & alimentum eius Tzidkiia constituerat, supra cap. XXXVII. 21.

V. 10.

V. 10. Tolle tecum hinc triginta viros. Hebr. *Cape in manu tua hinc triginta viros*. Alii: I. *Sume ad manum tuam hinc triginta homines*. II. *Accipe pro arbitrio tuo hinc triginta homines*; id est, ut tibi visum fuerit, quasi manu deligere eos.

V. 11. Ingressus est domum regis. Hebr. *& venit in domum Hamelech*, subaudi, in domum Malchiiæ filii Hamelechi, de quo supra vers. 6. Alii appellative, *venit in domum regis*, ubi erat fovea Malciiæ filii regis, de qua supra vers. 6. Quae erat sub cellario. Alii ex Heb. I. *ad locum, qui erat sub thesauro*, vel *sub penu*. II. *in locum subiacentem ærario*. Hispanicus Interpres: *al lugar debaxo la thesoreria*. Et tulit inde veteres pannos, et antiqua quae computruerant. Varie alii ex Hebr. I. Sanctes: *& tulit inde veterationes, vetera putridorum*, vel *tractorum, distractorum* per pavimenta & sterquilinia; id est, pannos veteres, putridos, distractos, dilaceratos quorum non est usus nisi ad extergendas sordes pavimentorum, aut qui in sterquilinia abiiciuntur: hispanice vocamus, *andraios*: *& veterationes*, seu *vetera corruptorum*, seu *devastatorum*, aut *consumptorum*; id est, pannos veteres corruptos, devastatos, consumptos. II. Vatablus: *sumptisque illinc pannis laceris & corruptis*, vel *pannis tractionum & corruptionum*, id est pannis veteribus per humum nullo ordine sparsis, putridis, consumptis: vel *& accepit inde vetera tractionum & vetera consumptionum*; id est, pannos veteres pedibus calcantium huc illuc tractos, sparsos, & disiectos: & pannos veteres putridos, laceros, & corruptos. III. Leo Iuda: *sumptis isthic laceris pannis, & vetustate consumptis ac detritis*. IV. Forsterus, & Marinus: *& accepit inde vetera distractionum, & vetera putridorum*, id est pannos veteres ac putridos; vel *& tulit inde pannos detractos*, aut *vetustates pannorum, vetustate resolutorum, & corruptorum*. V. Mercerus: *& accepit inde veteramenta tractionum*, seu *distractionum*, vel *tractorum* seu *distractorum*, id est lacernas, & detritos, laceros, & abiectos pannos: *& veteramenta resolutorum*; id est, pannos vetustate resolutos, & detritos seu corruptos. VI. Avenarius: *& accepit inde pannos distractionum*, id est *distractos*, vel *vetustates pannorum, & laceras vestes*; vel *& accepit inde vestes laceras & vetustate attritas*. VII. Schindlerus: *& accepit inde pannos, inveteratos tractarum, & pannos inveteratos corruptarum*, scilicet vestium; id est, frusta veteris panni, quæ hinc inde in terra trahuntur raptantur & computrescunt. VIII. Tremellius, Iunius, Buxtorfius: *unde sumpsit veteramenta abiectorum*, seu *abiecta*: *veteramenta inquam, evanidorum*, seu *evanida*. Sic versu sequente. Hispanicus Interpres: *y tomo de alli trapos viejos trahidos, y pannos viejos rotos*.

V. 14. Ad ostium. Hebr. *ad introitum*, seu *ingressum, tertium, qui erat in domo* Ihuh. Hebræi exponunt: Id est ad portam tertiam, quæ erat ex portis templi tertia a porta præcipua & orientali, respiciens regiam, per illam enim ex regia ingrediebantur in templum. Quidam vocem שלישי *schelischi, tertia*, hic accipiunt ex significato שליש *schalisch, dux, princeps*, Exod. xiv. 7. redduntque: *ad ingressum principalem, qui erat ad domum Iehovæ*; id est, versus ascensum illum repagulis munitum, de quo I. Reg. x. 5. & 12. Est autem, inquiunt, Hebræa vox ambigua, quæ modo significat tertium ordine, modo ducalem (ut ita dicamus) sive ad duces pertinentem: quos Hebræi vocant *tertios* a rege communi appellatione. Interrogo ego te sermonem, ne abscondas a me aliquid. Alii: I. *Ego interrogabo te quiddam, ne ergo celes a me quidquam*. II. *Peto ego abs te verbum, ne celato me illud*.

V. 15. Dixit autem Ieremias ad Sedeciam: Si annuntiavero tibi, &c. Sensum huius versus ita concipiunt: Etiamsi dixero tibi veritatem, curabis me interficiendum: præterea tu non credes mihi. Quidam reddunt: Respondit autem Iirmeia Tzidkiiæ: *Si exposuero tibi* quod petis, *an non certissime me occides? & si consilium dedero tibi, non obtemperabis mihi*. Alii: *Dicente autem Iirmeia Tzidkiiæ, Si indicem tibi, an non certe, omnino, morte afficies me? & si consulam tibi, an non auscultabis mihi?* His verbis annuit quidem Iirmeia se verbum Dei prolaturum esse, prius tamen stipulatur duo: unum vitam sibi servari, quod rex spondet, sequente versu; alterum, consilium suum accipi, cui rex non respondet: nam hæ interrogationes non semper affirmant apud He-

dæi irruperint Ierufchalaima, & Tzidkiia fe in fugam vertet: nam illæ continuo oblatæ funt principibus, ut quæftio de confiliis & factis Tzikiiæ haberetur: *quamvis* dicant illæ, *Incitaviffe te & prævaluiffe tibi viros pacem colentes tecum*; id eft, crimen totum defectionis a Chaldæis in confiliarios tuos & fœderatos exteros transferant, ad excufandum te: *demerfos effe in cæno pedes tuos, averfos retrorfum*; id eft, per illos effectum effe, ut in hanc malorum abyffum devenires, & a Chaldæis deficeres. Ex hoc verfu fatis intelligitur aliorum potius quam fuo confilio Tzidkiiam defeciffe a Chaldæis, neque ipfum per fe a confiliis deditionis abhorruiffe, fed impulfum a principibus, quorum non penitus potens erat, ut etiam fequentia indicant. Tantum malum eft principes, peffimos habere confiliarios!

V. 23. Et omnes uxores tuae, &c. Alii ex Hebr. hunc verfum exponunt: I. *Omnes quoque uxores tuas & filios tuos educent ad Chaldæos, neque tu liberaberis a manu eorum: manu enim Babylonii regis capieris, & urbem hanc igne incendes*; id eft, auctor & caufa eris ut urbs incendatur a Chaldæis. II. *Tamen e manu eorum, qui omnes uxores tuas, filiofque tuos deducent ad Chaldæos, tu quoque non eripies te: fed manu regis Babyloniæ prehenderis, & civitas hæc comburetur igne.*

V. 24. Nullus sciat verba heac, et non morieris. Alii: *Quifquam nefciat verba ifta, ita non morieris.*

V. 26. Dices ad eos: Prostravi ego preces meas coram rege, &c. Alii I. *Dices ad eos: Ego cadere feci orationem meam coram rege*; id eft, fudi preces ad regem. II. *Dices ad eos: Ego fupplex procubui orans in confpectu regis*, &c. III. *Tum dices eis: Procidit deprecatio mea coram rege*, vel *procidens ego deprecatus fum coram rege*, &c. ut fupra cap. xxxvi. 7. & xxxvii. 19. Hoc confilium neque præcepit rex, neque Iirmeia fequitur falfo: nam in ipfo principio fermonis ultro citroque habiti caveri fibi Iirmeia poftulaverat, ne aut morte afficeretur a rege, aut adverfariis traderetur; & & rex viciffim fpoponderat, fupra verf. 16. Iam vero partem fermonis explicat, partemque reticet, quam exponi principibus futurum fuiffet inutile & damnofum. Alii volunt, hoc expreffe oraviffe, quamvis non

fit

sit hic scriptum: ut diserte ante etiam oraverat cap. XXXVII. 19. NE ME REDUCI IUBERET IN DOMUM IONATHAN, ET IBI MORERER. Alii: *ut non fineret me redire in domum Iehonathanis ad moriendum ibi*; id est, non pateretur me trudi in molestiorem carcerem, quam sit atrium custodiæ, sive domum Iehonathanis, de qua cap. XXXVII. 15. sive Malciiæ, de qua supra vers. 6. Synecdoche.

V. 27. ET CESSAVERUNT AB EO. Heb. *& siluerunt ab eo*. Quidam: *sic silentes abstinuerunt ab eo*; id est, acquieverunt ut Iirmeia consisteret in atrio custodiæ: observantes fortasse dum novam criminandi occasionem possent arripere. NIHIL ENIM FUERAT AUDITUM. Alii: *cum non fuisset auditum verbum illud*, reliquum, quod fuerat habitum cum rege.

V. 28. ET FACTUM EST UT CAPERETUR IERUSALEM. Alii: *ubi erat cum caperentur Ierusch alaima*.

MENOCHII.

Vers. 2. ERIT ANIMA EIUS SOSPES, ipse erit sospes, & a morte liberabitur.

V. 4. DISSOLVIT MANUS: dissolvit animos, & vires civium, ut arma abiiciant, eo quod prophetet Chaldæos prævalituros. NON QUAERIT PACEM POPULO HUIC: non est solicitus de prospero statu civitatis, sed potius hæc verba in vulgus iactans, malum eius quærit.

V. 5. NEC ENIM FAS EST, &c. Adulatio est regis suorum principum opera indigentis. LXX. habent ὅτι οὐκ ἠδύνατο βασιλεὺς πρὸς αὐτούς, *Quia non poterat eis rex resistere*. DESCENDIT IN COENUM: demersus est: usurpare poterat illud Davidicum, *Infixus sum in limo profundi*, Psal. LXVIII. 2.

V. 7. EUNUCHUS, id est aulicus. Chald. *vir magnus*, unde principibus se opposuit, & Ieremiam liberavit. Hinc mercedem a Deo tulit, ut paulo post audiret a Ieremia se in clade urbis incolumem evasurum cap. XXXIX. 16. cum ceteri aulici tunc fuerint occisi, ut patet capite sequenti num. 6. UT MORIATUR IBI: scilicet in lacu; nam facile ibi negligetur cura illius, cum fuerit ab oculis subductus in tanta annonæ caritate, præsertim cum proceres eius mortem optent.

V. 10. TOLLE TECUM TRIGINTA VIROS, &c. ad propulsandam vim procerum, si opus fuerit. QUAE ERAT SUB CELLARIO: in ea parte domus, quæ erat sub penu, ubi scruta erant, & panni usu consumpti ad tergenda vasa.

V. 12. SUB CUBITU MANUUM, &c. sub axillis, & cubito, & circa funes, quibus debebat inniti, ne ab eis læderetur, nam nudus, vel seminudus in lacum fuerat demissus.

V. 13. IN VESTIBULO CARCERIS: in carcere, qui erat in vestibulo, ut supra capite XXXII. 2. & XXXIII. 1. fuit autem ibi vinctus manibus, & pedibus usque ad excidium urbis: hisce enim capta iam urbe eum exsolvit Nabuzardan cap. XL. 4.

V. 14. AD OSTIUM TERTIUM, id est portam tertiam templi, quæ regiæ respondebat, qua scilicet rex e regia in templum intrabat. INTERROGO EGO TE SERMONEM. Quis fuerit regis sermo, tacetur, sed ex responsione Ieremiæ patet fuisse hunc: capieturne Ierusalem & ego a Chaldæis?

V. 16. QUI FECIT NOBIS ANIMAM HANC, id est qui nobis vitalem spiritum dedit. SI OCCIDERO TE; id est, non te occidam, & si fecero, hæc & hæc mala congerat Deus in caput meum. VIRORUM ISTORUM: proceres intelligit, quorum factione in lacum fuerat demissus. Perinde enim erat sive rex per se ipsum occideret Ieremiam, sive per suos.

V. 17. AD PRINCIPES REGIS BABYLONIS: significatur hoc tempore adfuisse regem ipsum, qui fortasse Tyrum excurrerat, quam obsidebat, aut Babylonem.

V. 19. QUI TRANSFUGERUNT AD CHALDAEOS: ex privata aliqua in regem offensione.

V. 22. QUAE REMANSERUNT, &c. significat plerosque iam peste, vel fame periisse. SEDUXERUNT TE, ET PRAEVALUERUNT, id est persuaserunt tibi. VIRI PACIFICI TUI, id est familiares, & amici tui. Pseudoprophetæ, & principes, qui illis credebant, & tibi pacem, & prospera pollicebantur, dicentes: *Pax, pax, &c. Homo pacis tuæ in quo sperasti, qui edebat panes tuos, magnificavit super te supplantationem.* Psalm.

principes pessime faciunt occidendo eum, a quo spes salutis affulget.

V. 11. CELLARIUM hic penu vocatur, ubi scruta, veteresque servorum vestes & panni exoleti adservabantur; his enim opus erat ad Ieremiam, qui pene nudus in lacum deiectus erat, sine læsione extrahendum. Tropologice, peccator in lacum perditionis prolapsus, ex eo propriis viribus exsurgere nequit, sed funibus divinæ gratiæ, & molli adiuvantium manu educendus atque extrahendus est, inquit S. Gregorius & Bacharius *e*.

V. 14. OSTIUM TERTIUM vocatur tertia templi porta, quæ palatio regio respondebat, qua scilicet rex e sua regia in templum ascendebat, inquit Rabbi David, Vatablus & Maldonatus. Hic rex *interrogat* Ieremiam, capiendane sit urbs & rex ipse a Chaldæis? Respondet Ieremias,

V. 17. & 18. non capiendum si ultro se dederit. Ex quo loco, & pluribus *f* aliis, constat Deum certo prænosse omnia futura libera, non solum absoluta, sed & conditionata, etiam quæ deficiente conditione numquam eventura sint, sed evenirent si talis conditio poneretur, uti fuse docent Molina, Vasquez, Lessius & galii Theologi.

V. 22. OMNES MULIERES de gynæceo, seu tuo, seu nepotis tui Ioachin, reliquæ in aula tua, simulatque eductæ fuerint ad principes regis Babylonis insurgent in te iam captivum, & subsannantes atque irridentes DICENT: Egregium sane te regem, qui tam stolide passus es tibi imponi a tuis, ne amicitia potius quam armis concertares cum Chaldæis. Ecce in quod *cœnum*, in quas sordes, in quas miserias *te* nunc DEMERSERUNT PACIFICI TUI, id est qui paci & prosperitati tuæ studere debebant. Ipsi suis adulationibus seduxerunt te, dicentes omnia secura fore ac prospera: & tu passus es *prævalere* perversum illorum consilium ADVERSUM TE. Ecce, te nunc in luto hærente, ipsi RECESSERUNT A TE. Metaphora est desumpta a cæcis, quibus ægerrime accidit cum a pravis ductoribus e via recta & commoda seducuntur in lubricam & cœnosam viam, & mox in puteum vel fossam delapsi, fugientibus illis, emergere nequeunt inquit Delrio *b*; quasi dicat: Tu o Sedecia, stul-

to-

to pavore detineris quo minus te dedas Chaldæis, nempe times te risui futurum viris exprobraturis tibi quod amicitiam cum Chaldæis non melius colueris. Ast ego, ni te dedideris, prædico, te risui futurum etiam omnibus mulieribus idipsum ibi longe acrius exprobraturis.

(a) Ioseph. Lib. X. Antiq. cap. x.
(b) Abulens. in cap. xxv. Matth. quæst. 558.
(c) Ps. xxxix. 3. Psa. lxxxvii. 7. Zach. ix. 11.
(d) Genes. xxxvii. 26. & hic xxix. 2.
(e) Gregor. XXV. Moral. cap. viii. Bachar. ep. ad Iaxuarium de iapsis.
(f) Hic. vers. 19. & 20. & I. Reg. xxiii. 11. & Matth. xi. 21.
(g) Molina in 1. p. de scientia Dei. Vasq. I. p. disp. lxvii. cap. iii. & I. II. quæst. lxxvii. a. 2. Less. de Attributis divinis cap. de scientia Dei.
(h) Delrio adagio 866.

GORDONI.

Vers. 17. & 18. EN locum ex quo recte colligitur Deum cognoscere futura libera, etiam conditionata, seu numquam eventura. Salva, inquit, urbs erit, si te tradideris, quod tamen non fecit, idem vers. 19.

V. 19. Timere se dicit rex, ne si dedat se Chaldæis, tradant eum Chaldæi transfugis, qui illi illudent; en aliud exemplum de futuris conditionatis; respondit enim Ieremias, NON TRADENT.

V. 21. Nota geminum exemplum conditionatæ scientiæ.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 13. IN VESTIBULO CARCERIS. In carcere, ad vestibulum carceris, ubi mansit victus usque ad captam urbem, quando liberatus est a Chaldæis infra XL. 4.

Vers. 14. OSTIUM TERTIUM: porta templi tertia, qua venitur a Regis domo in templum.

Vers. 22. PACIFICI, familiares tui.



CA-

CAPUT XXXIX.

Ierusalem a rege Babylonis capta, rex Sedecias fugiens capitur una cum principibus; cuius filii in conspectu ipsius trucidantur cum nobilibus, ipseque exoculatur, ac vinctus in Babylonem ducitur: subverso autem muro Ierusalem, & palatio aliisque domibus igne succensis, pars vulgi transfertur in Babylonem, & pars Ierosolymis relinquitur; Ieremias vero de carceris vestibulo liber educitur.

1. ANno nono Sedeciæ regis Iuda, mense decimo, (a) venit Nabuchodonosor rex Babylonis, & omnis exercitus eius ad Ierusalem, & obsidebant eam. 2. Undecimo autem anno Sedeciæ, mense quarto, quinta mensis, aperta est civitas. 3. Et ingressi sunt omnes principes regis Babylonis, & sederunt in porta media: Neregel, Serefer, Semegarnabu, Sarsachim, Rabsares, Neregel, Serefer, Rebmag, & omnes reliqui principes regis Babylonis. 4. Cumque vidisset eos Sedecias rex Iuda, & omnes viri bellatores, fugerunt: & egressi sunt nocte de civitate per viam horti regis, & per portam, quæ erat inter duos muros, & egressi sunt ad viam deserti. 5. Persecutus est autem eos exercitus Chaldæorum: & comprehenderunt Sedeciam in campo solitudinis Ierichontinæ, & captum adduxerunt ad Nabuchodonosor regem Babylonis in Reblatha, quæ est in Terra Emath: & locutus est ad eum iudicia. 6. Et occidit rex Babylonis filios Sedeciæ in Reblatha, in oculis eius: & omnes nobiles Iuda occidit rex Babylonis. 7. Oculos quoque Sedeciæ eruit: & vinxit eum compedibus ut duceretur in Babylonem. 8. Domum quoque regis, & domum vulgi succenderunt Chaldæi igni, & murum Ierusalem subverterunt. 9. Et reliquias populi, qui remanserant in civitate, & perfugas, qui transfugerant ad eum, & superfluos vulgi, qui remanserant, transtulit Nabuzardan magister militum in Babylonem. 10. Et de plebe pauperum, qui nihil penitus habebant, dimisit Nabuzardan magister militum in Terra Iuda: & dedit eis vineas & cisternas in die illa. 11. Præceperat autem Nabuchodonosor rex Babylonis de Ieremia Nabuzardan magistro militum, dicens: 12. Tolle illum, & pone super eum oculos tuos, nihilque ei mali facias: sed, ut voluerit, sic facias ei. 13. Misit ergo Nabuzardan princeps militiæ, * & Nabusezban, & Rabsares, & Neregel, & Serefer, & Rebmag, & omnes optimates regis Babylonis, 14. miserunt, & tulerunt Ieremiam de vestibulo carceris, & tradiderunt eum Godoliæ filio Ahicam filii Saphan, ut intraret in domum, & habitaret in populo. 15. Ad Ieremiam autem factus fuerat sermo Domini, cum clausus esset in vestibulo carceris, dicens: 16. Vade, & dic Abdemelech Æthiopi, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Ecce ego inducam sermones meos super civitatem hanc in malum,

lum, & non in bonum: & erunt in conspectu tuo in die illa. 17. Et liberabo te in die illa, ait Dominus: & non traderis in manus virorum, quos tu formidas: Sed eruens liberabo te, & gladio non cades: sed erit tibi anima tua in salutem, quia in me habuisti fiduciam, ait Dominus.

(a) IV. Reg. xxv. 1. Inf. lii. 4.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

Vers. 13. *Et Nabusesban, & Rabsares*. Prius nomen non est distrahendum in duo *Nabu* & *Sesban* quod quidam faciunt: nec ultima illius littera est zeta, sed *n* liquida.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 2. QUINTA MENSIS. Sic legitur in multis exemplaribus; sed corrupte: nam pro, *Quinta*, *Nona* legi debet; & quia Hebraice est בתשעה, & quia Sept. ἐνάτῃ τοῦ μηνὸς, transtulerunt; & quia IV. Reg. xxv. 3. ubi narratur eadem historia, *in nona* legitur; & quia in veteribus Complutensibus exemplaribus editionis nostræ ita est, & quia veteres auctores ita legunt, Iosephus Lib. X. Antiq. cap. xi. Theod. in Comment. Quod autem dicitur IV. Reg. xxv. 8. mense quinto, die septima urbem fuisse incensam a Nabuzardam principe militiæ regis Babylonis, non repugnat. Prius enim capta fuit, & post unum mensem succensa. APERTA EST CIVITAS. הבקעה, *rupta est urbs*; id est, ruptus est murus urbis. Nonnulli primum versum huius capitis cum superiore coniungunt, prorsus sine causa.

V. 3. SEDERUNT IN PORTA MEDIA, id est occuparunt portam mediam; vel, posuerunt solium suum unusquisque in media porta urbis, ut R. David, & Salom. interpretantur. Portam autem mediam Hebræi vocari dicunt, ut illi ipsi auctores referunt, quæ inter duas portas erat, inter portam muri orientalem, & inter portam templi. Cingebatur enim urbs duobus muris, & penetraverant hostes usque ad portam secundi, quæ erat inter portam primi & portam templi.

V. 4. PER VIAM HORTI REGIS. Tradunt Hebræi, ut R. David, & R. Salomon in commentariis huius loci, fuisse speluncam quandam subterraneam, qua a domo Regis ad solitudinem Iericho transmeari poterat; atque per eam speluncam Sedeciam profugisse: divina autem providentia factum, ut servus quidam eadem via fugeret super terram, quem cum Chaldæi persequerentur, & ad finem speluncæ pervenissent, Sedeciam exeuntem vidisse. Sed hæc fabula cum Scriptura pugnat. Dicitur enim vers. sequenti, & IV. Reg. xxv. 5. *Persecutus est autem eos exercitus Chaldæorum*: non ergo cervum sed Sedeciam persequebantur. Verisimilius igitur est, Chaldæos ex iis, qui in civitate erant, quique regem fugientem viderant, aut ex transfugarum indicio id cognovisse, ut Iosephus ait Lib. X. Antiq. cap. xi. PER PORTAM QUAE ERAT INTER DUOS MUROS. Hortus Regis inter duos muros erat, perque portam horti Rex aufugit.

V. 5. SOLITUDINIS IERICHUNTINAE. Erat Iericho civitas in tribu Beniamin distans ab Ierusalem centum quinquaginta stadiis. ET LOCUTUS EST AD EUM IUDICIA; id est, Ostendit illi quam multa peccasset, aut aspere castigavit eum verbis, quod a se defecisset, quod pactum, & iusiurandum violasset, ut R. David, & R. Salomon dicunt: aut, pronuntiavit contra eum sententiam, quæ sequitur. Eadem phrasis IV. Reg. xxv. 6. & supra apud hunc ipsum Prophetam, cap. I. 16. & cap. IV. 12. & inf. cap. LII. 9.

V. 8. DOMUM QUOQUE REGIS. Non statim, sed uno interiecto mense, ut colligitur ex IV. Lib. Reg. xxv. 8. Nam antequam

V. 14. De vestibulo carceris: de carcere, qui erat in vestibulo regiæ, ut cap. xxxii. 8. & xxxvii. 20. & xxxviii. 13.
28. Ut intraret in domum Ahicam: להוצאתו אל הבית, *ut deduceret eum in domum* (suam.) Et habitaret in populo, id est ut liber esset: בתוך העם, *in medio populi*. Hebraismus est, pro libere agere, ut supra exemplis docuimus, cap. xxxvii. 4. & IV. Reg. iv. 13.

V. 16. Et erunt in conspectu tuo; id est, te inspectante evenient, & tu oculis tuis videbis.

V. 18. Sed erit tibi anima tua in salutem. Noster Interpres sententiam reddidit, non verba. Hebr. לשלל, *in spolium;* id est, eripies quasi spolium animam tuam, liberabis vitam tuam, pro magno duces, quod vivas. Hebraismum explicavimus supra xxi. 9. & xxxviii. 2. & infra iterum occurret xlv. 5.

S A.

Vers. 1. Nono. Sic Hebr. Chald. & LXX.

V. 2. Aperta. LXX. *diruta*. Chald. *perrupta*.

V. 4. Duos muros, scilicet horti. LXX. *murum*, & *antemurale*.

V. 5. Locutus, &c. id est obiurgavit acriter, scilicet ob violatum fœdus.

V. 7. Compedibus. Chald. *catenis æreis*.

V. 8. Domum vulgi. LXX. *domos populi*.

V. 9. Superfluos, id est reliquos. Remanserant, scilicet extra civitatem. Magister. Chald. & LXX. *princeps*. Militum. Hebr. *coquorum*, seu *laniorum*. LXX. *coquorum*. Chald. *occidentium*, scilicet milites, more coquorum, seu laniorum occidunt.

V. 10. Cisternas. Hebr. & LXX. *agros*.

V. 12. Pone, &c. quasi dicat, Fave illi, & benefac.

V. 14. Vestibulo. LXX. *atrio*, scilicet ex carcere atrii. Godoliae. Erat hic primarius vir, Iudæus, qui ad Chaldæos ante captam urbem transfugerat.

V. 16. Erunt, id est apparebunt; quasi dicat, Videbis oculis tuis.

V. 18. Salutem. Chald. *ereptionem*.

LXX.

LXX. *lucrum*. Hebr. *spolium*; quasi dicat, In tua potestate, seu salva.

ESTII.

Vers. 5. ET COMPREHENDERUNT SEDECIAM IN CAMPO SOLITUDINIS, ET CAPTUM ADDUXERUNT AD NABUCHODONOSOR, ET LOCUTUS EST AD EUM IUDICIA. In iudicio duo aguuntur; causa discutitur, & sententia pronuntiatur. Locutus est ergo iudicia, primo arguens eum de infidelitate & periurio; erat enim Sedecias a rege Babylonis constitutus post Iechoniam rex Iuda, accepto ab eo iureiurando subiectionis, & tributi praestandi; quod iusiurandum ab eo violatum fuit. Et hoc ad causae discussionem. Quantum vero ad alteram iudicii partem, iudicia cum eo locutus est Nabuchodonosor, quando, sententia lata, iussit primum filios eius, & proceres in conspectu eius trucidari, ac deinde oculos eius effodi, quo inutilis esset ad omnem in posterum rebellionem, & sic duci in Babylonem. Et notandum, quod phrasi Hebraea, loqui iudicia cum aliquo, est cum eo agere secundum rigorem iustitiae, ita ut nullus sit misericordiae locus. Vide etiam supra cap. x.

V. 16. VADE, ET DIC ABDEMELECH AETHIOPI. Et infra vers. 18. ERUENS LIBERABO TE, ET GLADIO NON CADES: SED ERIT TIBI ANIMA TUA IN SALUTEM, QUIA IN ME HABUISTI FIDUCIAM. En Dei providentiam circa Abdemelech, qui sanctum prophetam de lacu eduxerat, capite praecedenti: qui cum ceteri proceres regis trucidarentur, ipse Dei nutu ereptus est. Pro eo quod nos habemus: *Erit tibi anima tua in salutem*. Hebr. est *in praedam* seu spolium. Septuaginta habent, *in inventionem*; quasi dicat: Erit tamquam res fortuito inventa, quae perierat; & est sensus: Non incides in manus hostium, sed vitam servabis, idque praeter omnem spem, & expectationem, propter magnitudinem periculi in quo versaris: erat enim ipse ex principibus regis, quos omnes Nabuchodonosor neci specialiter destinabat. Vide eamdem phrasim etiam infra cap. XLV. ubi ad Baruch fit sermo.

MARIANAE.

Vers. 1. ANNO NONO capitur Ierusalem, Rex Sedecias fugit, comprehensus privatur luminibus, Ieremias liberatur. Anno nono Sedeciae obsidetur Ierusalem, capitur undecimo.

V. 2. MENSE QUARTO. Is est mensis *Tammuz*, Iunius. QUINTA MENSIS: lege, *nona mensis*, ut est Hebr. & ut vertunt Sept. & Chald. Tum IV. Regum XXV. 2. ponitur *nona dies*. Iosephus etiam Lib. X. Antiq. cap. XI. Praeterea in Complut. & Regiis, sic in Vulgata locus est restitutus. APERTA EST CIVITAS. Hebr. *rupta est civitas*; id est murus civitatis lapidibus e tormentis missis prostratus est.

V. 3. ET SEDERUNT IN PORTA MEDIA. Duobus muris cingebatur urbs, occupata prima porta, pervenerant ad secundam, quae *media* vocatur, quoniam erat inter primam portam & templum, quod arcis instar erat: sic aiunt: *Sederunt* ergo, id est, occuparunt eam portam. NEREGEL, &c. Omnia haec sunt Principum nomina; sed *Neregel* & *Serefer* repetuntur: sed sunt eisdem nominibus homines alii.

V. 4. FUGERUNT: ET EGRESSI SUNT NOCTE: defensione desperata, cum hostes ad interiora penetrassent. PER VIAM HORTI REGIS. Hortus ille inter duos muros erat, ut & porta, per quam sunt egressi. AD VIAM DESERTI, seu *per viam*. Sept. & Chald. *per viam campestrem*. Vox ערבה *harabah* & *planitiem* & *desertum* significat, aut potius *planitiem desertam*. Hebr. Schol. Hieron. pro ea voce vers. proximo dixit, *in campo solitudinis*.

V. 5. IN REBLATHA. Secesserat Nabuchodonosor eo, neque interfuit, cum Ierusalem est capta. IN TERRA EMATH. *Emath* postea Antiochia dicta est, Syriae caput Romanorum tempore, Tacitus Lib. XVIII. quae ad Orontem sita est non procul Damasco. ET LOCUTUS EST AD EUM IUDICIA. Ostendit in quibus peccasset. Tulit in eum sententiam.

V. 6. NOBILES IUDA. Hebr. *candidos*, id est nobiles. quia veste candida nobiles utebantur.

V. 7. ERUIT oculos. Hebr. *excaecavit*: sic Sept. & Chald. COMPEDIBUS. Hebr. *vinxit eum aeneis*, scilicet vinculis. Sep.

tua in spolium, id est lucrum, eam lucraberis, non secus ac spolium, quod capitur a militibus.

MALVENDAE.

Vers. 1. ANNO NONO SEDECIAE, &c. Hoc capite, inquiunt, continentur duo, narratio gravissimi iudicii contra Iudæos, & servati ex eo Iirmeiæ, usque ad vers. 15. & prophetia de Hebedmelecho servando, inde ad finem. De narratione vide in II. Reg. XXV.

V. 2. APERTA EST CIVITAS. Hebr. est verbum ex Hophal, quod II. Reg. XXV. 4. est ex Niphal: sed Hophal auget significatum: *ingenti ruptura perruptura est, discissa, diffissa, dissecta*. Vide Com. in eum locum.

V. 3. IN PORTA MEDIA. Alii: *in porta mediana*; id est, cum iam uno ex oppidis occupato, prope esset ut in alterum ingrederentur, ubi porta mediana erat, in mediano muro, qui alterum oppidum discernebat. Nonnulli Hebræorum portam mediam intelligunt, quæ media erat inter portam muri Orientalem, & portam templi. Cingebatur enim urbs duobus muris, & penetraverant iam hostes usque ad portam secundi, quæ erat inter portam orientalem primi, & portam templi: vide infra vers. 4. NEREGEL, SERESER, &c. Nos hæc omnia principum nomina totidem litteris, ut habentur Hebraice, expressimus: (*Nerghal, Saretzer, Samghar Nebu, Sarsechin, Rab-Saris, Nerghal, Saretzer, Rab-Magh.*) Tremellius, & Iunius aliter in hunc modum: *Nergal schareetzer, præfectus ærario sacro, Sarsecim præfectus aulicus, Nergal schareetzer, præfectus metationi castrorum. Qui hæc omnia nomina propria esse putant, falluntur sententia nostra, ut Hebraicæ distinctiones confirmant: adduntur enim propriis appellationibus officiorum nomina Babylonica, quæ nos ad evidentiam Latinis nominibus utcumque accommodavimus. Hi autem propterea nominantur, quod fuerant strenui, & inter primos ordines primi irruperunt in Ierusch alaima*. Hæc illi. Ergo סמגר נבו *sammegar nebu*, interpretantur *præfectum ærario sacro*, a סגר *saggar*, *claudere*, & נבו *nebu* vel נבו *nebo*, Deo Babyloniorum, de quo Isaiæ XLVI. 1. Ego potius exponerem, *Æditum Nebo*. Porro

רב סריס rab faris, *præfectum aulicum* vertunt, quod ipsissimæ voces Hebrææ significant, *magister*, seu *præfectus*, *eunuchus*, *aulicus*. רב מג rab mag vero, *præfectum castrametationi* reddunt. Sed qua lingua *mag* castrametationem significet, nondum assequi potui: vereor ne id sit divinare. Æque divinat Marinus, qui *mag* idem esse quod בג *bag* suspicatur, quod sint litteræ labiales, & eiusdem organi, quasi dicas, *præfectum annonæ*. נרגל *nergal* nomen est idoli Assyrii seu Babylonici, II. Reg XVII. 30. ut Babylonii sua nomina ex deorum suorum nominibus conflaverint, pluribus docet Scaliger Lib. VI. de Emendationibus Temporum pag. 541. & 542. sed neque significationes eorum satis ipse expedit. Duo tantum hic sunt nomina, quæ Hebraicam evidenter habent etymologiam, שראצר *saretzer*, *princeps thesauri*, seu *præfectus thesauro*, sive *ærario*, & רב סריס *rab-faris*, *magister aulicus*, seu *præfectus aulæ*: vide infra vers. 13. Et omnes reliqui principes regis Babylonis. Quidam ex Heb. *& totum reliquum principum*, vel *& omnes principes reliqui Regis Babyloniæ*. Sed accentus Hebraicus *Zakeph* non finit vocem שארית *scheerith*, esse in regimine; proinde nos reddidimus: *& omnis reliquia*, seu *omne residuum*, qui erant *principes regis Babyloniæ*.

V. 4. Per portam, quae erat inter duos muros. Exponunt: Id est per os cuniculi, qui erat in horto regis; qui ita factus erat, ut utrimque murum haberet, ut fit in fornicibus. Locus, inquiunt, melius intelligitur de cuniculo, cuius orificium, ne omnibus pateret, erat in horto regis: nam porta inter murum & antemurale sita, omnibus fuisset nota, nec rex ea potuisset effugere occupantibus omnia Chaldæis. Sed sunt meræ nugæ Hebræorum, nam rex fugit cum adhuc Chaldæi essent in porta mediana, & fugit noctu, & eum manus bellatorum comitabatur, ut scribitur II. Reg. XXV. 4. unde verisimilius est per pseudothyron, seu posticum muri, qui horto regio imminebat, evasisse: vide in II. Reg. XXV. 4.

V. 5. Persecutus est autem eos exercitus Chaldaeorum, &c. Vide de hoc versu in II. Reg. XXV. 5. & 6. De Reblahta autem in terra Emath, vide II. Reg. XXIII. 33.

V. 6. Et omnes nobiles Iuda occidit rex Babylonis. Alii: *etiam omnes clarissimos Iehudæ iugulavit rex Babyloniæ*; qui Tzidkiiæ auctores rebellionis fuisse putabantur, supra cap. XXXVIII. 22.

V. 7. Oculos quoque Sedeciae eruit, &c. Vide de hoc versu in II. Reg. XXV. 7.

V. 8. Domum quoque regis, &c. De hoc versu vide in II. Reg. XXV. 8. 9. & 10.

V. 9. Et reliquias populi, &c. Vide de hoc versu II. Reg. XXV. 11.

V. 10. Et de plebe pauperum, &c. Vide de hoc versu II. Reg. XXV. 12. Et cisternas. יגבים *ieghebim*, Forsterus, *fossata*, id est agros fossatos, vel cum fossis & rivulis ad irrigandum, vel effossos, & cultos. Mercerus, *effossa*: Sanctes, *agros*, Leo Iudæ, *arva*: Avenarius, *agros fossiles*, *arva fossilia*, quæ labore hominum & non aratro perfodiuntur.

V. 11. Praeceperat autem, &c. Hunc versum alii ex Hebr. exponunt: *Præceptum autem dederat Nebuchadretzar Rex Babyloniæ de Iirmeia, Nabuzar-adani præfecto satellitum, edicendo*.

V. 13. Et Nabusezban. Volunt hunc eundem esse qui supra vers. 3. dictus est *Sarsechim*. Et Rabsares. Hebr. abest coniunctio *&*, & tantum scribitur *Rabsaris*, putantque non proprium, sed appellativum nomen esse officii: *& Nebuschazzeban præfectus aulicus* ut supra vers. 3. Sed *Rabsaris* proprium nomen esse videtur II. Reg. XVIII. 17. Et omnes optimates regis Babylonis. רבים *rabbim*, proprie, *multi*, *magnates*, *optimates*, *principes*, *præfecti*, *magistri*; & Latini quidem magistros militum dicunt: & Virgilius IX. Æneidos:

Rectores iuvenum, & rerum dedit esse magistros.

V. 14. Et tradiderunt eum: ut narratur capite sequente. Godoliae filio Ahicam. Hebr. *ad Ghedaliam filium Achikami*, &c. quem præfecerat Iudæis rex Babyloniæ, II. Reg. XXV. 22. & sequentibus, & infra cap. XL. 5.

V. 15. Ad Ieremiam autem, &c. Hunc versum alii ex Hebr. reddunt: *Ad Iirmeiam autem fuerat verbum, cum esset detentus in atrio custodiæ, dicendo*:

V. 16. Vade, et dic Abdemelech Aethiopi, &c. Alii: *Abi, & alloquitor* He-

erpretatus non est: eorum significationem idere potes apud Corn. a Lapide, & apud iriam Montanum in interpretatione voum Hebraicarum.

V. 4. CUMQUE VIDISSET EOS, &c. Non am ingressos, sed iamiam ingressuros in rbem, ut patet ex IV. Reg. XXIV. 4. PER IAM HORTI, &c. Vide dicta IV. Reg. XV. 4. ubi hoc explicavimus, ut etiam roxime sequentia.

V. 9. SUPERFLUOS VULGI: inutilem, & mbellem multitudinem.

V. 10. CISTERNAS, id est agros, aut hortos, qui ex cisternis irrigari poterant. Ita Hebr. LXX. & alii: has enim Iudaei effodiebant, ut in iis aquam, cuius inopia aborabant, colligerent.

V. 12. PONE SUPER EUM OCULOS; id est, amice eum tracta, prospice illi, & cave, ne quid ei mali contingat.

V. 14. GODOLIAE. Erat hic vir primarius Iudaeus, qui ad Chaldaeos, ante captam urbem, iuxta monita Ieremiae, transfugerat; quare ab eis Iudaeae praepositus uit, sed mox a Iudaeis aemulis occisus est. UT INTRARET IN DOMUM, ET HABITARET IN POPULO: ut libere versaretur in medio populi, & domo sua.

V. 16. ABDEMELECH: qui liberavit Ieremiam e lacu cap. XXXVIII. 12. cuius misericordiae hic mercedem ab eo recepit. SERMONES MEOS: oracula mea de excidio Ierusalem. ERUNT IN CONSPECTU TUO; id est, te inspectante evenient, & tu oculis tuis videbis.

V. 18. ERIT TIBI ANIMA TUA IN SALUTEM: salva erit anima tua, id est vita tua.

T I R I N I.

Vers. 2. APERTA EST CIVITAS. IV. Reg. ult. (ubi pleraque huius capitis explicantur) legimus, *interrupta est civitas*, nempe crebris ictibus arietum hostilium, inquit Abulensis *a* & Vatabl.

V. 3. Porro *principes* Chaldaei SEDERUNT IN PORTA MEDIA: quae erat inter portam muri extimi urbis, & portam muri intimi, puta templi. Cingebatur enim urbs duobus muris, praeter murum templi. Penetrarant ergo iam Chaldaei per primum mu-

murum ad portam secundi muri: ita Maldonatus.

V. 8. DOMUS VULGI erat domus publica, qua celebrabantur publici ludi, nuptiæ, iaculationes, &c. inquit Adrich. & ex eo Sanchez & a Lapide.

V. 9. *Superflui* VULGI videntur hic vocari QUI REMANSERANT cladi superstites ex opificibus & aliis de plebe; *reliquiæ* vero POPULI, ex honestioribus civibus reliqui.

V. 10. MAGISTER MILITUM. LXX. ἀρχιμάγειρος, id est præfectus coquorum, seu præpositus culinæ regiæ, inquit Theodoretus. Hebræum *rab hattabbachim* proprie significat principem mactantium, quales sunt tam *milites*, quam *coci*. Et fieri potest, quod NABUZARDAN simul fuerit princeps militiæ, & præfectus coquinæ regiæ, quem vulgo *œconomum* vel *maiordomo* vocamus. Hic, pauperibus attribuit agros, vineas, hortos & cisternas divitum; ut messes inde & vindemias colligerent, & Chaldæis vectigal penderent. Inter hos *pauperes* fuisse *Rechabitas*, de quibus supra *b*, censet Comestor, & Abulensis ex Iosepho *c* & aliis.

V. 12. TOLLE IEREMIAM, de carcere, ET PONE SUPER EUM OCULOS TUOS; id est, invigila saluti illius, curam eius habe.

V. 14. TRADIDERUNT EUM GODOLIAE. Primarius hic erat inter Iudæos qui ante captam urbem ad Chaldæos transfugerant iuxta monita Ieremiæ, & in multis fuerat consilio suo utilis Chaldæis: & hoc nomine gratus Nabuchodonosori, toti Iudææ ab eo præpositus fuit quasi vicerex: sed ab æmulis Iudæis haud multo post perfide occisus *d*. Sub huius alis & protectione permittitur Ieremias libere *intrare* IN DOMUM suam & *habitare* ac conversari IN medio *populi*.

(a) Abulens. in IV. Reg. ult.
(b) Ierem. xxxv.
(c) Comestor in Hist. Scholast. Abulens. in IV Reg. ult. quæst. xix.
(d) Ierem. xli. 2.

GORDONI.

Vers. 1. ANNO NONO, &c. Duravit obsidio mensibus 18. a quo tempore usque ad captam civitatem hæsit Nabuchodonosor Epiphaniæ. Quæ urbs Syriæ peramœna est, qua perductus est Sedecias IV. Reg. xxv. Reblatha de qua hic vers. 5. est Syriæ provincia, in qua est Emath minor, ab antiocho Epiphane vocata Epiphania.

V. 14. Godolias hic ante captam urbem transfugerat ad Chaldæos, vir Iudæus & inter eos primarius: post captam urbem præficitur Iudææ a Chaldæis.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 2. QUINTA MENSIS. Passim in aliis editionibus legitur nona mensis, ut habent Græca, Hebr. & Chald. Immo hic infra cap. LII. notatur nona mensis. Et IV. Reg. xxv. 3. mendum esse hoc capite facile aliquis suspicabitur. Potius tamen dicendum cum Abulensi, quinto die eversum fuisse exteriorem urbis murum, & stetisse ibi Chaldæos usque ad diem nonum, quo fugit Sedecias tota urbe relicta. Vide Tostatum IV. Reg. xxv. quæst. v. Putatur hæc porta fuisse in muro, qui versus Aquilonem templum cingebat.

CA-



CAPUT LX.

niæ permittitur libere habitare ubicumque voluerit: qui una cum dispersis Iudæis venit ad Godoliam præfectum reliquiis Iudæorum: qui Godolias audire noluit Iohanan monentem ipsum de Ismahel intentante ei mortem.



Ermo, qui factus est ad Ieremiam a Domino, postquam di-
missus est a Nabuzardan magistro militiæ de Rama, quan-
do tulit eum vinctum catenis in medio omnium, qui mi-
grabant de Ierusalem & Iuda, & ducebantur in Babylo-
nem. 2. Tollens ergo princeps militiæ Ieremiam, dixit ad
eum: Dominus Deus tuus locutus est malum hoc super lo-
cum istum, 3. & adduxit: & fecit Dominus sicut locutus
est, quia peccastis Domino, & non audistis vocem eius,
ctus est vobis sermo hic. 4. Nunc ergo ecce solvi te hodie de catenis,
sunt in manibus tuis: si placet tibi ut venias mecum in Babylonem, ve-
& ponam oculos meos super te: si autem displicet tibi venire mecum in
lonem, reside: ecce omnis terra in conspectu tuo est: quod elegeris, &
placuerit tibi ut vadas, illuc perge. 5. Et mecum noli venire: sed habita
Godoliam filium Ahicam filii Saphan, quem præposuit rex Babylonis ci-
ibus Iuda, habita ergo cum eo in medio populi: vel quocumque placuerit
ut vadas, vade. Dedit quoque ei magister militiæ cibaria, & munuscula,
misit eum. 6. Venit autem Ieremias ad Godoliam filium Ahicam in Ma-
h, & habitavit cum eo in medio populi, qui relictus fuerat in terra. 7.
que audissent omnes principes exercitus, qui dispersi fuerant per regiones,
socii eorum, quod præfecisset rex Babylonis Godoliam filium Ahicam
, & quod commendasset ei viros, & mulieres, & parvulos, & de paupe-
terræ, qui non fuerant translati in Babylonem: 8. Venerunt ad Godo-
in Masphath: & Ismahel filius Nathaniæ, & Iohanan & Ionathan filii
, & Sareas filius Thanehumeth, & filii Ophi, qui erant de Netophati,
zonias filius Maachathi, ipsi & viri eorum. 9. (*a*) Et iuravit eis Godo-
lius Ahicam filii Saphan, & comitibus eorum, dicens: Nolite timere ser-
Chaldæis, habitate in terra, & servite regi Babylonis, & bene erit vobis.
Ecce ego habito in Masphath, ut respondeam præcepto Chaldæorum, qui
nt ad nos: vos autem colligite vindemiam, & messem, & oleum, & con-
n vasis vestris, & manete in urbibus vestris, quas tenetis. 11. Sed & om-
udæi, qui erant in Moab, * & in filiis Ammon, & in Idumæa, & in uni-
regionibus, audito quod dedisset rex Babylonis reliquias in Iudæa, & quod
suisset super eos Godoliam filium Ahicam filii Saphan: 12. reversi sunt,
m, omnes Iudæi de universis locis, ad quæ profugerant, & venerunt in
Iuda ad Godoliam in Masphath: & collegerunt vinum, & messem mul-
imis. 13. Iohanan autem filius Caree, & omnes principes exercitus, qui
si fuerant in regionibus, venerunt ad Godoliam in Masphath. 14. Et di-
xe-

xerunt ei: Scito quod Baalis rex filiorum Ammon misit Ismahel filium Nathaniæ percutere animam tuam. Et non credidit eis Godolias filius Ahicam. 15. Iohanan autem filius Caree dixit ad Godoliam seorsum in Masphath, loquens: Ibo, & percutiam Ismahel filium Nathaniæ nullo sciente, ne interficiat animam tuam, & dissipentur omnes Iudæi, qui congregati sunt ad te, & peribunt reliquiæ Iuda. 16. Et ait Godolias filius Ahicam ad Iohanan filium Caree: Noli facere verbum hoc: falsum enim tu loqueris de Ismahel.

(b) IV. Reg. xxv. 23.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

Vers. 11. *Et in filiis Amnon*. Non scribas *finibus*, quod est terminis, pro *filiis*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. SERMO, QUI FACTUS EST: neque hoc cap. neque sequenti verbum ullum fit Ieremiæ a Deo; quæ res nonnullos fefellit interpretes, ut דבר *verbum*, *rem*, aut, *factum* interpretarentur; ut illud Luc. II. 15. *Transeamus usque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est*. Melius R. David, & Salom. & ex Latinis nonnulli putant referenda esse hæc verba ad illa capitis XLII. 7. *Cum autem completi essent decem dies, factum est verbum Domini ad Ieremiam;* ut sit hic quasi titulus novi libri, quo continentur omnia, quæ Ieremias post captivitatem vaticinatus est. Sed antequam vaticinia ipsa narrare incipiat, interponit historiam liberationis suæ, Godoliæ Iudææ præfecti, deinde eiusdem occisi, hoc cap. & XLI.

V. 3. ET FACTUS EST VOBIS SERMO HIC; id est, evenit vobis malum, quod Deus per te locutus fuerat: sermo, pro re & eventu, ut sæpe fit, nisi interpretemur, *Factus est vobis sermo hic*, id est verbum Dei in vobis impletum est.

V. 4. PONAM OCULOS MEOS SUPER TE; id est, benigne te tractabo, prospiciam tibi, ne quid tibi mali accidat, ut cap. præcedenti 12. RESIDE; id est, ne venias, desine venire, ne pergas ulterius, חדל. OMNIS TERRA IN CONSPECTU TUO EST, id est in potestate tua est: optio tibi datur ex universa terra, ut eligas quamcumque partem volueris. Elegans est & usitatus Hebraismus, ut Genes. XIII. 9. *Ecce universa terra coram te est; recede a me obsecro: si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo:* & cap. XX. 15. *Terra coram vobis est, ubicumque tibi placuerit habita*: Isai. XLI. 2. *Dabit in conspectu eius gentes*, id est subiiciet eius potestati.

V. 5. ET MECUM NOLI VENIRE: si tibi non placet, & si non vis. Hæc verba Septuag. non legunt. Hebræi vero legunt aliter. ועודנו לא ישוב: ad verbum: *Et adhuc ille non est reversus*. Quod R. Salom. exponit ad hunc modum: Quamvis hæc illi dixisset Nabuzardan, tamen nolebat reverti, donec Deus illi dixit ut reverteretur. Melius R. David. Adhuc ille non revertebatur, id est non significabat se velle reverti, & Nabuzardan suspicans eum magis propensum esse ad revertendum, dixit illi, שו בה *revertere*. Vult enim significare Nabuzardan, cum vidisset cunctantem, dubitantemque an reverteretur, eum prævenisse, dixisse ut reverteretur, & apud Godoliam habitaret. Noster Interpres, & Chald. Paraphrastes videntur legisse, ועדני לא שוב, *& mecum ve venias*. APUD GODOLIAM. Creditur Godolias unus fuisse ex iis Iudæis, qui Ieremiæ consilio ad Chaldæos transfugerant, ideoque præfectum fuisse Iudææ a rege Babylonis, ut terram ab iis pauperibus, qui relicti fuerant

M I AE

V. 11. DEDISSET .... RELIQUIAS, id eſt liquiſſet aliquos.

V. 16. VERBUM HOC, id eſt rem hanc.

E S T I I.

ꝟſ. 4. SI PLACET TIBI UT VENIAS MECUM IN BABYLONEM; VENI ET ɔNAM OCULOS MEOS SUPER TE: SIN AUEM DISPLICET TIBI, RESIDE; ECCE OMIS TERRA IN CONSPECTU TUO EST. Hæc ementer princeps militiæ, iuſſu Nabuchoɔnoſor, ad Ieremiam. Sed noluit Iereıias comitari populum ſuum captivum in abylonem; maluitque remanere cum reliıiis in terra Iuda, cum iiſdem iturus poea in Ægyptum; quia magis erat his neeſſarius, tamquam Doctor & propheta, uam illis. Nam in Babylone iam erant :zechiel, Daniel, & ſacerdotum præcipui, aulo ante illuc abducti. Nec putandum ſt, factum fuiſſe abſque peculiari Dei diɔoſitione, quod cum reliquiis remaneret in :rra Iuda; videlicet, ut poſtea in Ægy·tum abeuntes, non eſsent ſine Magiſtro ε Doctore.

V. 15. & 16. IOHANAN AUTEM DIXIT ιD GODOLIAM SEORSIM; IBO ET PERCUIIAM ISMAEL, NULLO SCIENTE, NE INΓERFICIAT TE. ET AIT GODOLIAS: NO-.I FACERE VERBUM HOC, FALSUM ENIM ΓU LOQUEBARIS DE ISMAEL. Locus hic noralem docet cautionem, ne imprudenter :um Godolia in grave aliquod damnum ncidamus: nam quamvis non liceat facie malum ſuſpicari de proximo, & ſemper ɔropenſiores eſse debeamus, ut eius facta n bonum, quam in malum interpretemur; :amen propter periculum, quod ab alio imninere poteſt, prudenter, & circumſpecte ſemper agendum eſt. Itaque Godolias, li:et non debeat permittere, ut ex ſola ſuſpi:ione Iſmael occideretur, tamen debuiſset eum in cuſtodia aſservare; & cauſam diligentius inquirere, aut ſaltem ſibi cavere. Et hanc imprudentiam & ſtultam ſecuritatem etiam Sapiens damnat Proverb. XXII. dicens: *Callidus videt malum, & abſcondit ſe; innocens autem pertranſit, & afflictus eſt damno*. Ubi callidus pro prudente, & innocens pro imprudente & incauto ſumitur, ut eo loco etiam annotatum eſt.

MA-

MARIANAE.

Verf. 1. **Sermo, qui factus est ad Ieremiam.** Hebr. *verbum*. Hæc prophetia continetur cap. XLII. 7. Interim inferuntur quædam historica. Atque in hoc capite refertur, Ieremiam fuiffe liberatum, Godoliam rebus in Iudæa præfectum. **De Rama.** Urbs in tribu Beniamin prope Gabaon, cap. XXXI. 15. Eo funt deducti, qui Babylonem ituri erant. **Vinctum catenis.** Chald. *compedibus*. Sed quorfum catenæ & compedes ituris Babylonem? Vox Hebr. אזקים *azikim*, *manicas* fignificat. Hebr. Schol. ככלים ועינו הירים בהם שיאסרו טבעות כעין *fignificat inftrumentum inftar annulorum quo vinciuntur manus*. Sept. etiam χειροπέδαις dixere, id eft *manicis*, tametfi Interpres Latinus vertit *compedibus*. Verum, quomodo Ieremiæ iam liberato Regis præcepto cap. fuperiori, verf. 11. manicæ imponuntur; fcilicet miniftri per errorem id fecerunt, cum iuffum effet, ut Iudæi Babylonem ituri vincirentur.

V. 3. **Et factus est vobis sermo hic**, id eft verbum Dei in vobis impletum eft. Verba Nabuzardan.

V. 4. **De catenis** folvi te: fic Chald. Sept. *de manicis*. Eadem vox eft Græce hic, & verf. 1. fed Latinus Interpres ibi *compedes*, hic *manicas* vertit melius, quod fequentia verba declarant. **Quae sunt in manibus tuis.** Non ergo erant catenæ, non compedes, fed manicæ. In Hebr. eadem vox *azikim*, quæ verf. 1. **Et ponam oculos meos**, id eft benefaciam tibi. **Reside.** Hebr. *ceffa*: ne fcilicet eas nobifcum. **Ecce omnis terra.** Hebr. *terra hac*, propter ה *He* emphaticum, coram te eft, ut poffis ad habitandum eam partem eligere quæ magis placuerit.

V. 5. **Et mecum noli venire.** Hebr. *& adhuc ille non revertebatur*. Dubitabat quid facere deberet. Ideo addit Nabuzardan, Et revertere ad Godoliam, id eft age, revertere. Hieronymus videtur Hebraica fic legiffe: ועִמָּדִי לא שוב ושב, id eft *mecum ne venias*, *& habita*. Vocem שב *feb* deduxit a ישב *iafab*, *habitare*: alii mutato puncto *zere* in *kibuz* a שוב *fub*, id eft *reverti*. Utra lectio præferri debeat, non fatis conftat: defignaffe occafionem difcriminis fit fatis. **In medio populi**, id eft libere. **Cibaria, et munuscula.** Sic Sept. Chald. *munera*, *& dona*. Vox utraque Hebr. *munus* fignificat, fed duplicavit voces, ad indicandum duo Ieremiæ dediffe Nabuzardan donorum genera: fic Hebr. Schol.

V. 6. **In Masphath** venit Ieremias. Civitas in tribu Iuda, quam ædificavit Afa Rex Iuda, III. Regum XXV. 22. eamque Godolias delegiffe videtur, ubi habitaret.

V. 7. **Cumque audissent**, &c. Hebr. *& audierunt omnes principes exercituum*. **Qui dispersi fuerant per regiones.** Hebr *in agro*, id eft in villis; quafi dicat: Multitudo eorum qui in agris vivebant, refciverunt Godoliam effe præfectum terræ: & quod illi commendaffet Nabuchodonofor omnes qui remanferant. Id illos ægre habuit. Novam eius felicitatem malignis animis ferebant. Unde illum cædendi occafio. Diffimulant tamen.

V. 8. **Venerunt ad Godoliam in Masphath: et Ismahel**; pro, fcilicet Ifmahel & alii, quos numerat, cum viris fuis, qui fcilicet eorum aufpicia fequebantur.

V. 9. **Et iuravit eis Godolias.** Quid iuravit? Se illis prefto fore. Verebatur ne tumultus concitarent. Suadet ut quiete vivant, colantque agros. Ego in Mafphath maneo.

V. 10. **Ut respondeam praecepto Chaldaeorum.** Hebr. *ut ftem in confpectu Chaldæorum*; fcilicet ut refiftam, ne vobis noceant: aut ut pro cunctis intercedam, & illis fatisfaciam. **Qui mittuntur ad nos.** Hebr. *qui veniant ad nos*, fcilicet ad exigenda tributa, aut ut aliquid præcipiant. **Et messem.** Vox Hebr. *kaiz* fignificat *æftatem*. Ergo colligite *æftatem*, id eft fructus qui ficcantur, æftivos. Sept. *colligite fructus*. Chald. *caricas*, per unum ceteros fructus intelligens, uvas, frumenta. **Quas tenetis.** Hebr. *quas urbes apprehendiftis*, id eft elegiftis ad habitandum, ibi manete.

V. 11. **Et in filiis Ammon**, non *in finibus*, fed *in filiis*; id eft, inter filios Ammon, qui erant Iudæi. **Audito quod dedisset rex Babylonis reliquias in Iudaea**, feu *refiduum in Iuda*, id eft permififfet, ut aliqui ex Iudæis habitarent in Iudæa. Belli metu multi Iudæi ad finiti-

cipiendo eum, cum iam esset vinctus catenis in medio totius multitudinis deportandæ Ierusschalaimis & e Iehudæa, qui deportabantur in Babyloniam. Hæc, inquiunt, inscriptio universe ad quatuor sequentia capita pertinet, quæ ut communem habent inscriptionem, ita perpetuam narrationem continent: quamobrem ea coniunximus. Tota autem narratio hæc res gestas explicat ab eo tempore, quo Nabuzaradani mandata est provincia a rege Babyloniæ, ut quidquid supererat conficiendum in Iehudæa, conficeret auctoritate regis: ut narratur II. Reg. xxv. 8. & sequentibus, & supra cap. xxxix. 9. Dicitur vero tota hæc narratio esse, *Verbum quod fuerat ad Iirmeiam a Iehova:* quia hæc ipsa mala Deus iam olim per Iirmeiam prædixerat, ut supra cap. xxiv. 8. & alibi dicitur, & ipse Nabuzaradan agnoscit, vers. 2. & 3. quasi dicat Propheta, his capitibus explicari complementum illius verbi, quod longo tempore ante significaverat Deus, & Iirmeia prænuntiaverat. *Rama*: quousque Nebuzaradan imprudens Iirmeiam siverat a suis trahi cum deportanda multitudine. De Rama urbe Biniaminis sexto milliario ab Ierusalaim ad septemtrionem itinere in Babyloniam, vide in Iosue xviii. 25.

V. 2. Tollens ergo princeps militiae Ieremiam, &c. Hebr. *Et accepit magister mactantium ipsi Iirmeiæ*. Construitur hic verbum לקח *lakach*, cum dativo, seu nota *lamed*: & haud scio an eiusmodi constructio alibi in Scriptura facile inveniri possit: & ut puto, non sine mysterio. Forte significare voluit, magistrum militiæ singulari affectu & studio benignitatis excepisse Iirmeiam, & ad reducendum eum misisse certos homines in Rama. Quidam reddunt: I. *Accersivit nempe prefectus Capitalium rerum Iirmeiam*. II. *Recepit ergo præfectus satellitum Iirmeiam*, &c.

V. 3. Et factus est vobis sermo hic. Hebr. *& fuit vobis verbum istud*, id est hæc res. Alii: I. *idcirco evenit vobis calamitas ista*. II. *adeo evenit vobis verbum illud*, quod a Domino per Iirmeiam Iudæis fuerat denuntiatum. Sic verbum *fuit* pro *evenit*, ut Genes. xxiv. 15.

V. 4. Nunc ergo ecce solvi te, &c. Alii hunc versum ex Hebr. reddunt: I. *Nunc ergo ecce ego solvo te hodie de vinculis quæ sunt in manibus tuis: & si tibi videtur*

detur mecum proficisci Babylonem, venias, donamque super te occulum meum; id est, tui curam geram; *sin minus placet mecum proficisci Babylonem, sine*, vel *desine*, *desiste venire : ecce universa terra coram te est, quocumque tibi bonum & commodum videbitur ire, illuc eas*. II. *Sed nunc ecce solvo te hodie a catenis istis, quæ sunt super manus tuas; si bonum videtur in oculis tuis venire mecum in Babyloniam, veni, & ponam oculum meum super te*, vel *& adhibebo oculos meos in te*, ut supra cap. XXXIX. 12. *Sin autem malum videtur in oculis tuis venire mecum in Babyloniam, desiste: vide, tota hæc terra coram te est*, seu *exposita est tibi*, ut Genes. XIII. 9. *quo bonum rectumque videtur in oculis tuis abire, abi*.

V. 5. SED MECUM NOLI VENIRE, SED HABITA APUD GODOLIAM, &c. Hebr. ex verbo: *Et adhuc ipse non revertetur, & revertere ad Ghedaliam*, &c. Alii exponunt: I. *Nondum enim ille* Iirmeia responderat Præfecto militum quod *reverteretur*, *cum dixit illi* Præfectus, *Revertere ad Ghedaliam*, &c. quasi dicat: Nondum Iirmeia dixerat Nebuzaradani se velle reverti in Iudæam & ibi manere, cum ille iussit ut maneret, & se ad Ghedaliam conferret. Voluntatem enim Iirmeiæ e vultu, aut ex mora, aut ex alia re deprehenderat. II. Parenthesi includunt: (*Nondum enim erat reversus*) *& revertere ad Ghedaliam*, &c. id est, nondum enim iverat Iirmeia ad Ghedaliam. III. *Aut quia ille non revertitur, diverte ad Ghedaliam*, &c. *Ille*, videlicet Ghedalia, qui mox nominatur. Sensus est, si non placet mecum esse, præmisi Ghedaliam Mitzpham, qui in legatione sua occupatus ad me nondum revertitur. Si itaque videbitur, poteris te ad ipsum recipere. HABITA ERGO CUM EO IN MEDIO POPULI. Alii: *& mane cum eo in medio populi*; id est, libere inter tuos populares, ut supra cap. XXXVII. 4. CIBARIA. Singulare ארחה *aruchah*, cum *Cheth*, varie exponunt: *Itinerarium*, *viaticum*, *commeatum*, *portionem*, *cibum*, *demensum cibi*, *consuetum cibarium itineris*. Vide in II. Reg. XXV. 30. ET MUNUSCULA, *maseth*, משת proprie *levandam*, *munus*, *donarium*, *honorarium*, quæ honoris vel amicitiæ gratia levatur & defertur.

V. 6. IN MASPHATH. Hebr. *in Mitzphah*. Illam esse volunt, quæ erat Biniaminitarum, de qua Iosue XVIII. 26. ut ex sequentibus narrationibus colligitur: vide in II. Reg. XXV. 23.

V. 7. CUMQUE AUDISSENT OMNES PRINCIPES EXERCITUS, &c. Vide de hoc versu in II. Reg. XXV. 23.

V. 8. VENERUNT AD GODOLIAM, &c. De hoc versu vide in II. Reg. XXV. 23. ET IEZONIAS. Hebr. *Iezaniahu*, qui II. Reg. XXV. 23. addito *Aleph* vocatur *Iaazaniahu*, de quo infra cap. XLII. 1.

V. 10. ECCE EGO HABITO IN MASPHATH. Alii ex Hebr. *De me autem*, vel *quod ad me attinet*, *ecce consisto Mitzpæ*. UT RESPONDEAM PRAECEPTO CHALDAEORUM, QUI MITTUNTUR AD NOS. Hebr. *ad standum ad facies Chaldæorum, qui venient ad nos*. Alii: I. *ut astem Chaldæis*, id est excipiam Chaldæos, qui a Chaldæa venturi sunt ad nos. II. *ad standum coram Chaldæis, qui veniunt ad nos*, id est ad ministrandum Chaldæis, ut interpretatur locutionem hanc Moscheh Deuteronom. X. 8. ET MESSEM. Hebr. *& æstatem*, id est æstivos fructus, metonymice. Sic vers. 12. Alii: *fructus autumnales*.

V. 11. AUDITO QUOD DEDISSET REX BABYLONIS RELIQUIAS IN IUDAEA. Heb. *audiverunt, quod dedit rex Babyloniæ residuum ipsi Iehudææ*; id est, quod reliquum fuerat ipsi Iudææ ex tanta clade, dedisse Ghedaliæ, & præfecisse eum illis. Alii: *audientes dedisse regem Babyloniæ reliquias terræ Iehudæis, & præfecisse eis Ghedaliam*, &c.

V. 12. ET COLLEGERUNT VINUM ET MESSEM MULTAM NIMIS. Alii: *& collegerunt vini & æstivorum fructuum multum valde*.

V. 14. PERCUTERE ANIMAM TUAM. Hebr. *ad percutiendum te anima*, id est lethaliter, sive ad interficiendum te, vel ad adimendum tibi animam. Sic Genes. XXXVII. 21. & versu sequente.

MENOCHII.

Vers. 1. SERMO QUI FACTUS EST, &c. Sermo hic est prophetia, quam habet cap. XLII. 7. qua admonet Dominus

per

V. 12. Messem. Vatablus nomine messis intelligit collectionem fructuum, qui extrema ætate maturescunt; Ierusalem enim capta fuerat mense Iulio; & cum hæc fierent, elapsum erat tempus messis triticeæ. Alii hæc verba non ad præsentem tantum annum referunt, sed ad omnes consequentes.

V. 14. Percutere animam tuam, id est occidere te: causa coniurationis fuit, tum innatum, & perenne diffidium inter Iudæos, & vicinos Ammonitas, & Idumæos; tum ambitio Ismaelis, qui Godoliæ præfecturam invidebat.

V. 16. Verbum hoc: rem hanc.

T I R I N I.

Verf. 1. SErmo, id est prophetia, cuius hic mentio fit, describitur cap. XLII. 7. Sed antequam recenseat illam prophetiam, præmittit historiam illi præambulam, quæ causam dedit tali prophetiæ. Hic enim versus primus huius cap. est quasi titulus novi libri, quo recensentur gesta Ieremiæ post excidium urbis Ierosolymitanæ: ita Hebræi, Lyranus, & Maldonatus. Porro ex annotatione loci, in quo Ieremias vinculis exemptus est a Nabuzardan, puta *in* Rama *a*, in finibus tribus Beniamin, colligi videtur, Ieremiam capta urbe non statim fuisse vinculis exsolutum, sed una cum aliis incarceratis vinctum pertractum esse in *Rama*, ubi demum solvit eum Nabuzardan, & liberum dimisit: ita Vatablus & a Lapide.

V. 7. Principes exercitus Iudæorum, qui post fugam Sedeciæ dispersi fuerant hac illac per varias regiones, confluxerunt *ad* Godoliam, qui residebat.

V. 10. In Masphath, in finibus terræ Chanaan; eratque via hæc euntibus e Iudæa in Babylonem: & ex eo loco poterat facilius agere cum Chaldæis, *&* eorum praecepto *respondere*, id est imperata exequi.

V. 14. Ismael *filius* Nathaniae, ex *semine regali b*, cognatus Sedeciæ, persuasus deberi sibi præfecturam iure sanguinis, non

non vero Godoliæ ob transfugium ad Chaldæos infami & exoſo, communicatis cum *Baali rege Ammonitarum* antiquo Iudæorum hoſte conſiliis, dolo & fraude quærit PERCUTERE ANIMAM, id eſt tollere vitam Godoliæ, vel quod in idem redit, occidere Godoliam. Et poterat ipſe huic malo facile obviare, ſi amicis inſidias denuntiantibus credere voluiſſet. Et vero princeps, maxime qui de novo ſubinducitur, argus ſit oportet, & adverſus æmulorum factiones, & inſidias, providentia, conſilio & armis probe inſtructos: & licet ſuſpicax eſſe non debeat, nec delatoribus fidem ſemper habere; numquam tamen nocuerit, caute ac ſolerter quæ ab amicis delata ſunt indagaſſe, cum certum ſit, principatui & imperio plurimos inſidiari ſolere. Godoliam certe perdidit nimia præfidentia.

(a) Ierem. xxxi. 15.
(b) Ierem. xli. 1.

GORDONI.

Verſ. 4. Hic pugna nulla eſt ſolutis vinculis Ieremiæ: nam liberatus a carcere Ieroſolymis, vinculis ſolutus eſt in Rama a Nabuzardan.

Ex Eiusdem Auctario.


Verſ. 1. SERMO. Hic ſermo & prophetia proponitur cap. XLII. Interim hic interponit prius hiſtoriam quæ ſequitur. RAMA, locus erat, ad quem congregati erant captivi abducendi in Babylonem.

Verſ. 10. Maſphat (ubi cum Godolia habitabat Ieremias) urbs erat in monte prope confinia Iuda & Beniamin.

Verſ. 15. Hæc ſunt de ambitione Iſmaelis, qui invidebat prefecturæ Godoliæ.



CA-



CAPUT XLI.

hel dolo occidit Godoliam præfectum, cum Iudæis & Chaldæis qui cum eo erant Masphath, aliosque octoginta interimens, pepercit decem qui se thesauros habere cebant: ac tandem veritus Iohanan ac principes bellatorum fugit cum octo viris, ierato populo quem ceperat captivum: omnes autem qui reliqui sunt, statuunt fure in Ægyptum a facie Chaldæorum.



T factum est in mense septimo, venit Ismahel filius Nathaniæ, filii Elisama de semine regali, & optimates regis, & decem viri cum eo, ad Godoliam filium Ahicam in Masphath: & comederunt ibi panes simul in Masphath. 2. Surrexit autem Ismahel filius Nathaniæ, & decem viri qui cum eo erant, & percusserunt Godoliam filium Ahicam filii Saphan gladio, & interfecerunt eum, quem præfecerat rex Babylonis terræ. 3. Omnes quoque Iudæos, qui erant Godolia in Masphath, & Chaldæos, qui reperti sunt ibi, & viros bella- percussit Ismahel. 4. Secundo autem die postquam occiderat Godoliam, adhuc sciente, 5. venerunt viri de Sichem, & de Silo, & de Samaria ginta viri, rasi barba, & scissis vestibus, & squallentes: & munera & thus bant in manu, ut offerrent in domo Domini. 6. Egressus ergo Ismahel fi- Nathaniæ in occursum eorum de Masphath, incedens & plorans ibat: cum m occurrisset eis, dixit ad eos: Venite ad Godoliam filium Ahicam. 7. cum venissent ad medium civitatis, interfecit eos Ismahel filius Natha- circa medium laci, * ipse, & viri qui erant cum eo. 8. Decem autem vi- perti sunt inter eos, qui dixerunt ad Ismahel: Noli occidere nos: quia ha- is thesauros in agro, frumenti, & hordei, & olei, & mellis. Et cessavit, on interfecit eos cum fratribus suis. 9. Lacus autem, in quem proiecerat el omnia cadavera virorum, quos percussit propter Godoliam, ipse est, i fecit rex Asa propter Baasa regem Israel: ipsum replevit Ismahel filius niæ occisis. 10. Et captivas duxit Ismahel omnes reliquias populi, qui : in Masphath; filias regis, & universum populum, qui remanserat in Ma- :h: quos commendaverat Nabuzardan princeps militiæ Godoliæ filio Ahi- . Et cepit eos Ismahel filius Nathaniæ, & abiit ut transiret ad filios Am- . 11. Audivit autem Iohanan filius Caree, & omnes principes bellatorum, erant cum eo, omne malum, quod fecerat Ismahel filius Nathaniæ. 12. Et nptis universis viris, profecti sunt ut bellarent adversum Ismahel filium Na- æ, & invenerunt eum ad aquas multas, quæ sunt in Gabaon. 13. Cum- vidisset omnis populus, qui erat cum Ismahel, Iohanan filium Caree, & rsos principes bellatorum, qui erant cum eo, lætati sunt. 14. Et reversus mnis populus, quem ceperat Ismahel, in Masphath: reversusque abiit ad nan filium Caree. 15. Ismahel autem filius Nathaniæ fugit cum octo viris ie Iohanan, & abiit ad filios Ammon. 16. Tulit ergo Iohanan filius Ca- & omnes principes bellatorum, qui erant cum eo, universas reliquias vul-

gi,

gi, quas reduxerat ab Ismahel filio Nathaniæ de Masphath, postquam percussit Godoliam filium Ahicam; fortes viros ad prælium, & mulieres, & pueros, & eunuchos, quos reduxerat de Gabaon. 17. Et abierunt, & sederunt peregrinantes in Chamaam, quæ est iuxta Bethlehem, ut pergerent, & introirent Ægyptum 18. a facie Chaldæorum: timebant enim eos, quia percusserat Ismahel filius Nathaniæ Godoliam filium Ahicam, quem præposuerat rex Babylonis in Terra Iuda.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

Vers. 7. *Ipse & viri qui erant cum eo*. Non mutes singulare *ipse* in plurali *ipsi*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. DE SEMINE REGALI. Ex progenie regis Ammon, aut melius, ex semine David, ut putant Hebræi auctore R. David hoc loco. Propterea enim invidebat Godoliæ, quod præpositus fuisset Iudææ a rege Babylonis. ET DECEM VIRI. ו. *&*, hoc loco accipio pro, scilicet, aut nempe, ut capite præcedenti vers. 8. ET COMEDERUNT IBI PANES, לחם, *panem*, id est excepti sunt convivio a Godolia. Vulgare est, ut panis apud Hebræos convivium significet, & omnia esculenta, & poculenta.

V. 2. QUEM PRAEFECERAT, id est *quia præfecerat*, אשר, ut reddatur causa, cur eum interfecerint. Sensus enim est melior, atque ita exponit R. David.

V. 4. NULLO ADHUC SCIENTE: cum nemo adhuc sciret; extra civitatem, intelligendum est. Quod propterea dicit, ut reddat tacite causam, quomodo Sichemitæ venire ausi sint.

V. 5. RASI BARBA, SCISSIS VESTIBUS. Hæc erant luctus indicia apud Iudæos, ut multis in locis adnotavimus: lugebant autem ob templum eversum, & incensam urdem. SQUALENTES. Hebr. מתגודדים, *laniati*, *incisi*, solebant enim se lugentes unguibus lacerare; quod hodie etiam in nonnullis locis fieri solet. Ita Hebræorum commentarii exponunt: ita Chaldæus Paraphrastes; ita etiam noster Interpres vertit idem verbum, infra XLVII. 5. *Usquequo concideris*. UT OFFERRENT IN DOMO DOMINI. Quomodo munera in templum afferebant, cum iam esset eversum? Respondent R. Salomon & R. David, cum ex patria sua discesserunt, audivisse quidem captam esse urbem; sed nondum audivisse eam esse incensam, nec vastatum templum. Urbs enim capta est mense quarto, ut dictum est supra XXXIX. 2. 3. & IV. Reg. XXV. 4. Incensa autem fuit mense quinto, ut apparet IV. Reg. XXV. 8. 9. & infra LII. 12. 13. Hoc mihi non videtur ullam verisimilitudinem habere: nam, ut alii ante me auctores adnotaverunt, isti octoginta viri venerunt septimo mense, ut ex initio huius capitis manifestum est: itaque post templi eversionem, & urbis incendium, duo menses effluxerant: quis autem credat duobus mensibus tantæ rei famam ad eos non pervenisse; præsertim cum Samaria, quæ longissime omnium distabat, non nisi viginti octo millia passuum dicatur absuisse? Quare magis mihi placet, quod nonnulli auctores nostri dixerunt, octoginta illos viros non venisse in Ierusalem, sed in Masphath, ubi audierant collectas fuisse sub Godolia reliquias Iudæorum, ibique erectum fuisse altare Domino, ut olim factum fuisse colligitur ex I. Regum VII. 5. 6.

V. 6. INCEDENS ET PLORANS IBAT. Hebr. הלך הלך ובכה, *eundo ibat & flebat*; id est, inter eundum flebat, aut, cum iret, flebat, ut Psalm. CXXV. 6. *Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua*. Simulabat autem Ismael se flere ob templi ever-

sio-

huc illuc fugerunt, ex quorum numero hi erant.

V. 12. Ad aquas multas; id est, iuxta loca palustria, quae erant in valle ad radicem montis Gabaon.

V. 16. De Masphath; id est quas Ismael captivas duxerat de Masphath. Oratio concisa: intelligendum autem, aut repetendum est verbum ex superioribus ἀπὸ κοινοῦ.

V. 17. Et sederunt, id est habitarunt, sedes suas fixerunt: וישבו. Peregrinantes. Hebraice unicum est nomen proprium urbis גרות כמוהם *Gueruth Chimham*; sicut etiam Septuag. transtulerunt. Chaldæus vero Paraphrastes, *Sederunt*, aut *habitarunt in peregrinatione*, *quam dederat David Berzellai filió Chamaam Galaadita:* historia obscure indicatur II. Reg. xix. 23. quasi dicat, Habitarunt in terra, in qua peregrinatus est Chamaam. Ut irent, et introirent; id est, ut inde facile possent se, si quid periculi immineret, in Ægyptum recipere.

V. 18. A facie Chaldaeorum: propter Chaldæos, aut metu Chaldæorum. Hebraismus sæpe a nobis explicatus. Quia percusserat Ismael. Quid hæc culpa pertinebat ad Iohanan, & eos qui cum illo erant? Nimirum verebantur, ne cum Ismaele, quia fugitivi erant, in eadem causa involverentur.

S A.

Vers. 1. Regis, scilicet Ammonitarum, vel potius Iuda. Et decem; pro, nempe decem: vide IV. Reg. xxv.

V. 3. Erant, scilicet in eius domo.

V. 4. Nullo, scilicet incolarum Masphath.

V. 5. Venerunt; pro, veniebant. Rasi, &c. scilicet quod audissent in itinere eversionem Ierusalem, & templi, quo ferebant munera.

V. 6. Plorans, id est fingens fletum ob eamdem calamitatem.

V. 7. Laci, id est cisternæ. LXX. *putei*, scilicet eos proiecit.

V. 8. Fratribus, id est reliquis sociis.

V. 9. Propter Baasa. Chald. *quando obsedit eum Baasa*.

V. 12. Ad aquas multas. Chald. *iuxta piscinam aquarum multarum*.

V. 14.

V. 14. IN MASPHATH. Hebr. & Chald. *de Masphath*.

V. 16. DE MASPHATH, scilicet abductas ab Ismahele. GABAON, quo scilicet Iohanan eos prius adduxerat.

E S T I I.

Vers. 4. & 5. SECUNDO AUTEM DIE POSTQUAM OCCIDERAT GODOLIAM .... VENERUNT VIRI DE SICHEM, ET DE SILO ET DE SAMARIA .... UT OFFERRENT IN DOMO DOMINI. Quaeritur quae domus Domini hoc loco intelligatur? utrum templum, quod erat in Ierusalem, an alia aliqua domus Domini? Quidam putant intelligi templum Domini, quod erat Ierosolymis; dicentes viros, dum de locis suis egrederentur, ignorasse, quod a Chaldaeis templum esset incendio absumptum; quod cum in via audirent, idcirco, scilicet, eos rasisse barbam (quo habitu hic describuntur) vestesque scidisse, lugentium more. Verum id dici non potest: nam ut infra habemus capite LII. templum exustum est mense quinto; viri autem isti, ut est initio huius capitis, venerunt mense septimo. Atqui per spatium duorum mensium latuisse eos rem adeo memorabilem, & calamitosam, videlicet templi exustionem, non est credibile. Quare probabilius sentiunt, qui dicunt, post templi eversionem Godoliam in Masphat aedificasse altare Domino; ad quod accederent, quicumque vellent, sacrificium Deo offerre. Nam tempore Samuelis per aliquantum tempus fuerat eo in loco arca Domini, & altare ad sacrificandum, ut patet I. Reg. VII. Ad hunc igitur locum profecti videntur viri isti, de quibus hic est sermo.

M A R I A N AE.

Vers. 1. ET FACTUM EST. Ismahel occidit Godoliam. Ismahelem fugat Iohanan. IN MENSE SEPTIMO, id est *Tizri*, aut *Nisan*, iuxta duplex initium anni. DE SEMINE REGALI erat Ismahel, id est de domo David. Ea invidiae causa Ismaheli, quod se praetermisso, qui erat de semine regio, Godoliam genere imparem praefecissent. ET OPTIMATES REGIS, scilicet Sedeciae, qui patriae incendium & manus hostium evaserant. ET COMEDERUNT IBI PANES. Hebr. *panem*. Sed *panis* pro cibo, excepti sunt convivio.

V. 2. ET INTERFECERUNT EUM, QUEM PRAEFECERAT. Sic Sept. & Chald. Verum Hebr. vox אשר *aser* potest etiam significare *quoniam*, ut reddatur causa caedis: quoniam praefecit eum Rex Babylonis: sic ex Hebraeis quidam. Iudaei tertia die mensis *Tizri* celebrant ieiunium ob occisum Godoliam. Chald. *Hebraicum*.

V. 3. ET VIROS BELLATORES. Sic Sept. & Chald. Hebr. autem non est coniunctio &. Quoniam non occidit omnes Iudaeos & Chaldaeos, quia multos captivos duxit, vers. 10. sed eos tantum occidit, qui erant milites.

V. 4. NULLO ADHUC SCIENTE, scilicet ex externis: nam intra urbem res tanta latere qui poterat? Venerunt viri de Sichem.

V. 5. RASI BARBA. Is erat lugentium habitus. Luctus autem propter urbis & templi incendium. SQUALLENTES. Sept. *plangentes*. Hebr. *incisi*. Solebant in luctu faciem incidere. ET MUNERA, ET THUS. Quorsum munera templo iam everso? Respondent Hebraei, eos, cum e patria moverunt, id ignorasse; in itinere clade cognita lugentium habitum sumpsisse. Verum, qui poterant ignorare quod ante duos menses acciderat, nempe mense quinto? Itaque potius puto in Masphath altare ad tempus erectum, & templum, ut olim I. Reg. VII. 5. atque ea munera ei templo destinasse.

V. 6. INCEDENS ET PLORANS IBAT Ismahel. Hebr. *incedens ire* (pro, ibat) & *flens*; pro, flebat. Simulato luctu, ut eos facilius deciperet.

V. 7. CIRCA MEDIUM LACI. Hebr. *ad medium putei*, sive *cisternae*, id est prope cisternam, quae ad medium urbis erat, quo eos deduxerat. Constructio inversa. IPSE interfecit eos, scilicet Ismael: sic Gotth. non *ipsi*, ut Lovan.

V. 8. THESAUROS, scilicet occultos, apothecas, horrea habemus. Belli metu annonam occultarant. Sic decem e Sichimitis dixerunt.

V. 9. PROIECERAT, seu *proiecit*, ut Sept. & Chald. PROPTER GODOLIAM. Hebr. *in manu Godoliae*, id est propter Godoliam: sic Chald. aut *manus* pro *loco*. In loco Godoliae ubi ille erat, ut occisus est: sic Heb. Schol. LACUS .... IPSE EST, QUEM FECIT

MALVENDAE.

Verſ. 1. ET FACTUM EST IN MENSE SEPTIMO, &c. Vide de hoc verſu in II. Reg. XXV. 25. DE SEMINE REGALI. Hebr. *de ſemine regni*, hoc eſt regio. ET OPTIMATES REGIS. Hebr. *&* *magiſtri*, ſeu *præfecti regis*. ET DECEM VIRI CUM EO, ſive *id eſt*, *decem viri cum ipſo*. Sic, inquiunt, paucis odii & conſpirationis cauſa oſtenditur, quod hic Iiſmahel, & illi decem principatum in regno ſibi aſſerebant, indignumque putabant, novum hominem in adminiſtratione anteponi ſibi. Quamobrem non hos ſolos veniſſe putandum eſt, ſed cum ſuo comitatu ſingulos, ut ex ſequente hiſtoria liquet: neque ſoli undecim homines tanta patrare potuiſſent, quanta ſequentibus verſibus narrantur. Ita quidem acute & ſubtiliter Hebræorum Interpretes excogitarunt, auctore Kimchio. Sed ſupra cap. XL. 14. diſerte ſcribitur, Iiſmahelem a Bahaliſo rege Hammonitarum fuiſſe ſubornatum. Forte ut Hammonita poſſet potiri reliquiis Iudæorum. Utrumque potuit accidere, & inſtinctu Hammonitæ, & propria regnandi cupidine Iiſmahel facinus perpetrarit.

V. 2. ET INTERFECERUNT EUM. Hebr. *& mori fecit eum*. Alii: *ita morte affecit eum*.

V. 4. SECUNDO AUTEM DIE, &c. Alii I. *Fuit autem die ſecundo, ex quo morte affecerat Ghedaliam: cum adhuc nemo cognoſceret, ut venirent homines*, &c. II. *Factum eſt autem die altero poſt cædem Ghedaliæ, quæ adhuc latebat*, vel *idque nemine ſciente*, eorum ſcilicet, qui incolebant Mitzphah: nam per breve illud tempus recte potuit latere cædes.

V. 5. VENERUNT VIRI DE SICHEM, ET DE SILO, ET DE SAMARIA. Quidam: *Ut venirent homines Schecemo, Schilunte, & Schomrone*, id eſt e tribu Ephraiimi, unde proficiſcentibus in locum ſanctum iter erat per Mitzpam Biniaminitarum. RASI BARBA, ET SCISSIS VESTIBUS, ET SQUALLENTES. Aliqui reddunt ex Hebr. *raſi barba, & laceri veſtibus, ac incidentes ſeſe*; id eſt, externo cultu teſtificantes luctum ſuum de calamitate publica, more gentibus accepto, contra legem Levit. XIX. 27. & XXI. 5. Videntur vero vel omnes, vel magna pars iſtorum fuiſſe Chuthæi, de quibus II. Reg.

XVII. ET SQUALLENTES. מתגודדים *mithghodedim*, participium Hithpahel, varie reddunt. Forsterus: *& irrupti*, seu *excursi*; & dicitur, inquit, de irruptione seu incursione, quæ fit cultris in cutem corporis. Alii: *& incidentes, lancinantes, lacernantes sese*; id est, carnes suas lacerantes, & incidentes: de quo ritu vide in Levit. XIX. 28. XXI. vers. 5. Deuter. XIV. 1. II. Regum XVIII. 28. & supra cap. XVI. 6. Aliqui reddunt: *laniata*, vel *scissa facie*, cultris videlicet aut unguibus. ET MUNERA, *mincha*, *munus*, *donum*, *oblationem*, *sacrificium farinaceum*, aut *cibarium*, de quo Levit. VII. UT OFFERRENT IN DOMO DOMINI. At tunc templum iam funditus eversum erat. Plerique putant, istos adiisse Mitzphah, ubi tunc temporis exusto templo erectum fuerat altare, & ubi reliquiæ Iudæorum colligebantur: ut olim sane fuit locus sacris Israelitarum conventibus celebris: vide Iudic. XX. 1. Sed præstat quod alii exponunt: *ut afferrent in domo Iehovæ*, id est in locum, ubi fuerat Domus Dei, a Deo electum, Deuter. XII. 11. Remanserant proculdubio aliquot parietinæ excisi templi, ut porticus Salomonis tempore Christi Ioan. X. 23. indicio est.

V. 6. INCEDENS. Hebr. *ambulans ambulando*, vel *iens eundo*. Quidam: *indesinenter procedens*, quousque perveniret ad eos. ET PLORANS: seu *lacrymans*, *flens*; id est, perfidissime eumdem luctum simulans: simulabat enim se tristem & luctuosum ob ea quæ acciderant Ierusalaimis & templo. ET DIXIT AD EOS: VENITE AD GODOLIAM. Probans videlicet illorum animum, & tamquam poeticus ille Sinon expiscans quo animo in Godoliam essent.

V. 7. QUI CUM VENISSENT AD MEDIUM CIVITATIS, &c. Alii ex Hebr. hunc versum exponunt: I. *Qui cum venissent in mediam urbem, trucidavit eos Iismahel filius Nethaniæ in medio laci*, vel *& in medium laci coniecit, ipse, & qui cum eo erant, viri*. Quod enim ii occisi non fuerint in fovea ipsa, sed occisi in illam coniecti, ex vers. 9. apparet. II. *Sed fuit cum pervenissent in medium civitatis, ut iugulans eos Iischmahel filius Nethaniæ proiiceret in medium foveæ, ipse, & viri, qui erant cum ipso*. De hoc more loquendi Hebræis usitato, vide Forsterum in Præfatione Dictionarii §. 52.

V. 9. PROPTER GODOLIAM. Hebr. *in manu*, vel *ad manum Ghedaliæ*. Alii: *ad latus Ghedaliæ*. Possunt intelligi vel illi solum, quos simul cum Ghedalia interfecit, supra vers. 3. vel ii octoginta viri: sed omnes accipio, qui omnes & interfecti sunt propter Ghedaliam, & fere simul cum eo. IPSE EST, QUEM FECIT REX ASA PROPTER BAASA REGEM ISRAEL. Alii: *ea est, quam fecerat Rex Asa metu Bahaschæ regis Iisraelis*. Videtur fuisse fossa circum urbem ducta munitionis causa, ut fit in urbibus munitis, quam Hispanice *fosso* vocamus, quæ repleri etiam aquis solet. De hac nihil diserte in Scriptura reperitur: sed verisimile est tunc effosam, quando Asa ex lapidibus & lignis Ramæ ædificavisse Metzpam legitur I. Samuel XV. 22. vide in I. Machab. VII. 19. & II. Machabæor. XIII. 4.

V. 10. FILIAS REGIS. Incertum cuiusnam regis, an Iehoiakimi, an Iechoniæ, an Tzidkiiæ, quod est verisimilius, de quibus intra cap. LXIII. 6. QUOS COMMENDAVERAT NEBUZARDAN PRINCEPS MILITIAE GODOLIAE: vel *quos commiserat*, *deposuerat apud Ghedaliam*. Alii: *quibus præfecerat Nebuzaradan præfectus Satellitum Ghedaliam*.

V. 12. AD AQUAS MULTAS, QUAE SUNT IN GABAON. Alii: *ad aquas amplas, quæ sunt in Gibhone*, id est piscinam magnam, de qua II. Samuel. II. 13. uti Chaldæus Interpres exposuit. Quidam explanant. Id est iuxta loca palustria, quæ erant in valle radicis montis Gabaon.

V. 14. REVERSUSQUE ABIIT AD IOHANAN. Hebr. *& reversi sunt, & ambulaverunt ad Iochananem*. Non placet quod quidam reddunt: *rursusque venirent ad Iochananem*; non enim ante fuerant cum Iochanane, sed deserto Iismahele receperunt se ad Iochananem.

V. 17. ET SEDERUNT PEREGRINANTES IN CHAMAAM. Alii ex Hebr. *& habitaverunt in Gheruth Chimham*; nam גרות *gheruth*, quod Noster reddidit *peregrinantes*, ut nomen proprium accipiunt. Plerique tamen exponunt: Et habitaverunt, seu consederunt in habitatione Chimham. Tremellius, Iunius, Buxtorfius: *& consederunt in hospitio Cimhami*. Locus videtur fuisse Cimhamo filio, ut putatur Barzillai, a Davide attributus de patrimonio ipsius Bethlechemitico in tribu Iehudæ: vide II. Samuel.

medium laci, ut significatur postea num. 9. LXX. ἔσφαξεν αὐτοὺς εἰς τὸ φρέαρ; quasi dicat, *Iugulavit eos, proiecitque in puteum*.

V. 8. THESAUROS; scilicet, repositum frumentum, oleum, mel.

V. 9. PROPTER GODOLIAM. Vide dicta proxime n. 7. QUEM FECIT REX ASA. Id nusquam in sacris litteris aperte scriptum est, sed tamen legimus III. Regum cap. XV. 22. Asa regem Iuda munivisse Masphath propter Baasam regem Israel, quocum tota vita bellum gessit, & est verosimile tunc ad muniendam urbem hanc, lacum sive puteum fieri iussisse.

V. 10. FILIAS REGIS, Sedeciæ, cuius filii trucidati fuerant cap. XXXIX. 6. filias autem credibile est cum ignobili vulgo Godoliæ commendatas remansisse, utpote a quibus nihil periculi timeretur. ABIIT, UT TRANSIRET AD FILIOS AMMON: illis fortasse pro mancipiis usurus, vel Ammonitis mancipaturus.

V. 11. OMNES PRINCIPES BELLATORUM. Multi duces fugiente rege Sedecia huc illuc fugerunt, ex quorum numero hi erant.

V. 12. AD AQUAS MULTAS: intelligit piscinam Gabaon, sive agrum robustorum, cuius est mentio II. Reg. II. 13. erat Gabaon in via Masphath ad Ammonitas.

V. 13. OMNIS POPULUS, captivorum. LAETATI SUNT: agnoverunt enim eos adesse suæ vindices libertatis.

V. 14. REVERSUS EST OMNIS POPULUS, &c. Ismahele fuga lapso, ut dicitur n. 15.

V. 15. CUM OCTO VIRIS. Videtur Ismahel arma expedivisse, & aliquamdiu restitisse, & duobus ex suis occisis aufugisse, nam dicitur n. 1. venerat cum decem viris.

V. 16. DE MASPHATH, id est quas Ismahel captivas duxerat de Masphath.

V. 17. SEDERUNT, id est habitaverunt, sedes suas fixerunt. IN CHAMAAM. Heb. est, *In loco in quo peregrinatus est Chamaam*, id est in loco, quem David dedit Chamaam filio Berzellai, eo quod se, cum fugeret Absalonem, secutus esset, II. Reg. XIX. 37.

V. 18. QUIA PERCUSSERAT ISMAHEL: rati Chaldæum nullo discrimine in Iudæos omnes quasi Godoliæ, & Chaldæorum necis auctores, ultorem exercitum missurum.

TIRINI.

Vers. 1. Optimates regis trahit secum Ismahel, ut omnem mali suspicionem eximat Godoliæ. *Decem viros* adhibet audaces & pugnaces, quos Itali *bravos* vocant, qui facinus patrent. Porro ob cæsum Godoliam induxerunt Iudæi perpetuum ieiunium mense septimo, cuius meminit propheta Zacharias *a*. Sicut ob captum & excæcatum paucis ante mensibus Sedeciam regem, ieiunium instituerunt die sexto mensis octavi, ut videre est in Menologio Hebræorum apud Genebr.

V. 3. Omnes quoque Iudaeos et Chaldaeos qui erant *ibi* in palatio cum Godolia, et viros bellatores, qui erant pro excubiis percussit Ismahel, vino somnoque sepultos, inquit Iosephus *b*. Et sic facile celavit facinus,

V. 4. Nullo adhuc sciente quid factum esset. Atque ita imposuit Sichemitis, Siloitis & Samaritis, qui

V. 5. Rasi barba, et scissis vestibus, ut solebant in magno luctu, prorsusque squallentes; Hebraice מתגדדים *mitgodedim*, id est incisi, lacerati unguibus faciem, pectus & manus, hoc ritu *lugentes* (ut vertunt LXX.) excidium sanctæ civitatis, & templi, veniebant *oblaturi* thus et alia munera in domo Domini; id est, in eo loco quem Deus templo olim erigendo, & post iterum instaurando delegerat, inquit a Castro, Sanchez & a Lapide. Et verosimile est, altare aliquod eo in loco, iussu Godoliæ excitatum fuisse inter rudera templi, ubi victimæ offerri possent Deo. Patet ex Baruch I. 10. ubi Iudæi Babylone pecunias mittunt Ierosolymam, ut iis victimæ coemantur offerendæ Deo. Sic post excidium Titi quotannis Ierosolymam advolabant Iudæi, ut lugerent urbis & templi vastationem: inquit S. Hieron. *c*

V. 9. Hos omnes occidit Ismael propter Godoliam; id est, propter odium quo flagrabat in Godoliam, occidit etiam omnes fautores Godoliæ. Hos vero favere Godoliæ, vel inde deprehenderat, quod, cum vers. 7. ab Ismahele invitarentur ut Godoliam occiderent, eum pro duce Iudæorum agnoscerent, ac muneribus decorarent, ipsi ex templo consensissent & obsecuti fuissent. Occisorum cadavera *projecit in lacum*, quem rex Asa *d* olim *fecerat* propter Baasa, id est contra excursiones Baasæ & Israelitarum, prospiciens Masphathitis suis de puteo, seu cisterna, qua refocillari possent: ita Rabanus, Hugo, S. Thomas & Lyranus.

V. 19. Filiae regis hic & cap. XLIII. 6. vocantur quæ vel propriæ erant Sedeciæ, sed adhuc parvulæ; vel quæ ex cognatis regis procreatæ erant: ab hoc enim sexu non erat cur sibi metuerent Chaldæi.

V. 12. Ad aquas multas. Chaldæus, *ad piscinam magnam Gabaon*, de qua alibi *e*.

V. 17. Chamaam vicus est iuxta Bethlehem, quem David *f* dedit *Chamaamo* filio Berzellai, eo quod sibi, cum fugeret Absalomum, fidus socius adhæsisset: ita Chaldæus, S. Hieronymus *g*, Vatablus & Pagninus.

(a) Zachar. VIII. 19.
(b) Antiq. cap. XI. Iosep. Lib. X.
(c) Hieron. in cap. I. Sophoniæ.
(d) III. Reg. XV. II.
(e) II. Reg. II. 13.
(f) II. Reg. XIX. 37.
(g) Hieron. in Locis Hebr.

GORDONI.

Vers. 9. Lacus iste est puteus, vel cisterna facta, ut incolæ haberent aquas: vide Lib. III. Reg. cap. XV. 17.

Ex Eiusdem Auctario.

Vers. 1. Optimates Regis, Amonitarum, qui specie honoris ficta, venerunt ad Godoliam. Decem viri, sicarii.

Vers. 4. Nullo sciente, extra urbem.

Vers. 5. In domo Domini; vel, loco ubi fuerat templum.

Vers. 7. Circa medium: iuxta lacum, aut puteum intra urbem: vide hic vers. 9.

V. 10. Filias regis, Sedeciæ.

Vers. 18. Hi percussores Ismaelis timebant ne Chaldæi, nullo habito discrimine, etiam in eos sævirent propter mortem Godoliæ, cogitant ire in Ægyptum.

CA-

IEREMIAE



CAPUT XLII.

Ieremias ad orandum ac consulendum Dominum pro reliquiis Iudæorum, pondet ipsos fore salvos si in Iudæa maneant: si autem in Ægyptum fugiant, dicit eos omnes gladio, fame, & peste morituros.



T acceſſerunt omnes principes bellatorum, & Iohanan filius
Caree, * & Iezonias filius Oſaiæ, & reliquum vulgus a
parvo uſque ad magnum: 2. Dixeruntque ad Ieremiam pro-
phetam: Cadat oratio noſtra in conſpectu tuo: & ora pro
nobis ad Dominum Deum tuum, pro univerſis reliquiis i-
ſtis; quia derelicti ſumus pauci de pluribus, ſicut oculi tui
nos intuentur: 3. Et annuntiet nobis Dominus Deus tuus
viam, per quam pergamus, & verbum, quod faciamus. 4.
.t autem ad eos Ieremias propheta: Audivi: ecce ego oro ad Dominum
ım veſtrum ſecundum verba veſtra: omne verbum, quodcumque reſponde-
mihi, indicabo vobis; nec celabo vos quidquam. 5. Et illi dixerunt ad Ie-
niam: Sit Dominus inter nos teſtis veritatis & fidei, ſi non iuxta omne ver-
m, in quo miſerit te Dominus Deus tuus ad nos, ſic faciemus. 6. Sive bo-
n eſt, ſive malum, voci Domini Dei noſtri, ad quem mittimus te, obedie-
.s: ut bene ſit nobis cum audierimus vocem Domini Dei noſtri. 7. Cum au-
ı completi eſſent decem dies, factum eſt verbum Domini ad Ieremiam. 8.
ıcavitque Iohanan filium Caree, & omnes principes bellatorum, qui erant
n eo, & univerſum populum a minimo uſque ad magnum. 9. Et dixit ad
: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael, ad quem miſiſtis me, ut proſternerem
:ces veſtras in conſpectu eius: 10. Si quieſcentes manſeritis in terra hac,
ificabo vos, & non deſtruam; plantabo, & non evellam: iam enim placatus
n ſuper malo quod feci vobis. 11. Nolite timere a facie regis Babylonis,
:m vos pavidi formidatis: nolite metuere eum, dicit Dominus: quia vobi-
m ſum ego, ut ſalvos vos faciam, & eruam de manu eius. 12. Et dabo vo-
miſericordias, & miſerebor veſtri, & habitare vos faciam in terra veſtra.
. Si autem dixeritis vos: Non habitabimus in terra iſta, nec audiemus vo-
n Domini Dei noſtri, 14. dicentes: Nequaquam, ſed ad Terram Ægypti
gemus: ubi non videbimus bellum, & clangorem tubæ non audiemus, &
ıem non ſuſtinebimus: & ibi habitabimus. 15. propter hoc nunc audite ver-
n Domini reliquiæ Iuda: Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Iſrael: Si
ueritis faciem veſtram ut ingrediamini Ægyptum, & intraveritis ut ibi habi-
s: 16. gladius, quem vos formidatis, ibi comprehendet vos in Terra Ægy-
: & fames, pro qua eſtis ſoliciti, adhærebit vobis in Ægypto, & ibi mo-
nini. 17. Omneſque viri, qui poſuerunt faciem ſuam ut ingrediantur Ægy-
m, ut habitent ibi, morientur gladio, & fame, & peſte: nullus de eis re-
nebit, nec effugiet a facie mali, quod ego afferam ſuper eos. 18. Quia hæc
t Dominus exercituum, Deus Iſrael: Sicut conflatus eſt furor meus, & indi-
tio mea ſuper habitatores Ieruſalem: ſic conflabitur indignatio mea ſuper vos,

cum

cum ingressi fueritis Ægyptum, & eritis in iusiurandum, & in stuporem, & in maledictum, & in opprobrium: & nequaquam ultra videbitis locum istum. 19 Verbum Domini super vos reliquiæ Iuda: Nolite intrare Ægyptum: scientes scietis quia obtestatus sum vos hodie, 20. quia decepistis animas vestras: vos enim misistis me ad Dominum Deum nostrum dicentes: Ora pro nobis ad Dominum Deum nostrum, & iuxta omnia quæcumque dixerit tibi Dominus Deus noster, sic annuntia nobis, & faciemus. 21. Et annuntiavi vobis hodie, & non audistis vocem Domini Dei vestri, super universis pro quibus misit me ad vos. 22. Nunc ergo scientes scieti, quia gladio, & fame, & peste moriemini in loco, ad quem voluistis intrare ut habitaretis ibi.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

Vers. 1. *Et Iezionas filius Osaiæ*. Non est scribendum *Osiæ*, vel *Iosiæ* pro *Osaiæ*; sicut nec infra XLIII. 2. ubi legitur: *Dixit Azarias filius Osaiæ*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 2. CADAT ORATIO NOSTRA; id est, valeat apud te oratio nostra, exaudi nos, sine te a nobis exorari, concede hoc precibus nostris. Hebraismus, ut sup. XXXVI. 7. & XXXVII. 19. & XXXVIII. 26. Eadem phrasis sequitur paulo post vers. 9. Hunc esse sensum huius phrasis intelligitur ex vers. 4. ubi Propheta respondet, AUDIVI, id est exoratus sum.

V. 5. SIT DOMINUS INTER NOS TESTIS VERITATIS, ET FIDEI. Forma iurandi est apud Hebræos, pro, Iuramus per Deum verum, & fidelem: aut, Dominus testis nobis sit verus, & fidelis, ut Genes. XXXI. 48. *Tumulus iste erit testis inter me, & te hodie*. Et I. Reg. XX. 23. *De verbo autem quod locuti sumus ego & tu, sit Dominus inter me, & te usque in sempiternum*, id est iuremus nos celaturos. Et rursus vers. 42. *Dixit ergo Ionathas ad David, vade in pace: quæcumque iuravimus ambo in nomine Domini, dicentes: Dominus sit inter me, & te, & inter semen tuum, & semen meum usque in sempiternum*. Hoc ergo loco, *Inter nos*, significat inter principes, & populum una ex parte, & Ieremiam ex altera. SI NON IUXTA OMNE VERBUM. Oratio est suspensa, atque concisa, qua Hebræi post verba iurandi uti solent, ut Psalm. LXXXVIII. 36. *Semel iuravi in sancto meo, si David mentiar*: & Psal. XCIV. 11. *Ut iuravi in ira mea, si introibunt in requiem meam*. Aliquando autem generaliter declaratur, quod alias subintelligi solet, ut Ruth I. 17. *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si non sola mors me, & te separaverit*: & I. Regum XXV. 22. *Hæc faciat Deus inimicis David, & hæc addat, si reliquero de omnibus, quæ ad ipsum pertinent usque mane mingentem ad parietem*. Aliquando nominatim, ut Psalm. CXXXVI. *Si oblitus fuero tui Ierusalem, oblivioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui*. Aliquid ergo simile hoc loco intelligendum est, ad explendam vacuam orationem.

V. 6. SIVE BONUM, SIVE MALUM: nobis fuerit, id est sive prospera, sive adversa nobis denuntiaveritis: nihil enim mali Deus facere potest. Hic est finis longissimæ parenthesis, quæ cap. XL. 12. inchoata fuerat, & versu sequenti incipitur prophetia.

V. 10. SI QUIESCENTES: אם שוב תשבו, *si manendo manseritis*, aut *si habitando habitaveritis*; id est, si omnino habitaveritis, ita ut ne cogitetis quidem de abitu in Ægyptum. ÆDIFICABO vos, id est stabiliam, & multiplicabo: phrasis explicata est supra I. 10. & XVIII. 9. & XXXIII. 7. Alludit autem hoc loco ad promissionem factam illis locis. IAM ENIM PLACATUS SUM SU-

17. *Et direxit faciem suam, ut ascenderet in Ierusalem*: & Dan. xi. 17. *Et ponet faciem suam, ut veniat ad tenendum universum regnum eius*. Hunc Hebraismum Lucas Græce scribens imitatus est cap. ix. 51. *Et ipse faciem suam firmavit, ut iret in Ierusalem*.

V. 16. Adhaerebit vobis; id est, in vestris visceribus fames inclusa erit perpetuo, quamvis panis copiam habeatis. Patiemini caninam famem, ut medici vocant. Famem patiemini, ut canes, & circuibitis civitates, Psalm. lviii. 7. 15. Heb. ידבק אחריכם, *adhærebit post vos*; id est, prope vos persequetur, quocumque eatis, sequetur vos.

V. 18. Conflatus est: נתך, *effusus est*: metaphora sumpta ex metallis, quæ in fornace diuturnis ignibus conflata, magno impetu erumpunt, atque effunduntur; sic enim ira Dei solet effundi, ut Seneca elegantissimo carmine descripsit. Super habitatores Ierusalem, qui captivi ducti sunt, quia vocem meam non audierunt; id est, sicut illos tractavi, tractabo vos, si me non audieritis. In iusiurandum, id est in execrationem: לאלה, *in imprecationem*: ita ut quicumque vult aliquem devovere, dicat, Accidat tibi quod accidit Iudæis, qui in AEgyptum fugerunt, ut infra xliv. 12.

V. 19. Verbum Domini super vos. Hoc est, quod sequitur, Nolite intrare in AEgyptum. Hebræi nunc legunt, דבר יהוה *diber*, *locutus est Dominus*. Septuag. verterunt, ἃ ἐλάλησεν κύριος, *quæ Dominus locutus est*. Noster Interpres aliis punctis legit דבר *dabar*, *verbum*; melius, quia magis usitate: sic enim Prophetæ fere semper loqui solent. Scientes scietis, id est scitote. Futurum Hebraicum pro imperativo. Memores estote, quod ego hodie vobis sim contestatus.

V. 20. Decepistis animas vestras. Hebraismus; id est, ficto ac simulato animo cum Deo egistis, ut statim explicatur, Vos enim misistis me; vel, decepistis quantum in vobis fuit Deum, in periculum animarum vestrarum, id est contra vitam vestram, ut supra xxxvii. 8. *Nolite decipere animas vestras, dicentes: Euntes abibunt, & recedent a nobis Chaldæi*. Alii minus proprie, & magis audacter interpretantur, *quia decepistis me cogitationibus vestris*.

V. 22. In loco ad quem voluistis intrare, id est in AEgypto. Videbat Ieremias eos certos esse eundi in AEgyptum, quia aut indicaverant, aut plane dixerant, quamvis eorum verba non posuerit usque ad vers. 2. capitis sequentis.

S A.

Vers. 1. CADAT, id est grata sit. Chald. *sit acceptabilis*.

V. 3. Verbum, id est rem.

V. 4. Audivi, pro, exaudivi, scilicet vos; quasi dicat, Faciam, vel intellexi quid optetis, faciam. Secundum verba vestra, id est ut petitis.

V. 5. Veritatis et fidei. Chald. *verus & fidelis*. LXX. *iustus & fidelis*; quasi dicat: Testamur Deum nos facturos, &c.

V. 6. Bonum, id est prosperum, seu iucundum. Malum, id est adversum, seu amarum.

V. 7. Cum autem, &c. Hæc referuntur ad principium capitis 40. reliqua enim velut parenthesis sunt.

V. 10. Placatus sem. Hebr. *pœnitet me*. Chald. *conversus sum*.

V. 15. Posueritis faciem vestram, id est firmiter statueritis.

V. 18. Conflatus, id est effusus, ut metalla conflata. LXX. *stillavit*. Iusiurandum, id est execrationem. LXX. *desolationem*.

V. 20. Decepistis, scilicet si intretis.

V. 21. Et non audistis; pro, si non audieritis.

E S T I I.

Vers. 5. ET illi dixerunt ad Ieremiam: Sit Dominus inter nos testis ..... si non iuxta omne verbum, in quo miserit te Dominus, sic faciemus. Quod dicunt, *Sit Dominus inter nos testis*, iuramentum est; & quotiescumque ad alicuius rei confirmationem dicimus: Testis est Deus, vel testor Deum, vel testem Deum invoco, iuramentum est; & non tantum, si quis expresse dicat: Iuro Deum, vel per Deum; quemadmodum graviter docet August. pluribus locis. Immo expressius est iuramentum, quo dicitur: Testis est Deus, quam quo dicitur, Iuro; quia illud explicat rationem iuramenti, quæ est, Deum testem advocare, aut adhibere ad confirmandum id quod dicitur. Quod autem sequitur, (*si non iuxta omne verbum in quo miserit te Dominus, sic faciemus*) non ita cohæret cum præcedentibus, ut hunc sensum faciat: Sit Dominus testis, si non faciamus iuxta verbum tuum, nam sensus ille ineptus est & incompletus, & nihil significat ad propositum. Sed prior pars sic seorsim accipienda est: Sit Dominus inter nos testis veritatis & fidei, id est promissi nostri: posterior vero pars more Hebræo, sic suppleatur: Et male nobiscum agatur, si non iuxta omne verbum tuum faciamus.

V. 19. Verbum Domini super vos reliquiae Iuda: Nolite intrare AEgyptum: scientes scietis, quia contestatus sum vos hodie. Allegorice nobis hic insinuatur utilissima doctrina, si per Iudæam, Ecclesiam Christi; per AEgyptum vero, societatem malorum & hæreticorum intelligamus. Etenim contingit aliquando tentari eos, qui sunt in ecclesia Dei, ut propter aliqua adversa, quæ in Ecclesia tolerant, ab ecclesia recedant, & iungant se societati hæreticorum, aut quorumcumque hominum huius sæculi, tamquam in ea pacem & securitatem habituri: sed respondet eis Dominus, per prophetam, id est per scripturas sacras, & præcones verbi Dei; quod etsi exterius, & ad tempus persecutiones, vel alias molestias in ecclesia patiantur; in ea tamen sola, eos inventuros veram pacem, id est conscientiæ tranquillitatem; ac tandem, æternam pacem, & salutem consecuturos, si in ea permanserint. Si autem ab ea recesserint, & societati malorum se iunxerint, licet ad tempus videantur adepti pacem huius sæculi (quæ tamen non est pax vera) tandem tamen eos omnes in potestatem regis Babylonis, id est diaboli tradendos.

M A R I A N AE.

Vers. 1. ET accesserunt. Consultus Ieremias, ne Iudæi irent in Ægyptum suadet, illi nolunt obedire. Filius Osaiae. Alii *Iosiæ*, ut Gotth. Alii *Osiæ*, sed falso.

V. 2. Cadat oratio nostra, id est exaudi nos. Sic Ieremias vers. 4. respondet.

rertas, commodior redditur sensus. SI PO-
iUERITIS. Hebr. *ponendo posueritis*, id est omnino decrevistis. FACIEM VESTRAM. Id auget etiam significationem; quasi dicat, Si obfirmato animo decrevistis ire in Ægyptum, UT IBI HABITETIS. Sic Sept. & Chald. Sed verti etiampotest, *ut peregrinemini ibi*: גור *ghur* & *peregrinari* & *habitare* significat.

V. 16. ET FAMES, PRO QUA ESTIS SOLICITI. Sic Chald. Sept. *cuius vos curam habetis*. Hebr. *quam metuitis*. ADHAEREBIT VOBIS. Hebr *adhærebit post vos*, id est vos sequetur malignitas annonæ, quocumque ibitis: etiam IN AEGYPTO, frugum alioqui fertilissima, vos sterilitas sequetur. Ad hæe: qui iverint in AEgyptum,

V. 17. UT HABITENT IBI, aut *peregrinentur*, ut vers. 15. morientur gladio.

V. 18. CONFLATUS EST. Hebr. *effusus est*. Sept. *stillavit*. Chald. *resedit furor meus*, id est non ad tempus breve, sed ad longum afflixit. HABITATORES IERUSALEM: quorum urbem everti, eosque in captivitatem misi, sic vobis faciam. ET ERITIS IN IUSIURANDUM. Heb. *in execrationem*. Dicent enim in cuius caput malum detestabuntur: Sic accidat, ut Iudæis.

V. 19. VERBUM DOMINI SUPER VOS, scilicet hoc est, quod Deus vobis iubet. Hebr. *locutus est Dominus super vos*. Sept. *quæ locutus est Dominus*, scilicet sunt sequentia. Ubi Hieronymus legit nomen, alii verbum legerunt. Ille דבר *dabar*, alii דבר *dibber* mutatis tantum punctis. Sententia tamen est eadem. SCIENTES SCIETIS. Heb. *sciendo scietis*, pro, scitote. Recordamini quod hodie testor vobis,

V. 20. QUIA DECEPISTIS ANIMAS VESTRAS. Hebr. *in animabus vestris*. *Anima* pro voluntate. Finxistis vos velle obedire, cum corde alius contineretis. Linguæ cor non respondit. Aut sic, *decepistis* (scilicet me) *in animas vestras*, id est contra vitam vestram. In quo decepistis? Vos ENIM MISISTIS ME. Quorsum me misistis ad Deum, si vobis deliberatum erat secus facere?

V. 22. SCIENTES SCIETIS. Hebr. *sciendo scietis*, id est omnino ita fiet. IN LOCO AD QUEM VOLUISTIS; pro, vultis, id est placet vobis INTRARE, seu *ire*. UT HABITARETIS IBI, seu *peregrinaremini ibi*, fames erit & pestis.

MAL-

MALVENDAE.

Verf. I. **F**ILIUS OSAIAE. Hebr. *Hosaghiah*, vel *Hoschabaiæ*, qui erat Mahachathita e tridu Iehudæ posteri Calebi: vide supra cap. XL. 8. & II. Reg. XXV. 23.

V. 2. CADAT ORATIO NOSTRA IN CONSPECTU TUO. Heb. *Cadet obsecro gratia nostra ad facies tuas*. Alii I. *Sine, quæso, te exorari*: vide de hac locutione supra cap. XXXVIII. 26. II. *Procidat, quæso, deprecatio nostra a conspectu tuo*; vel *Procidens, quæso, deprecare nomine nostro*: sic infra vers. 9.

V. 4. NEC CELABO VOS QUIDQUAM. Alii ex Hebr. *non cohibebo a vobis verbum*; id est, non reticebo aut dissimulabo quidquam eorum, quæ Deus meus significaverit.

V. 5. SIT DOMINUS INTER NOS TESTIS VERITATIS ET FIDEI, &c. Quidam reddunt: *Sit Iehova nobis in testem veritatis & fidelem*; vel *testis verus & fidus, nisi prorsus secundum verbum, cuius causa miserit te Iehova Deus tuus ad nos, ita faciemus*, vel *fecerimus*.

V. 10. SI QUIESCENTES MANSERITIS IN TERRA HAC. Heb. *Si manendo manebitis in terra ista*. Quidam infinitum שוב *schob*, non ex ישב *iaschab*, sed ex שוב *schub*, deducunt, redduntque: *Si revertendo*, vel *reversi manseritis in terra hac*. Videlicet, si reversi fueritis ab instituta profectione in AEgyptum, quam falso dissimulaverant coram propheta: vide supra cap. XLI. 17. & infra ver. 20. Vide Thesaurum Sanctis colum. 1081. IAM ENIM PLACATUS SUM SUPER MALO QUOD FECI VOBIS. Alii: *quia pœnituerit me eius mali, quo afficio vos*. Humanitus dictum, ut Genes. VI. 6. Sunt autem huius prophetiæ partes duæ; prior dilemmatica, qua hypothetice propheta consilio Dei exposito declarat, cum quid Deus manentibus promittat, his tribus versibus, tum quid interminetur proficiscentibus in AEgyptum, usque ad vers. 19. posterior vero categorica, qua reprehendens propheta ludificationem illorum, & consilium Deo immorigerum, denuntiat Dei verbis iudicium severissimum, ad finem usque capitis.

V. 12. ET DABO VOBIS MISERICORDIAM, &c. Alii hunc versum ex Heb. reddunt: *I. Dabo enim vobis miserationes, ut ille vestri misereatur*, scilicet ille rex Babyloniæ, *& permittet vobis habitare in terra vestra*. II. *Nam præstabo vobis misericordiam, ut misereatur vestri, restituat vos in terra vestra*.

V. 14. UBI NON VIDEBIMUS BELLUM. Alii: *ut non experiamur bellum*. ET FAMEM NON SUSTINEBIMUS. Heb. *ad panem*, vel *cibum non esuriemus*. Alii I. *nec cibi penuria laboremus*. II. *& cibi famem non patiamur*. ET IBI HABITABIMUS. Hebr. Alii: *denique illic habitemus*; non autem in diem commoremur, aut vagemur incertis sedibus, ut hic nobis propter Chaldæos faciendum esset. Quidam reddunt; *& ibi consistemus*, id est fixas sedes habebimus.

V. 15. SI POSUERITIS FACIEM VESTRAM UT INGREDIAMINI AEGYPTUM. Hebr. *Si ponendo posueritis faciem vestram ad ingrediendum in Ægyptum*. Alii I. *Si vos omnino disposueritis faciem vestram, ut ingrediamini Ægyptum*. II. *Si omnino firmiter statueritis in Ægyptum proficisci*. *Ponere faciem*, est firmum & fixum consilium seu propositum statuere aliquid faciendi: quod aliter in Scriptura efferri solet, *firmare faciem*, ut Lucæ IX. 51. Sic infra vers. 17. & cap. XLIV. 12.

V. 16. ADHAEREBIT VOBIS. Heb. *agglutinabit post vos*. Alii: *adhærescat post vos*, vel *persequatur vos*. Sic I. Paralipom. X. 2.

V. 18 QUIA HAEC DICIT DOMINUS EXERCITUUM, &c. Alii hunc versum ex Heb. reddunt: I. *Quia sic dicit Iehova exercituum, Deus Israelis: quemadmodum conflata est*, seu *effusa est, ira mea*: methaphora aut a metallis liquefactis, aut ab imbribus repente decidentibus, aut rapidissimo torrente, aut inundatione vehementissima aquarum: *& furor meus contra habitatores Ierusalaim; sic conflabitur*, seu *effundetur furor meus contra vos, si in Ægyptum profecti fueritis: eritis enim execrationi, stupori, contumeliæ, & opprobrio omnibus, nec locum hunc ultra videbitis*. II. *Nam sic ait Iehova exercituum Deus Iisraelis: Quemadmodum effusa est ira mea & excandescentia mea super habitatores Ieruschalaimorum; ita effundetur excandescentia mea super vos, cum ingressi fueritis Ægyptum: & eritis execrationi, & desolationi, maledictionique, & opprobrio, neque videbitis amplius locum hunc*. Confirmatio minarum præcedentium, a recente & domestico exemplo.

V. 19. VERBUM DOMINI SUPER VOS, RELIQUIAE IUDA, &c. Quidam hunc versum ex Hebr. reddunt: *Alloquitur Iehova vos, o reliquiæ Iehudæ, ne ingrediamini AEgyptum, sciendo scitote*, seu *omnino scitote*, ut infra vers. 22. *me contestari vos hodie*. Alteram

exaudi nos; sine te a nobis exorari. Hebraismus ut supra cap. XXXVI. 7. & cap. XXXVII. 19. & cap. XXXVIII. 26. eadem phrasis sequitur paulo post n. 9. RELIQUIIS ISTIS: populi tot cladibus superstitis.

V. 4. AUDIVI, id est exoratus sum, vel obedivi, obsecutus sum vestrae petitioni.

V. 5. SIT DOMINUS INTER NOS TESTIS VERITATIS, ET FIDEI; id est, iuramus, & testamur Deum, qui est testis, & vindex veritatis, & fidei nos vere, & fideliter facturos quidquid ex ore Dei iusseris. INTER NOS: inter principes, & populum ex una parte, & Ieremiam ex altera.

V. 6. SIVE BONUM, SIVE MALUM, id est, sive facile aliquid, sive durum; difficile, & grave imperaveris, sive prospera, sive adversa nobis denunciaveris. Hic est finis longissimae parenthesis, quae cap. XX. 2. inchoata fuerat: & versiculo proxime sequenti incipit prophetia. Vide dicta cap. XL. I.

V. 7. DECEM DIES. Cunctatus est Dominus diu respondere, quod videbat fore rebellibus hisce in perniciem, propter expressam pervicaciam, & inobedientiam contra Dei prohibitionem.

V. 9. UT PROSTERNEREM PRECES VESTRAS, &c. Vide dicta n. 2.

V. 10. SI QUIESCENTES MANSERITIS IN TERRA HAC. In Hebraeo est, *Si manendo manseritis*, vel, *si habitando habitaveritis*, ita ut ne cogitetis quidem de abitu in AEgyptum. AEDIFICABO VOS: stabiliam, & multiplicabo: occurrit haec phrasis supra I. 10. & XVIII. 9. & XXXIII. 7. Alludit autem hoc loco ad promissionem factam illis locis. Nolebat Deus Iudaeos ire in AEgyptum, ne forte fierent idololatrae more gentilium ibi degentium, ut patet ex cap. XLIV. 8. IAM ENIM PLACATUS SUM SUPER MALO; quasi dicat: Iam satis poenarum de vobis sumpsi, ideoque iam placatus, & vobis reconciliatus sum.

V. 14. NEQUAQUAM: scilicet audiemus vocem Domini: nequaquam faciemus, quod Dominus praecepit, sed potius ibimus in AEgyptum.

V. 15. PROPTER HOC, id est propter haec verba, si ea forte dixeritis: vel, propter hoc, si id forte feceritis. SI POSUERITIS FACIEM VESTRAM, &c. Hebraismus. Ponere faciem ad eundum, significat firmo consilio velle aliquo ire, quia qui obstinato animo in aliquem locum contendunt, in-

cum.

eum faciem ita dirigunt, ut nullis terroribus avertant.

V. 18. CONFLATUS EST. Heb. נתך *nittach*, id est *effusus est:* metaphora sumpta est ex metallis, quæ in fornace diuturno igne conflata, magno impetu erumpunt, atque effunduntur ad modum torrentis ignei. ERITIS IN IUSIURANDUM: eritis in אלה *alah*, id est in iuramentum execratorium, vel in imprecationem, ita ut iurantes dicturi sint, si fallo, Deus me perdat, sicut perdidit Iudæos, qui contra Domini voluntatem fugerunt in AEgyptum. IN STUPOREM, &c. ut scilicet omnes videntes cladem vestram stupeant, vobis maledicant, ut contumacibus, & perpetuo adhæreat memoriæ vestræ opprobrium, & dedecus huius inobedientiæ.

V. 19. VERBUM DOMINI SUPER VOS, &c. quasi dicat: Verbum Domini, quod est contra vos, est id, quod mox subdam. SCIENTES SCIETIS; quasi dicat: Quod si ergo pergere vultis, scitote, & memores estote eorum, quæ ego vobis prædico, vos obtestans ut pareatis Domino.

V. 20. DECEPISTIS ANIMAS VESTRAS: cum existimastis, & iurastis vos fore paratos ad Dei iussa capessenda. Vel, decepistis Deum, quantum in vobis fuit, in periculum, & perniciem animarum vestrarum.

V. 22. IN LOCO, AD QUEM, &c. id est in AEgypto.

TIRINI.

Vers. 2. ORATIO NOSTRA CADAT IN CONSPECTU TUO; id est, sit tibi placita & accepta, ut exaudiatur a te petitio nostra, quæ est, ut ores pro nobis Deum, eiusque nutum inquiras, an nos velit in Iudæa subsistere, an in AEgyptum profugere.

V. 5. & 6. SIT DOMINUS INTER NOS TESTIS VERITATIS ET FIDEI. LXX. Chaldæus & Vatablus, *sit Dominus testis verax & fidelis*; quasi dicat: Iuramus & testamur Deum, qui est testis & vindex veritatis & fidei, nos vere & fideliter facturos quidquid ex ore eius iusseris, SIVE BONUM, SIVE MALUM, id est sive felix, sive calamitosum id fuerit.

V. 10. SI MANSERITIS IN TERRA IUDÆÆ, AEDIFICABO VOS, ET PLANTABO. Utraque metaphora significat Deus solide fundandam & radicandam Ecclesiam, & perpetuis incrementis firmandam, propagandam, ampliandam. Utraque hac metaphora utitur etiam Apostolus, cum Corinthiis ait, *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis*.

V. 14. NEQUAQUAM: supple, manebimus in Iudæa.

V. 15. SI POSUERITIS FACIEM VESTRAM, id est si decreveritis, si firmiter statueritis fugere *in* AEGYPTUM: ubi enim cor est & amor, eo respiciunt & oculi, & intenta est facies.

V. 18. CONFLABITUR INDIGNATIO MEA SUPER VOS, id est effundetur ira mea in vos, metaphora desumpta a metallis, quæ dum conflantur, liquata magno impetu erumpunt & effunduntur instar torrentis ignei. ET ERITIS IN IUSIURANDUM, seu in iuramentum execratorium *a:* ut qui volet aliquem execrari, dicat: Deus te perdat sicut perdidit Iudæos qui contra iussum Dei profugerunt in AEgyptum.

V. 19. SCIENTES SCIETIS; id est, scitote & mementote, QUIA OBTESTATUS SUM VOS HODIE, id est protestatus sum, vosque ipsos, fidemque vestram, immo & iusiurandum vers. 5. a vobis præstitum, in testes advocavi, quod non obediendo voci Domini,

V. 20. DECEPISTIS ANIMAS VESTRAS, id est fefellistis vosmetipsos; quasi dicat, Forte putatis me ægre ferre quod me fallatis; magis fallitis vosipsos. LXX. & Chaldæus, *malefacitis animabus vestris*, Deum hoc pacto irritantes, & eius iram de novo in vos provocantes. Causa vero cur nollet Deus Iudæos ire in AEgyptum, inter alias erat, quod convictus AEgyptiorum idolis colendis addictissimorum, periculosus esset Iudæis libertate & opibus istic florentibus, ut patebit cap. XLIV. 19. & 25. Secus erat de Chaldæa, ubi dura servitus & vincula facile compescebant Iudæos ab illo scelere: immo tantum ipsi horrorem incusserunt, ut multis exinceps sæculis numquam idololatria se contaminarint. Cum hoc cap. S. Thomas, vel quicumque auctor est, morte preventus, finivit commentarium suum in Ieremiam.

(a Ierem. XIX. 18. & 22.

EX GORDONI AUCTARIO.

Vers. 2. CADAT ORATIO: placeat tibi.
Vers. 5. SI NON, id est facimus.
Vers. 6. SIVE BONUM, sive facile, sive durum, & difficile.

Vers.

Vers. 15. SI POSUERITIS FACIEM: si deverteritis firmiter.

Vers. 18. ERITIS IUSIURANDUM: eritis in imprecationem omnibus, & iuramentum execratorium, ut iurando maledicant vobis.

Vers. 19. SUPER VOS: contra vos.



CAPUT XLIII.

Reliquiæ Iudæorum non audientes Domini præceptum quod referebat Ieremias, proficiscuntur una cum Ieremia & Baruch in AEgyptum: ubi constitutus Ieremias vaticinatur regem Babylonis vastaturum Terram AEgypti cum idolis suis, eique dominaturum.



Factum est autem, cum complesset Ieremias loquens ad populum universos sermones Domini Dei eorum, pro quibus miserat eum Dominus Deus eorum ad illos, omnia verba hæc: 2. dixit Azarias filius Osaiæ, & Iohanan filius Caree, & omnes viri superbi, dicentes ad Ieremiam: Mendacium tu loqueris: non misit te Dominus Deus noster, dicens: Ne ingrediamini AEgyptum vt habiteris illic. 3. Sed Baruch filius Neriæ incitat te adversum nos, ut tradat nos in manus Chaldæorum, vt interficiat nos, & traduci faciat in Babylonem. 4. Et non audivit Iohanan filius Caree, & omnes principes bellatorum, & universus populus, vocem Domini, ut maneret in Terra Iuda. 5. Sed tollens Iohanan filius Caree: & universi principes bellatorum, universos reliquiarum Iuda, qui reversi fuerant de cunctis gentibus, ad quas fuerant ante dispersi, ut habitarent in Terra Iuda; 6. viros, & mulieres, & parvulos, & filias regis, & omnem animam, quam reliquerat Nabuzardan princeps militiæ cum Godolia filio Ahicam filij Saphan, & Ieremiam prophetam, & Baruch filium Neriæ. 7. Et ingressi sunt terram AEgypti, quia non obedierunt voci Domini: & venerunt vsque ad Taphnis. 8. Et factus est sermo Domini ad Ieremiam in Taphnis, dicens: 9. Sume lapides grandes in manu tua, & abscondes eos in crypta, quæ est sub muro latericio in porta domus Pharaonis in Taphnis, cernentibus viris Iudæis: 10. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Ecce ego mittam, & assumam Nabuchodonosor regem Babylonis servum meum: & ponam thronum eius super lapides istos, quos abscondi, & statuet solium suum super eos. 11. Veniensque percutiet Terram AEgypti; quos in mortem, in mortem; & quos in captivitatem, in captivitatem; & quos in gladium, in gladium. 12. Et succendet ignem in delubris deorum AEgypti, & comburet ea, & captivos ducet illos: & amicietur Terra AEgypti, sicut amicitur pastor pallio suo: & egredietur inde in pace. 13. Et conteret statuas domus Solis, quæ sunt in Terra AEgypti; & delubra deorum AEgypti comburet igni.

COM-

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. OMNIA VERBA HAEC. Appositio: nempe omnia verba hæc, quæ modo superiori capite recitata sunt.

V. 9. ET ABSCONDES EOS; id est, superextrues, ac lines luto, quasi fabricans ex illis solium, ut significes, fore ut rex Babylonis occupata Ægypto solium suum ponat in Taphnis: vel *abscondes*, sub terram, quasi alicuius ædificii fundamenta iaciens. Huc enim spectat, quod non qualescumque lapides sumere iubetur, sed magnos, quales in imis fundamentis poni solent. Sic interpretor, ut sensus prophetiæ conveniat. Nam quia Iudæi verbis Ieremiæ non crediderant, iubetur a Deo non solum verbis, sed rebus etiam ipsis futuram illis calamitatem antenuntiare; quod supra adnotavimus sæpe fieri solere. Sic iussus est Ieremiam lagenam in oculis Iudæorum confringere, cap. XIX. 10. Sic catenas collo suspensas portare, cap. XXVII. 2. Sic agrum emere ab Hanameel, cap. XXXII. 7. Sic hoc loco iubetur grandes lapides superstruere, aut abscondere sub terra, quasi ponens fundamenta regiæ, quam Nabuchodonosor in Taphnis ædificaturus erat. IN CRYPTA; id est, in loco subterraneo, in caverna, ex qua terra effodiebatur ad faciendum lutum, ex quo lateres conficiebantur. Hebr. במלט, quod R. David interpretatur *lutum*, ex quo lateres fiunt, aut cæmentum ex calce, & arena confectum. QUAE EST SUB MURO LATERICIO, qui lateribus ædificatus erat, qui confecti fuerant ex terra effossa ex proxima crypta. Hebr. במלבן, quem R. David dicit locum esse ubi lateres coquuntur. Quod bene convenit; credibile enim est fornacem, qua lateres coquebantur, fuisse iuxta cryptam, unde terra excavabatur. IN PORTA; id est, iuxta portam, aut e regione portæ regiæ Pharaonis. Omnes reges Ægypti Pharaones appellatos nemo nescit. Erat autem Taphnes maxima civitas AEgypti, & regum sedes: propterea dicit, IN PORTA DOMUS PHARAONIS, ut ostendat ubi tunc domus Pharaonis erat, ibi domum Nabuchodonosoris futuram esse. Vult autem hac prophetia Iudæos docere, fore ut in AEgypto, ubi se contra regem Babylonis maxime tutos esse putabant, non solum ipsi, sed etiam AEgyptii eorum causa in manus regis Babylonis veniant; quasi calamitatem & peccatorum suorum pœnam, quocumque tendant, secum trahant. Sicut dixerat cap. præcedenti vers. 16. *Gladius, quem vos formidatis, ibi comprehendet vos*.

V. 10. ECCE EGO MITTAM: nuntios, qui eum vocent: nuntii autem sunt inspirationes, & veniendi cogitatio in mentem eius iniecta. Hebræi solent dicere שלח, absolute, id est mittere, pro mittere nuntios aut epistolas, sicut Græci dicunt ἀποστέλλειν, & ἐπιστέλλειν. Exempla non ponimus, quia sunt innumerabilia. SERVUM MEUM. Servum suum vocat Deus hominem impium, quasi carnificem suum; quia quamvis ille non Deo, sed ambitioni suæ serviret, tamen Deus eius ministerio utebatur ad punienda aliorum flagitia. Ita supra XXV. 9. & XXVII. 6. Sicut vocat Cyrum Christum suum, Isai. XLV. 1. QUOS ABSCONDI, per Ieremiam. Deus dicit se fecisse quod Ieremias fecerat, quia ipse iusserat facere. ET STATUET, Nabuchodonosor. Hebr. נטה, *extendit*, id est dilatabit, amplificabit; quasi dicat: Ego tantum pono primos lapides fundamenti: ille vero ædificium amplificabit. SOLIUM SUUM. Hebr. שפרורו, *tabernaculum suum*, id est, palatium suum, regiam suam. Sept. τὰ ὅπλα αὐτοῦ, *arma sua*.

V. 11. QUOS IN MORTEM, IN MORTEM, id est alios morte naturali, alios captivitate, alios gladio. Elegans est Hebraismus, quem Hispani, Itali, Galli sua quique lingua imitari solent. Qualis supra XV. 2. *Hæc dicit Dominus, Qui ad mortem, ad mortem; & qui ad gladium, ad gladium; & qui ad famem, ad famem; & qui ad captivitatem, ad captivitatem*: & Zachar. XI. 9. *Quod moritur, moriatur; & quod succiditur, succidatur*.

V. 12. ET CAPTIVOS DUCET ILLOS: deos AEgypti argenteos, & aureos; id est, transferet AEgyptiorum idola Babylonem: aut, *illos*, AEgyptios scilicet, ut sit relativum sine antecedente; quod apud Hebræos usitatum est. ET AMICIETUR, Nabuchodonosor. TERRA AEGYPTI, id est spoliis ter-

inobedientia adversus Deum. Nam iidem illi, qui capite præcedenti, cum iuramento promiserant Ieremiæ, dicentes: *Sit Dominus inter nos testis veritatis & fidei, si non iuxta omne verbum in quo miserit te Dominus, sic faciemus*, iidem, inquam, illi, iam cognita per Ieremiam voluntate Domini, respondent: *Mendacium tu loqueris*, imitantes in hoc maiores suos; qui cum accepturi essent legem in deserto per manum Moysi, dixerunt: *Cuncta quæ locutus fuerit Dominus, faciemus:* inde tamen paulo post, Moyse moram faciente in monte, ad idololatriam conversi sunt, dicentes Aaroni: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant; Moysi enim huic ignoramus quid acciderit.* Quibus, & similibus exemplis admonemur, quid sit discriminis inter legem veterem, & novam: veteris enim legis officium erat, manifestare quid faciendum esset, sed vires ad perficiendum non suppeditabat; lex autem nova gratiam & vires administrat, ut perficiamus opere, quod per legem scriptam faciendum cognovimus.

V. 5. 6. & 7. SED TOLLENS IOHANAN..... UNIVERSOS RELIQUIARUM IUDA ..... ET OMNEM ANIMAM QUAM RELIQUERAT NABUZARDAN .... CUM GODOLIA .... ET IEREMIAM PROPHETAM ET BARUCH .... ET INGRESSI SUNT TERRAM AEGYPTI. Quæstio nascitur, cum Dominus prohibuerit per Ieremiam populo Iudaico, qui relictus erat in Iudæa, ne ascenderet in AEgyptum, quomodo populo contra præceptum Domini eunte in AEgyptum, comitatus est eos Ieremias & Baruch? Unam solutionem suggerit Scriptura ipsa, quæ cum dicit; *Tollens Iohanan universos & Ieremiam, & Baruch; & ingressi sunt in terram AEgypti*; illud sic accipi potest, quod Ieremias & Baruch non sponte cum illis ascenderint in AEgyptum, sed coacti a reliquis. Sed si verba Scripturæ consideremus, nihil amplius de Ieremia & Baruch violentia significatur, quam de reliquo populo. Pagninus ex Hebræo sic vertit: *& omnem animam quam reliquerat Nabuzardam cum Godolia & cum Ieremia propheta, & cum Baruch.* Sic & Vatablus; *apud Godoliam, & apud Ieremiam, & apud Baruch*. Nihilominus alii vertunt, ut Hieron. in hac nostra vulgata vertit. Quare magis dicendum videtur, præceptum illud Domini, de non ascendendo in AEgyptum, non datum fuisse

ad singulos, sed ad principes & populum in genere. Iam vero, cum ipsi principes irent & reliquos partim voluntarios, partim involuntarios secum ducerent, potuit & Ieremias & Baruch eos comitari tamquam Doctor eorum & propheta, utpote qui bonos non debebat deserere; tum ut in AEgypto quoque omnibus Dei voluntatem annuntiaret; & ab idololatria aliisque peccatis averteret.

MARIANAE.

Vers. 1. FACTUM EST AUTEM. Ieremias accusatur mendacii. Vadunt in AEgyptum, ibi vaticinatur. Regem Babylonis vastaturum AEgyptum. OMNIA VERBA HAEC: appositive, scilicet quæ dixit superiori cap. Postquam Ieremias ea dixit.

V. 2. AZARIAS FILIUS OSAIAE: non *Iosiæ*, ut quidam codices. Sic superiori cap. v. 1. Sed ibi *Iezonias* vocatur, hic *Azarius*. An erat binomius? Is ergo & socii Ieremiam mentitum dicunt.

V. 3. SED BARUCH .... INCITAT TE. Proclive est, in ministros culpam coniicere eorum quæ heri faciunt aut dicunt.

V. 6. ET IEREMIAM PROPHETAM. Hoc regi potest a verbo *tollens Iohanan*, ita ut Ieremiam inter alios duxerit in AEgyptum; aut a verbo *reliquerat Nabuzardan cum Godolia*, quomodo ponetur in ablativo, *& cum Ieremia*, scilicet reliquit. Sic Hebræi construunt, & Pagn.

V. 7. ET VENERUNT USQUE AD TAPHNIS. Sic Sept. & Chald. Hebr. *Tahpanhes*. Duplex *Taphnis* in AEgypto, seu Tanis; altera non procul Memphi, altera ad Nili ostium Taniticum: Strabo Lib. XVII. Ad utram Iudæi venerint, non constat; credam tamen ad hanc posteriorem, quæ Iudææ vicinior erat. Aut ad priorem, propter ea quæ proximo cap. dicuntur vers. 1. Tunc Deus iubet Ieremiæ, Sume lapides,

V. 9. ET ABSCONDES EOS lapides. Sic omnes vertunt. טמן *Tamen* nihil aliud quam *abscondere* significat. IN CRYPTA. Hebr. *in luto*. QUAE EST SUBMURO LATERITIO. Hebr. *in lateraria fornace*, ubi coquuntur lateres. Id significat מלבן *malben*, a לבנה quod est *later*. Credo eo loco fuisse veterem fornacem, & in ea tunc, ut fit, lutum tantum superesse. In qua iubet Deus poni lapides, quasi novi ædificii fundamenta, argumento, venturum Nabuchodonosorem. IN PORTA DOMUS PHARAONIS. Ibi erat lateraria. Omnes AEgypti Reges sic vocabantur. Is, de quo hic loquitur, erat *Nechao*, de quo in superioribus frequens mentio. Hunc Herodotus Lib II. *Necho* vocat. Aut erat *Apryes* eius nepos & successor, quem Ieremias proximo cap. v. 30. *Ephree* vocat.

V. 10. MITTAM contra AEgyptum, scilicet Babylonium. SERVUM MEUM, id est ministrum meum. ET PONAM THRONUM EIUS SUPER LAPIDES ISTOS, QUOS ABSCONDI, abscondi iussi. ET STATUET SOLIUM. Hebr. *& extendit tentorium suum super eos*, scilicet castrense tentorium; quasi dicat, Inferet AEgypto bellum.

V. 11. QUOS IN MORTEM, IN MORTEM. Alios occidet, alios captivos ducet, alios gladio perimet. Quoniam mortis variæ sunt formæ quod in genere prius dixit, *quos in mortem, in mortem*; deinde explicat in particulari.

V. 12. ET CAPTIVOS DUCET, aut deos ex auro & argento, aut AEgyptios. Relativum sine antecedenti. ET AMICIETUR TERRA AEGYPTI. *Terra* in ablativo Hebr. *induet terram AEgypti*, id est spoliis terræ AEgypti onerabitur, & vestibus. SICUT AMICITUR PASTOR PALLIO SUO. Hebr. *veste sua*. Undique pastor vestes coquirit, quibus adversus noctis frigus se tegat. Itaque significat ablaturum spolia. Et quoniam grave agmen impedimentis periculo est proximum, addit, ET EGREDIETUR INDE IN PACE, id est absque ulla molestia peracto bello redibit in patriam.

V. 13. CONTERET STATUAS DOMUS SOLIS, id est templi, in quo solem colebant. Nisi forte per *domum solis* intelligit *Heliopolim*, quæ vox significat *solis urbem*. Sic Sept. *conteret statuas Heliopolis*, quæ olim vocabatur *On*, id est *iniquitas*, quod scilicet præ aliis urbibus esset idolorum cultui dedita: de quo Genes. XLII. 50. Thebas AEgypti hanc quidam esse putant.

MALVENDAE.

Vers. 2. DIXIT AZARIAS FILIUS OSAIAE. Hebr. *Et dixit Hazariah filius Hosahiah*. Facile suspicari possumus hunc esse, qui supra cap. XLII. 1. di-

vel maltha commiserit aut devinxerit, seu incrustaverit aut induxerit, in modum cujusdam aediculae aut solii construens. Alii: quod eos simpliciter in mole vel massa luti, seu argillae, ex qua fiunt lateres, defoderit, aut demerserit, ut ibi abditi manerent. QUAE EST SUB MURO LATERICIO. Alii: I. *in fornace laterum;* id est, in loco, quo fiunt, vel excoquuntur lateres. II. *in laterificina, in fornace,* aut *officina lateraria.* III. *& abde eos in argilla laterariae illius, quae est ad portam domus Pharhonis Daphnis, ante oculos hominum Iudaeorum.*

V. 10. ET STATUET SOLIUM SUUM SUPER EOS. Alii ex Hebr. I. *& tendet tentorium suum regium, pulchrum, elegans, pretiosum super eos.* II. *& expandet augustale tentorium suum super eos.* III. *tendetque augustale suum super eos*, id est tentoriumque suum speciosissimum. IV. *& extendet aulaeum suum ornatissimum super eos.* שפרור *schaphrir*, voce consentiente *siparium* reddunt, id est velum, aulaeum: vide Festum.

V. 11. VENIENSQUE PERCUTIET, &c. Alii hunc versum ex Hebr. reddunt: *Nam progressus percutiet terram AEgypti, eum, qui morte addictus est*, iudicio Dei, per quem vocatus fuerat Babylonius, *ad mortem trahens; & qui captivitati, ad captivitatem; & qui gladio, ad gladium.* Alii exponunt: *alios ad mortem*, seu *ad pestem, alios ad captivitatem, alios ad gladium.* Vide de hoc loquendi genere supra cap. XV. 2.

V. 12. ET COMBURET EA. Verbum hoc aptius referetur ad Babylonium, cui etiam verbum sequens convenit, quam ad ignem, qui proxime praecessit. ET AMICIETUR TERRA AEGYPTI, SICUT AMICITUR PASTOR PALLIO SUO. Alii: I. *& circumvolvet*, vel *induet terram AEgypti, quemadmodum pastor circumvolvit*, seu *induit vestem suam*; id est, redibit in patriam opertus & onustus spoliis AEgypti. II. *& amiciet terram AEgypti*, id est spolia terrae AEgypti: metonymicos: *quemadmodum amicit pastor vestimentum suum.*

V. 13. ET CONTERET STATUAS. Alii: *Postquam fregerit statuas Domus Solis.* Alii, *Heliopoleos*, oppidi, in quo erat insignis idololatria, teste Herodoto Lib. II. ex quo praefectura Heliopolitana dicta

est,

eſt, quam Hebræi appellant *On*: vide Geneſ. XLI. 45.

MENOCHII.

Verſ. 1. OMNIA VERBA HAEC: appoſitio; nempe omnia verba hæc, quæ modo ſuperiori capite recitata ſunt.

V. 3. BARUCH FILIUS NERIAE INCITAT TE: qui fortaſſe ingenio fervidior quam Ieremias, idem ſuadebat Iudæis ardentius, & vehementius loquens, unde illis orta ſuſpicio eum eſſe auctorem diſturbandæ profectionis in AEgyptum.

V. 6. FILIAS REGIS: vide dicta ſupra XLI. 10.

V. 7. USQUE AD TAPHNIS: metropolis erat AEgypti, & regia Pharaonis, ubi Moyſes ſua fecit prodigia, ſcilicet in campo Taneos, id eſt Tanis, vel Taphnis. Pſ. LXXVII. 43.

V. 9. LAPIDES GRANDES: quales eligi ſolent, ut in imis fundamentis ponantur. ABSCONDES EOS: ſub terram, quaſi alicuius ædificii fundamenta iaciens, & quaſi fabricans ex illis ſolium, ut ſignifices fore ut rex Babylonis occupata AEgypto, ſolium ſuum ponat in Taphnis. IN CRYPTA, id eſt, in loco ſubterraneo, in caverna ex qua terra effodiebatur ad faciendum lutum, ex quo lateres formabantur. Hebraice eſt מלט *meleth*, quod Rabbi David interpretatur lutum ex quo lateres fiunt, aut cæmentum ex calce, & arena confectum. Itali ſimili voce appellant *Malta*. SUB MURO LATERITIO: AEgyptus enim lutoſa lateritiis fabricis abundabat. IN PORTA, id eſt iuxta portam, aut e regione portæ regiæ Pharaonis, ita iubet fieri, ut oſtendat ubi tunc domus Pharaonis erat, ibi futuram domum Nabuchodonoſor; vultque hoc facto intelligere Iudæos, qui Nabuchodonoſorem fugiebant, ſe maxime in illum incurrere.

V. 10. ECCE EGO MITTAM: nuncios, qui eum vocent: nuncii autem ſunt inſpirationes, & veniendi cogitatio illi iniecta. SERVUM MEUM: cuius miniſterio utor, quaſi carnificis, ad punienda ſcelera Iudæorum, & AEgyptiorum. QUOS ABSCONDI, per Ieremiam.

V. 11. QUOS IN MORTEM, IN MORTEM; id eſt, quos ad mortem, gladium, aut captivitatem deſtinavi, eos Nabuchodonoſor tradet in mortem, captivitatem, aut gladium.

V. 12. CAPTIVOS DUCET ILLOS: deos aureos, & argenteos AEgyptiorum traducet in Babylonem. Vel, *illos*, ſcilicet AEgyptios; hi enim in voce AEgypti, quæ præceſſit, implicite continentur. AMICIETUR, Nabuchodonoſor. TERRA AEGYPTI: ſpoliis terræ AEgypti, eſt ablativus. SICUT AMICIETUR PASTOR PALLIO SUO: quemadmodum paſtor cum vult ex uno loco in alium migrare, veſtit ſe pallio ſuo, ſumitque in humeros quidquid habet, ſic Rex Babylonis recedet onuſtus ſpoliis AEgypti. Vel ſignificatur hac ſimilitudine facilitas, qua AEgyptum capiet. EGREDIETUR INDE IN PACE, id eſt proſpere, & re ex ſententia confecta, aut nullo accepto detrimento, nemine illi reſiſtente.

V. 13. STATUAS DOMUS SOLIS: templi in quo AEgyptii ſolem adorabant; vel nomine *Domus*. *Solis* civitatem intelligit Heliopolim, itaque LXX. habent, *ſtatuas Heliopoleos*.

TIRINI.

Verſ. 3. BARUCH hic ſugillatur a Iudæis, quaſi ſtaret a partibus Chaldæorum, quod ſcirent eum non minus quam Ieremiam, charum eſſe Chaldæis, ac proinde ab illis in communi urbis excidio dimiſſum liberum benigneque habitum. Quin & audacior ipſis atque animoſior videbatur Baruch præ Ieremia, quod auſus fuiſſet coram principibus, totoque populo minaces illas prophetias cap. XXXVI. 6. prælegere, Ieremia id non audente. Et hæc cauſa eſt cur hic fingant Ieremiam a Baruch incitari & animari.

V. 7. TAPHNIS, alias *Tanis*, metropolis erat AEgypti, a regia Pharaonis, ut alibi *a* dictum.

V. 9. ABSCONDES LAPIDES GRANDES, IN CRYPTA SUB MURO palatii PHARAONIS; quaſi dicat: Lapidibus grandibus in terram defoſſis, calceque & cæmento compactis, ſterne fundamentum regalis ſolii, quod rex Nabuchodonoſor collocaturus eſt in porta palatii Pharaonis, unde dominabitur toti AEgypto. Quo ſenſu vocet Deus Nabuchodonoſorem ſervum ſuum, eumque miſerit ad puniendum Iudæos, alibi *b* expoſui.

V. 11.

M I AE

G O R D O N I.

Verſ. 7. ALias monui Taphnis eſſe metropolim AEgypti, regiamque Pharaonis, nobilem prodigiis Pharaoneis: vide Num. XIII. verſ. 23. Vere hi Iudæi humanam ſecuti ſunt prudentiam: ſequi quidem ſuo tempore rationem apparentem, veræ prudentiæ eſſe poteſt; at vero ſequi tales rationes quando conſtat eſſe contra Dei voluntatem, eſt illa falſa, & quæ humana ſolet vocari prudentia.

V. 12. & 13. &c. AEgyptus, inquit, AMICIETUR, ſeu vallabitur militibus Nabuchodonoſori; SICUT PASTOR (qui in bonis præter pallium nihil ſolet habere) pallio veſtitur. Per domum Solis Heliopolim intelligo: dicta eſt urbs Solis, nempe ubi Sol coli ſolebat: vide Geneſ. XLI. 45.

Ex Eiusdem Auctario.

Verſ. 6. FILIUS REGIS: ut ſupra cap. XLI. 10.

Verſ. 9. Per hos lapides velut ex iacto fundamento, denotatur fore ut Rex Chaldæorum occupata AEgypto conſtitueret ibi filium ſuum regem in Taphnis. IN PORTA, iuxta portam.

Verſ. 11. QUOS IN MORTEM, id eſt alios per alios aliter affliget.

C. A-



C A P U T XLIV.

Iudæi in AEgypto reprehensi a Ieremia super idololatria, obstinate respondent una cum multitudine mulierum se permansuros in idololatria inveterata: quos Ieremias prædicit universos gladio & fame consumendos, Regemque AEgypti tradendum in manus inimicorum suorum, ac terram AEgypti prorsus vastandam.



Erbum, * quod factum est per Ieremiam ad omnes Iudæos, qui habitabant in Terra Ægypti, habitantes in Magdalo, & in Taphnis, & in Memphis, & in Terra Phatures, dicens: 2. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Vos vidistis omne malum istud, quod adduxi super Ierusalem, & super omnes urbes Iuda: & ecce desertæ sunt hodie, & non est in eis habitator: 3. Propter malitiam, quam fecerunt ut me ad iracundiam provocarent, & irent ut sacrificarent, & colerent deos alienos, quos nesciebant & illi, & vos, & patres vestri. 4. Et misi ad vos omnes servos meos prophetas, de nocte consurgens, mittensque & dicens: Nolite facere verbum * abominationis huiuscemodi, quam odivi. 5. Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem suam, ut converterentur a malis suis, & non sacrificarent diis alienis. 6. Et conflata est indignatio mea & furor meus, & succensa est in civitatibus Iuda, & in plateis Ierusalem: & versæ sunt in solitudinem & vastitatem secundum diem hanc. 7. Et nunc hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Quare vos facitis malum grande hoc contra animas vestras, ut intereat ex vobis vir & mulier, parvulus & lactens de medio Iudæ, nec relinquatur vobis quidquam residuum: 8. Provocantes me in operibus manuum vestrarum, sacrificando diis alienis in terra Ægypti, in quam ingressi estis ut habiteris ibi: & dispereatis, & sitis in maledictionem, & in opprobrium cunctis gentibus terræ? 9. Numquid obliti estis mala patrum vestrorum, & mala regum Iuda *, & mala uxorum eius, & mala vestra, & mala uxorum vestrarum, quæ fecerunt in Terra Iuda, & in regionibus Ierusalem? 10. Non sunt mundati usque ad diem hanc: & non timuerunt, & non ambulaverunt in lege Domini, & in præceptis meis, quæ dedi coram vobis & coram patribus vestris. 11. Ideo hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: (*a*) Ecce ego ponam faciem meam in vobis in malum: & disperdam omnem Iudam. 12. Et assumam reliquias Iudæ, qui posuerunt facies suas ut ingrederentur Terram Ægypti, & habitarent ibi: & consumentur omnes in Terra Ægypti: cadent in gladio & in fame: & consumentur a minimo usque ad maximum, in gladio & in fame morientur: & erunt in iusiurandum, & in miraculum, & in maledictionem, & in opprobrium. * 13. Et visitabo super habitatores Terræ Ægypti, sicut visitavi super Ierusalem, in gladio, & fame, & peste. 14. Et non erit qui effugiat, & sit residuus de reliquiis Iudæorum, qui vadunt ut peregrinentur in Terra Ægypti: & revertantur in Terram Iuda, ad quam ipsi elevant animas suas ut revertantur, & habitent ibi: non revertentur nisi qui fugerint. 15. Respon-

spon-

›nderunt autem Ieremiæ omnes viri, ſcientes quod ſacrificarent uxores eorum
s alienis, & univerſæ mulieres, quarum ſtabat multitudo grandis, & omnis
pulus habitantium in Terra Ægypti in Phatures, dicentes: 16. Sermonem,
em locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te: 17. ſed ſa-
ntes faciemus omne verbum quod egredietur de ore noſtro, ut ſacrificemus
inæ cæli, & libemus ei libamina, ſicut fecimus nos, & patres noſtri, reges
ſtri, & principes noſtri, in urbibus Iuda, & in plateis Ieruſalem: & ſatura-
ſumus panibus, & bene nobis erat, malumque non vidimus. 18. Ex eo au-
n tempore, quo ceſſavimus ſacrificare reginæ cæli, & libare ei libamina, in-
;emus omnibus, & gladio & fame conſumpti ſumus. 19. Quod ſi nos ſacri-
imus reginæ cæli, & libamus ei libamina: numquid ſine viris noſtris fecimus
placentas ad colendum eam, & libandum ei libamina? 20. Et dixit Ieremias
omnem populum, adverſum viros, & adverſum mulieres, & adverſum uni-
ſam plebem, qui reſponderant ei verbum, dicens: 21. Numquid non ſacrifi-
m, quod ſacrificaſtis in civitatibus Iuda, & in plateis Ieruſalem, vos & pa-
s veſtri, reges veſtri, & principes veſtri, & populus terræ, horum recorda-
eſt Dominus, & aſcendit ſuper cor eius? 22. Et non poterat Dominus ul-
portare propter malitiam ſtudiorum veſtrorum, & propter abominationes, quas
iſtis: & facta eſt terra veſtra in deſolationem, & in ſtuporem, & in male-
lum, eo quod non ſit habitator, ſicut eſt dies hæc. 23. Propterea quod ſa-
ficaveritis idolis, & peccaveritis Domino, & non audieritis vocem Domini,
in lege, & in præceptis, & in teſtimoniis eius non ambulaveritis: idcirco
nerunt vobis mala hæc, ſicut eſt dies hæc. 24. Dixit autem Ieremias ad
nem populum, & ad univerſas mulieres: Audite verbum Domini omnis Iuda,
i eſtis in Terra Ægypti: 25. Hæc inquit Dominus exercituum Deus Iſrael,
ens: Vos, & uxores veſtræ, locuti eſtis ore veſtro, & manibus veſtris im-
ſtis, dicentes: Faciamus vota noſtra, quæ vovimus, ut ſacrificemus reginæ
i, & libemus ei libamina: impleſtis vota veſtra, & opere perpetraſtis ea.
Ideo audite verbum Domini omnis Iuda, qui habitatis in Terra Ægypti:
ce ego iuravi in nomine meo magno, ait Dominus: quia nequaquam ultra
abitur nomen meum ex ore omnis viri Iudæi, dicentis: Vivit Dominus Deus
omni Terra Ægypti. 27. Ecce ego vigilabo ſuper eos in malum, & non
bonum: & conſumentur omnes viri Iuda, qui ſunt in terra AEgypti, gla-
& fame, donec penitus conſumantur. 28. Et qui fugerint gladium, rever-
tur de Terra AEgypti in Terram Iuda viri pauci: & ſcient omnes reliquiæ
a ingredientium Terram AEgypti, ut habitent ibi, cuius ſermo complea-
, meus, an illorum? 29. Et hoc vobis ſignum, ait Dominus, quod viſitem
ſuper vos in loco iſto: ut ſciatis quia vere complebuntur ſermones mei con-
vos in malum. 30. Hæc dicit Dominus: Ecce ego tradam Pharaonem E-
ce regem AEgypti in manu inimicorum eius, & in manu quærentium ani-
m illius: ſicut tradidi Sedeciam regem Iuda in manu Nabuchodonoſor regis
ylonis inimici ſui, & quærentis animam eius.

) Amos ix. 4.

BRU-

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

Verſ. 1. Verbum quod factum eſt per Ieremiam ad omnes Iudæos. Plerique libri habent duplex *ad*, Correctores prius mutarunt in *per*.

Verſ. 4. Abominationis huiuſcemodi quam odivi. Non omittas poſtrema hæc verba *quam odivi*.

Verſ. 9. Et mala uxorum ejus. Non mutes ſingulare *eius* in plurale *eorum*.

Verſ. 13. Et viſitabo ſuper habitatores terræ Ægypti. Non omittas præpoſitionem *ſuper*

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 3. Ut me ad iracundiam provocarent. Me ad iram provocantes, euntes, & ſacrificantes, & colentes deos alienos, quos nec illi, nec vos, nec patres veſtri cognoverant.

V. 4. De nocte consurgens, id eſt magno ſtudio, ac diligentia miſi: quia quod magno ſtudio facimus, id ut faciamus ſummo mane ſurgimus, ut ſup. vii. 13. 25. & xi. 7. & xxv. 3. 4. & xxvi. 5. & xxix. 19. & xxxv. 14. 15. Verbum abominationis id eſt rem hanc abominabilem; verbum pro re, ut ſupra adnotavimus.

V. 6. Et conflata est indignatio mea, id eſt liquefacta & magno impetu effuſa. Metaphora ſumpta ex metallis, quæ funduntur, ut explicavimus cap. xlii. 18. Et in plateis Ierusalem, id eſt in media Ieruſalem, in viſceribus Ieruſalem. Hebræi, cum de aliqua urbe loquuntur, ſolent dicere, in plateis, pro, in medio urbis, quia plateæ in medio urbis eſſe ſolent; ſicut cum loquuntur de homine, dicunt בלב, *in corde*, pro, in medio, quia cor in medio hominis eſt: ut Iſai. xv. 3. *In plateis eius omnis ululatus*, id eſt in medio eius: *E* cap. lix. 14. *Quia corruit in platea veritas;* id eſt, ſublata eſt omnis veritas de medio eius. Secundum diem hanc; id eſt, ut hodierno die videre licet, aut, ut nunc ſe res habet, aut, uſque ad hodiernum diem. Hebraiſmus, ut ſupra xi. 5. & xxv. 18. & xxxii. 20.

V. 9. Numquid obliti estis; quaſi dicat: Num meliores facti eſtis, quam patres veſtri, cum eorum punitionem videritis? non. Et mala uxorum eius, id eſt cuiuſque eorum. Hebraiſmus. Sic legendum, quia Hebraice affixum eſt numeri ſingularis נשין. ἢ τῶν κακῶν τῶν ἀρχόντων ὑμῶν *& malorum principum veſtrorum*, quaſi legerint a נשיא.

V. 10. Non sunt mundati: לא דכאו *non ſunt contriti*; id eſt, non ſunt facti meliores poſtquam puniti ſunt, ut ſupra cap. ii. 30. *Fruſtra percuſſi filios veſtros, diſciplinam non receperunt*: & cap. v. 3. *Percuſſiſti eos, & non doluerunt: attriviſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam:* & cap. xiii. 27. *Væ tibi Ieruſalem non mundaberis poſt me*: & inf. li. 9. *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata*. Ezech. xxiv. 12. *Multo labore ſudatum eſt, & non exivit ex ea nimia rubigo eius, neque per ignem:* & Oſe. viii. 5. *Uſquequo non poterunt emundari? Caſtigati, & non mortificati*; ut in aliam ſententiam dixit D. Paulus II. Cor. 6. 9. Quae dedi coram vobis: נתתי לפניכם, *quæ poſui in conſpectu veſtro*. Hebræorum phraſis eſt, qua ſignificatur aliquid in alicuius poteſtate, & arbitrio relinqui, ut faciat ſi velit, ſin minus, non faciat, quamvis illi præcipiatur, ut Deut. xxx. 15. *Conſidera quod hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum; & e contrario mortem & malum*; id eſt, optionem tibi dedi vitæ & mortis, boni & mali. Sic illud intelligendum Eccleſ. xlv. 6. *Dedit illi coram præcepta, & legem vitæ & diſciplinæ*.

V. 11. Ponam faciem meam in vobis in malum; id eſt, iraſcar vobis, reſpiciam vos torvo, iratoque vultu; aut, certum, firmumque conſilium ſuſcipiam male vobis faciendi, ut ſup. xxi. 10. *Poſui enim faciem meam ſuper civitatem hanc in malum, & non in bonum:* & Amos ix. 4. *Et ponam oculos meos ſuper eos in malum*, *& non*

diat: vulgaris Hebraismus. OMNE VERBUM, QUOD EGREDIETUR DE ORE NOSTRO; id est, quidquid nos dixerimus, quidquid nobis libuerit: non faciemus, quod tu nobis dicis; sed quod nos dicimus. Hoc enim significat egredi ex ore, aut ex labiis, ut supra XVII. 16. *Quod egressum est de labiis meis, rectum in conspectu tuo fuit*: & Thren. III. 38. *Ex ore Altissimi non egredientur nec mala, nec bona*, id est nihil dicet Deus: & Psal. LXXXVIII. 35. *Quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita*. Potest etiam Hebraismus significare, vovere, ut sit sensus, Omnia sacrificia, quæ diis AEgyptiorum vovimus, aut, vovemus, persolvemus; quasi dicant: Reddemus illis vota nostra, quæ distinguent labia nostra, ut David loquitur Psal. LXV. 14. ut explicatur vers. 25. *Locuti estis ore vestro, & manibus vestris implestis, dicentes: Faciamus vota nostra, quæ vovimus, ut sacrificemus reginæ cæli*. Reginæ cæli, id est Lunæ, quia in cælo quasi regina stellarum est, sicut Sol quasi rex; ut ego quidem ex Græcorum & Latinorum auctorum sententia interpretari soleo, ut supra VII. 18. quamquam Hebræi alii Solem, alii omnes stellas sic vocari putant. ET SATURATI SUMUS. ו. &, hoc loco causam significat, id est quamobrem saturati sumus.

V. 19. SINE VIRIS NOSTRIS; quasi dicant, Non. Non fecimus nostro consilio, & auctoritate, sed viris nostris cohortantibus & adiuvantibus. Filii enim colligunt ligna, & patres succendunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, & faciunt placentas reginæ cæli, ut Propheta dixit VII. 18.

V. 21. ET IN PLATEIS IERUSALEM, id est in medio Ierusalem, ut supra vers. 6. RECORDATUS EST DOMINUS, ut puniret: ET ASCENDIT SUPER COR EIUS, id est irritavit animum eius, aut, in mentem illi venit, ut Ionath. & R. David interpretantur. Eum Hebraismum explicavimus cap. III. 16. & cap. XIX. 5. & XXXII. 35.

V. 22. ET NON POTERAT DOMINUS ULTRA PORTARE. Loquitur de Deo ἀνθρωποπαθῶς id est humano more. Deus enim ferre poterat, cuius patientia & longanimitas est infinita; sed Iudæorum peccata erant natura sua intolerabilia. Eodem modo dixit cap. VI. 11. *Furore Domini plenus sum, laboravi sustinens*. EO QUOD NON SIT HABITATOR. Defectu habitatoris. SICUT EST DIES

HAEC.

HAEC. Usque ad hodiernum diem, aut sicut hodierno die apparet, ut nunc sese res habet, ut supra vers. 6. & cap. XI. 5. & cap. XXV. 18. & cap. XXXII. 20. eadem phrasis est versu sequenti.

V. 23. PROPTEREA QUOD SACRIFICAVERITIS IDOLIS: מפני אשר קשרהם, *Propter ea, quibus sacrificastis*, id est propter idola; aut, *propterea quod sacrifiiastis*. Sept. ἀπὸ προσώπου αὐτῶν, ὧν ἐθυμιᾶτε, *a facie eorum, quæ adolebatis*.

V. 25. FACIAMUS VOTA NOSTRA: עשה נעשה, *faciendo faciamus*, aut, *faciendo faciemus*, id est omnino faciemus: verba sunt animi obstinati, ut supra vers. 17. ET OPERE PERPETRASTIS: עשה תעשינה, *faciendo fecistis*, id est complevistis. Recte dixit noster Interpres, *Opere perpetrastis*. Loquitur autem Hebraice feminino genere, quia præcipue verba dirigit ad mulieres, quæ placentas faciebant, ut reginæ cæli libarent, ut ipsæ gloriatæ sunt vers. 17.

V. 26. IURAVI. Iuro, præteritum Hebr. pro præsenti. IN NOMINE MEO MAGNO: per nomen meum, quod magnum est, aut per nomen meum non qualecumque, cum multa habeam nomina, sed illud magnum, & ineffabile יהוה. QUIA NEQUAQUAM; id est, quod non usurpabitur amplius nomen meum a Iudæis, qui in AEgypto sunt iurandi causa, quia omnes peribunt. Indicat singulare fuisse suum erga Iudæos beneficium, quod eos per sanctum nomen suum iurare fineret, ut indicatur etiam Deut. VI. 13. *Per nomen eius iurabis:* & Psal. LXIII. 12. *Laudabuntur omnes qui iurant in eo*. Porro noster Interpres non verba, sed sensum reddere curavit. Nam Hebr. usitato more legitur, אם יהיה עוד שמי נקרא, *si erit amplius invocatum nomen meum*. Sæpe autem adnotavimus, Hebræos post verba iurandi uti solere conditionali particula אם *si*, orationemque vacuam relinquere atque suspensam, quæ subintellecta aliqua re complenda sit. Lege exempla sup. XLII. 5. Illud etiam adnotandum, post verba iurandi sequente dictione *si*, orationem affirmantem in negantem: negantem vero in affirmantem esse resolvendam, si nihil subintelligere velimus, ut Psal. XCIV. 11. ad Hebr. IV. 3 *Sicut iuravi in ira mea, si introibunt in requiem meam*, id est quod non introibunt: & Isai. XIV. 24. *Iuravit Dominus exercituum dicens, si non ut putavi, ita erit;* id est, quod, ut ipse putavit, ita erit. Ita hoc loco, ultra invocabitur nomen meum, id est quod non ultra invocabitur.

V. 27. VIGILABO; id est, diligens ero & solicitus ad malefaciendum, non ad benefaciendum illis. Sicut Latine hominem diligentem vigilantem appellamus, ut supra cap. I. 11. 12. *Quid tu vides? virgam vigilantem ego video. Bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo ut faciam illud:* & cap. XXXI. 28. *Et sicut vigilavi super eos, ut evellerem, & demolirer, & dissiparem, & disperderem, & affligerem, sic vigilabo super eos, ut ædificem, & plantem.* Vigilare dicit uno verbo, quod solet pluribus dicere, Mane, aut diluculo, aut de nocte consurgere, cap. VII. 13. 25. & cap. XI. 7. & XXV. 3. 4. & XXVI. 5. & XXIX. 19.

V. 28. ET QUI FUGERINT GLADIUM. Ex iis qui sunt in terra AEgypti, ut Ieremias, & Baruch, & nonnulli alii iusti, si qui erunt, qui inviti eo iverint, ut exponunt R. David, & ut R. Salom. similem sententiam exposuit vers. 14. Quomodo ergo dixit versu præcedenti, fore ut omnes perirent, & consumerentur? Respondet R. David, Omnes accipi pro maiori parte, & pro fere omnibus. Sed quia, ut in prologo diximus, credimus Ieremiam in AEgypto fuisse mortuum, melius possumus interpretari, *Qui fugerint gladium*, non postquam venerit; tunc enim omnes morientur, ut versu præcedenti dictum est; sed qui antequam veniat, verbis Ieremiæ credentes venturum fugerint gladium, seque iterum in Iudæam receperint.

V. 29. QUOD VISITEM EGO; id est, quod vos perditurus sim in AEgypto. Visitare in malam partem, ut multis aliis locis. QUIA VERE COMPLEBUNTUR: כי קום יקומו, *quod surgendo surgent*. Hebraismus: id est, quod omnino fient, quem recte noster Interpres explicavit, *vere complebuntur*. Septuag. ἐμμενοῦσι, *manebunt;* id est, stabunt, consistent, non cadent in terram, ut loquuntur Hebræi, id est non erunt falsi.

V. 30. PHARAONEM EPHREE. R. David existimat Ephree nomen esse proprium Regis AEgypti, qui tunc regnabat; sicut Pharao est nomen omnibus regibus AEgypti commune. Alii, ut idem R. David recitat, in quibus videntur esse Ionathas & R. Salom. subtiliter interpretantur litteris Hebraicis paullulum commutatis. Dicunt

&c. quaſi dicat: Non patiar, ut ultra per Deum iurent, ſunt enim indigni.

V. 27. Vigilabo. Chald. *viſitabo*.

V. 30. Ephree. Pharaonis eſt nomen proprium, vel cognomen. Chald. *claudum*.

E S T I I.

Verſ. 15.
16. & 17. RESPONDERUNT AUTEM IEREMIAE OMNES .... SERMONEM QUEM LOCUTUS ES .... NON AUDIEMUS .... SED FACIENTES FACIEMUS .... UT SACRIFICEMUS REGINAE CAELI, ET LIBEMUS EI LIBAMINA, &c. Quærunt interpretes, quæ intelligatur regina cæli? Hieron. vel lunam intelligendam putat, vel militiam cæli, ſcribens in VII. cap. Ieremiæ. Liranus lunam intelligit. Sunt qui Iunonem, alii eam, quæ apud Ethnicos vocatur Mater Deorum, id eſt opem accipiunt. Vocabulum Hebræum, nunc reginam, nunc opus, ſeu machinam ſignificat. Unde quidam verterunt (*machinam cæli*) id eſt, univerſum ſtellarum ordinem, & velut exercitum. Sunt rurſum Hebraice docti, qui retinent *Reginæ* ſignificationem, & per reginam cæli intelligunt ſolem, idque ut videtur aptiſſime. Una ratio eſt, quia ſol longe præſtat lunæ, ideoque principatus ſoli erat tribuendus. Deinde ſol Hebr. eſt feminini generis, ideoque potius regina quam rex appellatur. Tertio, quia ſol in AEgypto, ubi id temporis erant Iudæi, erat in ſumma veneratione. Unde etiam civitatem ex eius nomine ædificatam habebat, quæ vocatur ἡλιόπολις, id eſt civitas ſolis. Denique quia ſi luna diceretur Regina cæli, multo magis conſentaneum fuit ſolem dici regem cæli, & ut talem venerari. Interim quidam etiam Reginam cæli intelligunt fortunam, de quo vide, ſi placet, Alexandrum ab Alexandro Lib. I. genialium dierum.

Sed in primis hiſtoria huius capitis docet nos, quam ſit periculoſum verſari, aut commorari in ſocietate malorum; præſertim Hæreticorum. Videmus enim Iudæos vix ingreſſos terram AEgypti, quin ſtatim ad idola illius terræ converſi fuerint. Doctrina huic tempori valde oportuna; quando videmus tam multos, Catholicos alioqui, quaſi ſecuros in medio hæreticorum habitare; quorum quotidiana conſuetudine,

com-

commerciis, & colloquiis fieri vix potest, quin sæpenumero maculæ contrahantur, & inquinetur eorum conscientia. Habitavit quidem Abraham inter Chananæos, & Loth in Sodomis, sed quis se eis comparet?

MARIANAE.

Vers. 1. VERBUM. Monet Iudæos, ne colant AEgyptiorum deos. Mulieres negant se obtemperaturas eius verbis. Ergo factum est verbum super habitantes. IN MAGDALO. Iudæi per vicina loca Memphi & Thanai se diviserant. IN MEMPHIS. Hebr. *in Noph.* Sed *Memphis* Hebr. vocatur *Noph*: atque ita vertunt Sept. & Chald. Quid dixit? Vidistis exitium, quod feci ob malitiam vestram.

V. 3. UT ME AD IRACUNDIAM PROVOCARENT. *Ut* non dicit causam, sed eventum. Quo factum est, ut me irritarent. UT SACRIFICARENT. Hebr. *adolerent*, seu *suffirent*.

V. 4. DE NOCTE CONSURGENS, misi Prophetas consurgere faciens. Hebr. *mane surgendo, & mittendo*, id est diligenter id feci. Quod ut faciamus mane surgimus, utique id magno studio facimus. NOLITE FACERE VERBUM ABOMINATIONIS HUIUSCEMODI. Sic Gotth. id est rem hanc abominabilem. Porro idolorum cultus Heb. *abominatio* vocatur. Exod. VIII. 26. *abominationes AEgyptiorum sacrificabimus*, id est quæ ipsi ut deos colunt.

V. 6. ET CONFLATA EST. Hebr. *effusa est* indignatio mea. Chald. *mansit indignatio*. ET IN PLATEIS IERUSALEM, id est in medio Ierusalem effudi iram. SECUNDUM DIEM HANC, id est ut in præsenti accidisse videtis. Quare vos similia facitis?

V. 7. CONTRA ANIMAS VESTRAS, id est quod vobis exitiale erit. UT INTEREAT. Hebr. *ad exscindendum*; id est, ex quo fiet, ut exscindam omnes vos, nullo ætatis aut sexus discrimine, atque ita ut nullus superstes maneat.

V. 9. NUMQUID OBLITI ESTIS. An non videtis, quæ mala fecerunt patres vestri? num eorum exemplo meliores estis facti? ET MALA UXORUM EIUS. Sic Hebr. pro, cuiusque eorum. Chald. *uxorum eorum*: sic Vulg. Regia. Sept. *uxorum vestrarum*. ET IN REGIONIBUS IERUSALEM? Hebr. *in plateis Ierusalem*, in compitis, palam fecerunt ea mala.

V. 10. NON SUNT MUNDATI, id est non mutarunt, non sunt facti meliores. Hebr. *non sunt contriti*, id est non pœnituit eos. Sept. & Chald. *non cessaverunt*. Suspicor in Lexicis multas vocum significationes prætermitti, ut in verbo דכא *dacha*, quod hic est. Versiones omnes hoc loco eodem redeunt. Non servarunt legem, quam DEDI CORAM VOBIS. Hebr. *ad conspectum vestrum, ad facies vestras*, id est vobis. Vox *facies* sæpe redundat.

V. 11. PONAM FACIEM MEAM, id est totius oculis vos aspiciam, irato vultu. Sic Amos IX. 4. & aliis locis.

V. 12. QUI POSUERUNT FACIES SUAS, id est obstinato animo ire in AEgyptum voluerunt. ET ERUNT IN IUSIURANDUM. Hebr. *in execrationem*. Sed est iuramentum execratorium. Itaque dicent: Nisi ita est, Deus mihi faciat, ut fecit Iudæis. IN MIRACULUM. Hebr. *in stuporem*.

V. 13. ET VISITABO, puniam. HABITATORES TERRAE AEGYPTI, scilicet Iudæos, non erunt meliori conditione quam cives Ierusalem.

V. 14. ET REVERTANTUR IN TERRAM IUDA; pro, *ut revertantur*. Sic Sept. & Chald. Ergo non erit qui effugiat, ita ut possit reverti in patriam, AD QUAM IPSI ELEVANT ANIMAS; id est quod maxime cupiunt. NISI QUI FUGERINT. Hebr. *nisi evasores*, scilicet qui Babylonem abierunt. Nam de iis qui iverunt in AEgyptum, dixit, neminem evasurum. Aut certe ex iis pauci evadent, sed evadent tamen aliqui, ut vers. 28. dicitur: & cum dicit omnes perituros, intellige, ferme omnes.

V. 15. QUOD SACRIFICARENT, seu *adolerent*, suffirent uxores idolis.

V. 17. VERBUM QUOD EGREDIETUR DE ORE NOSTRO, id est quod nobis placuerit; aut vota, quæ ore nuncupavimus, faciemus. REGINAE CAELI. Quid hoc sit, cap. VII. dictum est vers. 18. ET BENE NOBIS ERAT. Hebr. *& fuimus boni*, pro, in bonis; fuimus in pace, & felices: rerum copiam habuimus.

V. 19. QUOD SI NOS SACRIFICAMUS, adolemus. Mulieres loquuntur, & quidem in Hebr. genere masculino, forte ut doceat eas viris suis dominari. NUMQUID SINE VIRIS NOSTRIS, non arbitrio nostro, sed iis hor-

mantur omnes Iudæi, qui ſunt in AEgypto.

V. 28. QUI FUGERINT. Hebr. *evaſores gladii.* VIRI PAUCI. Hebr. *viri numeri*, id eſt pauci. Forma loquendi Hebræis uſitata.

V. 29. QUOD VISITEM. *Viſitare* in malam partem, ſcilicet quod vos perditurus ſim. VERE COMPLEBUNTUR. Hebr. *confirmando confirmabuntur verba mea*, id eſt omnino fiet ut vobis dixi.

V. 30. TRADAM PHARAONEM EPHREE. *Pharao* eſt nomen cummune illis Regibus, *Ephree* nomen proprium. Ab Herodoto Lib. II. *Apryes* vocatur. Hebr. חפרע *Hophrah* voce non omnino diſſimili. Quod autem Hebræi quidam per exallagem litterarum, & metatheſin hanc vocem in *Pharaonem* transformant, ut fabulas reiicimus. Ac ne admittimus, quod Chald aut *claudum*, ut Regia habent, aut *fractum*, ut alii codices, vertit, ut ſit cognomen eius Regis, non nomen, & quadam paronomaſia ludat in iis vocibus, quaſi diceret *Pharaonem Hophrah*, id eſt Pharaonem non Regem validum, ſed claudum aut fractum, tradam hoſtibus. Commentum attigiſſe ſit ſatis. Chald. Thren. 1. 18. hunc *Ephree*, ſeu claudum ait fuiſſe, qui Ioſiam Regem occidit, neſcio quam vere. Is Nechao potius fuit: IV. Reg. XXIII. 29.

M A L V E N D AE.

Verſ. 1. VERBUM, QUOD FACTUM EST PER IEREMIAM AD OMNES IUDAEOS. Alii: I. *Verbum, quod fuit ad Iirmeiam de omnibus Iudæis.* II. *Verbum, quod fuit ad Iirmeiam contra omnes Iudæos*, &c. Huius capitis omnino ſunt quatuor partes. Inſcriptio, verſ. 1. prophetia adverſus Iudæos, uſque ad verſ. 15. Iudæorum reſponſum pertinax, uſque ad verſ. 20. & prophetiæ amplificatio ac confirmatio, ad finem uſque. IN MAGDALO. Hebr. *Mighdol.* Oppidi, inquiunt, nomen in nomo Heroopolitano, cuius mentio eſt Exod. XIV. 2. vide in II. Reg. XXIII. 29. ET IN TAPHNIS. Hebr. *& in Thachphanches*, de qua vide ſupra cap. XLIII. 7. Quidam reddunt: *& in Daphnis.* ET IN MENPHIS. Hebr. נוף *noph*, de qua vide Iſaiæ XIX. 13. PHATURES. Hebr. פתרוס *Phethros*. Thargum Ieroſolymitanum Geneſ. x. 14. *Peluſium* in-

interpretatur, quod sane huic loco mirifice congruit: sic infra vers. 15. Pelusium accurate describit Strabo Lib. XVII. pag. 802. & 803. disterminat AEgyptum ab Arabia a qua extimum Nili ostium versus Arabiam dicitur Pelusiacum: *clavis Ægypti, & ingressus & exitus*, inquit Suidas. Urbs notissima & omnibus historicis ac geographis celebrata.

V. 2. HAEC DICIT DOMINUS, &c. Alii: *Sic ait Iehova exercituum*, &c. Huius, inquiunt, prophetiæ tria sunt membra: primum est, thesis sive propositio generalis iudiciorum Dei adversum impietatem Iudæorum, ab antecedentibus exemplis, usque ad vers. 7. Secundum est, libera in Iudæos contestatio coram a propheta facta, præsentis impietatis nomine, versibus quatuor: ultimum est, sententiæ denuntiatio nisi resipuerint, aliis quatuor versibus.

V. 4. MISI AD VOS: id est, gentem vestram. DE NOCTE CONSURGENS, MITTENSQUE. Hebr. *manicando*, seu *diluculando*, & *mittendo*. Alii: *inde a diluculo indesinenter*. Vide de hac locutione supra cap. XXXV. 14. & 15. NOLITE FACERE VERBUM ABOMINATIONIS HUIUSCEMODI. Alii: *rem abominationis istius*, seu *abominandam istam*, vel *abominabilem*.

V. 6. SECUNDUM DIEM HANC: Alii I. *ut hodie videre licet*. II. *ut sunt hodierno die*.

V. 7. ET NUNC HAEC DICIT DOMINUS, &c. Alii: *Nunc autem sic ait Iehova*, &c. Secundum membrum Syllogismi prophetici, ut diximus in vers. 2. UT INTEREAT EX VOBIS VIR ET MULIER, &c. Alii: *ut exscindatis vobis virum & feminam*, &c. id est, impietate vestra sceleribusque excidii causam vobis comparetis ipsi: sic versu sequente.

V. 8. ET DISPEREATIS. Alii I. *ut exscindatis vos ipsos*. II. *ut exscindatis vobis reliquias*, ut versu præcedente.

V. 9. NUMQUID OBLITI ESTIS, &c. Alii hunc versum ex Hebr. evidentius reddunt: I. *Num obliti estis scelerum patrum vestrorum, & scelerum regum Iudæ, & uxorum eorumdem, scelerum vestrorum ac scelerum uxorum vestrarum, quæ designastis in terra Iudæ, atque in plateis Ierusalaim?* II. *An obliti estis mala maiorum vestrorum, & mala regum Iehudæ, & mala uxorum ipsius, seu cuiusque illorum, malaque vestra, & mala uxorum vestrarum, quæ fecerunt in terra Iehudæ, & in plateis Ieruschalaimorum?*

V. 10. NON SUNT MUNDATI USQUE AD DIEM HANC. Alii: *Non attriti fuerant usque ad diem hunc*, id est, (ut vulgo loquuntur) non fuerunt humiliati calamitatibus, nec ad sanam mentem redierunt.

V. 11. IDEO HAEC DICIT DOMINUS, &c. Alii: *Idcirco sic ait Iehova*, &c. Tertium membrum prophetæ, conclusio syllogistica pœnam immorigeris denuntians.

V. 14. ET REVERTANTUR IN TERRAM IUDA, AD QUAM IPSI ELEVANT ANIMAS SUAS, UT REVERTANTUR ET HABITENT IBI. Alii, I. *ut redire possint in terram Iehudæ, qui sunt elevantes animam suam ut revertantur & ibi habitent*, id est, qui eriguntur in spem repetendæ aliquando terræ Iehudæ: vel *quod tamen ipsi animo conceperant, redire scilicet & ibi habitare*. II. *præter eos, qui attollunt animam suam, ut revertantur in terram Iehudæ, revertantur, inquam, ad habitandum illuc*: vide Deuteronom. XXIV. 15. Est autem in his verbis *emplose*, sive implicatio, quam perspicuitatis causa mutavimus, ex comparatione ver. 28. NON REVERTENTUR NISI QUI FUGERINT. Alii ex Hebr. *nam non sunt reversuri nisi qui evaserint*; id est, qui affecti studio revisendi terram suam ab istis hominibus, qui obnitentes Deo venerunt in AEgyptum, sese explicaverint mature.

V. 15. RESPONDERUNT AUTEM IEREMIAE OMNES VIRI, &c. Transitio ad pertinax Iudæorum responsum, exemplum, quod Propheta adduxerat, suo ipsorum exemplo & antecedente experientia deludentium.

V. 16. SERMONEM QUEM LOCUTUS ES, &c. Alii I. *Verbum* seu *res, quam locutus es nobis nomine Iehovæ, non parebimus illi, tibi*, id est in tuam gratiam. II. *In verbo, quod indixisti nobis nomine Iehovæ, minime sumus auscultaturi tibi*.

V. 17. SED FACIENTES FACIEMUS. Heb. *sed faciendo faciemus*; id est, omnino, certissime faciemus, seu facturi sumus. OMNE VERBUM, QUOD EGREDIETUR. Heb. *egressum est*, DE ORE NOSTRO. Alii: *quodcumque verbum prodierit ex ore nostro*; id est, quidquid voverimus, ut exponit propheta infra vers. 25. Sunt enim hic duo defen-

fensionis loci: unus est a religione: Iam iim (inquiunt) religiosa hæc officia vomus, si incolumes in AEgyptum perduremur, hoc versu: alter est ab auctorite hominum, nam Principes nostri (iniunt) hanc religionem demandarunt nos, vers. 19. UT SACRIFICEMUS REGINAE AELI. Alii ex Hebr. I. *ut suffitum incenamus machinæ cæli*. II. *adolendo operi cærum*, seu *rebus cælestibus*. *Reginam cæli*, ii *solem*, alii *lunam* accipiunt: vide supra ip. VII. 18. sic infra vers. 18. 19. 25. ET ENE NOBIS ERAT. Hebr. *& eramus boni*; e est, hilares ac læti, iucundeque ageimus. MALUMQUE NON VIDIMUS. Alii: : *malum non experiebamur*.

V. 19. NUMQUID SINE VIRIS NOSTRIS ECIMUS EI PLACENTAS? Alii ex Hebr. I. *m absque maritis nostris fecimus ei plantas?* id est, ignorantibus maritis nostris, : sint verba feminarum, de quibus supra ers. 15. Sed repugnat participium masculum, *suffientes*, initio versus. II. *an abse præstantibus viris nostris facimus illi* opecælorum, vel *illis* rebus cælestibus, *pona?* Vide de hac voce supra cap. VII. 3. AD COLENDUM EAM. להעצבה *lehaatzibah*, varie exponunt. I. Sanctes, Vablus ex Kimchi: *ad lætificandum eam*, l *ad exhilarandum eam*, aut *ut gratum i faceremus*. Per modum cognominatios, (inquit Kimchi) id est, recte lætiim intelligit, quæ mæstitia potius, cruitus, & dolor dicenda sit. II. Forsterus: *exacerbandum*, *dolore sauciandum*, *constandum eam*; id est, ut faciamus eam ndolere, & ad commovendum eam ad sericordiam, ut condoleret ipsa nobis. Hoc uitur etiam Schindlerus. III. Marinus: *contristare faciendum*. *Aliquibus per anhrasin est lætari facere*; *aliis ex* עצב *ghet-*, *quasi idolum constituere*. *Mihi cultus us idoli*, *ritus est proprius*, *quo non plado*, *sed irritando colebatur*: hoc est, coniando. IV. Avenarius: *ad anxie facienn ei*; id est, ad colendum eam anxio, curioso animo. Plerique tamen verbum significatione עצב *ghetzeb*, id est *idoli*, ipiunt. V. Leo Iudas: *ad affingendum* , placentulis enim illis reginæ cæli efem affingebant: vide supra cap. VII. 18. . Mercerus: *ad elaborandum eam*, *& ponendam seu conformandam in idolum*. I. Buxtorfius: *idololatricum cultum exhibendo ei*, vel *idola effingendo*, *idolorum formam offerendo ei*: iuxta Rabbi Salomonem, significatione a nomine quod idolum significat, deducta. VIII. Tremellius & Iunius: *terriculorum cultum exhibendo eis*; id est, tribuendo corporibus illis cælestibus cultum, quem imperiti idololatræ ex gentibus tribuunt suis somniis, & diis excogitatis, qui non sunt in natura rerum: vide supra cap. X. 2.

V. 21. NUMQUID NON SACRIFICIUM, &c. Hunc versum alii ex Hebr. convertunt: *An non illius suffitus*, *quem adolevistis in civitatibus Iehudæ*, *& in plateis Ierusch alaimorum*, *vos & maiores vestri*, *reges vestri*, *principesque vestri*, *& populus terræ*, *illorum suffitum recordatus est Iehova*, *& hoc venit in eius animum?* Confutatio præcedentis defensionis: dissimulavit quidem aliquamdiu Deus tempus ignorationis & impietatis vestræ, sed cum non resipisceretis, neque ille amplius ferre potuit, neque vos impune abire. Quamobrem tolerantiam & misericordiam Dei, quæ vos ad pœnitentiam invitabat, inique ad probationem scelerum vestrorum pertrahitis, tribus versibus: post hanc autem confutationem Propheta sententiam Dei, iudiciumque repetit, usque ad vers. 29. ac postremo confirmat signo, duobus ultimis.

V. 24. DIXIT AUTEM IEREMIAS AD OMNEM POPULUM, &c. Repetitio sententiæ, ut modo dicebamus.

V. 25. VOS ET UXORES VESTRAE LOCUTI ESTIS ORE VESTRO, ET MANIBUS VESTRIS IMPLESTIS. Alii ex Hebr. I. *Vos & uxores vestræ locuti estis ore vestro*, *quod & manibus vestris perfecistis*. Verbum *locutis estis* Hebr. est femineum, & de industria eo genere abusum prophetam volunt, ut indicaret peccatum uxorum imputari maritis, quod ii auctores peccandi illis fuerint, aut eas non represserint. II. *o vos cum feminis vestris*, *& loquuntur istæ ore vestro*, *& manibus vestris impletis*, *dicendo*, &c. Reprehensio Iudæorum ostendens sententiæ, quæ statim infertur, argumentum: Quandoquidem (inquit) in vobis manus manum fricat, & eodem animo in eamdem pertinaciam verborum, factorumque conspiratis, viri & mulieres, & mutuas inter vos operas præstatis alacerrime; idcirco audite verbum Iehovæ, &c. Sequente versu. *Et loquuntur istæ ore vestro*

ſtro, &c. id eſt, vos muliebres perturbationes interpretamini coram Deo & me, earumque comprobatores eſtis coram omnibus hominibus, cum illarum vota niſi a nobis confirmarentur, futura eſſent irrita ex lege Numeror. xxx. quamobrem Propheta conſcios illos numeraverat ſupra verſ. 15. ותדברנה *vattedabbernah*, eſt vel ſecunda perſona feminea futuri Pihel, cum *vau* converſivo, *& locutæ eſtis*, vel, *& locutæ fuerunt*. FACIAMUS VOTA NOSTRA. Hebr. *Faciendo faciemus vota noſtra*. Alii: I. *Incunctanter faciemus vota noſtra*. II. *Omnino perfecturæ ſumus*. Verbum Hebr. poteſt eſſe femineum, & maſculeum. IMPLESTIS VOTA VESTRA, ET OPERE PERPETRASTIS EA. Alii ex Heb. I. *confirmando confirmaſtis vota veſtra, & omnino feciſtis vota veſtra;* id eſt, rata facitis vota veſtra & executioni mandatis. Utrumque Futurum eſt femineum ſecundæ, vel tertiæ perſonæ, ut paulo ante verbum *loquendi*. II. *audacter erexiſtis vota veſtra, incunctanter perfeciſtis vota veſtra*. III. *omnino præſtant illæ vota veſtra, & omnino perficiunt illæ voſtra veſtra;* id eſt, iam non ſunt amplius mulierum vota dumtaxat, ſed veſtra ipſorum fiunt, & vos plane rei illorum eſtis ratihabitione & diſſimulatione veſtra.

V. 26. ECCE EGO IURAVI IN NOMINE MEO MAGNO. Alii: *Ecce ego iuro per nomen meum maximum*. QUIA NEQUAQUAM ULTRA VOCABITUR NOMEN MEUM, &c. Alii: I. *ſi erit ultra nomen meum invocatum*, &c. II. *pereat, ſi fuerit amplius nomen meum prædicatum ore ullius viri Iehudæ*, &c. Apoſiopeſis in iuramentis frequens; quaſi dicat: Mallem memoriam nominis mei plane intercidere, quam ſordido iſtorum ore prædicari, hoc verſu: ac proinde eos perditurus ſum, qui in maleficio perſtiterint, duobus ſequentibus. De particula *Si* in iuramentis, vide Geneſ. xiv. 23.

V. 27. ECCE EGO VIGILABO SUPER EOS IN MALUM, &c. Alii: *Ecce ego amygdalaturus ſum*, id eſt cito incubiturus ſum, ut cito amygdalus floret, *eis in malum*: vide ſupra cap. I. 12.

V. 28. ET QUI FUGERINT GLADIUM, REVERTENTUR DE TERRA AEGYPTI IN TERRAM IUDA, &c. Alii: *Qui itaque evaſuri ſunt e gladio, revertantur e terra AEgypti in terram Iehudæ*, &c. Concluſio ſententiæ, pios utcumque parvo ſint numero, in officio confirmat: ut attigerat ſupra verſ. 14. VIRI PAUCI. Hebr. *mortales*, vel *homines numeri*: ut Geneſ. xxxiv. 30. id eſt, utcumque pauci ſint numero, ne dubitent in iter ſe dare, & reverti Deo auctore, & duce ET SCIENT OMNES RELIQUIAE IUDA, &c. Quidam ex Hebr. reddunt: I. *Nam experientur omnes reliquiæ Iehudæorum, qui venerunt in terram AEgypti, ut commorentur ibi, utrius verbum præſtabitur, meum aut ipſorum*. II. *& ſcient omnes reliquiæ Iehudæ, quæ abierunt in terram AEgypti, ad exulandum illic, cuiuſnam ſermo firmus ſurgat, meus, an illorum;* id eſt, an verus ſit ſermo meus, quo prædico illis calamitatem: an illorum, qui ſibi incolumitatem in impietate promittunt.

V. 29. ET HOC VOBIS SIGNUM, &c. Aliqui hunc verſum ex Hebr. explanant: *Hoc autem eſto vobis ſignum, dictum Iehovæ, me animadverſurum eſſe in vos in loco hoc, ut ſciatis ſtando ſtatura verba mea*, vel *omnino præſtitum iri verba mea, contra vos in malum*. Confirmatio ſententiæ præituro ſigno, Alii: *ut ſciatis indubie, rata ut ſint futura verba mea in vos, ad affligendum*.

V. 30. ECCE EGO TRADAM PHARAONEM EPHREE, &c. Hoc eſt ſignum. Hebr. *Ecce ego dans Pharhonem Chophrah*, &c. vel *Parhonem Chophrahum*, &c. Hebræi & plerique Noſtrorum nugantur in Nomine *Chophragh*. Tremellius & Iunius: *Chaphohum*, qui *Euſebio Vaphret, & Apries Herodoto Lib* II. *dicitur*. Et hoc eſt plane veriſſimum: verba Euſebii in Chronico Numero MCCCCXXVI. ſunt: *Capta Ieroſolyma ab Aſſyriis* (Chaldæis, aut Babyloniis melius dixiſſet) *ad Vaphrem regem AEgypti Iudæorum reliquiæ transfugerunt. Huius Vaphris Ieremias quoque propheta certo loco meminit*. Ioſephus Scaliger ad hunc Euſebii locum hæc annotat: *Cap.* XLIV. *in fine ubi vocatur* חברע, *quod pronunciandum eſt Hapræa, cum Herodoto vocetur Aprier, ſeu Hapries. Sed Maſoritæ, qui peregrinæ hiſtoriæ fuerunt imperitiſſimi, Chophrag, Græcis aliis Oaphres, ut Clementi, vel Caphres. Quem finem nactus ſit hic rex, habes plene apud Herodotum, quod iam ab Ieremia prædictum fuerat eodem loco. Hoc contigit anno periodi Iulianæ* 4145. *annis* XXI. *poſt caſum Sedekiæ. Lege Herodotum, qui hanc hiſtoriam bona fide, & convenienter verbis Ieremiæ deſcribit: in quo videbis mirabilem* con-

V. 6. CONFLATA EST INDIGNATIO MEA, id est liquefacta, & quasi torrens igneus effusa: vide supra capite XLII. 18. SECUNDUM DIEM HANC: sicut apparet hodie.

V. 7. UT INTEREAT, &c. quod conciliabit interitum vobis, uxoribus, & liberis vestris.

V. 8. IN MALEDICTIONEM, &c. vide dicta cap. XLII. 18.

V. 9. NUMQUID OBLITI ESTIS, &c. quasi dicat: Num meliores facti estis, quam Patres vestri., cum eorum punitionem videritis? Nequaquam. ET MALA UXORUM EIUS, id est cuiusque eorum. IN REGIONIBUS IERUSALEM: urbes enim dividebant veteres in praecipuas aliquot partes, quae regiones dicebantur. In Hebraeo est, *In plateis Ierusalem*.

V. 10. NON SUNT MUNDATI: sic supra capite II. 30. dicitur: *frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt*. QUAE DEDI CORAM VOBIS: quae proposui vobis servanda: sic Ecclesiast. XLV. 6. dicitur: *Dedit illi coram praecepta, & legem vitae, & disciplinae*.

V. 10. PONAM FACIEM MEAM IN VOBIS IN MALUM; id est, irascar vobis, respiciam vos torvo, & irato vultu: vel, certum firmumque consilium suscipiam male vobis faciendi: sic supra cap. XXI. 10. *Posui enim faciem meam super civitatem hanc in malum, & non in bonum*. QUI POSUERUNT FACIES SUAS; id est, qui obstinate, & pertinaciter voluerunt in terram AEgypti proficisci. Vide supra XLII. 15. & 17. ERUNT IN IUSIURANDUM, &c. explicatum est hoc supra XLII. 18. IN MIRACULUM. Hoc est, quod cap. XLII. 18. dicitur *In stuporem*, ut scilicet omnes qui audient calamitates vestras obstupescant.

V. 13. VISITABO, puniam, ultionem exercebo.

V. 14. AD QUAM IPSI ELEVANT ANIMAS SUAS, id est ad quam ipsi maxime redire cupiunt. Vel, ad quam se redituros sperant. Vide supra XXII. 27. NISI QUI FUGERINT. In Hebraeo est, *nisi evasores* ut vertit Pagninus: qui evaserint, vel qui evaserunt, subtrahentes se, & fugientes ex AEgypto, ut patet ex n. 28.

V. 16. SERMONEM, &c. id est, ita in re, quam nobis nomine Dei annunciasti, non obediemus tibi. In Hebraeo est, *non audiemus tibi*.

V. 17.

V. 17. Facientes faciemus, id est omnino faciemus. Omne verbum quod egredietur de ore nostro, id est quidquid nobis libuerit. Non faciemus quod tu, sed quod nos dicimus. Reginae caeli, id est lunæ, quæ in cælo quasi regina stellarum est. Et saturati sumus: particula & ponitur pro *idcirco*; quasi dicat: Saturati sumus, quia coluimus reginam cæli.

V. 9. Numquid sine viris, &c. quasi dicat: Non fecimus nostro consilio, & auctoritate, sed viris nostris cohortantibus, & adiuvantibus. Vide supra VII. 18.

V. 21. Recordatus est Dominus, ut puniret. Ascendit super cor eius, id est irritavit animum eius, vel, in mentem illi venit.

V. 22. Non poterat Dominus ultra portare. Loquitur de Deo humano more, & significatur peccata Iudæorum fuisse gravissima, & quæ ferri non possent. In stuporem, et in maledictum: vide dicta supra n. 12. Sicut est dies haec: usque ad hodiernum diem; vel sicut hodieque apparet, & nunc se res habent.

V. 26. Iuravi: iuro: præteritum pro præsenti. In nomine meo magno: per nomen meum, quod magnum est; aut per nomen meum non qualecumque, cum multa habeam nomina, sed per illud magnum, & ineffabile *Iehova*. Quia nequaquam ultra vocabitur, &c. id est, non usurpabitur amplius nomen meum a Iudæis, qui in AEgypto sunt iurandi causa, quia omnes peribunt.

V. 27. Vigilabo, &c. id est, diligens ero, & solicitus ad malefaciendum, & nocendum illis, non autem ad benefaciendum.

V. 28. Qui fugerit gladium; scilicet antequam veniat.

V. 29. Visitem: puniam, & perdam.

V. 30. Pharaonem Ephree. Ephree est nomen proprium. LXX. *Vaphrem* appellant. Pharao nomen dignitatis regiæ, omnes enim Reges AEgypti Pharaones dicebantur.

TIRINI.

Vers. 4. De nocte consurgens *a*, id est magna vigilantia & studio.

V. 6. Conflata quomodo dicatur indignatio divina, dixi supra *b*.

V. 9. Mala uxorum eius, pro, cuiusque eorum. In regionibus Ierusalem, id est in vicis, seu partibus præcipuis, in quas urbs dividebatur. Sicut & *Roma* primum a Romulo in tres regiones, *Capitolii*, *Palatini* & *Cælii* montium, deinde a Traiano quatuordecim divisa fuit, & etiamnum divisa manet, quarum singulæ habent suum *Caporione*, id est præfectum regionis, cui incumbit regionem illam a tumultu, cædibus, furtis, omnique scelere tueri.

V. 11. Ponam faciem meam in vobis in malum; id est, aspiciam vos vultu sævo ac minaci, intentans vobis pœnas & clades.

V. 12. Erunt in iusiurandum; exposui cap. XLII. 18. Et in miraculum. Hebraice, *in stuporem*, cap. XXIX. 18. & seqq.

V. 14. In terram Iuda, ad quam elevant animas suas, id est ad quam revisendam avide anhelant, non revertentur nisi qui ex AEgypto, iuxta Ieremiæ consilium, fugerint ante adventum Chaldæorum. Quid ad hæc Iudæi?

V. 17. Facientes faciemus; id est, omnino *c* faciemus omne verbum quod egredietur *d* de ore nostro, id est quidquid voluerimus, quidquid nobis libuerit: vel potius, quidquid voverimus *e* reginæ cæli, id est Lunæ, ut alibi *f* dixi.

V. 21. Numquid non sacrificium, quod idolis toties obtulistis, recordatus est Dominus? an non ascendit super cor eius? nonne irritavit animum eius, & bilem illi provocavit? quasi dicat: Sensistis quam id non impune vobis cesserit in Iudæa, in patria; vultis eumdem rursus irritare in AEgypto, in loco exilii?

V. 26. Iuravi in nomine meo magno, id est per nomen, seu per immensam maiestatem meam, quod nequaquam ultra vocabitur nomen meum ex ore omnis Iudaei; id est, nemo Iudæorum in AEgypto iurabit amplius me; quasi dicat: Nemo colet me deinceps, pauculis exceptis qui iuxta monita mea ex AEgypto tempestive profugient: nam reliqui omnes a Chaldæis occidentur, vel fame absumentur: ita fere Sanchez & a Castro.

V. 30. Pharaonem Ephree regem AEgypti tradam in manu inimicorum

lic. Pharao a
odoto *g* *A*-
ilium *Psam*-
Iosiam *h* re-
nus *i* dicit an-
Iabuchodono-
us a Lapide
i nomen gel-
, qui a Na-
t, nusquam
antum vasal-
natur Gene-
hunc *Apriem*
Amasi cap-
i ad strangu-
Nabuchodo-
concesserim:
nstat tum ex
zechiele, Io-

sepho, S. Hieronymo k & aliis passim.

(a) Ierem. vii. 23. &c.
(b) Ierem. xlii. 18.
(c) Proleg. de Idiotism. Hebr. num. xlix.
(d) Deut. viii. 3. Matth. iv. 4.
(e) Ierem. xliv. 25.
(f) Ierem. vii. 18.
(g) Herod. Lib. II.
(h) IV. Reg. xxiii. 29.
(i) Clem. Lib. I. Stromat.
(k) Ezech. xxix. 19. & xxxi. 11. 15. 18. Ioseph Lib. X. Antiq. cap. xi. Hier. in cap. iv. Threnor.

GORDONI.

Vers. 1. HOc caput deberet poni post duo insequentia capita: nam est ultima Ieremiae Prophetia, & quae impleta est, ut hic subiicio, post modicum tempus.

Res Iudaeorum.	Ieremias.	Aegyptus.
captivitas tertia.	liberatur a carcere.	Nabuchodonosor subegit Aegyptum, ut praedixit Ieremias, & inde incepit Monarchia: brevi inde venit Daniel. Dan. c. 2.
Iudaei sunt in Aegypto.	Ieremias lapidatur in Aegypto.	
ucuntur ex Aegypto captivi.	o	

caeli, hoc est
it in placentis
unam depin-
suis & cibis

certatur: pro-
em Nechao,
Pharao Va-
& in Vul-
ui fuit Pha-
nepos illius
Iosias, pater

Ioachimi & Sedeciae, Lib. IV. Reg. cap. xxiii.

Ex Eiusdem Auctario.

Vers. 1. Magdalo: in AEgypto civitas est: modico intervallo distat Pelusio. Phatures, urbs etiam AEgypti.
Vers. 4. Nocte consurgens. Phrasis designans diligentiam magnam.
Vers. 14. Non revertentur in terram, nisi deserant nunc AEgyptum.

CA-



CAPUT XLV.

Deus per Ieremiam arguit Baruch, quod quereretur se dolorem habere & non requiem; cui tamen in ceterorum vastatione pollicetur securitatem.

1 VErbum, quod locutus est Ieremias propheta ad Baruch filium Neriæ, com scripsisset verba hæc in libro ex ore Ieremiæ, anno quarto Ioakim filii Iosiæ regis Iuda, dicens: 2. Hæc dicit Dominus Deus Israel ad te Baruch: 3. Dixisti: Væ misero mihi, quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo: laboravi in gemitu meo, & requiem non inveni. 4. Hæc dicit Dominus: Sic dices ad eum: Ecce quos ædificavi, ego destruo: & quos plantavi, ego evello, & universam terram hanc. 5. Et tu quæris tibi grandia? noli quærere: quia ecce ego adducam malum super omnem carnem, ait Dominus: & dabo tibi animam tuam in salutem, in omnibus locis, ad quæcumque perrexeris.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. CUm scripsisset. Baruch dictante Ieremia, ut dictum est supra xxxvi. 2. Verba haec. Non referuntur ad verba huius capitis; sed ad ea, quæ cap. xxxvi. scripta fuisse dicuntur; eo enim usque tenditur demonstratio, & Prophetæ digitus: & cum eius capitis sententia, sententia huius capitis coniuncta est. Anno quarto Ioacim. Regnavit Ioacim undecim annos, IV. Reg. xxiii. 36. & Sedecias alios undecim IV. Reg. xxiv. 18. qui sunt viginti duo, unde si demas quatuor, reliqui erunt decem & octo. Ex quo nonnulli colligunt inter tempus, quo hæc propheria edita est, & tempus hoc, quo nunc scribitur, decem & octo fuisse annos. Quod non video quo modo necessario colligatur. Incertum enim est, an sensus sit; Verbum, quod locutus est Ieremias Propheta anno quarto Ioacim; an, verbum quod locutus est, postquam anno quarto scripsisset verba hæc in libro ex ore Ieremiæ. Utroque enim modo verba iungi possunt.

V. 3. Dolorem dolori meo; id est, dolorem alium super alium sine fine, cum enim puto me ex uno dolore relevatum, alius mihi dolor nascitur. R. David, & R. Salom. dicunt Baruch duplici de causa doluisse, & quod tam diu Ieremiæ Prophetæ ministrasset, & nondum spiritus prophetiæ sibi datus esset, cum datus esset olim Iosue ministro Moysis, & Elisæo ministro Eliæ: & quod adhuc quæreretur, ut coniiceretur in carcerem cap. xxxvi. 29. propterea dixisse, Addidit Dominus dolorem dolori meo; id est, affecit me duplici dolore: propterea etiam usum esse hac phrasi, Requiem non inveni; quia cum datur alicui spiritus prophetiæ, dicitur requiescere super eum: ut IV. Reg. ii. 15. *Requievit spiritus Eliæ super Elisæum:* & Isa. xi. 2. *Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus*. Subtilis interpretatio, sed habet nescio quid Rabinicum, & simile commenti; Quare malo simpliciter interpretari, *Addidit dolo-*

E S T I I.

Verſ. 1. VErbum, quod locutus est Ieremias propheta ad Baruch filius Neriae, cum scripsisset verba haec in libro ex ore Ieremiae. Non eſt hoc intelligendum de verbis prophetiæ proxime præcedentis: nam ea quæ continentur quatuor capitibus proxime præcedentibus, prophetata ſunt, & dictata poſt captam urbem Ieruſalem, partim in Iudæa, partim in AEgypto. Id autem quod hic ſubiicitur dictum ad Baruch, accidit octodecim annis ante excidium civitatis. Ita enim ſequitur: Anno quarto Ioakim filiis Iosiae regis Iuda. Hic autem fuit annus decimus octavus ante everſionem civitatis; ſed intelligitur verbum Domini per Ieremiam, quod ſupra cap. XXXVI. commemoratur; quando Ioakim allatum ad ſe librum coniecit in ignem; & Dominus præcepit prophetæ, ut dictaret alium librum comminationibus plenum, ſcribente Baruch. Quæ omnia] Baruch cum ſcripſiſſet, quia erant triſtia & horrenda, erupit in hanc vocem: *Væ miſero mihi, quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo*, &c.

V. 2. & 3. Haec dicit Dominus ad te Baruch: Dixisti; Vae misero mihi, quoniam addidit Dominus dolori dolorem meo. Quidam intelligunt hoc Baruch dixiſſe, quia moleſte ferret ſe non eſſe aſſecutum ſpiritum prophetiæ, poſteaquam multo tempore ſerviſſet Ieremiæ, cum ſciret Ioſue miniſtrum Moyſi, & Helizæum miniſtrum Heliæ prophetiæ gratiam tandem poſt miniſterium ſuum accepiſſe; præſertim quod Ieremias eo tempore eſſet in carcere: ita ſentiunt Hebræi. Verum cum hic ſenſus neque ex loci circumſtantia, neque aliunde confirmari poſſit, doloris eius hanc potius cauſam aſſignamus; quia ſcilicet & præſentem afflictionem experiebatur, videns Ieremiam in carcere; & futuram calamitatem, quam Ieremias certo prædicebat imminere, formidabat. Unde & tandem conſolans eum dicit v. ultimo: Ait Dominus, et dabo tibi animam tuam in salutem; quaſi dicat: Tu tamen ceteris pereuntibus, cladem imminentem evades. Interim prius ſuaviter eum increpat dicens: verſ. 4. Ecce quos aedificavi, ego destruo;

STRUO; ET QUOS PLANTAVI EGO EVELLO; ET UNIVERSAM HANC. ET TU QUAERIS TIBI GRANDIA? NOLI QUAERERE; quasi dicat: Quantumcumque tibi innocens videaris, malum commune est, ergo & tolerantia quoque communis esse debet.

MARIANAE.

Vers. I. VERBUM. Non servatur ordo historiae & temporis. Quae hic de Baruch narrantur, decem & octo annis contigerunt ante Ierusalem excidium. VERBA HAEC. Ego dicerem, *verba illa*, ut referatur ad ea quae cap. XXXVI. dicta sunt, & quae Baruch scripsit. Nam אלה *eleh* non solum *hae* significat, sed *ista* sed *illa*. ANNO QUARTO IOAKIM. Regnavit is undecim annis, & Sedecias aliis undecim. Ita decem & octo annis antequam Ierusalem caperetur, haec contigerunt. Quid Baruch ait?

V. 3. VAE MISERO MIHI. Hebr. *vae nunc mihi*. Male mecum agitur. DOLOREM DOLORI MEO. Hebr. *maerorem dolori meo*, id est multiplici me afflictione oppressit Deus; super populi calamitatem ego etiam in vitae periculo versor. cap. XXXVI. vers. 26. quaerebant eum in carcerem mittere. ET REQUIEM NON INVENI. Verba Baruch, continua est afflictio, nullae induciae. Chald. *& prophetiam non inveni*. Unde plerique Hebraei per *requiem*, *prophetiam* intelligunt, quia saepe de Prophetis dicitur, *requiescere super eos Spiritum Domini*; IV. Reg. II. XV. & Isai. XI. 2. quem Spiritum cupivisse Baruch putant, nec eatenus assecutum.

V. 4. ECCE QUOS AEDIFICAVI. Ieremiae verba ad Baruch, seu Dei. Vides me iratum in populum, quem aedificavi, & plantavi, in eum animadvertere, & tu tibi laeta quaeris. ET UNIVERSAM TERRAM HANC. *Et*, pro, id est. *Terram hanc destruo*, id est destruam.

V. 5. ET TU QUAERIS TIBI GRANDIA? nimirum requiem a malis. Hebraei per *grandia* Prophetiae spiritum intelligunt: iuxta illud IV. Reg. VIII. 4. *Narra mihi omnia magnalia quae fecit Eliseus*, id est omnia vaticinia, ut illi intelligunt. Verum haec mihi violenta videntur. ADDUCAM MALUM SUPER OMNEM CARNEM, id est super omnes Iudaeos. ET DABO TIBI ANIMAM TUAM IN SALUTEM. Sic Chald. Ac si diceret, pro magno putare debes, in tanta alio non clade vitam incolumem servare. Hebr. *Dabo tibi animam tuam in spolium*, id est *lucrum*, ut Sept. Id in lucro debes ponere, neque altiora quaerere.

MALVENDAE.

Vers. I. VERBUM, QUOD LOCUTUS EST, &c. Haec prophetia, inquiunt, (cuius inscriptio continetur vers. I.) paraletica est, sive consolatoria, propterea quod Baruch prophetias Iirmeiae exscribens afficiebatur horrore iudiciorum Dei, & de se ipso erat plus aequo sollicitus infirma quadam diffidentia: confert hoc caput cum cap. XXXVI. supra.

V. 3. DIXISTI: VAE MISERO MIHI, &c. Alii I. *Dixisti*, *Proh dolor mihi*. II. *Dixisti*, *Eheu iam mihi*, &c. In hac consolatione exponuntur luctus Baruci perterriti iudiciorum gravitate, hoc versu: stabilitas Dei in exequendis suis iudiciis contra populum suum, quamvis summe sit misericors; versu sequente: & Baruchi consolatio a promissione, versu ultimo. QUIA ADDIDIT DOMINUS DOLOREM DOLORI MEO. Alii: *quia adiicit Iehova maerorem dolori meo*, percepto ex Ioschiie morte, Ioachazi captivitate, regni oppressione, & omnium depravatione.

V. 4. ECCE, QUOS AEDIFICAVI, EGO DESTRUO, &c. Quidam: *Ecce, quod aedificaveram, ego destruo, & quod plantaveram, ego evello, denique totam hanc terram*. Argumentum a comparatione maioris: Haec omnia (inquit Deus) ego feceram, fundaveram, colueram, ornaveram, & si quid est eiusmodi in tota terra hac, ac proinde non possum non affici misericordia erga rempublicam, teque ipsum propter me: sed cum tanta sit communis improbitas, ut invitus cogar omnia pessundare, ne putes umquam te aut maiore esse misericordia erga res omnes, quam ego sim, aut maiore cum studio tibi ipsi prospicere, quam ego facturus sum: sed ex hoc communi incendio satis esto, quod liberabo te.

V. 5. ET TU QUAERIS TIBI GRANDIA? Quidam: *Et tu quaereres tibi res magnas?* id est magnifice tibi prospectum velles, & in communibus procellis & tempestatibus tamquam e portu naufragium publicum prospectare? NOLI QUAERERE. Alii: *ne quaerito*; id est, satis esto, quod te de mediis pro-

DABO TIBI ANIMAM TUAM IN SALUTEM; quasi dicat: Nec tamen timeas periculum: nam animam tuam, id est vitam tuam e periculis eripiam, & salvam faciam.

T I R I N I.

Vers. I. CUM SCRIPSISSET BARUCH VERBA HAEC, quæ cap. XXXVI. scripta dicuntur.

V. 3. DIXISTI: VAE MISERO MIHI, QUONIAM ADDIDIT DOMINUS DOLOREM DOLORI; puta, molestiam molestiæ, periculum periculo. Ex periculo enim prioris scriptionis oraculorum Ieremiæ, vix e fuga me subduxi: nunc ad idem, immo maius periculum revocor, quod scriptum posterius, multo acrioribus minis plenum, mihi creabit a rege furibundo mihique infenso: ita Hugo, Lyranus & a Lapide. Et colligitur ex vers. I. huius cap.

V. 5. ET TU delicatule, in communi totius populi desolatione & excidio, cum deberes etiam cum extremo tuo labore & incommodo & humiliatione tuis laborantibus adesse, QUAERIS TIBI GRANDIA? id est, optas grandi privilegio solus in quiete, tranquillitate & otio degere, ab omnibus amari, honorari, collaudari? NOLI QUAERERE talia; sed saluti consule tuorum qua potes, laborando, scribendo, prædicando. Saltem hoc tibi concedam in præmium, quod, ceteris pereuntibus, qui te audire, tibique obsequi noluerint, ego *tibi animam*, seu vitam, *tuam daturus* sim IN SALUTEM, id est salvam; Hebraice, *in spolium*; LXX. *in lucrum*.

G O R D O N I.

Nulla annotatio.



C A P U T XLVI.

Dominus per Ieremiam Pharaoni & AEgypto prænuntiat desolationem, quam inducet Nabuchodonosor; Iudæis autem & filiis Israel consolationem tandem ac liberationem; universis vero Gentibus ad quas Deus illos eiecerat, vastationem.

1 QUod factum est verbum Domini ad Ieremiam prophetam
contra Gentes, 2. ad AEgyptum, adversum exercitum Pha-
raonis Nechao regis AEgypti, qui erat iuxta fluvium Eu-
phraten in Charcamis, quem percussit Nabuchodonosor rex
Babylonis, in quarto anno Ioakim filii Iosiæ regis Iuda.
3. Præparate scutum, & clypeum, & procedite ad bellum.
4. Iungite equos, & ascendite equites: state in galeis, po-
lite lanceas, induite vos loricis. 5. Quid igitur? vidi ipsos
pavidos, & terga vertentes, fortes eorum cæsos: fugerunt conciti, nec respexe-
runt: terror undique, ait Dominus. * 6. Non fugiat velox, nec salvari se pu-
tet fortis: Ad Aquilonem iuxta flumen Euphratem victi sunt, & ruerunt. 7.
Quis est iste, qui quasi flumen ascendit: & veluti fluviorum, intumescunt gur-
gites eius? 8. AEgyptus, fluminis instar ascendit, & velut flumina movebuntur
fluctus eius, & dicet: Ascendens operiam terram: perdam civitatem, & habita-
tores eius. 9. Ascendite equos, & exultate in curribus, & procedant fortes,
AEthiopia & Libyes tenentes scutum, & Lydii arripientes & iacientes sagittas.
10. Dies autem ille Domini Dei exercituum, dies ultionis, ut sumat vindictam
de inimicis suis: devorabit gladius, & saturabitur, & inebriabitur sanguine eo-
rum: victima enim Domini Dei exercituum in Terra Aquilonis iuxta flumen
Euphraten. 11. Ascende in Galaad, & tolle resinam, virgo filia AEgypti: fru-
stra multiplicas medicamina, sanitas non erit tibi. 12. Audierunt gentes ignomi-
niam tuam, & ululatus tuus replevit terram: quia fortis impegit in fortem, &
ambo pariter conciderunt. 13. Verbum quod locutus est Dominus ad Ieremiam
prophetam, super eo quod venturus esset Nabuchodonosor rex Babylonis &
percussurus Terram AEgypti. 14. Annuntiate AEgypto, & auditum facite in
Magdalo, & resonet in Memphis, & in Taphnis, dicite: Sta, & præpara te:
quia devorabit gladius ea, quæ per circuitum tuum sunt. 15. Quare compu-
truit fortis tuus? non stetit, quoniam Dominus subvertit eum. 16. Multiplica-
vit ruentes, ceciditque vir ad proximum suum: & dicent: Surge, & reverta-
mur ad populum nostrum, & ad terram nativitatis nostræ, a facie gladii co-
lumbæ. 17. Vocate nomen Pharaonis regis AEgypti, tumultum adduxit tem-
pus. 18. Vivo ego (inquit rex, Dominus exercituum nomen eius) quoniam
sicut Thabor in montibus, & sicut Carmellus in mari, veniet. 19. Vasa trans-
migrationis fac tibi habitatrix filia AEgypti: quia Memphis in solitudinem erit,
& deseretur, & inhabitabilis erit. 20. Vitula elegans atque formosa AEgy-
ptus: stimulator ab Aquilone veniet ei. 21. Mercenarii quoque eius, qui ver-
sabantur in medio eius, quasi vituli saginati versi sunt, & fugerunt simul, nec

are potuerunt: quia dies interfectionis eorum venit super eos; tempus visita-
onis eorum. 22. Vox eius quasi æris sonabit: quoniam cum exercitu propera-
unt, & cum securibus venient ei, quasi cædentes ligna. 23. Succiderunt saltum
us, ait Dominus, qui supputari non potest: multiplicati sunt super locustas,
: non est eis numerus. 24. Confusa est filia AEgypti, & tradita in manus po-
uli Aquilonis. 25. Dixit Dominus exercituum Deus Israel: Ecce ego visitabo
iper tumultum Alexandriæ, & super Pharaonem, & super AEgyptum, & su-
er deos eius, & super reges eius, & super Pharaonem, & super eos qui con-
dunt in eo. 26. Et dabo eos in manus quærentium animam eorum, & in
ıanus Nabuchodonosor regis Babylonis, & in manus servorum eius: & post
æc habitabitur sicut diebus pristinis, ait Dominus. 27. (*a*) Et tu ne timeas
rve meus Iacob, & ne paveas Israel: quia ecce ego salvum te faciam de lon-
nquo, & semen tuum de terra captivitatis tuæ: & revertetur Iacob, & requie-
et, & prosperabitur: & non erit qui exterreat eum. 28. Et tu noli timere
rve meus Iacob, ait Dominus: quia tecum ego sum, quia ego consumam
ınctas gentes, ad quas eieci te: te vero non consumam, sed castigabo te in
:dicio, nec quasi innocenti parcam tibi.

(a) Isai. xliii. 1. & xliv. 2.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

rs. 6. Non fugiat velox. Alii libri habent futurum indicativi *fugiet*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

rs. 1. CONTRA GENTES: contra AEgyptios, nomen gentis accipitur c loco, ut opponitur Iudæis.

V. 2. PHARAONIS NECHAO. Pharao non commune omnium regum AEgypti. Neıo vero proprium eius, qui tunc regnabat: :m eumdem fuisse arbitror, qui supra ı. XLIV. 30. Ephree appellatus est, quamsciam me in eo a plerisque interpretidissentire. Nam & nomen idem signiıt, ut Ionathas interpretatur, nempe ıdum, aut debilem; & ipse Ionathas dem esse putat. IN CHARCHAMIS. Ea s erat Syriæ ad ripam fluminis Euphrasita: quam, ut ait R. David prius rex ur, & Aram occupaverat. Ad eam exnandam venit Nechao iussu Dei, quaque annis eam obsedit. Nam ultimo o regis Iosiæ venit, regemque Iosiam :ntem civitati opem ferre, occidit; & pro eo Ioacim filium eius regem constituit. Cuius anno quarto a Nabuchodonosor debellatus est: lege historiam IV. Reg. XXIII. 29. & II. Paral. XXXV. 20. & III. Esdræ I. 23.

V. 3. PRAEPARATE SCUTUM. Possunt hæc verba referri, aut Chaldæis, ut eos Propheta exhortetur ad pugnandum contra AEgyptios, prædicens fore, ut eos vincant, aut AEgyptiis, ut se præparent ad pugnandum contra Chaldæos; fore enim ut ab illis vincantur; quam utramque interpretationem approbat R. David. Mihi videntur hæc verba AEgyptiis dici, sed irrisorie; quasi dicat: Præparate omnia arma, omniaque instrumenta bellica, quæ volueritis; certe vincemini, nihil vobis proderunt arma, nihil iste tantus apparatus belli, quem facitis, ut Psalm. LXXVII. 9. *filii Ephrem intendentes, & mittentes arcum, conversi sunt in die belli.*

V. 4. IUNGITE EQUOS: ad trahendos cur-

currus; falcatis enim curribus pugnabant, aut אסרו, *ligate*, id est frænum equis iniicite.

V. 5. QUID IGITUR? id est, quorsum apparatus iste tantus armorum, cum prophetico spiritu videam eos trepidantes, & in fugam versos? Hebr. מדוע ראיתי, *quare vidi eos pavidos, cum tam bene armati sint*. FORTES EORUM CAESOS, יוכתו, *cæsi sunt*. FUGERUNT CONCITI, מנוס נסו, *fuga fugerunt*, vulgaris Hebraismus; id est, valde, summa celeritate fugerunt, ita ut ne retrorsum quidem respicerent. Hæc omnia sub illa interrogatione legenda sunt, מדוע, *quare?* Responsio vero intelligenda est, qualem aliis locis explicatam videmus, ut Deut. XXXII. 30. *Quomodo persequeretur unus mille, & duo fugarent decem millia? nonne ideo quia Deus suus vendidit eos, & Dominus conclusit illos?* Et Amos II. 13. 14. *Ecce ego stridebo super vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno. Et peribit] fuga a veloce, & fortis non obtinebit virtutem suam, & robustus non salvabit animam suam*.

V. 6. NON FUGIAT. Docet fore, ut nemo ulla ratione possit evadere, neque velox fugiendo, neque fortis pugnando ut Amos II. 13. & IX. 1. *Non erit fuga eis, qui fugient; & non salvabitur ex eis, qui fugerit*. Et Psalm. XLI. 6. *Periit fuga a me, & non est, qui requirat animam meam*. AD AQUILONEM. Erat Syria comparatione AEgypti Aquilonaris. VICTI SUNT: AEgyptii. Hebr. כשלו ונפלו, *offenderunt, & ceciderunt*, ut Chaldæus vertit: alludit autem ad fugam, de qua loquebatur. Solent enim qui fugiunt, præ currendi velocitate impingere, & cadere, atque a persequentibus comprehendi. Septuag. ἠσθένησαν, *infirmati sunt, & ceciderunt*, ut Psal. XIX. 9. & XXVI. 2. *Ipsi infirmati sunt, & ceciderunt; nos autem surreximus, & erecti sumus*.

V. 7. QUIS EST ISTE? non interrogat ignorando, sed irridendo; nec ut discat, sed ut doceat: subiectio enim est, quæ versu insequenti explicatur. Declarat autem AEgyptiorum arrogantiam comparans eos flumini exundanti & tumentibus gurgitibus terram operientibus. Solet per flumina, & aquas populorum multitudo significari, qua rex AEgypti maxime gloriabatur, ut Isa. VIII. 7. *Propter quod ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes & multas, regem Assyriorum, & omnem gloriam eius*. Et Apoc. XVII. 15. *Aquæ, quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi sunt, & gentes & linguæ*.

V. 9. ASCENDITE EQUOS. Alii עלו הסוסים, *ascendite equi*, ut Chaldæus. Est autem ironia, qua Propheta invitat AEgyptios ad veniendum, & pugnandum contra Charchamis; quasi dicat: Venite in macellum, ut iugulemini. Sicut dixerunt Philistiim Ionathæ & eius armigero I. Reg. XIV. 12. *Ascendite ad nos, & ostendemus vobis rem*. AETHYOPIA, ET LYBIES, ET LYDII; hi populi AEgyptiis vicini, amicique erant, cumque illis venerunt ad obsidionem Charchamis.

V. 10. DIES AUTEM ILLE DOMINI: quo occidit AEgyptios. Vocatur dies Domini in litteris sacris, omnis dies, quo Dominus facit quidquid vult, potentiamque suam maxime ostendit, ut dies iudicii: I. Cor. III. 13. & cap. V. 5. & II. Cor. I. 14. & I. Thessal. V. 2. Sic etiam omnis alius dies, quo Deus iudicium aliquod exercet insigne, ut Isai. II. 12. *Quia dies Domini exercituum super omnem superbum, & excelsum, & super omnem arrogantem, humiliabitur*. Et cap. XIII. 6. *Ululate, quia prope est dies Domini; quasi vastitas a Domino veniet*.

V. 11. ASCENDE IN GALAAD. Ironica concessio est, qualis illa superior vers. 3. *Præparate scutum, & clypeum*: & vers. 9. *Ascendite equos, & exultate*. Galaad regio resina, & balsamo abundabat, supra VIII. 22. *Numquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei?* TOLLE RESINAM: צרי, alii *resinam*, alii *balsamum*, alii *opobalsamum* interpretantur, quod curandis vulneribus præsentissimum est remedium; quasi dicat: Sume, quidquid balsami est in Galaad, non curaberis a vulneribus, quæ tibi infligent Chaldæi, quia lethalia erunt. Hoc est, quod dicit, FRUSTRA MULTIPLICAS MEDICAMINA, (pro multiplicabis,) id est, frustra multis uteris medicamentis, non enim sanaberis: תעלה, proprie sanationem vulnerum significat; nomen enim a עלות, id est ab ascendendo ductum est, quod, cum vulnera sanantur, nova caro, & nova cutis in locum plagæ ascendit. VIRGO FILIA AEGYPTI. Virginem vocat AEgyptum, vel quod antea non fuisset debellata, ut nonnulli putant;

:l, ut ego credo, quod Hebræi omnem vitatem, &; regionem insolentem latque ultantem virginem per metaphoram ap-ellare soleant.

V. 12. AUDIERUNT GENTES. Perveniet ma ad omnes gentes, te ignominiose, & rpiter a Chaldæis victam fuisse. ULULA-US TUUS, quem edes, cum vinceris, au-etur per totum terrarum orbem; hyper-ole. FORTIS IMPEGIT IN FORTEM; id t, fortissimus quisque AEgyptius adeo leriter fugiet, ut in alium fortissimum iemque impingens, cum illo pariter cor-at. Significat tantam futuram esse fugien-um pressuram, ut alii alios deiiciant, con-lcent, occidant. Ita R. David.

V. 13. VERBUM QUOD LOCUTUS EST. actenus prædixit Ieremias, quo modo cæ-ndi AEgyptii a Chaldæis in obsidione harebamis: nunc prædicit Chaldæorum in sam AEgyptum adventum, eiusque va-tionem.

V. 14. IN MAGDALO. Nominat quatuor vitates AEgypti loco omnium: STA, i-m est, *sta*, & PRAEPARA TE. Iubet au-m præparare se non ad resistendum, sed patiendum.

V. 15. QUARE COMPUTRUIT, id est mquam res putrida concidit. Hebr. נסחף, od non reperitur nisi hoc loco, & Proverb. VIII. 3. & R. David interpretatur, vi viæ cadere, aut lubrica via vestigium lente corruere. Significat ergo Ieremias e, ut AEgyptii non sua imbecillitate, : Chaldæorum virtute, sed Dei iudicio que impulsu vincentur: ut Deuter. XXXII. *Quomodo persequebatur unus mille, & fugarent decem millia? Nonne quia Deus s vendidit eos, & Dominus conclusit il-?* Et Psalm. XVII. 40. *Et præcinxisti me tute ad bellum, & supplantasti insurgen-in me subtus me.* FORTIS TUUS: אביריך, *tes tui*, nomen plurale cum verbo singu-; id est, quilibet ex fortibus tuis, ut onit R. David Sept. διὸ ὅτι ἔφυγεν ὀπίσω σόσχος ὁ ἐκλεκτός σου, *quia fugit retro vi-us electus tuus*, quia אבירים, *vitulos, aut ros* significat. Sensus autem idem est: n viri fortes per metaphoram vituli ap-antur, sicut & ipsa AEgyptus paulo in-vers. 20. dicitur vitula.

V. 16. MULTIPLICAVIT DEUS; id est, multos cadere fecit, ut alii super alios ruerent. A FACIE GLADII COLUMBAE, id est propter gladium columbæ. Hebraismus sæpe a nobis declaratus. Columbam autem vocat Nabuchodonosorem, quod a Deo celeriter venturus esset, ut advolasse videretur, ut supra XXV. 38. & infra L. 16. Hebr. מפני הרב היונה, *a facie gladii opprimentis, ac vastantis*, exponit R. David hoc loco. Ionathas vero hic, & supra XXV. 38. una cum R. Salom. interpretatur gladium inebriantem, sicut supra vers. 10. dictum est: *Devorabit gladius, & saturabitur, & inebriabitur sanguine eorum.* Sept. ἀπὸ προσώπου μαχαίρας Ἑλληνικῆς, *A facie gladii Græci.* Quia, יון, simile nomen Græciam significat Daniel X. 20. At hic non de Græcis, sed de Chaldæis agebatur. Et iidem Sept. supra XXV. 38. verterunt, ἀπὸ προσώπου μαχαίρας μεγάλης, *a facie gladii magni.*

V. 17. VOCATE NOMEN PHARAONIS ...... TUMULTUM, ADDUXIT TEMPUS: quia scilicet tempus a Deo constitutum (hoc enim significat מועד) tumultum, & magnam illi calamitatem afferet: genus est prophetiæ, quod nominum impositione constat, qua, quod venturum est, declaratur: sicut Abram vocatus est Abraham, quia pater futurus erat multarum gentium. Et Isai. VIII. 3. 4. iussus est nomen infantis vocare: *Accelera, spolia detrahere, festina prædari. Quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ.* Hebræi nunc eadem verba aliis punctis legunt, & aliter interpretantur: קראו שם, *clamate* aut *clamaverunt ibi*, id est in AEgypto: quod sequitur, פרעה מלך מצרים שאון, *Pharao rex AEgypti, & tumultus* (in genitivo,) id est magnæ turbæ, ac multitudinis hominum, העביר המועד, *transire fecit tempus constitutum*; id est, cum magnum haberet exercitum, non est ausus dicta die cum Chaldæis prælium committere. Hoc, inquam, ibi clamaverunt, id est tamquam proverbium vulgo iactaverunt. In hanc sententiam R. Salom. & R. David interpretantur. Sept. hæc tria, *Tumultum, Adduxit, Tempus*, unum nomen proprium fecerunt. Καλέσατε τὸ ὄνομα Φαραὼ Νεχαὼ βασιλέως Αἰγύπτου, Σαὼν Εσβιὲ Μωήδ: *Vocate nomen Pharaonis Nechao regis AEgypti, Saon Esbie Moed*: quod non debuit interpres, quisquis fuit, significative, sed materialiter vertere, ut Grammatici loquuntur. Ego He-

brai-

braica alium meliorem sensum habere puto, quam quem eliciunt Hebraei: *Clamaverunt ibi, Pharao rex AEgypti, & tumultus transire fecit tempus*, aut *transire faciet*; id est, efficiet, ut prophetia Ieremiae falsa sit, & Chaldaei non veniant, quo tempore eos venturos dixerat Ieremias: quem sensum confirmant verba quae sequuntur.

V. 18. VIVO EGO. Dei iuramentum. SICUT THABOR IN MONTIBUS; id est, sicut verum est Thabor esse in montibus, id est unum e montibus, & Charmelum in mari, id est iuxta mare, sic verum est, quod Ieremias praedixit venturum esse regem Babylonis. Sic Ionathas in paraphrasi, & R. Salom. in commentariis, & inter Graecos Theodoretus interpretantur. R. vero David ex patris sui sententia ad hunc modum, *sicut Thabor inter montes aptus est ad venandum, & ad retia tendenda*, ut Ose. V. 1. *rete expansum est super Thabor*, ita rex Babylonis veniet ad venandos homines in AEgyptum: & sicut ligna Charmeli per mare transferunt, ita Chaldaei transferent AEgyptios in captivitatem. Possumus etiam nos simplicius, & fortassis aptius interpretari, Regem Babylonis & terra, & mari potissimum venturum esse, sicut Thabor in continenti inter montes, & Charmelus in mari inter promontoria maxime eminet.

V. 19. VASA TRANSMIGRATIONIS; id est, res necessarias ad trasmigrationem, & captivitatem, baculum quo innitare, & cucurbitulam, qua bibas, ut solent facere peregrini. HABITATRIX יושבת, quae secure, & confidenter nunc desides, ut exponit Kimchi: putat enim esse antithesin inter יושבת, *habitatricem* & גולה, *transmigrationem*; quasi dicat: Quae nunc otiosa & secura sedes, praepara te ad longum transmigrationis iter conficiendum. QUIA MEMPHIS. Memphim posuit pro toto regno, quia regni caput erat.

V. 20. VITULA. Vitulam vocat AEgyptum, quod dives esset, & delitiosa, inoreque pinguis, & indomitae vitulae lasciviret: qua methaphora alii etiam Prophetae uti solent: Isai. XV. 5. *Vectes eius usque ad Segor vitulam consternantem*. Et Ose. X. II. *Ephraim vitula docta diligere trituram, & ego transivi super pulchritudinem colli eius*. STIMULATOR, id est, qui eam stimulet, & de AEgypto, quasi de prato suo demigrare cogat: hactenus enim indomita fuit, nec sensit stimulum. קרץ, R. David, & & Salom. *excisionem* interpretantur: sicut & Sept. ἀπόσπασμα. Melius alii Hebraei iugulationem; quasi dicat, AB AQUILONE, id est Babylone VENIET ET, qui eam iugulet. Optime vero omnium noster interpres. Agebatur enim hic non de excisione, non de iugulatione; sed de transmigratione.

V. 21. MERCENARII QUOQUE EIUS. Milites alienigenae, quos mercede conduxerant, ut R. David interpretatur. VERSI SUNT: כי גם המה הפנו, *quia etiam ipsi versi sunt*; id est, milites mercenarii eius similes etiam sunt vitulis saginatis; propterea viso hoste in fugam versi sunt, sicut vituli pingues fugere solent viso homine non rustico more vestito. NEC STARE POTUERUNT: לא עמדו, *non steterunt*, id est non potuerunt resistere. QUOD DIES INTERFECTIONIS: אידם, *calamitatis eorum*: quo die Deus decreverat eos iugulare, & perdere. Significat enim non potuisse Dei sententiam effugere Isai. X. 3. *Quid facietis in die visitationis, & calamitatis de longe venientis*.

V. 22. VOX EIUS, AEgypti, QUASI AERIS SONABIT, id est valde sonabit; aes enim metallum est valde tinniens, & sonorum. Significat autem similitudine tinnientis aeris quaerulum, & doloris plenum clamorem, quem AEgyptus hostes persequente editura erat. Hebr. עלה כנחש ילך, *serpentis ibit*; id est, longe penetrabit, longe clamor eius exaudietur, sicut sibilus serpentis, qui cum fugit, sibilos in caelum tollit. Ita etiam Chaldaeus Paraphrastes, & Sept. ita omnes Hebraei interpretantur. Noster vero interpres videtur pro כנחש, *serpente* legisse נחשת, *aes*, unius additione litterae, sensusque bene haeret: praeterquam quod Ieremias ita loqui solet, XLVIII. 36. *Propterea cor meum ad Moab, quasi tibia aeris resonabit*. Et D. Paulus I. Cor. XIII. 1. sonoram vocem, aeris tinnitui comparavit. Serpentis autem sibilo nusquam clamor validus comparatur. QUIA CUM EXERCITU (magno) PROPERABUNT, Chaldaei. QUASI CAEDENTES LIGNA, sicut caesores arborum, aut lignorum.

V. 23. SUCCIDERUNT: praeteritum pro futuro, succident Chaldaei. SALTUM EIUS, sylvam AEgypti. AEgyptum comparat sylvae, habitatores arboribus, Chaldaeos caeso-

ri-

ribus, & lignatoribus. QUI SUPPUTARI NON POTEST, exercitus Chaldæorum; quasi dicat: Exercitus Chaldæorum, qui innumerabilis erit, sylvam AEgypti succident. Hebr. כי לא יחקר, *quia numerari non poterit*. Reddit enim causam, cur exercitus Chaldæorum poterit totam AEgyptum exscindere, quia nimirum innumerabilis erit, quemadmodum si innumerabiles homines sylvam cæderent, quamvis singuli singulas tantum arbores succiderent, brevi tempore totam sylvam exscinderent. Ita Sept. & Chald. verterunt, ac fortasse etiam noster interpres. Facile enim *quia*, in *qui*, mutari potuit.

V. 25. SUPER TUMULTUM, id est turbam, populum, multitudinem. אמון, quod Sept. Chald. & R. Salom. & R. David putarunt *Ammon* nomen esse proprium regis Alexandriæ, qui regi totius AEgypti vectigalis esset, ALEXANDRIAE מנוא, *de No*. *No* vocabatur olim ea civitas AEgypti, quæ postea ab Alexandro magno restaurata eius nomen accepit. Itaque Chaldæus אלכסנדריא, *Alexandriam* vertit. Sept. multo secus, *ἰδοὺ ἐγὼ ἐκδικῶ τὸν Αμμὼν υἱὸν αὐτῆς: Ecce ego ulciscor Ammon filium eius*, quasi legerint בנה, pro, מנא. Quid significet visitare hoc loco notum est.

V. 26. ET IN MANU NABUCHODONOSOR: ו, *&*, ponitur pro, hoc est. Exponit enim, qui sint illi, qui quærunt animam eius, nempe Nabuchodonosor, & Chaldæi servi eius. ET POST HAEC; id est, postquam quadraginta annos vastata fuerit, ut clarius prædixit Ezechiel. XXIX. 11. 12. 13. 14. *Post finem quadraginta annorum congregabo AEgyptum de populis, in quibus dispersi fuerant*.

V. 27. NE TIMEAS. Apostrophe ad Israelitas per comparationem minoris cum maiore; quasi dicat, Si AEgyptios reducam in patriam suam, quanto magis reducam te, o Iacob, qui servus meus es. DE LONGINQUO; id est, reducens te ex longinquis, & remotis locis, in quibus exulas. Eadem sententia est supra XXX. 10. & apud Isaiam XLIII. 1. & XLIV. 2.

V. 28. ET TU. Tu, inquam, noli timere; hanc enim vim habet repetitio apud Hebræos. CONSUMAM; id est, penitus delebo tamquam hostes meos; postquam eorum opera in te castigando usus fuero: te vero non delebo, ut promisi sup. IV. 27. *Deserta erit omnis terra, sed tamen consummationem non faciam:* cap. V. 10. *Ascendite muros eius, & dissipate, consummationem autem nolite facere* & vers. 8. *Verumtamen in diebus illis, ait Dominus, non faciam vos in consummationem*. SED CASTIGABO TE IN IUDICIO; id est, misericorditer, & moderate, tamquam pater, non tamquam hostis. Sæpe adnotavimus nomen iudicii cum furori & iræ opponitur, misericordiam, lenitatemque significare, ut supra VIII 7. *Populus autem meus non cognovit iudicium Domini:* & X. 24. *Corripe me Domine, verumtamen in iudicio, & non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me:* & cap. XXX. 11. *Sed castigabo te in iudicio, ut non videaris tibi innoxius*. NEC QUASI INNOCENTI; id est, ea te moderatione castigabo, ut neque prorsus perdam te quasi hostem; neque prorsus impunem relinquam te tamquam innocentem. Hebr. ונקה לא אנקך, *& absolvendo non absolvam te tamquam innocentem*, ut supra, XXX. 11. ubi Ionath & R. David interpretantur, sicut hoc loco, *Excindendo non excindam te*, vel *consumendo non consumam te*. Symmachus apud Hieron. *Mundans non mundabo te*. Sept. *ἀθῳῶν οὐκ ἀθῳώσω σε*, *innocentem faciendo, non innocentem faciam te*. Utrumque verbum נקה, significat, & innocentem facere, aut absolvere & excindere ac perdere, & uterque sensus apte convenit.

S A.

Vers. 4. IUNGITE, scilicet curribus falcatis.

V. 5. VIDI, scilicet prophetico spiritu.

V. 8. CIVITATEM, scilicet Charcamis. Chald. *civitates*.

V. 10. VICTIMA. Chald. *occisio*. LXX. *sacrificium*.

V. 11. VIRGO FILIA. Chald. *regnum cœtus*. SANITAS, &c. quasi dicat, Plaga tua incurabilis.

V. 12. FORTIS, scilicet miles.

V. 14. MEMPHIS. Hebr. *Noph*. PRAEPARA, scilicet ad excipiendum Chaldæorum exercitum. PER CIRCUITUM, id est vicinas regiones, seu urbes.

V. 15. COMPUTRUIT. Chald. *contritus est*, LXX. *fugit*.

V. 16.

V. 16. MULTIPLICAVIT, scilicet Dominus. COLUMBAE, id est exercitus velocis, vel gestantis in vexillo columbæ signum. Chald. *inimici*. LXX. *Græci*.

V. 17. TUMULTUS, &c. quasi dicat, Tumultuabitur, & superabitur, seu belli tumultum experietur. ADDUXIT, scilicet contra eum.

V. 18. IN MONTIBUS, scilicet est. IN MARI, id est prope mare. VENIET, scilicet quod prædixi. Chald. *veniet interitus eius*.

V. 19. VASA, id est instrumenta. FILIA. Chald. *cœtus*.

V. 20. VITULA; pro, velut vitula. STIMULATOR, scilicet qui ad fugam impellat. Chald. *populi interficientes*.

V. 21. MERCENARII, scilicet milites. Chald. *principes*.

V. 22. EIUS, scilicet AEgypti. AERIS. Chald. *serpentis sibilantis*.

V. 23. SUPPUTARI, scilicet exercitus Chaldæorum, vel populus AEgypti, qui hic saltus dicitur.

V. 25. TUMULTUM, id est populum tumultuosum, vel multitudinem.

V. 27. LONGINQUO, scilicet reducens.

V. 28. IN IUDICIO, id est moderate. Chald. *in iudicio misericordiæ*.

ESTII.

Vers. 11. ASCENDE IN GALAAD, ET TOLLE RESINAM VIRGO FILIA AEGYPTI. Sarcasmus est, ut patet ex tota narratione; id est, acerba & quasi hostilis irrisio, qua utitur adversus exercitum AEgyptiorum pene concisum, ab exercitu Chald. Et sensus est: Vos AEgyptii, ascendite in Galaad, quæ abundat optimo balsamo, aliisque salutaribus seu medicis herbis, & inde accipite vobis medicamenta ad curanda vulnera vestra; quæ quidem irridendo esse dicta, manifeste ostendunt verba proxime sequentia: sic enim subiungitur: FRUSTRA MULTIPLICAS MEDICAMINA, SANITAS NON ERIT; quasi dicat: Frustra conaberis hanc tantam cladem reparare. Et notandum hic obiter, adeo nullum esse tropum, nullum figuræ genus, quo non interdum utatur Scriptura sacra, maxime in prophetis.

V. 19. VASA TRANSMIGRATIONIS FAC TIBI HABITATRIX FILIA AEGYPTI; QUIA MEMPHIS IN SOLITUDINEM ERIT. Cum propheta priori huius capitis parte prædixisset cladem AEgyptiorum, quæ completa est eodem anno, quo prophetia scripta est; videlicet anno quarto regis Ioakim, qui fuit primus annus regis Nabuchodonosor, quando superatus est Nechao rex AEgypti a Nabuchodonosor circa flumen Euphratem; iam posteriori hac parte capitis prædicit idem propheta, etiam aliam cladem AEgyptiorum, quæ non nisi viginti duobus annis post illam priorem completa fuit; quando videlicet Nabuchodonosor anno regni sui vigesimo tertio cum exercitu ingressus AEgyptum, eamque debellavit atque sibi subiecit. Cuius vastationis AEgypti etiam participes fuerunt Iudæi, qui in AEgyptum contra Dei prohibitionem profugerant. Atque ex his accipere licet generalem regulam valentem ad interpretationem prophetarum: videlicet, prophetias, seu prædictiones coniunctas, etsi etiam continua quadam oratione scriptas, non tamen ob id semper ad idem tempus referendas esse; & similiter non recte culpari ecclesiasticos scripturarum interpretes a Iudæis, & etiam ab aliis nonnullis, quod in prophetia, quæ continua oratione texitur, partem unam referant ad temporalem regni Iudaici statum, aliam vero partem ad regnum Christi Messiæ, & statum populi Christiani.

MARIANAE.

Vers. 1. QUOD FACTUM EST VERBUM. Contra AEgyptios vaticinatur, solatur Iudæos. CONTRA GENTES, scilicet novem, contra quas deinceps vaticinatur, cum ad Dei curam omnes pertineant, monet omnes.

V. 2. AD AEGYPTUM. Aliquid suppleri debet: ut, Principio ad AEgyptum sermo est. ADVERSUM EXERCITUM PHARAONIS. Continuat titulum Prophetiæ. NECHAO. Hic non est Ephree, de quo cap. XLIV. 30. neque ratio temporis consentit, nam quæ hic dicuntur, gesta sunt quarto anno Ioakim Regis, id est octavodecimo ante eversam Ierusalem, illa post eversam aliquot annis. IN CHARCAMIS. Urbs erat Syriæ prope Euphratem, quam ut obsideret, venit Nechao iussu Dei, II. Paral. XXXV. 20. Iosias, qui tunc regnabat, ut gratificaretur Assy-

Assyriis, processit illi obviam, & ab eo occisus est. Nechao post Iosiæ mortem videtur rediisse in patriam, & Ioakim Rege repetiisse eam obsidionem. De qua expeditione nunc agitur.

V. 3. PRAEPARATE SCUTUM. Hic incipit Prophetia. Atque hæc aut AEgyptiis dicuntur, ut forti animo bellum capessant; aut Chaldæis, ut hosti resistant.

V. 4. IUNGITE EQUOS, ut currus trahant. Hebr. *ligate equos*; id est, fræna illis iniicite, ut sessores admittant. LORICIS, alio nomine, *maculis ferreis* induite: quæ vox thoracem ex annulis confectum ferreis significat.

V. 5. QUID IGITUR? VIDI IPSOS PAVIDOS. Hebr. *quare vidi ipsos pavidos?* Cum sint strenue armati, quid timidi sunt? ET TERGA VERTENTES. Hebr. *fugientes retrorsum*, scilicet metu Nabuchodonosoris, aut *se convertentes retro*. FUGERUNT CONCITI. Hebr. *fuga fugerunt*, id est velociter. NEC RESPEXERUNT, ne facies quidem verterunt ad hostes, præ metu scilicet & festinatione. Hæc omnia sub illa interrogatione sunt, & ab illa reguntur, QUARE VIDI?

V. 6. NON FUGIAT; pro, non fugiet. AD AQUILONEM, Syria AEgypto ad plagam Aquilonis iacet. IUXTA FLUMEN. Hebr. *ad manum* (id est ripam) *fluminis Euphratis*. Ibi prælium est commissum. VICTI SUNT, ET RUERUNT, scilicet AEgyptii. Hebr. *offenderunt*, & *ceciderunt*. Sic solent fugientes.

V. 7. QUIS EST ISTE, per irrisionem hæc dicuntur. Cum ea sint multitudine, ut quasi flumina terras tegant, cum intumescunt, tamen victi sunt. GURGITES EIUS? Hebr. *velut flumina præcipitans aquæ eorum*, *cum impetu moventur*. Responsio.

V. 8. AEGYPTUS, ii sunt, qui tanto impetu feruntur. ET VELUT FLUMINA MOVEBUNTUR FLUCTUS EIUS. Hebr. *aquæ eius*. PERDAM CIVITATEM, scilicet Charcamis, de qua lis erat.

V. 9. ASCENDITE EQUOS, aut, *ascendant equi*, ut Chald. ET EXULTATE IN CURRIBUS. Hebr. *insaniant currus*, id est velociter & in gyrum currant, ut insani. LIBYES. Hebr. *Phuth*, id est Phuthenses, Mauritani. LYDII. Sunt in Asia minori, Cariæ & Phrygiæ contermini: Strabo Libro XIII. Plinius Libro V. cap. XXIX. Posteri Misraim: Genes. X. 13. ideo AEgyptiis, qui & Misraim, favent in bello. ARRIPIENTES ET IACIENTES SAGITTAS. Heb. *apprehendentes*, & *tendentes arcum*. Erant periti sagittarii. Omnia hæc ironice dicuntur.

V. 10. DIES AUTEM ILLE DOMINI, *Dies Domini* dicitur, omnis, in quo ostendit potentiam suam. SANGUINE EORUM, inebriabitur gladius, scilicet AEgyptiorum. VICTIMA, id est cædes, laniena, quam victimam vocat, quia Deo auctore & vindice.

V. 11. ASCENDE IN GALAAD. Pro, etiamsi ascendas in Galaad, & inde medicamenta afferas, vulneribus mederi non poteris. *Galaad* Galilææ regio ultra Iordanem. Medicis & medicamentis abundabat, cap. VIII. 22. ET TOLLE RESINAM. Id significat צרי *zori*, non balsamum: nam balsamum solum proveniebat in agro Iericho. *Resina*, vulneribus optimum remedium. VIRGO FILIA AEGYPTI. Sic eam vocat, quod nondum esset ab hostibus subiugata. SANITAS NON ERIT TIBI. תעלה *thealah* est *sanitas* ab ascendendo, quod in vulneribus, cum sanantur, cutis ascendat.

V. 12. REPLEVIT TERRAM ululatus ob cladem. Hebr. *terram hanc*, scilicet propter ה *He* quod præponitur: aut sit, hyperbole, si *terra* sumatur pro toto orbe. QUIA FORTIS IMPEGIT. Tanta erit festinatio fugiendi, ut milites alii alios proculcent. Per *fortem*, militem intelligo.

V. 13. VERBUM. Hactenus de victoria Chaldæorum contra AEgyptios ad urbem Charcamis, nunc de adventu eorum in AEgyptum, quod longo post tempore accidit. SUPER EO QUOD VENTURUS ESSET. Hebr. *advenire Nabuchodonosor*, id est super adventu Nabuchodonosoris.

V. 14. IN MAGDALO. Per quatuor urbes, quas nominat, totam AEgyptum intelligit. QUAE PER CIRCUITUM, id est agros vastabit, diripiet vicos.

V. 15. COMPUTRUIT. Pagn. *propulsatus est*. Chald. *quare contriti sunt*. Ego vertorem: *quare madefacti sunt fortes tui*, id est milites quasi cadente pluvia inutiles sunt facti. Sic Hebr. Schol. in Hebr. cum verbo singulari iungitur nomen plurale. Ex Interpretibus alii verbum mutant in plurale, alii nomen in singulare. SUBVERTIT EUM; seu *impulit eum*, scilicet AEgyptium.

V. 16.

V. 16. Mulltiplicavit ruentes, scilicet Deus. Hic etiam significat fore effusam fugam, ut alii alios prosternant. Gladii columbae. De hac re cap. xxv. 38. plura habes, quæ ut hoc loco repetantur, non est opus.

V. 17. Vocate nomen Pharaonis regis AEgypti. Hic comma. Nomen autem sit hoc totum. Tumultum adduxit tempus. Hebr. *clamate ibi. Pharao Rex AEgypti tumultum* (sic vocat, quod secum innumeras gentes traheret) *transire fecit tempus statutum*, id est tempus confligendi idoneum abire sivit; aut ut Hebræus, Chaldæis tempus dedit, ut se ad bellum compararent, quos in suo regno aggredi satius erat. Hieronymus pro שם *Sam*, id est *ibi*, legit שם *Sem*, id est *nomen*. Ea varietatis occasio ex parte.

V. 18. Sicut Thabor in montibus. Pharao tempus abire finit, quoniam venturos Chaldæos non putabat, nunc Deus venturos iurat. Sicut Thabor venationi ferarum est aptus, sic AEgyptios venabitur Nabuchodonosor. Et sicut Carmelus in mari, id est ut ligna Carmeli mari vehunt, sic AEgyptios in captivitatem aget. Sic Hebræus. Carmelus ad mare erat, cap. II. vers. 7.

V. 19. Vasa transmigrationis, id est itineri necessaria para. Habitatrix, id est quæ secura nunc & confidenter habitas, aut sedes. Memphis. Caput regni, pro tota AEgypto. Et deseretur, et inhabitabilis erit. Hebr. *desolabitur absque habitatore*, id est ita ut non sit qui in ea habitet.

V. 20. Vitula elegans, id est sicut vitula. Stimulator. Hostis ab Aquilone veniet. Hebr. *excisio*, sive *iugulatio*. Veniet ei. Hebr. *veniet, veniet*, id est certissimo veniet ab Aquilone, qui eam vitulam iugulet, aut *stimulet*, id est a suis pascuis expellat.

V. 21. Mercenarii quoque eius. De militibus AEgyptiis ver. 13. dixit inutiles fore, nunc de ære conductis ait, eos voluptatibus emollitos nihilo fore meliores. Quasi vituli saginati. Eos etiam ait hosti terga daturos, sicut de indigenis dixerat. Quia dies interfectionis. Hebr. *dies calamitatis eorum*, scilicet a Deo destinatus eorum ruinæ & exitio.

V. 22. Vox eius quasi aeris sonabit. Hebr. *quasi serpentis ibit*. Sic Chald. & Sept. Nimirum pro נחש *nachas*, id est *serpente*, Hieronymus legit נחשת *nehoseth*, id est *æs*: quæ lectio commodior videtur, ut clamor AEgypti comparetur æri, quod pulsum procul auditur magis quam serpentis sibilus. Sic æris sono cordis motum comparat cap. XLVIII. ver. 36. *Cor meum ad Moab quasi tibia æris resonabit*. I. Cor. XIII. 1. *factus sum velut æs sonans*. Quoniam cum exercitu ibunt Chaldæi, & quasi lignatores succident ligna.

V. 23. Saltum eius. Per *saltum* seu *silvam* homines intelligit, aut optimates, quos succiderunt, id est succident Chaldæi. Qui supputari non potest, scilicet exercitus, de quo dixit v. superiori. Hebr. *quia non investigabitur*, seu *supputabitur*, ut Sept. ponunt. Reddit rationem, quare Chaldæi exscindere AEgyptum potuere, quia erant innumeri.

V. 25. Visitabo, puniam. Super tumultum, id est multitudinem. אמון pro המון *Amon* pro *Hamon*, *Aleph* & *He* sunt litteræ permutabiles. Quidam, ut Sept. vocem *Amon* putarunt esse nomen Regis Alexandriæ, qui erat Pharaonis vectigalis. Chald. *tumultum* vertit. Alexandriae. Hebr. *visito super multitudinem de No*: sed ea urbs Hebr. *No* vocabatur נא quæ postea ab Alexandro Magno instaurata Alexandriæ nomen accepit. Et super Pharaonem. Quare *Pharaonem* bis ponit? Fortasse, quoniam duos Pharaones ea calamitas involvit, Nechao, cum in Charcamis est victus, & Ephree in AEgypto.

V. 26. Et in manus Nabuchodonosor dabo eos: *&*, pro, id est. Nabuchodonosor enim, & servi eius, quærebant animam AEgyptiorum. Habitabitur, scilicet post quadraginta annos exilii, ut ait Ezech. XXIX. 11.

V. 27. Et tu. Quia de liberatione AEgyptiorum locutus est, vertit sermonem ad Israelitas, ac si diceret: Si illos liberabo, multo magis te, qui es servus meus. De longinquo, id est remotis locis, ubi exulas, te liberabo. Et prosperabitur Iacob. Hebr. *pacatus erit abundans*. Sept. *dormiet*. Chald. *habitabunt confidenter*. Significatio verbi שאנן *saanan* non est satis nota.

V. 28. Consumam. Delebo alias gentes, te non delebo penitus. Sic promisit cap.

cap. IV. 27. & cap. V. 10. & 18. SED CASTIGABO TE IN IUDICIO, id est moderate, ut pater, non ut hostis. Vox *iudicium*, cum furori opponitur, id significat. NEC QUASI INNOCENTI. Hebr. *& absolvendo non absolvam te*, scilicet absque correptione. Castigabo te, ut dixit, sed leniter. Chald. *& consumendo non consumam te*. Verbum נקה *nakah*, & *exscindere* & *innocentem esse* significat. Hoc posterius Hieronymus est secutus.

MALVENDAE.

Vers. 1. QUOD FACTUM EST VERBUM DOMINI AD IEREMIAM, &c. Alii: *Verbum Iehovae, quod fuit ad Iirmeiam Prophetam contra gentes ipsas*. Hic versus, inquiunt, generalem inscriptionem continet huius capitis, & sequentium quinque, quibus Deus sigillatim gentibus Iudaeam circumstantibus iudicia sua praenuntiat. Totum vero hoc caput reliquum contra AEgyptios duas prophetias explicat: unam contra copias Parhonis Neconis, in Babyloniam irrumpentes, usque ad vers. 13. alteram, in totam AEgyptum ipsam, inde ad vers. 27. ac postremo populum Dei consolatur, duobus versibus ultimis.

V. 2. AD AEGYPTUM. Alii: *De AEgyptis*. Haec huius capitis inscriptio est, quod duas clades AEgyptiis praenuntiat, ut modo diximus. ADVERSUS EXERCITUM, &c. Alii: *contra copias*, &c. Inscriptio prioris prophetiae de priore clade, cuius circumstantiae hoc versu accurate observantur. PHARAONIS NECHAO REGIS AEGYPTI. Alii: *Parhonis Nechonis regis AEgypti*: vide in II. Reg. XXIII. 29. Qui hunc Nechonem eumdem faciunt cum *Chophrah*, de quo supra cap. XXX. 40. nec Herodotum legerunt, nec rationes chonologicas consuluerunt: & ut rotunde dicam, est perspicuum delirium. QUI ERAT IUXTA FLUVIUM EUPHRATEM IN CHARCAMIS. Alii: *quae copiae fuerunt iuxta flumen Euphratis ad Carcemischum*. Haec per anticipationem dicta sunt: haec enim ante prophetavit Iirmeia quam AEgyptiis acciderent. De Charchamis, vel Carcemischo vide in II. Paralipom. XXXV. 20. QUEM PERCUSSIT NABUCHODONOSOR REX BABYLONIS, IN QUARTO ANNO IOACIM FILII IOSIAE REGIS IUDA. Alii: *quas percussit Nebuchadretzar rex Babyloniae, anno quarto Iehoiakimi filii Ieschiae regis Iehudae*. Qui annus quartus Iehoiakimi primus est Nabuchadnetzaris magni, supra cap. XXV. 1. nam sex ista capita sunt illius exegetica. Hoc autem anno, quo primum regnare caepit Nebuchadnetzar, hae prophetiae rerum ab illo gerendarum Iirmeiae demonstratae sunt. Illud hic magnopere observandum, vel hanc Nechonis in Charchemisum expeditionem durasse integrum quadriennium: vel alteram fuisse ab illa, quae describitur II. Paralipom. XXXV. 20. ut satis indicare videtur Iosephus XII. Antiquit, cap. VI. & VII. nam illam suscepta est vivente adhuc Iosia, cum nondum Nabuchadnetzar rerum potiretur: hic autem ait Iirmeia caesas copias Nechonis ad Charchemisum, quarto anno Iehoiakimi, & primo Nebuchadnetzaris: quod est quadriennii invervallum. Nec propterea quod hic copiae Nechonis caesae dicuntur, vel ipse Necho percussus, existimare debemus ipsum Nechonem in illa clade interfectum fuisse; sed fusum, fugatumque: vide Scaligerum Lib. III. Canonum, pag. 112. quod & Iosephus haud obscure significat.

V. 3. PRAEPARATE SCUTUM, &c. Alii: *Instruite vos clypeo & scuto, & appropinquate ad praelium*. Huius, inquiunt, prophetiae (quae tota fere per hypotyposin ironicam describitur) occasio fuit, quod AEgyptius Necho, ex victo & interfecto Ioschiia, comparata Iudaea & Syria, superatoque Nabopollasaro patre Nabuchadnetzaris, plus aequo insolesceret: itaque hic proponuntur duo adversus Nechonem inflatum victoriis suis: unum est quod revocatur ad arma capienda ineunte regnum Nebuchadnetzare filio, hoc & sequente versu; alterum quod clades ipsius praedicitur, vers. 5. & 6. quae duae partes reliquis versibus, usque ad 13. exornantur. Quidam hunc versum reddunt: *Adornate clypeum, & lanceam*, seu *peltam, & procedite ad confligendum*; id est, instruite acies clypeatorum & peltatorum, &c.

V. 4. IUNGITE EQUOS, &c. Alii hunc versum ex Hebr. I. *Iungite equos*, subaudi, *curribus falcatis, & conscendite, o equites; ac sistite vos cum galeis, tergite spicula, induite loricas*.

V. 5. QUID IGITUR VIDI IPSOS PAVIDOS ET TERGA VERTENTES. Alii ex Heb.

I. Cur

I. *Cur vidi eos fractos*, corpore & animo, *& retrocedentes*, seu *retregredientes*? II. *Cur vero vidi ipsos contritos*, *& retroactos*. III. *Cur video istos consternatos*, *actos retrorsum*? Hypotyposis cladis (ut modo diximus) per interrogationem; cuius hypophora est sub finem versus; nimirum in causa esse pavorem illum, cuius mandatum Dei verbis enuntiatur, sequente versu. FORTES EORUM CAESOS, &c. Reliquam hanc versus partem alii ex Hebr. transferunt. I. *& fortes eorum contriti sunt*; *& fuga fugerunt*, *nec respexerunt*: *terror a circuitu*, *dictum Iehovæ*. II. *Heroes eorum conquassari? Sic fuga refugium quærere*, *ut nemo respiciat*, seu *convertat*, subaudi, faciem suam adversus persequentes: *pavor undique*, *dictumque Iehovæ*. III. *& potentes eorum confusos*, *atque ita fuga fugientes ut non obvertant faciem?* videlicet ad resistendum hosti: *formido est circumquaque*, *dictum Iehovæ*.

V. 6. NON FUGIAT VELOX, &c. Alii hunc versum ex Hebr. I. *Non effugiet levis*, *& non evadet fortis*: *ad aquilonem ad ripam Euphratis fluminis ceciderunt & corruerunt*. II. *Ne fugiat levis*, *neque tentet se eripere fortis*; quasi dicat, Ne speret fuga servare se posse miles levis armaturæ, aut celeritate pedum valens: neque arbitretur strenuus evadere se posse sua fortitudine pugnando aut resistendo: *ad aquilonem iuxta ripam fluminis Pherathis impegerunt & ceciderunt*. III. *Ne fugiat*, *qui levis est*, *neque eripiat se*, *qui potens est*: *versus aquilonem ad ripam fluminis Euphratis impingunt & cadunt*; nempe copiæ AEgyptiorum ad Charchemisum. Sunt hæc verba Dei.

V. 7. QUIS EST ISTE, QUI QUASI FLUMEN ASCENDIT? &c. Alii hunc versum ex Hebr. I. *Quis est iste*, *qui tamquam fluvius ascendit*, *& cuius undæ ut flumina fluctuant?* vel *agitant se*, sive *impetum faciunt*; quasi dicat, Animosi & instructi veniunt AEgyptii, insolescunt & gloriantur de victoria nupera, thrasonice iactant se omnia vastaturos, ut sequente versu se explicat. II. *Quis hic est*, *qui ut rivus ascendit*, *ut flumina*, *cuius commoventur aquæ?* Exornatio præcedentis cladis, primum ab insolentia suscipientis expeditionem AEgyptii cum auxiliaribus copiis, tribus versibus; deinde a magnitudine cladis immedicabilis & ignominiosissimæ, quam accepit ille, tribus alteris: *ut rivus ascendit*; id est, assurgit & exundat potentia summa, ut in AEgypto Nilus.

V. 8. AEGYPTUS FLUMINIS INSTAR ASCENDIT. Quidam: *AEgyptius* Necho *est qui ut rivus ascendit*, &c.

V. 9. ASCENDIT EQUOS. Alii: *Ascendite*, *o equi*. Sarcasmus. ET EXULTATE IN CURRIBUS. Alii: I. *& insano quodam furore ferimini*, *o currus*. II. *& immoderate agatis*, *o currus*. III. *& facite vos insanire*, *o currus*, id est discursate. IV. *& insano impetu agitamini*, *o currus*. Vide de hoc verbo supra cap. XXV. 16 Quidam reddunt: *& perstrepite curribus*. AETHIOPIA. Hebr. כוש *cusch*. Vide in Genes. II. 13. & X. 6. LIBYES. Hebr. פוט *phut*, *Putæi*, vel *Phutæi*, de quibus Genes. X. 6. TENENTES SCUTUM. Hebr. *capientes*, *prehendentes*, *clypei*. Alii: *tractantes clypeum*. Sic statim. LYDII. Hebr. לודים *ludim*. Seu *Ludæi*, de quibus Genes. X. 13.

V. 10. VICTIMA ENIM DOMINI DEI EXERCITUUM IN TERRA AQUILONIS IUXTA FLUMEN EUPHRATEN. Alii: *Nam mactatio*, *cædes*, *Domino Iehovi exercituum erit in terra aquilonis ad flumen Euphratis*; id est, strages futura est a Domino in agro Charchemiso sito ad aquilonem respectu AEgypti.

V. 11. ASCENDE IN GALAAD, ET TOLLE RESINAM, VIRGO FILIA AEGYPTI. Alii: *Ascende Gilhadem*, *& accipe opobalsamum*, *virgo filia AEgypti*. Sarcasmus alter: vide supra cap. VIII. 22. Significat hoc versu gravissimam & immedicabilem futuram plagam AEgyptiorum ad Charchemisum; quasi dicat, O AEgyptii, ite in Gilhadem & comparate vobis remedia ad sananda vulnera, quæ a Chaldæis estis lethalia accepturi. De voce צרי *tzori*, quam *resinam* vertimus, vide in Genes. XXXVII. 25. & supra cap. VIII. 22. FRUSTRA MULTIPLICAS MEDICAMINA, SANITAS NON ERIT TIBI. Alii: ex Hebr. I. *sed incassum multiplicabis medicamenta*, *nequit enim tibi vulnus coalescere*. II. *in vanum multas adhibes curationes*, *emplastrum nullum prodest tibi*. Vide supra XXX. 13.

V. 12. AUDIERUNT GENTES IGNOMINIAM TUAM, &c. Alii hunc versum ex Hebr. explanant; *Audiunt gentes ignominiam tuam*, *& clamore tuo plena est terra*: *potentes unum in alterum impingere pariter cadere ambos*;

bes; id eſt, AEgyptios, qui ſe prius invictos prædicabant, alios ab aliis elidi, deiici, & perdi fuga præcipite, quaſi ſibi volunt conſulere.

V. 13. VERBUM QUOD LOCUTUS EST DOMINUS AD IEREMIAM PROPHETAM. Alii: *verbum, quod elocutus eſt Iehova Irmeiæ prophetæ*. Inſcriptio ſecundæ prophetiæ, de qua diximus ſupra verſ. I. SUPER EO QUOD VENTURUS ESSET, &c. Alii ex Hebr. I. *de profectione Nabuchodonoſoris Babyloniorum regis ad affligendum AEgyptum*. II. *venturo Nebuchadretzare rege Babyloniæ ad percutiendum terram AEgypti*: ut prædixerat ſupra cap. XLIII. 8. & ſequentibus, & XLIV. 30.

V. 14. ANNUNTIATE AEGYPTO. Alii: I. *Nuntiate per AEgyptum*. II. *Indicate in AEgypto &c.* Huius prophetiæ partes in univerſum duæ ſunt: una, propoſitio interminationis de AEgypto occupanda per Babylonium, hoc verſu: altera, propoſitio cauſæ, ſequente verſu: quæ duæ propoſitiones ſequentibus explicantur. ET AUDITUM FACITE IN MAGDALO, &c. Alii: I. *& prædicate in Migdolo, Noph, & Thaphnes*. II. *& promulgate Migdoli, promulgate etiam Nophi, & Daphnis*, id eſt in ſingulis finibus AEgypti: nam Migdol erat ab oriente in termino AEgypti, Noph a meridie, Daphnæ a Septemtrione: terminum occidentis prætermiſſum facit, quod illic non eſſet venturus Babylonius. De iſtis autem oppidis vide ſupra cap. XLIV. I. DICITE: STA, &c. Alii: I. *Dicite, Conſiſte, & accommodato te*, vel *appara te*, ad excipiendum impetum Chaldæorum: *quia gladius devorabit quæ circa te ſunt*; vel, *iam enim gladius devoravit circuitus tuos*, id eſt urbes regioni tuæ vicinas. II. *Dicite, Conſiſte, compara te; ſed conſumpturus eſt ambitus tuos*, vel *te circumquaque*.

V. 15. QUARE COMPUTRUIT FORTIS TUUS? Alii ex Hebr. I. *Cur repulſus eſt unuſquiſque fortium tuorum?* II. *Cur evertitur quiſque robuſtorum tuorum.* III. *Quare propulſatus, proſtratus eſt, quiſque fortium tuorum?* IV. *Quare detractus eſt quiſque robuſtorum tuorum?* V. *Cur diſtractus eſt unuſquiſque fortium tuorum?* id eſt, quaſi inundatione & impetu tractus & abreptus, everritus & ſcopatus e terra, vel quaſi torrente aliquo abductus & raptatus. De notione verbi סחף *ſachaph*, vide Proverbior. XXVIII. 3.

V. 16. MULTIPLICAVIT RUENTES. Alii: *Faciet ut impingant multi*, &c. Exornatio prioris propoſitionis de clade AEgypti a Babylonio occupandæ, quam Propheta (ut viſo oblatam divinitus) per præteritum tempus enuntiat prophetice, nos ad evidentiam futuro reddimus. CECIDITQUE VIR AD PROXIMUM SUUM. Alii: *etiam concidet vir cum amico ſuo*, vel *alter cum altero*. ET DICENT: SURGE, ET REVERTAMUR, &c. Alii: *& dicent, Surge ut revertamur ad populum noſtrum, & ad ſolum natale noſtrum, metu gladii iſtius opprimentis*, vel *a conſpectu graſſantis gladii*. Notant, verba hæc eſſe copiarum auxiliarium, & ſtipendiariorum militum, qui AEgyptio conducti militabant, de quibus infra verſ. 21. A FACIE COLUMBAE. Vide ſupra cap. XXV. 38.

V. 17. VOCATE NOMEN PHARAONIS REGIS AEGYPTI, TUMULTUM ADDUXIT TEMPUS. Alii ex Heb. I. Sanctes: *Vocaverunt tibi: Parhoh regem AEgypti, tumultum; tranſire fecit tempus ſtatutum*; id eſt, vocaverunt eum regem tumultuoſum & inconſideratum, temerarium, qui tempus rei bene gerendæ prætermiſerit. II. Vatablus: *Clamabunt ibi*; id eſt, Publice dicturi ſunt in AEgypto Chaldæi, irridentes Parhonem: *Parhoh rex AEgypti, & tumultus* ſive *turbæ multæ*, id eſt AEgypti & tantarum copiarum, *tranſgreſſus eſt tempus condictum*; id eſt, ſivit ſibi labi tempus illud, quod condixerat regi Babyloniæ ad confligendum cum eo. III. Leo Iudæ: *Clamaverunt illic, Pharao rex AEgypti deſignator temporum, circummiſit* Deus *vaſtitatem*: per terram tuam, ſeu regnum tuum. IV. Tremellius & Iunius: *Clamantes illic, Parhoh rex AEgypti, rex ſtrepitus eſt*, ſeu *ſtreperus eſt, prætermittit conſtitutum tempus*; id eſt, dat verba, res magnas pollicetur, bullis verborum ſtrepit, promiſſis perſonat, ſed iuſto tempore nihil efficit. Sic auxiliares copiæ, & AEgypti abiicientes animum, curam defenſionis deſerturi figurantur. V. Forſterus: *Clamaverunt ibi; Parhoh rex AEgypti, interitus*, ſeu *ſonitus*; id eſt, o Parhoh rex AEgypti, ruina, irruptio, præcipitium, ſeu ſonitus, fragor, ſtrepitus irruentis Babylonici exercitus tibi imminet. Vel, *Parhoh rex ille AEgypti concidit*,

tran-

transtulit castra. Sic enim מועד *moghed*, hic pro castris, seu agminibus certo numero & ordine constitutis accipit. VI. Cornelius Bonaventura Bertramus ex Rabbi Selomone: *Conclamarunt* ibi in ipso prælio, hoc est per præconem aut fetialem promulgarunt; *Pharhoh rex AEgypti strepitus*. Ita ut figurate & per sarcasmum, scommate, & convicio istiusmodi perstringatur rex AEgypti, *Parhoh rex AEgypti strepitus:* quia videlicet attollebat vocem strepitus sui in tumultus & fragores, dum gloriaretur in copiis suis: *transire fecit tempus statutum*. Nam condixerat diem prælii fixum & statum, quo progressurus erat in prælium & pugnaturus: at vero in prælium non est progressus, atque ita elapsus est dies temporis constituti. VII. Mercerus ex Kimchio: *Clamaverunt illic, Pharaoh rex AEgypti, & rex multitudinis magnæ, terminum temporis constitutum*, seu *tempus præscriptum præteriit*, seu *transiit*, quod regi scilicet Babylonis constituerat ad dimicandum. VIII. Interpres Hispanicus. *Clamaron alli Pharaon Rey de AEgypto, Rey de rebuelta, o reboltoso: hizo passar*, seu *dexo passar el tiempo senalado*; id est, *perdio la occasion de vencer*. IX. Isidorus Clarius: *Clamaverunt ibi, Pharhoh rex AEgypti potens præterire permisit tempus*. Sed illud, *potens* non capio, nam שאון *schaon*, nihil tale significat. X. Nos vertimus: *Clamaverunt ibi;* id est, auxiliares copiæ & stipendiarii milites Pharhoni proclamaverunt, *Pharhoh rex AEgypti, obruitio*, id est ruet, obruetur, præcipitabitur, interibit: *transire fecit stationem*, scilicet militarem, castra amovit, transtulit, dissolvit stationes militares & præsidia, ut supra in quinta explanatione; quasi dicat, Nudavit præsidiis & stationibus AEgyptum. Vel *transire fecit indictionem*; quasi dicat, Obruetur, desertus a suis, quod gravibus tributis & indictionibus populum oppresserit. Aut, Pharhoh omnia strepitu & fragore militari complebit, *transire faciet signum*, tesseram, Symbolum militare suis militibus dabit. Ut apud Virgilium VII. AEneidos.

—— *It bello tessera signum*.

Ubi vide Servium. Nam מועד *moghed*, pro tessera militari sumitur interdum, ut Iudic. xx. 38. vel denique, ruet Pharhoh, quia præterire sivit tempus opportunum rei gerendæ.

V. 18. VIVO EGO INQUIT REX, &c. Hunc versum alii ex Hebr. transferunt. I. *Vivo ego, dicit rex ille, cuius nomen est Iehova exercituum, quod quemadmodum Thabor inter montes, & quemadmodum Charmelus in mare excurrit, sic veniet*; subaudi, hæc calamitas AEgyptiis. Ut, inquit, verum est Thabor montem altissimum situm esse in regione montana, & Carmelum montem excurrere in mare; sic vere hæc, quæ prænuntio, AEgyptiis evenient. II. Kimchi exponit: Ut Thabor inter montes aptus est venationibus, ut dicitur Hoseæ. v. 1. ita Babylonius venabitur AEgyptum; & ut arbores seu ligna Carmeli per mare devehuntur, ita Babylonius evehet AEgyptiacas opes. III. Alii ita accipiunt: Veniet Babylonius in AEgyptum terra marique potentissimus, ut Thabor in continenti inter montes, & Carmelus in mari inter promontoria maxime eminet. IV. Tremellius, & Iunius: *Ut vivo ego, dictum regis illius cuius nomen est Iehova exercituum, quamvis ut Thabor in montes, & ut Carmel in mare procedat, tamen hec futura sunt*. Confirmatio cladis prænuntiatæ, a iuramento Dei. Id est, quamvis AEgyptus situ & natura loci videatur esse munitissima, & circumvallata montibus ac mari, non secus ac Thabor montibus circumcluditur, & Carmelus in mare proiectus est; ac proinde AEgyptius sibi omnino confidat, ut dicitur infra. vers. 25. tamen has minas meas effecturus sum, & iamque impero ut seipsam ad perpessiones earum comparet, versibus sequentibus. SICUT THABOR IN MONTIBUS. De quo vide in Iosue XIX. 12. ET SICUT CARMELUS IN MARI. De Charmelo vide in Iosue XII. 22.

V. 19. VASA TRANSMIGRATIONIS FAC TIBI, &c. Id est baculum, peram, sarcinulam, &c. ut solent peregrinantes. Alii: *Instrumenta deportationis para tibi, o deses filia AEgypti;* id est, quæ iam tibi regina sedere videris, comparatis a Nechone tam amplis victoriis, & regionibus. Sed est expositio extra rem: nam Necho fractus, profligatusque accisis viribus, superioribus annis redierat ex clade Charchemisa. Præstat cum aliis exponere *habitatrix filia AEgypti*, vel *quæ sedes*, id est desides otiosa, in otio & tranquillitate, ac deliciis multis, secura imminentis excidii tui: *Nam Apries fortunatissimus extitit omnium ad*

ad eam ætatem regum, inquit Herodotus Lib. II. Numer. 161. ET DESERETUR. ונצתה *venitzatha*. Quidam a נצה *natzah*, deducunt, *& involabitur*, *irruetur*, *obruetur*, *vastabitur*, *destruetur*. Alii a יצת *iatzath*, *& conflagrabit*, *succendetur*, *comburetur*.

V. 20. VITULA ELEGANS ATQUE FORMOSA AEGYPTUS. Alii: I. *Ut bucula elegantissima est AEgyptus*; id est, regnum AEgypti felicissimum & opulentissimum est. Buculam sive vitulam vocat, quod impinguata lasciviret in locis pascuosis & uberrimis, una cum mercenariis & conductitiis militibus, qui magis ad delicias quam ad malitiam hic referuntur enutriti: atque ideo impendente exitio fugerunt. I. *ut vitula speciosissima est AEgyptus*. Amplificatio præenuntiatæ cladis a comparatione præsentis gloriæ, hoc & sequente versu, cum ventura ignominia & ruina, tribus sequentibus. יפה פיה *iepheh phiiah*, nomen quod scribitur ut duæ dictiones, legitur autem tamquam una, & secunda ac tertia radicales geminatæ sunt, vel est nomen geminatum, augens significationem, ad summam pulchritudinem indicandam; quasi dicas; *formosa supra modum*, *formosissima*, *pulcherrima*, *speciosissima*. Vide Thesaurum Sanctis, colum. 1004. STIMULATOR AB AQUILONE VENIET EI. Hebr. *incisio*, *excisio*, *evulsio*, *excidium repentinum*, quasi nictu oculi factum, *veniens*, *veniens*. Geminatio participii auget significatum; quasi dicat, certissime veniet. Quidam reddunt: *sed excidium ab aquilone omnino venturum est*. Chaldæa AEgypto est aquilonaris.

V. 21. MERCENARII QUOQUE EIUS, &c. Hunc versum alii ex Hebr. reddunt: I. *Mercenarii quoque milites eius, qui sunt in ea, sunt sicut vituli saginati, ipsi quoque retrospexerunt*, vel *terga verterunt*, *fugeruntque simul*, *neque constiterunt*, seu *substiterunt: quoniam dies interitus eorum venit super eos*, *tempus visitationis eorum*; id est, tempus quo perditurus est illos Deus. II. *Etiam mercenarii eius in medio eius ut vituli saginati*, nimirum in saginario, ac proinde imbelles plane, ut exponitur sequentibus: *nam etiam ipsi obvertent faciem*, *fugient pariter*, *non consistent: cum dies calamitatis eorum supervenerit eis*, *tempus visitationis*, seu *animadversionis*, & *punitionis eorum*.

V. 22. VOX EIUS QUASI AERIS SONABIT, &c. Alii hunc versum ex Hebr. explanant: I. *Vox eius ut serpentis incedet*; quasi dicat, Eminus audientur clamores AEgyptiorum præ dolore & metu irruentium Chaldæorum, ut sibili serpentum: *quia cum copiis irruent* Chaldæi, *& cum securibus veniet contra eam*, AEgyptum, *sicut lignorum cæsores*: II. *Vox illius quasi serpens ibit*, *quando copiis procedent*, *& cum securibus venient ad eam*, *tamquam putatores arborum*; id est, non amplius mugiet aut boabit immani strepitu, ut faciebat ante, sed humi serpet, nec magis audietur quam serpentis incessus audiri solet: sic Isaiæ XXIX. 4. Summa est: Hactenus ferocivisti, & immanes boatus edidisti insolentia tua, & lascivia, ut de voce vitulæ trimæ legimus Isaiæ XVI. 5. & infra cap. XLVIII. 34. sed advenientibus meis lanionibus e Chaldæa non audebis hiscere, ac vix spirare quidem: & quemadmodum vitula efferata per densas silvas discurrit, sic etiam tu recipies te in paludes tuas; sed frustra, ut sequentibus versibus exponitur.

V. 23. SUCCIDERUNT SALTUM EIUS, &c. Alii hunc versum ex Hebr. reddunt: I. *Exscindent saltum eius*, id est arbores silvarum AEgypti, *dictum Iehovæ*, *citra omnem delectum aut discrimen*: *plures enim erunt locustis*, *neque erit numerus eorum*. II. *Succident silvam eius*, *ait Iehova*; *quia non poterit investigari* numerus, *multiplicabuntur enim magis quam locustæ*, *nec erit eis numerus*; quasi dicat, tam numerosus erit exercitus Chaldæorum devastantium AEgyptum, ut omnes silvas saltusque eius sint excisuri. III. *Cædent silvam eius*, *dictum Iehovæ quamvis non possit pervestigari*, *quamvis plures sint arbores locustis*, *& nullus sit eis numerus*; id est, utcumque frequens sit AEgyptus oppidis & munitionibus, ut silvæ arboribus, omnia exscindent Chaldæi. Illustrant hunc locum verba Herodoti Lib. II. Numero 177. qui de hisce temporibus hæc scribit: *Sub Amasi rege dicitur AEgyptus fuisse maxime beata*, *in iis*, *quæ vel regioni ex flumine*, *vel hominibus ex regione proveniunt*: *& urbes*, *quæ incolerentur tunc*, *fuisse numero illic viginti millia*. Mela Lib. I. cap. IX. *Viginti millia urbium Amasi regnante habitarunt*.

V. 25. DIXIT DOMINUS EXERCITUUM, &c. Conclusio summa præcedentis interminationis, duobus versibus. ECCE EGO VISITABO,

TABO SUPER TUMULUUM ALEXANDRIAE. Hebr. *Ecce ego visitans super Amon de No*. Plerique putant, Amon esse nomen proprium regis vel principis urbis *No*. Alii, certam regionem AEgypti esse, in qua postea Alexander Magnus Paraetonium condiderit, quae Straboni & Stephano dicta sit Ammonia: vide Eusebii Chronicon Numero MDCLXXXVIII. & Animadversiones Scaligeri in eum locum. Nonnulli אמון *amon*, idem esse volunt, quod המון *hamon*, ut facile *He*, & *Aleph* inter se permutentur, exponuntque: I. *Ecce ego visito super Turbam, multitudinem, vulgus*, seu *copias*, *opes de No*; urbs tunc temporis videtur fuisse opulentissima. II. *Ecce ego visitabo architectum, artificem*, fidum, fidelem, certum, peritum, probatum, & quasi nutritum in arte, *de No*. III. Avenarius: *Ecce ego visito opificem* fidum & industrium *de No*. IV. Forsterus & Schindlerus: *Ecce ego visitando venio ad administratorem ex No*. V. Tremellius, & Iunius: *Ecce ego animadversurus sum in nutritium No*, id est in Alexandrinam matrem, & quasi nutritiam totius AEgypti, opum amplitudine & celebritate emporii. Sic Nahum III. 8. ALEXANDRIAE. Hebr. *No*. Forsterus: *No, nomen proprium est urbis AEgypti, quam Chaldaeus paraphastes, deinde Hieronymus, & post eum omnes fere doctores senserunt esse Alexandriam: quae tamen non ita vetusta est: quare potius vel Memphis est, vel Syene. Arbitror ego fuisse Thebas, quae vetustissimum fuit emporium ad mare, & Nilum situm, celebre a centum portis, quas habuisse dicitur*. Nugae! Sed quantum delirium illud, *Thebae ad mare?* cum procul a mari abfuerit: vide Melam Lib. I. cap. IX. & Ptolemaeum in tertia tabula Africae. Iam passim eruditi consentiunt, *No* urbe clarissima hoc bello Chaldaico eversa, in eodem solo post trecentos fere annos conditam Alexandriam ab Alexandro. De cuius amplitudine, pulchritudine, opibus, supra fidem sunt quae scriptores prodidere, seorsim Diodorus Siculus Lib. I. Numero 32. & 33. Lib. XVII. 589. & 590. Strabo Lib. XXVII. Dio Chrysostomus Oratione 32. quae est ad Alexandrinos, Achylles Tatins de Amoribus Clitophontis & Leucippes Lib. V. initio, Ammianus Lib. XXII. cap. XLI. & XLII. Nec est dubium *No* quoque ante opportunitate loci amplam & opulentam fuisse urbem, nam & Hebraice a pulchritudine & amoenitate nomen habet. Sanctum vero Hieronymum hic *No*, Alexandriam per prolepsim dixisse. ET SUPER PHARAONEM, videlicet *Chopram*, seu *Vvaphrem*, vel *Apriem*, de quo supra cap. XLIV. 30. Nam hoc AEgypti a Nabuchadnetzare excidium in tempora Aprii incidisse, Eusebiani Chronici rationes, & optimi quique chronologi affirmant. Iosephus X. Antiquit. cap. XI. de Ieremia & Barucho abductis in AEgyptum cum reliquis Iudaeorum ex casu Tzidkiiae, haec ait: *Quo postquam perventum est, Deus significavit prophetae fore, ut Babylonius exercitum ducat in AEgyptum; iussitque praedicere populo, quod capietur AEgyptus, & ibi partim interficientur, partim captivi Babylonem abducentur; id quod etiam factum est: quinto enim post excidium Ierosolymitanum anno, qui fuit regni ipsius Nabuchodonosori vigesimus tertius, cum magnis copiis invasit Coelensyriam: qua subacta, bellum gessit contra Ammonitas & Moabitas: & his quoque perdomitis AEgyptum hostiliter est ingressus: occisoque, qui tunc regnabat, & alio rege constituto, repertos ibi Iudaeos rursus captivos Babylonem abduxit*. At de Aprie, & Amasi, qui ei successit, aliter Herodotus.

V. 26. ET POST HAEC HABITABITUR SICUT DIEBUS PRIMIS. Alii, *postmodum autem*, id est post annos quadraginta quam fuerit occupata, Ezechiel. XXIX. 11. & sequentibus, *habitabit*, seu *habitabitur*. Tremellius, & Iunius, id est, *pristinam dignitatem recipiet, ut factum esse, Herodotus & alii narrant historici. Etsi obiter hoc dicendum est, deceptum fuisse Herodotum & alios astu AEgyptiorum sacerdotum suas plagas gloriose dissimulantium, quod illos quadraginta annos in regno Amasis comprehendunt: qui tamen non ante regnavit, sed post illos quadraginta annos, ut ratio ipsa temporum ostendit: cum idem Amasis regnante Cyro, & Cambyse proregem agente, in AEgypto imperaverit, ut ex ipso Herodoto initio Libri* III. *facile cognoscitur*. Porro ipse Herodotus, quae de rebus regibusque AEgyptiacis, quae is non vidit, prodit, se a sacerdotibus AEgyptiis accepisse affirmat: verum maiorem partem illorum quadraginta annorum devastationis AEgypti, in tempora Amasi incidisse, series ipsa temporum ab Eu-

Euſebio, clariſque quibuſque Chronologis ducta perſpicue docet.

V. 27. ET TU NE TIMEAS SERVE MEUS IACOB, &c. Alii: *Tu autem ne timeto, ſerve mi Iahakob, neque conſternator, o Iſrael* &c. Conſolatio ad populum Dei, ut diximus in verſ. 1. a iudicio Dei in adverſarios, paternaque adminiſtratione in populum ſuum. Hunc verſum & ſequentem vide iam ſupra cap. XXX. 10. & XI. explanatos, nam ſunt iiſdem fere vobis concepti.

MENOCHII.

Verſ. 1. CONTRA GENTES: deinceps enim uſque ad finem libri vaticinatur contra gentes varias, eiſque predicit excidium. Nominatim contra AEgyptios, & alios, qui iis iuncti contra Nabuchodonoſorem pugnarunt, ſcilicet AEthiopes, Libyes, & Lydos.

V. 2. IN CHARCAMIS. Urbs erat iuxta Euphratem, quam obſedit Pharao Nechao, & volentem id impedire Ioſiam regem Iuda, ſibique occurrentem, occidit, ſubſtituitque ei in regno filium Ioachaz, deinde Ioakim: ſupervenit tandem Nabuchodonoſor, qui cecidit Pharaonem Nechao: IV. Reg. XXIII. 29. PERCUSSIT: fugavit, de exercitu Pharaonis victoria reportata. Percutere hoc loco non eſt occidere, nam in illo bello non eſt occiſus Pharao, ſed eſt id quod Italice diximus, *Dan una rotta*.

V. 3. PRAEPARATE SCUTUM, &c. Hæc verba AEgyptiis dicuntur irriſorie; quaſi dicat: Præparate omnia arma, omniaque inſtrumenta bellica, quæ volueritis; certe vincemini, nihil vobis proderunt arma, & apparatus bellicus, quem adornatis.

V. 4. IUNGITE EQUOS: ad trahendos currus falcatos, quibus utebantur eo tempore. ASCENDITE EQUITES: equos aſcendite, ſive qui in equitum turmis militatis, ſive qui equis currum trahentibus inſidere ſoletis; ſolebant enim equis curruum falcatorum inſidere non ſolum ut aurigam agerent, ſed etiam ut inde pugnarent.

V. 5. QUID IGITUR, &c. id eſt, quorſum apparatus iſte tantus armorum, cum prophetico ſpiritu videam eos trepidantes, & in fugam verſos.

V. 6. NON FUGIAT VELOX, &c. quia ſcilicet parum proderit AEgyptiis fuga; fugiens enim non effugiet. AD AQUILONEM: nam, ut ſæpe dictum eſt, Babylon Iudææ erat ad Aquilonem.

V. 7. QUIS EST: non interrogat ignorando, ſed irridendo. QUI QUASI FLUMEN ASCENDIT. Comparat AEgyptios flumini, tum ob copiam militum, tum ob arrogantiam, qua flumini tumenti, exundanti, terramque operienti ſimiles eſſe videbantur: ſimile eſt Iſai VIII. 7.

V. 9. ASCENDITE EQUOS, &c. Eſt ironia, qua propheta invitat AEgyptios ad veniendum, & oppugnandam urbem Charcamorum; quaſi dicat: Venite, eritis enim victima, & quaſi in macello iugulabimini. AETHIOPIA, ET LIBYES ET LYDII. Hi populi AEgyptiis vicini, fœderati, & auxiliares erant.

V. 10. DIES ILLE, &c. cum ſcilicet cladem accipient AEgyptii, vocatur dies Domini in ſacris litteris, omnis dies, quo Dominus facit quidquid vult, & potentiam ſuam non cohibet, ſed potius eam expromit, & oſtendit. VICTIMA ENIM DOMINI; quaſi dicat: Impii AEgyptii mactabuntur, & quaſi victimæ immolabuntur ultrici divinæ iuſtitiæ. IN TERRA AQUILONIS. Vide dicta num. 6.

V. 11. ASCENDE IN GALAAD. Pergit in ironia; quaſi dicat; Accipies multa vulnera, & ideo quære reſinam in Galaad qua illa abundat, ut iis medearis. VIRGO FILIA AEGYPTI. Virginem vocat AEgyptum, quod Hebræi omnem civitatem, & regionem inſoleſcentem, & exultantem ſuis divitiis, robore, & florente ſtatu virginem per metaphoram appellare ſoleant.

V. 12. IGNOMINIAM TUAM, id eſt te turpiter a Chaldæis victam fuiſſe. ULULATUS TUUS: quem edes, cum vinceris. FORTIS IMPEGIT IN FORTEM: dum AEgyptii ſimul glomerant fugam, alii alios deiicient, & ſe mutuo obterent. VERBUM QUOD LOCUTUS EST, &c. Hactenus prædixit Ieremias quomodo cædendi eſſent AEgyptii a Chaldæis in obſidione Charcamis; nunc prædicit Chaldæorum in ipſam AEgyptum adventum, eiuſque vaſtationem.

V. 14. IN MAGDALO. Nominat quatuor civitates AEgypti, loco omnium: de Magdalo diximus ſupra XIV. 1. TAPHNIS. Vide dicta cap. XLIII. 7. STA, ET PRAEPARA TE: ad excipiendum Chaldæorum exercitum.

V. 15.

V. 15. COMPUTRUIT, id est tamquam res putrida concidit. FORTIS TUUS: miles tuus: sic supra miles appellatur fortis num. 12. *Fortis impegit in fortem*.

V. 16. MULTIPLICAVIT, &c. id est, adeo multos cadere fecit, ut alii super alios corruerent. AD PROXIMUM SUUM: super vicinum suum. ET DICENT: AEgyptii, & eorum fœderati. COLUMBAE. Vocat Nabuchodonosor columbam, quod celeriter advenisset, & quasi volans, ut columba. Vel, quod in vexillis haberet columbam. Vide supra cap. XXV. 38.

V. 17. VOCATE NOMEN PHARAONIS, TUMULTUM, &c. Est genus prophetiæ, quod constat nominum impositione, qua quod venturum est declaratur: sic Oseæ 1. 4. iubetur filium appellare Iezrahel, & n. 6. filiam quam susceperat, *Absque misericordia*. TUMULTUM ADDUXIT TEMPUS; quasi dicat: Tempus quod omnia mutat, adduxit tumultum, id est mutationem, & cladem magnam in regno tuo, unde recte voceris hoc nomine, *Tumultum adduxit tempus*. Vel sensus est, Pharaonem vocate *Tumultum*, id est perturbatorem, quia superbe provocando Babyloniam ad bellum, *adduxit tempus*, conflictus, & cladis. Huic explicationi consentanee est in Hebræo: *Tumultus transire fecit tempus*.

V. 18. VIVO EGO: est Dei iuramentum. SICUT THABOR IN MONTIBUS, &c. id est, sicut verum est Thabor esse in montibus, id est unum e montibus, & Carmelum in mari, id est iuxta mare; sic verum est quod Ieremias prædixit venturum esse regem Babylonis.

V. 19. VASA TRANSMIGRATIONIS: apparatum, & instrumentum viatorium. Italice dicimus *Arnesi da viaggio*. HABITATRIX FILIA AEGYPTI: populum AEgyptium intelligit, vox *habitatrix* significat AEgyptios secure, & confidenter absque metu desides egisse.

V. 20. VITULA, &c. Vitulam vocat AEgyptum, quod dives esset, & deliciis abundans, & more pinguis, & indomitæ vitulæ lasciviret. Alludit ad Apim Deum AEgyptiorum, quem vituli figura colebant. STIMULATOR AB AQUILONE VENIET, &c id est, qui eam stimulet, & de AEgypto, quasi de prato suo, demigrare cogat; hactenus enim indomita fuit, nec sentit stimulum. AB AQUILONE, id est e Babylone.

V. 21. MERCENARII EIUS: milites alienigenæ mercede conducti. QUASI VITULI SAGINATI: AEgypti deliciis, & pingues effecti. VERSI SUNT: in fugam viso hoste. VISITATIONIS, punitionis.

V. 22. VOX EIUS, id est AEgypti. QUASI AERIS SONABIT, id est valde sonabit; æs enim est metallum valde tinniens, & sonorum: significat autem similitudine tinnientis æris, querulum, & doloris plenum clamorem, quem AEgyptus hoste persequente erat editura.

V. 23. SUCCIDERUNT: succident Chaldæi, præteritum pro futuro. SALTUM EIUS: silvam AEgypti. Comparat AEgyptum silvæ, habitatores arboribus, Chaldæos cæsoribus, & lignatoribus. QUI SUPPUTARI NON POTEST: scilicet, exercitus Chaldæorum; quasi dicat: Exercitus Chaldæorum, qui innumerabilis erit, silvam AEgypti succidet.

V. 24. CONFUSA, pudefacta, terrore perculsa.

V. 25. VISITABO: puniam, & flagellum meum inducam. TUMULTUM ALEXANDRIAE: turbam, populum, multitudinem: erat enim Alexandria urbs frequentissima. REGES EIUS: regulos, proceres regni.

V. 26. QUAERENTIUM ANIMAM EORUM: qui bello eos petunt, ut vitam eis eripiant. ET IN MANUS. Particula *&*, posita est pro *id est*. POST HAEC HABITABITUR, &c. id est, postquam quadraginta annis vastata fuerit, ut clarius prædixit Ezech. XXIX. 11. 12. 13. 14.

V. 17. NE TIMEAS. Apostrophe ad Israelitas; quasi dicat: Si AEgyptios reducam in patriam suam, quanto magis reducam te, o Iacob, qua servus meus es? DE LONGINQUO: ex Babylone, & remotis regionibus, in quibus exulas.

V. 28. CONSUMAM: delebo tamquam hostes meos, postquam eorum opera in te castigando usus fuero. CASTIGABO TE IN IUDICIO. Moderate, humaniter, clementer, ut neque prorsus perdam te, tamquam hostem, nec prorsus impunem relinquam, tamquam innocentem: sic cap. XXX. 11. dixit: *Castigabo te in iudicio, ut non videatis tibi innoxius*.

TIRINI.

Verſ. 1. CONTRA GENTES varias incipit hic prophetare Ieremias & continuat uſque ad cap. LI. ita Theodoretus, Rabanus, Hugo & Lyranus. Idem facit Iſaias a cap. XIII. uſque 24. & Ezechiel a cap. XXV. uſque 35. ut in ore trium horum teſtium ſtet hoc vernum Dei.

V. 2. IN CHARCAMIS; urbs erat ad Euphraten, quam obſederat *Pharao* NECHAO: QUEM PERCUSSIT, id eſt fudit fugavitque, NABUCHODONOSOR. Ioſephus *a* ait, coactum fuiſſe cedere. Rediit enim in AEgyptum, ibique obiit, & regnum filio ſuo Pſammi, ſeu Pſammeticho tranſcripſit, teſte Herodoto & aliis.

V. 4. IUNGITE EQUOS curribus falcatis. Eſt ſcarcaſmus, ſeu hoſtilis irriſio; quaſi dicat: Nihil vobis AEgyptiis proderit omnis ille belli apparatus. Similis ironia eſt.

V. 9. PROCEDUNT auxiliares AEgyptiis *AEthiopes*, ET LIBYES. Omnes victimæ cadent gladio *b* Chaldæorum. Hi *Lydii* videntur eſſe Aſiatici, quibus Crœſus poſt paulo præfuit: ita S. Hieronymus *c*.

V. 11. ASCENDE O AEgypte IN GALAAD: inde vulneribus tuis curandis TOLLE RESINAM *d*, & opobalſamum. Pergit in ironia; quaſi dicat: Fruſtra omnia medicamina: ita Theodor. Hugo & Vatablus.

V. 12. AMBO PARITER CONCIDERUNT. Licet enim Chaldæis adhæſerit victoria, tamen admodum cruenta ac pene *Cadmæa* illis fuit, inquit Theodor. Et hæc forte cauſa fuit, cur Pharaonem fugientem Chaldæus pene exhauſtus perſequi non potuerit, ut verſ. 2. inſinuatum eſt. Sed non erit tibi, o AEgypte, quies æterna.

V. 14. PRAEPARATE ad excipiendum in proprio ſinu exercitum Chaldæorum.

V. 15. QUARE COMPUTRUIT FORTIS TUUS? id eſt, quare milites tui ante robuſtiſſimi, nunc inſtar putridarum arborum corruerunt? Nempe Deus SUBVERTIT *eos*, vires illis & animos, conſilium & mentem eripiens. Unde

V. 16. MULTIPLICAVIT RUENTES; id eſt, effecit ut multi corruerent prælio cæſi a Chaldæis, caderentque VIR AD PROXIMUM SUUM, id eſt catervatim, propellentes alii alios in ruinam. ET DICENT AEgyptii, qui ex remotioribus provinciis ad caſtra exciti erant: item auxiliares AEthiopes, Libyes & Lydii, de quibus verſ. 9. Fugiamus A FACIE GLADII COLUMBAE, id eſt Nabuchodonoſoris regis Babyloniorum, ut alibi *e* expoſui. Ab hac tanta ſtrage

V. 17. NOMEN PHARAONIS Vaphris vel Ephree, commutate, & *vocate f Saon* (quam vocem retinent hic LXX.) id eſt TUMULTUM, ſeu perturbationem horribilem, quam AEgypto ſuperinduxit TEMPUS infelicis conflictus & extremi excidii, quod Pharao ſibi accerſivit, irritando & provocando Chaldæum: ita a Caſtro, Sanchez & a Lapide.

V. 18. SICUT certum eſt, THABOR eminere *inter montes*, & *Carmelum* inter promontoria quæ in *mare* procurrunt; ita certum eſt, obventuram AEgypto inſignem, præcelſam & præ aliis gentibus eminentem cladem: ita Chaldæus, Theodoretus, Vatablus, & fere Maldonatus.

V. 20. *Formoſæ vitulæ g*. AEgypto STIMULATOR VENIET AB AQUILONE, id eſt e Chaldæa, impulſurus ea non ad læta AEgypti paſcua, ſed ad ſenticeta Babylonica, ad carcerem, ad macellum. Alludit ad vitulum *Apin h* quem AEgyptii pro Deo colebant, & cum quo vitulabantur.

V. 21. MERCENARII vocantur milites mercede conducti e vicinis provinciis ac regnis.

V. 22. VOX EIUS, ſcilicet AEgypti, non erit amplius quaſi vitulæ vel bovis, immani ſtrepitu mugientis ac boantis, ſed erit QUASI AERIS. LXX. & Chaldæus vertunt, *quaſi ſerpentis*; ac ſi dicat: Raucus erit & funebris eiulatus, qualem edunt tibicines ferali tuba ænea, cum cæſorum cadavera efferunt ad ſepulcrum; vel qualem edunt ſerpentes, dum lethaliter ſaucii, miſerandum ſimul & horrendum ſibilum emittent: ita Theodor. Rabanus, Vatabl. Maldonat. & Sanchez.

V. 25. VISITABO SUPER TUMULTUM, id eſt puniam turbam magnam, ALEXANDRIAE. Hebraice *Amon No*. Urbem illam quæ vocatur *multa*, ſeu multi populi: *Alexandria*. Sicut enim *Auguſta* pluribus civitatibus magnificis commune nomen eſt, ſed determinatur additione nominis loci particularis, v. g. *Auguſta Vindelicorum*, *Auguſta Cæſaris* in Hiſpania, *Auguſta Galliæ*, &c. ita *Amon*; id eſt, multa, ob incolarum frequentiam, commune nomen eſt pluribus populoſis urbibus, ſed hic a Propheta determinatur ad *No*: ſic enim etiam a Na-

hum

hum & ab Ezechiele *i* vocatur emporium AEgypti, quod postea ab *Alexandro* vocatum est *Alexandria:* ita fere Sanchez. Idem dico de *Rabbath*, quod idem significat quod *Amon*.

V. 26. POST HAEC, id est post finem monarchiæ Chaldaicæ iterum HABITABITUR AEgyptus ab iis qui in Chaldæam captivi ducti fuerant. Sed humile tum erat regnum, inquit Ezechiel: k & pro domestico rege, Amasin habebant externum a Chaldæis regi Ephree substitutum, quem Amasin Persis rebellem Cambyses Cyri filius subegit, AEgypto in provinciam redacta, quæ totis 150. annis iugum hoc excutere non potuit, teste Eusebio *l*.

V. 27. ET TU IACOB NE TIMEAS. Si enim AEgyptios e carcere reducam in patriam, quanto magis te, qui servus meus, immo filius es? Neque enim decrevi te, tamquam hostem, funditus exscindere; sed solum

V. 28. CASTIGABO TE ut filium IN IUDICIO, id est cum iusto moderamine, ut alibi-*m* dixi. *Iudicium* enim hic opponitur *furori* & iræ hostili.

(a) Ioseph. sup. Herod. Lib. II.
(b) Isaiæ XXIX. I. &c. XXXIV. 6.
(c) Hieron. in Ezech. XXXVI.
(d) Ierem. VIII. 22.
(e) Ierem. XXV. 38.
(f) Isaiæ VIII. 3.
(g) Isaiæ XV. 5. & Osee X. II.
(h) Genes. XLI. 43.
(i) Nahum. III. 8. & Ezech. XXX. 15.
(k) Ezech. XXIX. 14.
(l) Euseb. in Chronico.
(m) Ierem. XXX. II.

GORDONI.

Vers. 1. QUOD FACTUM EST, &c. Dum paratur bellum inter Nabuchodonosorem & Nechaonem AEgypti regem (qui de imperio certabant) hoc 4. anno Ioachimi (qui apud me primus est Nabuchodonosori) victoria cessit Chaldæis, fugato Nechaone, & tunc Ioachimus constitutus antea a Nechaone rex, abducitur in Babylonem; estque hæc prima captivitas, & initium 70. annorum.

V. 13. VERBUM QUOD LOCUTUS EST, &c. Hæc est altera victoria Nabuchodonosori contra AEgyptum, quando anno 23. (vel 36. ut aliqui volunt) regni occupavit AEgyptum, victo Pharaone, & tunc Monarcha factus est: de hoc vero anno Monarchiæ, vide infra probabilem opinionem ad cap. XXIX. Ezechielis.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 2. IN CHARCAMIS. Urbs iuxta Euphratem in expeditione contra hanc urbem Pharao occidit Iosiam regem. Vide IV. Reg. XXIII. 29. Contra Pharaonem hunc Nabuchodonosor superveniens victoriam reportavit. NON FUGIAT. Non proderit fuga AEgyptio, & alia hic prophetat de victoria.

Vers. 9. ASCENDITE. Ironia est ad AEgyptios properantes ad Charcamos, ubi eos expectat plaga, quam narrat versu decimo.

Vers. 13. VERBUM. Sequitur prophetia de adventu Chaldæorum in AEgyptum.

Vers. 16. Nabuchodonosor columba vocatur, tum quod celeriter advolet, instar columbæ; tum quod pro vexillis putetur habuisse columbam.

Vers. 18. Ut verum est Carmelum esse prope mare; ita verum erit, quod hic dicit Ieremias.

Vers. 25. POSTHAEC Exactis quadraginta annis ab hoc excidio restituetur pax AEgypto. Vide Ezech. XIX. 11.

Vers. 27. Concludit de Iuda si restituitur AEgyptus, quanto magis Israel ad sua revocabitur.



CAPUT XLVII.

Vastatio prædicitur Palæsthinorum, Tyri, Sidonis, Gazæ, & Ascalonis.

1 Uod factum est verbum Domini ad Ieremiam prophetam
contra Palæsthinos, antequam percuteret Pharao Gazam:
2. Hæc dicit Dominus: Ecce aquæ ascendunt ab Aquilone, & erunt quasi torrens inundans, & operient terram & plenitudinem eius, urbem & habitatores eius: clamabunt homines, & ululabunt omnes habitatores terræ, 3. a strepitu pompæ armorum, & bellatorum eius: a commotione quadrigarum eius, & multitudine rotarum illius. Non respexerunt patres filios manibus dissolutis: 4. pro adventu diei, in quo vastabuntur omnes Philisthiim, & dissipabitur Tyrus, & Sidon cum omnibus reliquis auxiliis suis: depopulatus est enim Dominus Palæsthinos, reliquias insulæ Cappadociæ. 5. Venit calvitium super Gazam: conticuit Ascalon, & reliquiæ vallis earum: usquequo concideris? 6. O mucro Domini usquequo non quiesces? Ingredere in vaginam tuam, refrigerare, & sile. 7. Quomodo quiescet, cum Dominus præceperit ei adversus Ascalonem, & adversus maritimas eius regiones, ibique condixerit illi?

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. QUOD FACTUM. Ordo verborum inversus, ut initio cap. præcedentis. ANTEQUAM PERCUTERET PHARAO. Tradunt Hebræi hoc accidisse anno decimo regni Sedeciæ, tum, cum Chaldæis Ierosolymas obsidentibus Pharao in auxilium Iudæorum venit, qua fama audita Chaldæi obsidionem reliquerunt, ut vidimus supra XXXVII. 4. Tunc ergo Pharaonem in AEgyptum revertentem in Gazam principem Palæstinorum urbem irruisse, ac dispoliasse. Ita auctor סדר עולם, & R. Salom. & R. David in comm. in hunc locum.

V. 2. ECCE AQUAE. Aquas vocat per metaphoram militares Chaldæorum copias, quæ ab Aquilone venerunt, ut ait R. David, ut Isai. VIII. 7. *Propter hoc, Ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes, & multas, regem Assyriorum, & omnem gloriam eius, & ascendet super omnes rivos eius, & fluet super universas ripas eius:* & capit. XVII. 13. *Sonabunt populi sicut sonitus aquarum inundantium, & increpabit eum.* URBEM: singularis pro plurali. ET ULULABUNT, ululabit omnis habitator terræ, ut Hebraice legitur, & ut aliorum magis correcta exemplaria habent: quamquam Sept. pluraliter transtulerunt, ἀλαλάξουσι ἅπαντες οἱ κατοικοῦντες τὴν γῆν.

V. 3. A STREPITU POMPAE, id est propter strepitum bellici apparatus: notus Hebraismus מ *a*, pro, propter, ut Psal. CIII. 7. *A voce tonitrui tui formidabunt.* Possunt autem hæc verba vel cum præcedentibus iungi, vel cum sequentibus; cum præcedentibus sic, Clamabunt homines, & ululabit omnis habitator terræ propter strepitum pompæ armorum eius: cum sequentibus hoc modo, Propter strepitum pompæ arma-

armorum, non respexerunt patres filios. Prior sensus mihi videtur melior. Hebr. est מקול שעטת פרסות אביריו, *propter sonitum strepitus ungularum fortium eius*, id est equorum eius unguipotentium, ut ita dicam, quemadmodum interpretatur R. David; equi enim admirabilem in pedibus vim habent, & currentes magnum strepitum cient. Isai. v. 28. *Ungulæ equorum eius ut silex, & rotæ eius quasi impetus tempestatis*: & Ezechiel de Tyri vastatione loquens sicut hoc loco Ieremias, deque exercitu & potentia regis Babylonis, cap. XXVI. 10. 11. *Inundatione equorum eius operiet te pulvis eorum, a sonitu equitum, &, rotarum, & curruum movebantur muri tui. Ungulis equorum suorum conculcabit omnes plateas tuas.* NON RESPEXERUNT PATRES FILIOS MANIBUS DISSOLUTIS. Ablativus absolutus causam significans, id est propter manuum dissolutionem, ut Hebraice est מרפיון, id est propter metum non respicient patres retrorsum, ut liberent filios suos, vel, ut videant, quid illis fiat. Hominis enim est nimio timore correpti, ita fugere, uti ne respicere quidem audeat; ut capite præcedenti vers. 5. *Vidi ipsos pavidos, & terga vertentes, fortes eorum cæsos, fugerunt conciti, nec respexerunt.* Dissolutio autem manuum metum arguit, quia solent manus præ timore concidere, & quodammodo dissolvi. Frequens Hebraismus, ut supra VI. 24. & XXXVIII. 4. & inf. L. 43. & apud Isai. XIII. 7. & cap. XXXV. 3.

V. 4. PRO ADVENTU DIEI. אל היום הבא, *propter diem, qui veniet*; id est, propterea quod veniet dies, quo die tota Palæstina vastetur. Propterea, inquam, tantus erit metus, ut patres non audeant filios respicere, ut dixit versu præcedenti. ET DISSIPABITUR: להכרית, *ad exscindendum Tyrum, & Sidon sibi auxiliares, & confœderatæ civitates*, ut colligit R. David ex verbis Ioelis cap. III. 4. *Quid mihi & vobis, Tyrus & Sidon, & omnis terminus Palæstinorum*; ideoque fere semper copulari solent, ut Matth. XI. 21. *Si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis olim in cilicio & cinere, pœnitentiam egissent.* CUM RELIQUIIS AUXILIIS SUIS, id est Palæstinorum, quibus Tyrus & Sidon auxilium tulerant. Dicit ergo non solum Palæstinos abolendos; sed Tyrios etiam, & Sidonios, & Cappadoces, reliquosque omnes qui auxilio illis fuerunt. RELIQUIAS INSULAE CAPPADOCIAE. Reliquias dicit quia nihil reliquum in Cappadocia facturus erat rex Babylonis, ut ait R. David; insulam autem Cappadociam appellat, non quod proprie insula esset, sed quod maritima. Idem adnotat auctor Philisthinos, & Cappadoces fratres fuisse, ut dicitur Gen. X. 14. *De quibus egressi sunt Philisthiim, & Caphtorim*, id est Cappadoces, sic enim Hebraice vocantur. Propterea ergo Cappadoces in Philisthinorum auxilium venerunt.

V. 5. VENIT. Præteritum pro futuro, venturum est. CALVITIUM, id est magnus luctus atque calamitas. Calvitium ponitur pro luctu, quia mos erat Iudæorum, & vicinarum gentium in magno luctu sese decalvare ut colligitur ex Deut. XIV. & Isai. XV. 2. & XXII. 12. Sic describitur etiam luctus cap. sequenti vers. 37. *Omne enim caput calvitium, & omnis barba rasa erit*: & apud Ezech. VII. 18. *In omni facie confusio, & in universis capitibus eorum calvitium*: & Amos VIII. 10. *Et inducam super omne dorsum vestrum saccum, & super omne caput calvitium.* Hebræi aliter interpretantur, ut R. David hoc loco, ut calvitium spoliationem, & expilationem omnium rerum significet; primum enim Pharao Gazam spoliavit, ut diximus versu 1. Deinde Nabuchodonosor ita expilavit eam, ut ne pilum quidem reliquisse videretur. Prior interpretatio probabilior, quia metaphora eo sensu magis est usitata. CONTICUIT ASCALON. Hebraismus, id est prorsus excisa est, & eversa, ut R. Salom. & R. David interpretantur: נדמתה, ad verbum, *tacita est*, passive, id est oblivione sepulta, ut nemo iam de ea loquatur. Similis phrasis occurrit supra XXV. 37. *Conticuerunt arva pacis, a facie iræ furoris Domini*, id est vastata sunt, & infra XLIX. 26. *Omnes viri prælii conticescent in die illa*, id est, penitus peribunt, ut nulla supersit eorum memoria, nulla fiat de illis mentio. Eadem verba sunt L. 30. & Isai. XV. 1. *Quia nocte vastata est Ar, Moab conticuit*; quia nocte vastatus est murus, Moab conticuit: & Ose. IV. 6. *Conticuit populus meus, eo quod non habuerit scientiam*, id est ignorantia perdidit populum meum: & Sophon. I. 11. *Ululate habitatores Pilæ, conticuit omnis populus Chanaan, disperierunt omnes involuti argento.* Vel ex hoc loco perspicuum esse potest Asca-

Ascalonem urbem fuisse Palæstinæ. Nam contra Philisthæos sermo est: itemque ex Lib. I. XVIII. ubi quemadmodum hoc loco cum Gaza coniungitur. Quod propterea obiter adnotavi, quod Iosephus Lib. V. Antiq. cap. II. in Idumæa, inque tribu Iudæ ponat. ET RELIQUIAE VALLIS: reliqua earum oppida suburbana, quæ in valle erant. Nam Gaza, & Ascalon in editioribus locis erant sitæ. Ionathas vero & R. David interpretantur: *Et reliquiæ opum*, aut *roboris*, *& exercitus eorum*. Non assentior. USQUEQUO CONCIDERIS; id est, usquequo Gaza, & Ascalon cultris te incides, aut unguibus lacerabis? hoc est, usquequo lugebis; quasi dicat, Diu. Solebant enim omnes illæ gentes in maximo luctu cultris sese aut unguibus exarare, ut constat ex Levit XIX. 28. & ex Deuter. XIV. 1. & ex III. Reg. XVIII. 28.

V. 6. O MUCRO DOMINI. Exclamat Propheta, postquam oculis mentis gladium Domini late grassantem vidisset, rogatque ut quiescat; satis enim magnam cædem factam esse. REFRIGERARE, id est desine ardere. Dicitur enim gladius Dei ardere, quamdiu cædem facit. Hebraice est הרגעץ, id est *quiesce*, sicut Sept. transtulerunt. ET SILE, id est cessa, quiesce sicut dixit paulo ante דמי. Verbum נדמה, passive, id est *taceri*, significat perire, ut superiori versu notavimus; דמה, vero active, id est tacere, significat aliquando non loqui, aliquando autem cessare, quia qui tacet, cessat loqui. Et quiescere quia qui tacet quiescit, & ut Galli dicunt, *ne sonner mot*: Psal. XXVII. I. *Deus meus ne sileas a me*, id est, ne desinas mihi opem ferre: & II. Reg. XIX. 10. *Usquequo siletis, & non reducitis Regem?* id est usquequo cessatis Regem reducere?

V. 7. QUOMODO QUIESCET? Respondet ipse sibi Propheta, non posse gladium quiescere, quia divino præcepto grassatur adversus Ascalonem. Hebr. אין תשקטי, *quomodo quiesces?* quamquam Sept. per tertiam personam verterunt. CUM DOMINUS PRAECEPERIT EI, id est tibi: mutatio personæ. Hebr. לה, *illi gladio*, vel, Ascaloni præcepit, id est misit, destinavit gladium; itaque non potest cessare, donec legatione sua functus fuerit, ut exponit R. David. IBIQUE CONDIXERIT ILLI, id est præcepit, ut ibi grassaretur. Hebr. יעדה, *Constituit ei tempus, quo grassari debeat*; itaque non potest ante cessare, ut videtur Chald. Paraph. & R. David interpretari.

S A.

Vers. 2. A QUAE ASCENDUNT. Chald. *populi veniunt*. PLENITUDINEM, id est habitatores. URBEM, &c. explicatio præcedentis.

V. 3. A STREPITU, id est præ strepitu. MANIBUS DISSOLUTIS, id est præ manuum dissolutione.

V. 4. PRO ADVENTU DIEI. Chald. *propter diem venturum*. INSULAE. Chald. *insularii*. CAPPADOCIAE. Venerunt Cappadoces auxilio Palæstinis, & cum eis victi sunt.

V. 5. CALVITIUM, id est spoliatio, vel signa mœstitiæ. Chald. *vindicta*. CONTICUIT, scilicet præ mœrore. CONCIDERIS, id est laniabis te, scilicet præ luctu. LXX. *concides*: & iungunt sequentibus.

V. 6. REFRIGERARE, scilicet ab ardore cædendi. SILE, id est quiesce.

V. 7. CONDIXERIT ILLI, id est præceperit, scilicet ut grassetur. Chald. *præparaverit eum*.

E S T I I.

Vers. 6. & 7. O MUCRO DOMINI, USQUEQUO NON QUIESCES? INGREDERE IN VAGINAM TUAM, REFRIGERARE ET SILE. Est hic prosopopœia: nam mucronem Domini tamquam personam quandam alloquitur. Sed quid per mucronem Domini intelligemus? Intelligunt fere gladium regis Babylonis, cuius ministerio Deus utebatur ad puniendas gentes; cui velut commiserantis affectu primum dicit propheta; *Usquequo non quiesces?* quasi dicat: Satis sæviisti, nunc tandem quiesce. Sed mox respondet sibi idem propheta prophetico spiritu: QUOMODO QUIESCET; CUM DOMINUS PRAECEPERIT EI ADVERSUS ASCALONEM? Sensus ergo est: Decretum Domini est, ut gladius sæviat in eos, usque ad internecionem. Potest etiam per mucronem Domini synecdochice intelligi iustitia, & vindicta iusta Dei punientis. Nam mucro, seu gladius instrumentum esse solet iustitiæ, & vindictæ adversus impios. Et tunc sensus eodem recidens est; quod quamvis ex commiseratione quadam cuperet propheta puni-

punitionem Dei quiescere; tamen spiritu prophetico mox approbasse Dei decretum, quo constitutum vidit vindictam canere usque ad consummationem.

MARIANAE.

Vers. I. QUOD FACTUM EST VERBUM. Philisthinorum excidium hoc capite continetur. CONTRA PALAESTHINOS. Sept. *super Philisthiim*. Hebr. *ad Philisthiim*. Sed *ad* sumitur pro *contra*: sic Chald. ANTEQUAM PERCUTERET PHARAO GAZAM. Hoc factum dicunt, cum AEgyptii venerunt opitulatum Iudæis cap. XXXVII. 4. & Chaldæi soluta obsidione eis processerunt obviam, tunc AEgyptii in reditu Gazam subverterunt, præcipuam Philisthinorum urbem. Sequitur Philisthinorum clades per Chaldæos.

V. 2. ECCE AQUAE ASCENDUNT, id est prævalent, intumescunt. Per *aquas* intelligit copias Chaldæorum, quia multæ & validæ, ut sunt aquæ inundantes. Sic etiam Isai. VIII. 7. & XVII. 13. Estque elegans metaphora. ET PLENITUDINEM EIUS, id est agros inundabunt. URBEM; pro, urbes, & habitatores earum. CLAMABUNT HOMINES. Hebr. *clamabunt homo*, pro, homines. ULULABUNT. Hebr. *ululabit omnis habitator*, pro, *ululabunt*, ut Sept. vertunt.

V. 3. A STREPITU. Hebr. *a voce strepitus*. Sed *vox* redundat. Ergo *a strepitu*, id est propter strepitum. POMPAE ARMORUM, ET BELLATORUM EIUS, scilicet Aquilonis. Hebr. *ungularum fortius eius*, id est equorum fortium. Eorum strepitus, quem pedibus facient, hostes terrebit. NON RESPEXERUNT PATRES FILIOS. Metus misericordiam non recipit. Ergo illo metu exanimati, ne filios quidem curabunt. MANIBUS DISSOLUTIS. Hebr. *præ remissione manuum*, id est virium. Nullæ vires ad resistendum erunt. Sic Hebr. ordinatur hic locus, ut illud, *Non respexerunt patres filios manibus dissolutis*, sit pars vers. tertii, non quarti, ut quidam Vulgatæ codices habent, Reg. Lovan. Rom. Sed parum refert.

V. 4. PRO ADVENTU DIEI. Hebr. *propter diem*, vel *in die, qui venit*, scilicet accident omnia, quæ dicta sunt. ET DISSIPABITUR. Hebr. *ad scindendum* (scilicet eo die, qui veniet) Tyrum & Sidonem. Vicinæ eæ urbes erant, & amicæ inter se, tum Palæstinis auxilia miserant, ideo addit: CUM OMNIBUS RELIQUIS AUXILIIS SUIS, scilicet quæ miserunt. Hebr. *omnem reliquum auxiliatorem*. Itaque & duæ illæ urbes exscindentur, & si quæ aliæ auxilia miserunt. RELIQUIAS INSULAE CAPPADOCIAE vastabit Deus una cum Philisthæis. Cappadociam insulam vocat, quia maritima, & quoniam ad eam mari ibatur. Communem originem habuerunt Cappadoces & Philisthæi: Genes. X. 14. De quibus egressi sunt Philistiim & Caphtorim, id est Cappadoces. Illi originis memores videntur vires hoc in periculo communicasse.

V. 5. VENIT CALVITIUM, id est luctus. Solebant in luctu comam ponere. CONTICUIT ASCALON. Alii vertunt, *excisa est*: דמה *Damah* & *tacere* & *excidere* significat. Ergo conticuit Ascalon, ita ut memoria eius non supersit. Erat urbs præcipua Philisthinorum, sed in tribu Iuda sita: Iosephus V. Antiquitatum cap. II. RELIQUIAE VALLIS EARUM, id est Gazæ, & Ascalonis vici omnes, qui in valle erant, excisi sunt. USQUEQUO CONCIDERIS? id est lugebis. In luctu solebant facies concidere. Ergo, usquequo lugebis? id est diu id facies.

V. 6. O MUCRO. Exclamat Propheta, videns carnificinam. Rogat Deum, ut cesset. REFRIGERARE. Hebr. *quiesce*. SILE, id est cessa.

V. 7. QUOMODO QUIESCET. Respondet sibi Propheta, divinum præceptum urgere. Hebr. *quiesces*, quo, quiescet. IBIQUE CONDIXERIT ILLI? Hebr. *ibi constituit ei*; id est, tempus designavit, quo mucro seu gladius grassari debeat. Quod decretum mutari non potest.

MALVENDAE.

Vers. I. QUOD FACTUM EST VERBUM DOMINI AD IEREMIAM PROPHETAM CONTRA PALESTINOS, &c. Quidam ista annotant: Huius prophetiæ, inquiunt, inscriptio vers. I. argumentum eius & tempus continet. Ac argumentum quidem est de clade lugubri Pelischthæorum; tempus vero quo prophetata est, in dubio esse solet: nam alii, quod hic dicitur de percussa Hazza, post mortem Ioschiiæ

ſchiiæ factum putant, redeunte Nechone, & de Syria capta triumphante: alii referunt ad annum illum quartum Iehoiakimi, quo expeditionem ſuſcepit contra novum regem Nebuchadnetzarem magnum, de qua ſupra cap. XLV. 2. alii ad tempora Tzidkiiæ, cum procedentibus obviam Chaldæorum copiis pedem referret in AEgyptum, ſupra cap. XXXVII. 5. & 11. Sed nobis nihil iſtorum probari poteſt. Nam cum Necho temporibus Ioſchiiæ Syriam totam occupaſſet, ac poſtea infeſtante Babylonio, libere in agrum Carcemiſchi procederet obviam Babylonio (quo tempore rex Ioſchiia extinctus eſt) non eſt veriſimile illum neglectis hoſtibus propinquis, & qui præ foribus erant, ad longinquos excurriſſe, atque ad Syriam, & regiones remotas occupandas, imprudentiſſime regnum AEgypti reliquiſſe, dum conterminos Peliſchthæos haberet hoſtes. Quamobrem cum Herodotus Lib. II. Numero 159. & Ioſephus Lib. X. Antiquit. cap. VI. & VII. teſtentur Syriam totam, excepta Iudæa a Nechone fuiſſe occupatam, & inde a temporibus Ioſchiiæ uſque ad magni Nebuchadnetzaris regnum, Nechao, totaque AEgyptus quiete de importatis exterorum ſpoliis triumphaverit, ut dictum eſt præcedente capite, verſ. 19. magis placet nobis Hazzam in prima illa Nechonis expeditione, ſuperſtite adhuc & florente Ioſchiia fuiſſe captam, ac proinde prophetiam hanc tempore Ioſchiiæ prophetatam. Nec obſtat, quod caput præcedens poſterius eſt tempore: nam in prophetia Iirmeiæ temporum ſeriem non obſervari liquet, ut annotavimus ſupra cap. XII. 1. & aliis locis. Deinde vero has prophetias contra gentes non dubitamus confuſe in finem libri coniectas eſſe. Prophetia autem hæc ſummatim duo continet, narrationem propheticam luctuoſæ cladis, quæ Peliſchthæis, totique Syriæ maritimæ erat obventura, uſque ad verſ. 6. deinde cauſam oſtendit dialogiſticos, duobus verſibus ultimis. Hactenus illi. Ceterum nos longe veriſimilius cenſemus, Ghazam perpercuſſam ab Apries temporibus Tzidkiæ, quando ipſe Aprie bellum Sidoni intulit, & cum Tyro, quæ tum parebat Babylonio, pugna navali dimicavit, ut auctor eſt Herodotus Lib. II. Numer. 161. tunc enim infeſtans Apries oram maritimam Syriæ, Ghazam percuſſiſſe veriſimile eſt. De Gaza vide Geneſ. X. 19. & in Ioſue X. 41.

V. 2. ECCE AQUAE ASCENDUNT AB AQUILONE. Exponunt: Id eſt, copiæ Babyloniorum potentiſſimæ, quæ cum aquis exundantibus fere comparantur, ut Iſaiæ VIII. 7 De hoc autem argumento vide Ezechiel. XXV. & ſequentibus capitibus. AB AQUILONE. Vide cap. I. 14. ET ERUNT QUASI TORRENS INUNDANS. Alii: *& evadent in torrentem inundantem*. ET PLENITUDINEM EIUS. Alii: I. *& quidquid in ea eſt*. II. *& quæ implent eam:* vide Pſ. XXIII. 1.

V. 3. A STREPITU POMPAE ARMORUM, ET BELLATORUM EIUS. Alii ex Hebr. I. Sanctes: *A ſonitu quippe inceſſus ungularum equorum fortium eius*. II. Vatablus: *Præ clamore ſtrepitus ungularum equorum eius*. III. Leo Iudæ, & Avenarius: *A Sonitu* vel *a ſtrepitu inceſſus ungularum caballorum eius*. IV. Forſterus: *A voce recalcitrationis, retrocuſſionis, repercuſſionis ungularum robuſtorum eius*, equorum. Chaldæus reddidit, מפסועית *maphſughith*, quod *greſſum* ſeu *inceſſum* cum violentia ſignificat. V. Tremellius, Iunius, Buxtorfius; *A ſono plauſus*, ſive *a ſonoro plauſu ungularum fortium equorum eius*. VI. *A voce calpis ungularum equorum fortium eius*. Eſt autem Græce *calpe* quoddam genus curſus: de quo vide Henricianum Theſaurum colum. 1127. NON RESPEXERUNT PATRES FILIOS, MANIBUS DISSOLUTIS. Alii: I. *non reſpicient patres ad filios præ remiſſione manuum*; id eſt, adeo erunt exterriti, ut ne patres quidem de ſalute liberorum futuri ſint ſolliciti: pro quibus tamen bella ſuſcipiuntur & geruntur. II. *non advertent faciem patres ad filios, præ remiſſione manuum;* id eſt, adeo urgebuntur calamitate, ut ne patres quidem de liberis ſolliciti ſint, ſed tantum cogitent de vita ſua. Simile eſt Matth. XXIV. 17. & ſequentibus.

V. 4. PRO ADVENTU DIEI, IN QUO VASTABUNTUR OMNES PHILISTHIIM. Alii: I. *Propter diem, quo aderit Deus ad vaſtandos omnes Palæſtinos*. II. *Propter diem illum venturum, quo vaſtaturus eſt omnes Peliſchthæos*. ET DISSIPABITUR TYRUS ET SIDON, CUM OMNIBUS RELIQUIS AUXILIIS SUIS. Alii ex Hebr. I. *ad exſcindendum Tyrum & Zidonem, atque omnes reliquos auxiliares*. II. *exciſurus Tyrum & Tzidonem, totumque reſiduum auxiliare*: vide ſupra cap. XXV. 22. Alia proculdubio recentior

eſt

est hæc devastatio Tyri per Chaldæos, ab ea, qua ante Nebuchadnetzar post tredecim annorum obsidionem eam expugnavit. Reliquias insulae Cappadeciae. Hebr. *reliquiam*, *residuum*, *insulæ Caphthoris*. Tremellius & Iunius: *reliquias regionis Caphthoris*. Putant *Caphthorem* esse *Sethroitenonum*, vel *Sethratim*, proximum Pelusio, & Saffiotidi, de quo Strabo Lib. XVII. pag. 804. Plinius Lib. V. cap. IX. Ptolemæus Lib. IV. cap. V. Alii, *Capthorem* Cyprum esse volunt eliso *Thau* pro *Caphor*. Sed nos cum innumeris, secuti LXX. Interpretes. Chaldæos Paraphrastas, S Hieronymum, *Caphtorem Cappadociam*, & *Caphthoræos Cappadoces* esse dicimus: ac Phelisthæos dici hic reliquias Cappadociæ, quod coloniæ Cappadocum fuerint: vide Genes. X. 14. Quod vero Cappadocia hic insula dicatur, cum vere sit continens, ideo est, vel quod maritima magna ex parte sit, vel quod Hebraicum nomen אי *i*, non solum insulam, sed etiam regionem, aut provinciam significet.

V. 5. Veniet calvitium super Gazam. Alii: I. *Veniet calvitium in Gazam*; id est, depilabitur, omnia bona Gazæ diripientur. II. *Obveniet calvitium Hazzæ*, id est luctus, synecdochice, ut Isaiæ III. 24. Et reliquiae vallis earum: Alii: *& reliquiæ convallis eorum*; id est, regionis maritimæ in convalle sita. Usquequo concideris? Alii: I. *quousque te lanias?* præ luctu. II. *quousque induces tibi cæsuras?* Apostrophe Sarcastica prophetæ ad Palæstinam, luctum gentium ludificantis; de quo Levit. XIX. 28. Vide supra cap. XVI. 6.

V. 6. O mucro Domini, &c. Alii: *Dicens Eheu gladie Iehovæ*, &c. id est, qui a Iehova immissus es. Est autem expostulatio hæc dicta humanitus ab his, qui non consulunt os Jehovæ, sed manum fugiunt. Quamobrem propheta per Apostrophen respondet sequente versu, primum ad gladium, deinde ad Pelischthæos ipsos. Refrigerare. Hebr. *obrigesce*; quasi dicat, Ne caleas sanguine. Forsterus: *concitare*, id est, *corripe*: Inepte, inquit Mercerus, cum repugnet quod sequitur. Sed postea ipse Forsterus reddidit: *sis quietatus*.

V. 7. Adversus Ascalonem, et adversus maritimas eius regiones, ibique condixerit illi. Alii: I. *ut eat adversus Ascalonem, & adversus littus maris, ibi enim constituit eum*, ut scilicet illic grassetur. II, *Contra Aschkelonem, denique contra portus maris ibi constituit illum*, id est, regiones totas quæ sunt secundum mare: supra cap. XXV. 22.

MENOCHII.

Vers 1. Antequam percuteret Pharao Gazam. Accidit hoc sub Sedecia, an. 9. vel 10. regni eius, cum scilicet Chaldæis Ierosolymam obsidentibus, Pharao in auxilium Iudæorum venit, qua fama audita Chaldæi obsidionem solverunt. Vide sup. cap. XXXVII. 4. Tunc ergo Pharao AEgyptum repetens in Gazam principem Philisthæorum urbem irruit, eamque diripuit, ea fortasse de causa, quod Chaldæis favisset.

V. 2. Ecce aquae ascendunt. Aquas vocat per Metaphoram exercitum Chaldæorum qui venit ab Aquilone; simili aquarum metaphora usus est Isa. XVII. 3. Urbem, id est urbes; singulare pro plurali. Ululabunt: terrore perculsi.

V. 3. A strepitu pompae armorum, id est propter strepitum bellici apparatus. Non respexerunt patres filios: eorum curam neligentes, de seipsis soliciti. Manibus dissolutis: præ timore, quo manus quodammodo dissolvuntur, & concidunt.

V. 4. Pro adventu diei; id est, propterea quod veniet dies, quo die tota Palæstina vastetur. Cum reliquis auxiliis suis. Dicit non solum Palæstinos abolendos, sed Tyrios etiam, & Sidonios, & Cappadoces, reliquosque omnes, qui ipsis Palæstinis opem tulerant. Insulae Cappadociae Cappadociam Insulam appellat non quod insula sit, sed quod sit maritima. Alii putant Cyprum intelligi: alii putant sic appellari novam Tyrum, quæ, & proprie insula est, & a Palæstinis prope distat, & favet nomen Hebr. כפתור *caphtor*; nam *Caph manum* significat, *Tor*, *Tyrum*; quasi dicat, Manus, latus, vel vicinia Tyri.

V. 5. Venit: pro veniet, præteritum pro futuro. Calvitium, id est magnus luctus, & calamitas; mos enim erat Iudæorum, & vicinarum gentium, ut in luctu capita decalvarent, rasis, aut tonsis criminibus. Conticuit: quia subito, & inopinato

nato hostium adventu obstupuit. ET RELIQUIAE VALLIS EARUM; id est, & reliqua oppida earum, & pagi suburbani, qui in valle erant, cum Gaza, & Ascalon sitæ essent in loco altiori. USQUEQUO CONCIDERIS; id est, usquequo Gaza, & Ascalon cultris te incides, aut unguibus lacerabis? hoc est, usquequo lugebis? quasi dicat, Diu; solebant enim omnes illæ gentes in maximo luctu cultris se, aut unguibus exarare, ut patet ex Levit. XIX. 28. ex Deut. XIV. 1. & ex III. Reg. XVIII. 28.

V. 6. O MUCRO DOMINI. Exclamat propheta postquam oculis mentis gladium Domini late grassantem vidisset, rogatque ut quiescat; satis enim magnam cædem factam esse. REFRIGERARE: nunc enim tepes, aut cales sanguine cæsorum. SILE, id est quiesce.

V. 7. QUOMODO QUIESCET? Respondet ipse sibi propheta, non posse gladium quiescere, qui divino præcepto grassatur adversus Ascalonem. IBIQUE CONDIXERIT ILLI, id est præceperit, ut sui grassetur; vel, ut alii interpretantur, constituerit illi tempus, quo grassari debeat; itaque ante tempus præscriptum cessare nequit.

TIRINI.

Verf. 1. & 2. GAza erat una ex quinque satrapiis Philisthinorum, Samsonis facinoribus & morte clarissima *a*: alio nomine *Gazer*, & *Gazare*; Hebraice *Atza*, Syriace *Atzan* dicta. Hanc *percussit* PHARAO, anno 4. Ioakim, ut vult Sanchez; vel, ut Castrius, Maldonatus & Hebræi, anno 9. Sedeciæ. Sed hæc ab Austro suborta clades non sufficit expiandis sceleribus vestris, inquit Propheta: longe gravior imminet vobis a sævo AQUILONE, id est a Chaldæis, unde AQUAE, id est copiæ militares, *ascendent instar torrentium* omnia *inundaturæ*. Porro *Gaza* ad Christum postea conversa, dicta est *Constantia* a sorore Constantini Magni, inquit Eusebius *b*. Sed hæc nova est *Gaza*, in vicino loco substructa: nam vetus illa ab Alexandro Magno excisa funditus est, & ob id *deserta* nuncupata *c* inquit ex S. Hieronymo & Iosepho Adrichomius. Altera mire postea floruit, fano *Marnæ* celebris, quod Theodosius Imperotor dirui iussit. Ex ea prognatus Procopius Gazæus: & in ea martyrium passus S. Sylvanus cum aliis 39. Et etiamnum e primariis est urbibus Syriæ, inquit idem Adrichomius.

V. 3. PATRES obliti naturalis affectus, præ pavore DISSOLUTIS quasi paralysi MANIBUS, NON RESPEXERUNT, neque curarunt proprios FILIOS suos: ita Chaldæus & Theodoretus.

V. 4. PRO ADVENTU DIEI, id est propter diem, seu tempus calamitosum, quod superveniet Palæstinæ. Quo sensu *Palæstini* vocentur hic *reliquiæ* INSULAE CAPPADOCIAE, alibi *d* exposui.

V. 5. SUPER GAZAM VENIT CALVITIUM; id est, expilatio & direptio omnium bonorum, ut ne pilum quidem hostes reliquum fecisse videantur, inquit Rabanus & Lyranus. Quin & ASCALON vicina satrapia CONTICUIT *e*, & ipsa funditus excisa & eversa. Summum enim silentium est ubi excisa omnia. USQUEQUO CONCIDERIS, o Ascalon? o Gaza? usquequo tam amare lugebis, unguibus, immo cultellis, more Gentilium, discindens ac dilanians vultum, pectus, manus? ita Hugo, Lyranus, Vatablus.

V. 8. O MUCRO DOMINI, REFRIGERARE ab ardore cædenti, ET SILE, id est quiesce parumper. Impleta est hæc prophetia de exidio Palæstino, anno 5. post excisam Ierosolymam, anno Nabuchodonosoris 23. tunc enim vastavit Cœlesyriam, cuius pars est Philisthæa: ita Iosephus *f*.

(a) Iudic. XVI. 21. 29. &c.
(b) Euseb. Lib. IV. de Vita Constantini cap. XXXVIII.
(c) Actor. VIII. 26.
(d) Deut. II. 23.
(e) Ierem. XXV. 37.
(f) Ioseph. Lib. X. Antiq. cap. XI.

GORDONI.

Verf. 1. QUOD FACTUM EST, &c. Gaza erat una ex quinque Satrapiis Philistinorum, quam satis describit post alios Adrichomius; sæpe eversa & restituta est. Ibi fuit fanum Marnæ, inde oriundus Procopius Gazæus. Hic notatur tempus Gazæ percussæ a Pharaone, quod accidisse putant aliqui ineunte anno 9. Sedeciæ, qui est annus 17. Nabuchodonosori: tunc enim Pharao volens solvere obsidionem Ierosolymitanam, fugatus est a Nabu-

buchodonosoro, & ira percitus redeundo in AEgyptum, percussit Gazam Philisthinorum, quia favebat Chaldæis. Alii volunt Gazam captam a Pharaone anno 4. Ioachimi. Ita Sanchez; ob quam sententiarum varietatem fit, ut huius prophetiæ editæ annus certo nequeat dari; tamen iuxta utrosque auctores stabat adhuc Ierusalem.

V. 2. Hactenus de notatione temporis ad primum versiculum, nunc pronunciatur prophetie contra hic recensitas gentes.

V. 4. RELIQUIAS INSULAE CAPPADOCIAE, &c. Cappadocia, Heb. כפתור *caphtor*, aliqui Cyprum vertunt: nam, כפר *copher*, *Cyprus* est: sed in nominibus progressu temporis facile mutantur litteræ. Cappadocia apud Torniellum anno 1931. est nova Tyrus & vere insula; de qua dixi alibi Isa. xxiii. vide Adrichomium in Aser, num. 91. de Cappadocia iuxta Libanum, non longe a Tyro. Suspicantur aliqui Cappadoces, nunc opem tulisse Philisthæis, quod ex eodem principio & radice prognati sint, Genes. x. 14. de quibus egressi Philisthiim & Caphtorim.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 1. Clarum etiam ex hoc capite est mutari ordinem rerum gestarum; ut præterea noto hic vers. 1. & 3.

Vers. 2. Per aquas designat Chaldæos.

Vers. 5. CALVITIUM. Signum est magni luctus, quem rasis crinibus testabantur homines.



C A P U T XLVIII.

Prædicit Dominus vastationem Moab & omnium urbium eius, sed in novissimis diebus captivitatem ipsorum relaxandam: maledictus dicitur faciens opus Domini fraudulenter, & gladium suum a sanguine prohibens.

1 
AD Moab hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Væ super Nabo, quoniam vastata est, & confusa: capta est Cariathaim: confusa est fortis, & tremuit. 2. Non est ultra exultatio in Moab contra Hesebon: cogitaverunt malum, Venite, & disperdamus eam de gente: ergo silens conticesces, sequeturque te gladius. 3. Vox clamoris de Oronaim: vastitas, & contritio magna. 4. Contrita est Moab: annuntiate clamorem parvulis eius. 5. Per ascensum enim
Luit plorans ascendet in fletu: quoniam in descensu Oronaim hostes ululatum
contritionis audierunt: 6. Fugite, salvate animas vestras: & eritis quasi myricæ
in deserto. 7. (*a*) Pro eo enim quod habuisti fiduciam in munitionibus tuis,
& in thesauris tuis, tu quoque capieris: & ibit Chamos in transmigrationem,
sacerdotes eius, & principes eius simul. 8. Et veniet prædo ad omnem urbem,
& urbs nulla salvabitur: & peribunt valles, & dissipabuntur campestria: quoniam dixit Dominus: 9. Date florem Moab, quia florens egredietur: & civitates eius desertæ erunt, & inhabitabiles. 10. Maledictus, qui facit opus Domini
fraudulenter: & maledictus, qui prohibet gladium suum a sanguine. 11. Fertilis
fuit Moab ab adolescentia sua, & requievit in fæcibus suis: nec transfusus est
de vase in vas, & in transmigrationem non abiit: idcirco permansit gustus eius
in eo, & odor eius non est immutatus. 12. Propterea ecce dies veniunt, dicit
Dominus: & mittam ei ordinatores, & stratores languncularum, & sternent

T 2 eum,

eum, & vasa eius exhaurient, & lagunculas eorum collident. 13. Et confundetur Moab a Chamos, (b) sicut confusa est domus Israel a Bethel, in qua habebat fiduciam. 14. Quomodo dicitis: (c) Fortes sumus, & viri robusti ad præliandum? 15. Vastata est Moab, *& civitates illius succiderunt: & electi iuvenes eius descenderunt in occisionem: ait rex, Dominus exercituum nomen eius. 16. Prope est interitus Moab ut veniat: & malum eius velociter accurret nimis. 17. Consolamini eum omnes, qui estis in circuitu eius; & universi, qui scitis nomen eius, dicite: Quomodo confracta est virga fortis, baculus gloriosus? 18. Descende de gloria, & sede in siti, habitatio filiæ Dibon: * quoniam vastator Moab ascendit ad te, dissipavit munitiones tuas. 19. In via sta, & prospice habitatio Aroer: interroga fugientem, & ei qui evasit, dic: Quid accidit? 20. Confusus est Moab, quoniam victus est: ululate, & clamate, annuntiate in Arnon, quoniam vastata est Moab. 21. Et iudicium venit ad terram campestrem; super Helon, & super Iasa, & super Mephaath, 22. & super Dibon, & super Nabo, & super domum Deblathaim, 23. & super Cariathaim, & super Bethgamul, & super Bethmaon, 24. & super Carioth, & super Bosra; & super omnes civitates terræ Moab, quæ longe, & quæ prope sunt. 25. Abscissum est cornu Moab, & brachium eius contritum est, ait Dominus. 26. Inebriate eum, quoniam contra Dominum erectus est: & allidet manum Moab in vomitu suo, & erit in derisum etiam ipse. 27. Fuit enim in derisum tibi Israel, quasi inter fures reperisses eum; propter verba ergo tua quæ adversum illum locutus es, captivus duceris. 28. Relinquite civitates, & habitate in petra, habitatores Moab: & estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis. 29. Audivimus superbiam Moab, superbus est valde; sublimitatem eius, & arrogantiam, & superbiam, & altitudinem cordis eius. 30. Ego scio, ait Dominus, iactantiam eius: & quod non sit iuxta eam virtus eius, nec iuxta quod poterat conata sit facere. 31. Ideo super Moab eiulabo, & ad Moab universam clamabo, ad viros muri fictilis lamentantes. 32. De planctu Iazer plorabo tibi vinea Sabama: propagines tuæ transierunt mare, usque ad mare Iazer pervenerunt super messem tuam, & vindemiam tuam, prædo irruit. 33. (d) Ablata est lætitia & exultatio de Carmelo, & de Terra Moab, & vinum de torcularibus sustuli: nequaquam calcator uvæ solitum celeuma cantabit. 34. De clamore Hesebon usque Eleale, & Iasa, dederunt vocem suam; * a Segor usque ad Oronaim vitula conternante: aquæ quoque Nemrim pessimæ erunt. 35. Et auferam de Moab, ait Dominus, offerentem in excelsis, & sacrificantem diis eius. 36. * Propterea cor meum ad Moab quasi tibiæ resonabit: & cor meum ad viros muri fictilis dabit sonitum tibiarum: quia plus fecit quam potuit: idcirco petierunt. 37. (e) Omnes enim caput calvitium, & omnis barba rasa erit: in cunctis manibus colligatio, & super omne dorsum cilicium. 38. Super omnia tecta Moab, & in plateis eius, omnis planctus: quoniam contrivi Moab sicut vas inutile, ait Dominus. 39. Quomodo victa est, & ululaverunt? quomodo deiecit cervicem Moab, & confusus est? Eritque Moab in derisum, & in exemplum omnibus in circuitu suo. 40. Hæc dicit Dominus: Ecce quasi aquila volabit, & extendet alas suas ad Moab. 41. Capta est Carioth, & munitiones comprehensæ sunt: & erit cor fortium Moab in die illa, sicut cor mulieris parturientis. 42. Et cessabit Moab esse populus: quoniam contra Dominum gloriatus est. 43. Pavor, & fovea, & laqueus super te o habitator Moab, dicit Dominus. 44. (f) Qui fugerit a facie pavoris, ca-

det in foveam: & qui conscenderit de fovea, capietur a laqueo: adducam enim super Moab annum visitationis eorum, ait Dominus. 45. In umbra Hesebon steterunt de laqueo fugientes: quia ignis egressus est de Hesebon, * & flamma de medio Seon, & devorabit partem Moab, & verticem filiorum tumultus. 46. Væ tibi Moab, periisti popule Chamos: quia comprehensi sunt filii tui, & filiæ tuæ in captivitatem. 47. Et convertam captivitatem Moab in novissimis diebus, ait Dominus. Hucusque iudicia Moab.

(a) Sup. xvii. 7. (b) IV. Reg. xii. 16. (c) Isa. xvi. 6. (d) Isa. xvi. 10. (e) Isa. xv. 2. Ezech. vii. 18. (f) Isa. xxiv. 18.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

Vers. 15. *Et civitates eius succiderunt*. Correctores emendarunt *succiderunt*, quod est exciderunt, subverterunt, pro eo quod quidam legunt *succenderunt*, quidam *ascenderunt*.

Vers. 18. *Quoniam vastator Moab ascendit ad te, dissipavit munitiones tuas*. Præterita non sunt in futura mutanda, *ascendet*, *dissipabit*.

Vers. 34. *A Segor usque ad Oronaim vitula conternante*. Casus sexti *vitula conternante*, haudquaquam mutandi sunt in quartos *vitulam conternantem*; sicut nec *conternante*, quod est tertium annum agente depravandum est, addita *s* littera *consternante*. Simile Isa. xv. 5.

Vers. 36. *Propterea cor meum ad Moab quasi tibiæ resonabit.* Retinendus est numerus pluralis *tibiæ*, non substituendus singularis *tibia*, nec addendum nomen *æris*.

Vers. 45. *Et flamma de medio Seon*. Cave ne scribas *Sion* arcem Ierosolymitanam, pro *Seon* rege Amorrhæorum.

Sequitur: *Et devorabit partem Moab*. Non mutes futurum in præteritum *devoravit*.

Notatio.

Vers. 34. A *Segor usque ad Oronaim* (*Oronemorim o.*) *vitulam conternantem* (*vitula consternante* Brug. *vitula consternam te.*) Sic legunt duo Parisiensium, & novem nostri codices. Porro antiqua Epanorthotæ exemplaria sexto casu habent *vitula conternante*: quibus Lobiensis Abbatiæ manuscriptum consonat. Aureus D. Donatiani Brugensis codex sexto etiam casu scribit. Leodiense antigraphum ad eum modum habuisse videtur: Busl̄idianum hunc refert. Ex Hebræo verti potest & quartus casus & sextus: ceterum hunc potius quam illum vertendum esse, etsi illum nonnulli hodie vertant, docet Isaiæ decimum quintum caput, vers. 5. quo similis legitur adversus Moab Prophetia, & diserte non *Oronaim*, *sed Segor vitula conternans* seu *triennis* nominatur his verbis: *Vectes eius usque ad Segor vitulam conternantem*. Itaque legendum videtur: *A Segor usque ad Oronaim vitula conternante*: pro quo Neotericorum quidam primo casu: *A Segor usque ad Heronaim vitula triennis*.

Multi codices, & hoc Ieremiæ, & illo Isaiæ loco cum Nicolao Lyrano *consternantem* habent, sine dubio perperam. Non pauci cum nostri, tum Hentenii, & aliorum *conternantem* utroque legunt loco: id quod ordinariæ Glossæ Auctor, Dominicani, Epanorthotes, Parisienses, atque alii utrobique probavere; quamquam Epanorthotes *conternante* posteriori loco scribat. Hebraicam vocem שְׁלִשִׁיָּה a שָׁלֹשׁ quod est *tres* dictam (utroque enim loco hæc eadem legitur) Græci olim Interpretes τρίτην (tametsi posteriori loco servarint σαλισία) σαλισία R.) Latini hodie *trimam*, seu *triennem* transferunt. Noster, D. Hieronymus in eumdem sensum *conternantem* vertit, quasi tertium annum agentem: quod suis in Isaiam commentarii quinti pariter & sexti libri testatum fecit. Quinto autem libro hunc Ieremiæ locum cum illo Isaiæ iungit hoc pacto: *Vectes eius usque ad Segor vitulam conternantem*: & a Ieremias Segor, inquit, usque ad oronaim vitulam conternantem. Unde id colligo, eum non *vitulam conternantem* in Ieremia a te versum legisse, quamvis ita sit scriptum: sed auferendi casu *vitula conternante*. Nam alioqui non erat hic locus cum illo Isaiæ, ut par componendus, qui, quod ille Isaiæ tribuit Segor, ipse Oronaim adscriberet: nisi possit etiam quarto casu lectum *vitulam conternantem* ad Segor referri, id quod mihi commode fieri non posse videtur.

COM-

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verf. 1. AD MOAB: fub. prophetia. Eft enim prophetiæ titulus, qualis apud Ifai. cap. xv. 1. *Onus Moab*. VAE SUPER NABO; id eft, magnum excidium imminet Nabo Moabitarum civitati: Ifai. xv. 2. *Super Nabo, & fuper Medaba Moab ululabit*. CAPTA EST CARIATHAIM, alia Moabitarum urbs in tribu Ruben, Iofue XIII. 19. Ponuntur toto fere capite præterita pro futuris. CONFUSA EST FORTIS, id eft Cariathaim. Hebr. הבישה המשגב, *Confufa eft refugium*; id eft, ignominiofe capta eft ea civitas, quæ aliis refugium effe folebat. Ego quidem ita expono. Alii videntes verbum effe feminini generis, nomen autem mafculini, & non perfpicientes latentem appofitionem fubintelligunt ב, *Confufa eft in loco munito*, id eft civitas, quæ in loco munito fita erat. R. vero David putat Mifgab nomen effe proprium urbis. Sept. κραταίωμα ἡττήθη, *fortitudo victa eft*. Chald. בהיתו מבית רחצבהון: *Confufi funt a domo confidentiæ ipforum*; id eft, Moabitæ ignominia funt affecti, quia perdiderunt Cariathaim, in qua confidebant. Vocat domum urbem, quafi habitationem.

V. 2. NON EST: non erit. CONTRA HESEBON. Hæc verba, ut verfio noftra congruum fenfum habere poffit, cum fequentibus funt copulanda, *Contra Hefebon* COGITAVERUNT MALUM. Chaldæi, *qui eam vaftare decreverunt*. Erat enim Hefebon Moabitarum civitas, ut conftat Ifai. xv. 4. Quare non poteft effe fenfus, Moab contra Hefebo exultare defiiffe: בחשבון, *in Hefebon*, ut Sept.& Chald. Paraphr. tranftulerunt; id eft, Defiit Moab gloriari in Hefebon, qua gloriari folebat, quod urbs effet bene munita, quia iam everfa eft. ERGO SILENS CONTICESCES. O Hefebon. Duplex in uno verbo Hebraifmus eft, alter in repetitione, *Silens conticefces*, מד מותדמי, *filentio filebis*, id eft prorfus filebis, aut fileberis. Alter, fileri, pro perire, quem multis exemplis explicavimus capite fuperiori verf. 5.

V. 3. VOX CLAMORIS, fub. audietur, DE ORONAIM, quæ & ipfa Moabitarum civitas erat, Ifai. xv. 5. *In via Oronaim clamorem contritionis levabunt*. Hebr. מחרונים, *de utraque Hornon*: erat enim duplex, fuperior & inferior, ut ait R. David.

V. 4. ANNUNTIATE CLAMOREM; id eft, prædicite pueris eius fore ut clament; puerorum enim proprium eft clamare ac plorare in rebus adverfis. Hebr. השמיעו, quod alii per tertiam perfonam interpretantur: *Audire fecerunt clamorem* (fuum) *parvuli eius*; id eft, adeo vehementer clamaverunt, ut ubique exaudirentur.

V. 5. PER ASCENSUM ENIM LUITH. Luith Eufebius oppidum effe patat. R. vero David in comm. in hunc locum, & in cap. xv. Ifai. montem effe dicit. Significat ergo futurum ut Moabitæ Chaldæorum metu in montem Luith plorantes fefe recipiant: quem verfum ex Ifai. xv. 5. ad verbum fumpfit Ieremias. QUONIAM IN DESCENSU ORONAIM; id eft, hoftes ex Oronaim poft earum vaftationem defcendentes voces audient Moabitarum in montibus ululantium.

V. 6. FUGITE. Hortatur Propheta Moabitas ad fugam, fi falvi effe velint, ut confirmet certo eventura, quæ dicit, ET ERITIS QUASI MYRITAE; id eft, eritis fteriles, & infructiferi, aut, habitabitis in locis defertis, incultis, & aridis, ubi non nifi myricæ nafci folent. Hebraice ותהינה, *& erunt* (genere feminino) fub. *animæ veftræ*, aut ut R. David interpretatur, *civitates veftræ, ficut myricæ*, כערוער. Quod Hebræi alii myticam, alii iuniperum; alii magnam arborem, quæ in folo arido nafcatur, ut ait R. David: alii turrim interpretantur, quæ Aroer vocaretur, ut Ionath. & R. Salom. Septuag. καὶ ἔσεσθε ὥσπερ ὄνος ἄγριος ἐν ἐρήμῳ, *Et eritis ficut onager in fclitudine*. Senfus valde conveniret, fi verba Hebraica id fignificare poffent.

V. 7. IN MUNITIONIBUS TUIS. במעשיך, R. David interpretatur, *In pecudibus tuis*; id eft, in divitiis tuis, quia omnes olim divitiæ, ut fæpe adnotavimus, in pecoribus erant. Hunc fenfum fequentia verba confirmant: ET IN THESAURIS TUIS. Chald. *quia confifa es in thefauris tuis, & in domo opum tuarum*. Alii ad verbum, *In operi-*

bus

re tuo, id est in opibus a te acquisitis, aut in negotiatione tua. Nam מעשׂה, *opes*, *divitias*, & *negotiationem* significat, ut Genes. XLVI. 33. 34. & XLVII. 3. IBIT CHAMOS IN TRANSMIGRATIONEM. Chamos nobile erat Moabitarum idolum. Num. XXI. 29. & III. Reg. XI. 5. 7. 33. & IV. Reg. XXIII. 13. irridet ergo Propheta; quasi dicat: Præcipuus Moabitarum Deus in captivitatem ducetur, non quod aliquid habeat numinis, sed quod aureus sit, vel argenteus. Sicut dixit supra de diis AEgyptiorum loquens cap. XLIII. 12. *Et succendet ignem in delubris deorum AEgypti; & comburet ea, & captivos ducet illos*: & infr. cap. sequenti vers. 3. de Melchom Ammonitarum idolo.

V. 9. DATE FLOREM MOAB; id est, sinite nunc Moab florere, quia adhuc florens, antequam ad fructum pervrniat in captivitatem ibit. Chald. Paraph. מן מואב כתרא אעדו, *auferte coronam a Moab, quia transmigrando transmigrabit*: id est, tollite illi regnum, & date illud Chaldæis. Heb. תנו ציץ למואב כי נצא תצא, R. Salom. & R. David exponunt, *Date alas Moab, quia volando volabit*; aut, *quia volando exibit*, id est ut celeriter fugiat, ut Psalm. LIV. 7. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* & Ps. CXXXVIII. 9. *Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris*. Sept. alio prorsus sensu, δότε σημεῖα τῇ Μωὰβ ὅτι ἁφῇ ἀναφθήσεται, *date signa Moab, quia plaga succendetur*. Quæ verba Theodoritus ad hunc modum interpretatur: Ponite signa per solitudinem, quæ ad dignoscendam viam poni solent, ut Moab recta via possit in solitudinem fugere; quia plaga incendetur Moab (plaga in ablativo; sic enim ille legit) id est œstro agitabitur, & fugiet.

V. 10. MALEDICTUS QUI FACIT. Hæc verba ad Chaldæos referuntur. Vocat Propheta OPUS DOMINI vastationem Moab, quæ iussu Domini fiebat. Execraturque hostem, qui FRAUDULENTER, id est, non serio, aut ut Sept. verterunt, *diligenter in* Moabitarum cædem incubuerit, quemadmodum cap. L. 25. vocat opus Domini Chaldæorum interneeionem.

V. 11. FERTILIS FUIT MOAB, id est dives & florens, nullius particeps calamitatis, ideoque Iudæos bellis, exiliisque sæpe agitatos irridebat. Hebr. שאנן, *pace & quiete usus est ab adolescentia sua*. REQUIEVIT IN FAECIBUS SUIS. Metaphora ex vino sumpta, quod aliquando agitatur, & ex uno dolio in aliud transfunditur, aliquando vero in ipsis primis fæcibus requiescit. Ionath. & R. David putant per fæces divitias intelligi, quia sicut in fæcibus vinum melius conservatur; cum autem ex uno vase in aliud transfunditur, vis & odor eius evaporatur; ita regnum conservatur divitiis, perit paupertate. Ego aliter interpretor: Solent in regionibus calidioribus, ubi vina fortiora sunt ex uno dolio in aliud infundi, ut puriora, atque delicatiora fiant. Nam cum in fæcibus manent, robustiora sunt, & minus delicata, sapiuntque nescio quid fæculentum, quod Hispani dicunt, *Sabera la madre*. Moabitæ ergo comparantur vino; terra eorum dolio; pax & abundantia rerum, fæcibus; mores eorum sapori, & odori vini. Nam quemadmodum vinum non transfusum ex uno vase in aliud, sed in suis manens fæcibus nimis robustum est, & agreste: ita Moabitæ, quia nondum fuerant ex uno loco in alium ducti captivi, sed summa pace, rebusque prosperis semper usi erant, facti fuerunt insolentiores, necdum mutaverant pristinos suos mores. Hoc est, quod dicit, IDCIRCO PERMANSIT GUSTUS EIUS IN EO, ET ODOR EIUS NON EST IMMUTATUS; id est, nondum vexatio dedit illi intellectum, ut Isai. ait cap. XXVIII. 19.

V. 12. ET MITTAM EI ORDINATORES, id est qui lagunculas, aut dolia ordine solent disponere. ET STRATORES; id est, qui solent prosternere, aut inclinare dolia, ut vinum ex uno in aliud fundant: quod clarius Septuag dixerunt κλίνοντας, καὶ κλινοῦσιν αὐτὸν, *declinatores, qui eum declinabunt*. Hebr. צעים וצעהו, *transmigratores, & transmigrare facient eum*; id est, transfusores, &, ut ita dicam, transvasatores, qui transfundant eum ex uno dolio in aliud, id est ex sua terra in alienam traducant: persistit enim in metaphora vini. ET VASA EIUS EXHAURIENT; id est, urbes eius habitatoribus in captivitatem ductis evacuabunt: urbes enim & totam regionem, ut diximus, Moabitarum vasis vinariis comparat. ET LAGUNCULAS EORUM COLLIDENT; id est, urbes eorum destruent; pro eodem enim accipit vasa & lagunculas; quasi dicat, Postquam vinum transfuderint, vasa, in

in quibus erat, confringent: hoc est, postquam homines urbibus captivos abduxerint, urbes ipsas vastabunt ac diruent.

V. 13. Et confundetur Moab a Chamos; id est, fallet Moab spes & fiducia, quam in suo idolo Chamos posuerat, ideoque pudore suffundetur: quemadmodum Israelitas fefellit spes, quam in vitulo aureo posuerunt, quem in Bethel adorabant. Nota est historia III. Regum XII. 29. 30. ubi Ieroboam, postquam decem tribus a regno Iudæ segregaret, ne in Ierusalem populus religionis causa reverteretur, duos vitulos fecisse dicitur, & alterum in Bethel, alterum in Dan constituisse.

V. 15. Et civitates eius ascenderunt. Sic legendum, non, ut alii codices habent, *descenderunt*. Quia sic Hebraice est. ועריהעלה, *& civitates eius ascendit*, id est ascenderunt, singularis pro plurali, aut, unaquæque civitatum eius ascendit, id est, in captivitatem ducta est, ut ego quidem interpretor: studio enim mihi videtur Propheta dicere, *Civitates eius ascenderunt*, et electi iuvenes eius descenderunt in occisionem. Est enim antithesis, inter civitates, & iuvenes electos; & inter ascendere, & descendere. Nam per civitates intelligit populum imbellem, qui non solet ab hostibus occidi; sed in servitutem redigi, & in captivitatem duci: per iuvenes electos intelligit milites, qui expugnata urbe solent occidi. Per ascendere intelligit in captivitatem ire: per descendere in occisionem occidi; quasi dicat: Populus imbellis in captivitatem ducetur; & viri militares & bellicosi occidentur. Vulgaris enim est Hebraismus: Ascendere, pro, Ire Proficisci, Migrare, ut III. Reg. 1. 40. *Et ascendit universa multitudo post eum*, id est, egressa est ex urbe, migravit ab Ierusalem, ut Salomonem sequeretur. Alias apud Hebræos, & nonnullos etiam Latinos interpretationes esse scio; sed minus proprias, & convenientes esse puto. Alii enim exponunt, *Ascendit*, id est, in auras evanuit. Alii, *hostis ascendit in civitates eius*. Alii, *ascenderunt*, id est vastatæ sunt, ut Chald. Septuaginta vero verbum, *ascenderunt*, prætermiserunt, verteruntque ὤλετο Μωὰβ πόλις αὐτῆς, *Periit Moab civitas eius*. Dominus exercituum. Hebraismus, pro, ait Rex, cuius nomen est Dominus exercituum. Regem autem appellat hoc loco potius, quam Deum, quia de regni translatione loquebatur; quasi dicat: Rex Regum & Dominus dominantium, per quem *regnum a gente, in gentem transfertur propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diversos dolos*: Eccles. x. 8. & Daniel. IV. 14. 28.

V. 17. Qui scitis nomen eius; id est, quicumque habetis aliquam cum eo amicitiam. Scire, pro, amare, ut *Ego cognosco oves meas*, id est amo: Ioan. x. 14. Virga fortis; id est, quomodo concidit regnum tam potens & gloriosum: virga & baculus pro eodem accipitur, regnumque significat: ut Psalm. LXXIII. 2. *redemisti virgam hereditatis tuæ*. Et Psal. CIX. 2. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion; dominare in medio inimicorum tuorum*.

V. 18. Descende, id est cade, aut decide; est enim imperativum Hebraicum pro futuro; quasi dicat, Deiicieris de gloria ista tua, in qua nunc es. Gloriam autem vocat omnium rerum affluentiam, sicut sitim omnium rerum inopiam, ex parte totum. Sede in siti; id est, habita in loco arido, & sitibundo, *sicut myrice in deserto*, ut dixit vers. 6. Habitatio filiae Dibon; id est, populi multitudo, quæ habitas in civitate Dibon. Hebr. ישבת בת דיבון, *habitatrix filia Dibon*; id est, o civitas, Dibon, quæ frequentissime habitas, vel quæ nunc otiose & secure desides in magna rerum copia, ut supra cap. XLVI. 19. *Habitatrix filia Aegypti*. Est autem Hebraice elegans παρανομασία inter שכי, & ישבת, ac si Latine dicas, *Habitabis in solitudine, quæ nunc habitas in frequentissima civitate*. Erat Dibon Moabitarum civitas, ut constat ex Isai. XV. 2. 9. Solent autem Hebræi, ut sæpe monuimus, civitates filias appellare. Vastator Moab: genitivus; id est, Chaldæorum rex qui vastabit Moab.

V. 19. Habitatio Aroer. Aroer civitas etiam Moabitarum erat, ut putat R. David; quamquam id mihi non videtur esse compertum. Nam apud Isaiam cap. XVII. 2. cum Damasco tamquam vicina coniungitur; Damascum autem in Phœnicia fuisse constat. Existimat ergo R. David sensum esse, o Aroer cum cœperunt Chaldæi proximas Moabitarum urbes vastare, interroga eos: qui ex illis fugerint, quidnam acciderit, quia simile tibi exitium im-

impendet quasi dicat: (Horatius Epist. xviii. Lib. II.)

Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet.

Hoc idem nomen ערוער supra versu 6. noster interpres vertit myricam: idemque sensus mihi videtur posse in hunc convenire; quasi dicat: Habitatrix myricæ; id est, o vos qui in solitudine inter myricas habitatis, cum videritis homines ex urbibus ad montes, ubi vos estis, confugientes, interrogate, quid acciderit. INTERROGA FUGIENTEM, ET EI, QUI EVASIT, DIC. Hebr. נס ונמלטה, *interroga profugum*, & *profugam*. Nam alterum nomen est masculini generis, alterum feminini; id est, interroga omnes tam viros, quam mulieres, ut adnotat R. David.

V. 20. CONFUSUS EST MOAB. Hæc est responsio Moabitarum fugientium. QUONIAM VICTUS EST. Hebr. חתה, *contrita est*, genere feminino, ut ad primum nomen ad עם *populum*, secundum ad עיר, *urbem* referatur. Sicut versu præcedenti dixit נס, *profugum*, & נמלטה, *profugam*.

V. 21. IUDICIUM VENIT. Iudicium vocat Dei punitionem, & flagellum: loquiturque de rebus futuris, quasi iam præteritæ essent prophetarum more; quæ autem sequuntur usque ad vers. 25. nomina sunt civitatum Moabitarum.

V. 25. ABSCISSUM EST CORNU, id est regnum Moab. Cornu enim per metaphoram regnum, aut regem significat, quia sicut taurus in cornibus omne suum robur habet, ita rex in regno, aut regnum in rege. Sic Apocal. xvii. 12. *Decem cornua, quæ vidisti, decem reges sunt*. Et Lucæ I. 69. *Et erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui;* id est, excitavit nobis regem ex domo David, qui nobis salutem afferat. Potest etiam cornu hoc loco gloriam & superbiam significare, ut Psalm. LXXIV. 5. 6. *Nolite exaltare cornu, nolite tollere in altum cornu vestrum*; ac si dicat, Deiectus est Moab de gloria, & arrogantia; sicut dixit vers. 18. *Descende de gloria*. ET BRACHIUM EIUS: idem significat brachium, quod cornu. Est enim repetitio, Chald. Paraphrast. *succisum est regnum Moabitarum, & dominatores eorum contriti sunt*.

V. 26. INEBRIATE EUM: vino iræ Dei, o vos Chaldæi, qui divinæ iustitiæ administri, & executores estis; id est, implete cum afflictionibus, ita ut nesciat attonitus quo se vertat. Propinate illi calicem furoris Domini: ut Isai. LI. 17. *Elevare, elevare, consurge Ierusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ eius: usque ad fundum calicis soporis bibisti, & potasti usque ad fæces*. Et supra apud hunc ipsum Prophetam cap. xxv. 15. 16. *Sume calicem vini furoris huius de manu mea; & propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te. Et bibent, & turbabuntur, & insanient a facie gladii, quem ego mittam inter eos*. ET ALLIDET MANUM MOAB IN VOMITU SUO; id est, cadet in terram, & manus allidet vomens præ ebrietate. Hebr. ספק, *plaudet manibus*, aut, *volvet sese sicut ebrius, qui vomit huc illuc*, ut R. David interpretatur, ut Psalm. CVI. 27. *Moti sunt, sicut ebrius*. Et Iob XII. 25. *Errare eos faciet, quasi ebrios*. Et Isai. XIX. 14. *Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis, & errare fecerunt AEgyptum; in omni opere suo, sicut errat ebrius, & vomens*. Et cap. LI. 21. *Idcirco audi hoc paupercula, & ebria non a vino*. ET ERIT IN DERISUM ETIAM IPSE; id est, sicut derisit Israel cum ab hostibus affligeretur, ut dicit versu sequenti, ita etiam ipse deridebitur.

V. 27. FUIT ENIM IN DERISUM TIBI. Chaldæus Paraphrastes in eundem sensum, quem noster interpres reddidit: *Et quia lætati estis propter exitium Israel, cum in vos non peccavissent, quasi inter fures reperti essent, multaque contra eos verba dictitastis. ideo in captivitatem ducemini*. Quorsum dicit, QUASI INTER FURES REPERISSES EUM? non enim fures rideri solent, sed occidi. Ideo dicit, quia fures cum deprehensi iam sunt, ac tenentur; irridentur ab omnibus, sicut lupi, & conviciis afficiuntur, ut dixit supra Ieremias II. 26. *Quomodo confunditur fur, quando deprehenditur? sic confusi sunt domus Israel, ipsi & reges eorum, principes & sacerdotes, & Prophetæ eorum*. Hebræi per interrogationem legunt: לוא השחק היה לזואם, *an non in risum fuit tibi Israel? an inter fures deprehensus?* מדי דבריך בו התנודד כי, *quia a verbis tuis de illo commovisti te*; id est quia ex quo de illo loqui cœpisti, aut simulatque de illo incipis loqui, quotiescumque tibi de illo sermo est, commoves te lætitia, id est gaudio exultas, ut R. David exponit: vel, ut ait R. Salom. *quoties de illo loqueris*,

כראשן מנדיד; *moves caput tuum, ac derides eius vastationem:* aut, ut idem R. Salom aliter interpretatur, *ex quo cœpisti de illo loquens lætari, motus es, ut in captivitatem ires*. Septuag. longe a verbis Hebraicis discesserunt.

V. 28. HABITATE IN PETRA; idest, in locis desertis, & petrosis, aut in rupibus montium, ut dixit vers. 6. *Eritis quasi myricæ in deserto*. IN SUMMO ORE FORAMINIS: פי פחת בעברי, *in extremitatibus oris foraminis*, id est in summis scissuris rupium. Nemo mihi videtur tam bene hunc locum vertisse, atque noster interprès.

V. 29. ET ALTITUDINEM CORDIS EIUS: repetendum est idem verbum. AUDIVIMUS, ἀπὸ κοινοῦ: exaggerat superbiam Moabitarum multorum verborum idem significantium conglobatione.

V. 30. QUOD NON SIT IUXTA EAM (iactantiam) VIRTUS EIUS, id est, quod eius vires iactantiæ non respondeant; plura enim iactat, quam possit facere, ut clarius dixit Isai. cap. XVI. 6. *Audivimus superbiam Moab, superbus est valde: superbia eius, & arrogantia eius, & indignatio eius plus quam fortitudo eius*. NEQUE IUXTA QUOD POTERAT, CONATA SIT FACERE, id est non consuluerit vires suas, non viderit quid ferrent humeri, sed plus conata sit facere, quam præstare posset. Melius mihi videtur noster interpres sensum expressisse, quam Hebræi. Quorum alii interpretantur אכי ידעתי עברתו, *Ego novi indignationem eius*, id est odium contra Israel ut R. Salom. Noster interpres iactantiam reddidit; non enim hic de odio agitur, sed de superbia: superbia autem, arrogantia, iactantia, indignatio pro eodem accipiuntur, quia indignatio superbi, & elati animi indicium est, ut apud Isai. XVI. 6. & apud Poetam quendam Latinum,

—— *vana est sine viribus ira.*

Alii, *ego novi indignationem eius*, ולאכו, *& mendacia eius*. Alii iungunt hæc verba cum sequentibus ולאכו כדיו, *& non sic vires eius*, aut ad verbum, *membra eius*; id est, vires eius non respondent indignationi eius. Ego Hebraica sic interpretor, ut noster interpres videtur interpretari: *Ego novi indignationem eius* ולאכו, *& non sic*, vel, *non veritas*, id est, quod vana sit, *& vires eius excedens* כדון לאכו עשן, *membra eius*, id est vires eius non sic facient; id est, non poterunt præstare, quicquid eius indignatio iactavit. Alias interpretationes R. David, & R. Salom. & Chald. Paraphrast. & Septuag. ne longior sim, consilio prætermitto.

V. 31. AD VIROS, id est *propter viros* אל אנשי. MURI FICTILIS; id est, qui lateritiis muris cingebantur, ut sibi in tuto esse viderentur. Hebræi vero, ut R. Salom. & R. David, dicunt nomen proprium esse urbis, quæ קיר חרש, *Circheres* vocabatur apud Moabitas. Sic etiam putarunt Septuaginta nomen Hebraicum relinquentes Κειραδᾶς, noster Interpres reddit, *murum fictilem*, sic etiam apud Isai. XVI. 7. LAMENTANTES. Hebr. יהגה, *Lamentabitur*, sub. Moab. ut vult R. David, vel, *cor meum*, ut alii dicunt.

V. 32. DE PLANCTU IAZER. Iazer & Sabama duas fuisse Moabitarum civitates, & ex hoc ipso loco, & ex Isai. XVI. 9. manifestum est. Interpretantur Hebræi Iazer prius captam fuisse, quam Sabama: cumque populus Sabama, ut ait R. David, audivisset planctum populi Iazer, hæc verba dixisse מבכי, *de planctu* aut *a planctu Iazer*; id est, quia audio planctum vicinæ Iazer, incipiam te quoque plorare o mea civitas Sabama, quia scio tibi idem, quod illi venit excidium, esse venturum. Alii putant verba esse Prophetæ; quod ego magis credo, &, ut videtur R. Salom. ita existimat, quasi Propheta animo prospiciens prius quidem excidium Iazer, deinde Sabama, miserans, aut simulata miserantis persona dicat מבכי, *a fletu*, id est propter fletum Iazer. Sæpe enim huiusmodi Hebraismum explicavimus, ut Psal. XXXVII. *Rugiebam a gemitu cordis mei*, id est, propter gemitum cordis mei; & Psalm. CIII. 7. *A voce tonitrui tui formidabunt*, id est propter stridorem tonitrui tui. Accedit quod Isai. XVI. 9. hanc ipsam sententiam scribens dixit כבכי, *propter fletum*. Alii exponunt, מבכי, *a fletu*; id est, fletu simili illi fletui, quo flevi Iazer. Atque hoc sensu Septuag. verterunt. ὡς κλαυθμὸν Ιαζὴρ ἀποκλαύσομαί σοι ἄμπελος Σαβαμα, *Iuxta planctum Iazer, plangam te vinea Sabama*. Chaldæus Paraphrastes existimavit hæc esse verba Dei, activeque accipienda; quasi dicat: Sicut feci flere Iazer, ita flere te faciam vinea Sabama: vertit enim: *Sicut ad-*

adduxi exercitum contra Iazer, sic adducam interfectores contra Sabama. PLORABO TIBI, id est propter te, ut ait R. David. VINEA SABAMA. Usitatum est apud Prophetas, ut civitates vineæ, cives vites appellentur, ut supra cap. II. 21. *Ego plantavi te vineam electam*: & cap. XII. 10. *Pastores multi demoliti sunt vineam meam*: & Isai. III. 14. *Vos enim depasti estis vineam meam*. Sicut & Christus Ecclesiam vineam vocat, Christianos palmites: Matth. XX. & XXI. & Ioan. XV. 5. PROPAGINES TUAE; id est, cives tui ultra mare in captivitatem ducti sunt, ut R. Salom. & R. David interpretantur. Vel, quod mihi magis placet, *propagines tuæ* TRANSIERUNT MARE; id est, multitudo tuorum civium usque ad mare, & ultra perveniebat; quasi dicat, Nimis fertilis eras, nimis longe mittebas sarmenta tua, oportet, oportet te amputare. Hæc enim phrasis nimiam fertilitatem significare solet, ut Psal. LXXIX. 12. *Extendit palmites suos usque ad mare; & usque ad flumen propagines eius*: & Isai. XVI. 8. *Propagines eius relictæ sunt, transierunt mare*; id est, propagines eius, quæ adeo longæ erant, ut mare transire viderentur, abscissæ sunt, aut conculcatæ, ut illic explicavimus.

V. 33. ABLATA EST LAETITIA. LÆTITIAM vocat non quamcumque, sed eam, qua messores & vindemiatores exultare solent, ut ex præcedentibus, & sequentibus apparet. Dixerat enim versu præcedenti: *Super messem tuam, & vindemiam tuam prædo irruit*. Et sequitur, NEQUAQUAM CALCATOR UVAE SOLITUM CELEUSMA CANTABIT. Itaque hæc tria, lætitia, exultatio, celeusma idem significant. DE CARMELO. Sæpe apud Isaiam monuimus nomen Carmeli aliquando proprium esse montis, qui in Iudæa, & alterius montis qui in Tyriorum regione erat: aliquando vero esse appellativum, omnemque fertilem agrum significare: ita accipitur hoc loco, ut adnotat R. David; nam apud Moabitas, de quibus hic agitur, non legimus ullum fuisse montem, qui Carmelus diceretur. *Nequaquam calcator*: explicat, quo modo lætitia, & exultatio auferenda sit, quia non erit calcator, qui solitum canat celeusma. Est autem κέλευσμα, *celeusma*, ut supra cap. XXV. 30. explicatum a nobis est, cantus, quo qui simul laborant, sese cohortari solent, ut remiges, & qui in torculari calcant, aut prælum torquent, ut Martial. Epigram. XXV. Lib. III. dixit,

Lentos segnius ad celeusma remos.

Hebr. לא ידרך הידד הידד לא הידד, ad verbum: *Non calcabit celeusmate, celeusma non celeusma*; id est, Calcator uvæ non calcabit cum celeusmate, celeusma non erit celeusma; id est, celeusma, quod ante calcantes cantabant, non amplius vocabunt celeusma, ut ait R. David: aut celeusma non erit celeusma, sed luctus, ut quidam ex nostris interpretantur: aut celeusma non erit celeusma adhortantium sese ad calcandum, sed ad fugiendum, ut exponit R. Salom. Ego ex aliorum locorum collatione ita interpretor: Celeusma iam non erit celeusma calcantium cohortantium se ad laborem: sed erit celeusma hostium cohortantium se ad cædem Moabitarum, & ad conculcationem messis, & vindemiæ eorum. Dixit enim versu 32. *Super messem tuam, & vindemiam tuam prædo irruet*: & XXV. 30. *Celeusma quasi calcantium concinetur adversus omnes habitatores terræ*. Et infra LI. 14. *Iuravit Dominus exercituum per animam suam, quoniam replebo te hominibus quasi brucho, & super te celeusma cantabitur*. Et Isai. XVI. 9. *Super vindemiam tuam, & super messem tuam vox calcantium irruit*. Hebr. הידד, *celeusma*, sicut hoc loco.

V. 34. DE CLAMORE HESEBON; id est, Clamor Hesebon, cum capietur usque Elcale, & Iasa audietur: vel ut alii explicant, *ab Hesebon usque ad Elcale, & Iasa fugientes clamaverunt*. Omnes quæ hic nominantur, Moabitarum civitates sunt. VITULAM CONTERNANTEM. Quæ civitas Oronaim similis est vitulæ conternanti, Hebr. שלישיה, *trium annorum, trienni*. quod idem noster interpres ficto novo verbo significare voluit. Nam conternare dixit pro tertium annum agere, ut etiam apud Isaiam XV. 5. Sic enim legendum, non ut aliqui habent, *Consternantem*, quod neque cum Hebraica veritate convenit, neque sensum accommodatum habet. Septuaginta existimantes nomen esse civitatis, quæ ita vocaretur, nomen ipsum Hebraicum integrum reliquerunt ἀγγελιὰ σελισία. Alii in nominativo interpretantur, *Vitula triennis*, ut referatur ad Moab, quæ vitula triennis, ut ait R. David, appellatur, id est bona, pulchra, pinguis, exultans: ea enim ætate vi-

vitulæ elegantiores, ac fortiores eſſe ſolent; quaſi dicat, Fore, ut cum Moab maxime florebit, maxima illi calamitas ſuperveniat, ut ſupra XLVI. 20. *Vitula elegans, atque formoſa, Ægyptus: ſtimulator ab Aquilone veniet ei*. Et Oſe. X. 11. *Ephraim vitula docta diligere trituram*, id eſt pinguis, quia ſolent boves triturantes pingues eſſe, *Et ego tranſivi ſuper pulchritudinem colli eius*. AQUAE QUOQUE NEMRIM. Nemrim locus erat multis aquis irriguus in Moabitide Iſai. XV. 6. PESSIMAE ERUNT, id eſt turbabuntur multitudine calcantium hoſtium. Hebr. למשמיה יחיו, *in deſolationes erunt*, id eſt deſertæ, ut ait Iſai. XV. 6. *Quia non erunt habitatores, qui illis utantur*, ut exponit R. David.

V. 35. AUFERAM; id eſt, de medio tollam, diſperdam omnes idololatrias Moab: duo genera ſacrificii poſuit, pro omni idololatria.

V. 36. COR MEUM AD MOAB, id eſt *propter Moab*, למואב: QUASI TIBIA RESONABIT; id eſt gemet, ſuſpirabit, ſicut tibia lugubre carmen reſonans, ut apud Iſai. XVI. *Super hoc venter meus ad Moab quaſi cithara ſonabit*, &} apud Matth. XI. 17. & Lucam VII. 32. *Cantavimus vobis tibiis, & non ſaltaſtis; lamentavimus*, (id eſt triſte carmen tibiis cecinimus) *& non planxiſtis*. AD VIROS MURI FICTILIS. Ad viros קיר חרש, *Cercheres;* nomen enim eſt proprium urbis, ut ſupra adnotavimus verſu 31. & Iſai. XVI. 7. 11. Verba ſunt Prophetæ, perſonam & affectum hominis Moabitæ inducentis, ut futuram vaſtationem ob oculos ponat. QUIA PLUS FECIT; id eſt, quia plus conatus eſt facere Moab, quam poterat; quaſi dicat, Propter ſuperbiam & arrogantiam ſuam perierunt; ut verſu 30. *Ego ſcio iactantiam eius, & quod non ſit iuxta eam virtus eius; neque iuxta quod poterat conata ſit facere*. Hebr. עשה אכרו על כו יתרת, ad verbum, *quia plus fecit, perierunt*, aut, *quia reliquum fecit, perierunt:* quod aliqui ita interpretantur: *Propterea inquam, lugebo, quia divitiæ, quas acquiſierant, perierunt*, ut Sept. & Chald. Paraphraſtes verterunt, & ut R. David exponit. Sed multo melius meo iudicio noſter interpres על כו חרת עשה, *quia plus fecit* (ſub. quam potuit) *perierunt*: mutat autem numerum, quia loquitur collective de populo.

V. 37. OMNE ENIM CAPUT; id eſt, ſuper omne caput calvitium erit. Deſcribit miſerabilem Moabitarum luctum, ex habitu captivorum, & lugentium. Solebant Iudæi, & vicinæ Iudæorum gentes in magno luctu capillum & barbam vellere, & ſacco indui, ut docuimus capite præcedenti, verſu 5. quemadmodum Romani e contrario in luctu barbam, capillumque promittebant, ut ex nonnullis M. T. Ciceronis locis diſcimus. Id apparet Deuter. XIV. 1. & Iſai. XV. 2. *in cunctis capitibus eius calvitium, & omnis barba radetur*. Et cap. XXII. 12. *Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, & ad planctum, & ad calvitium, & ad cingulum ſacci*. Et Ezech. VII. 18. *In omni facie confuſio, & in omnibus capitibus eorum calvitium*. Et Amos VIII. 10. *Inducam ſuper omne dorſum veſtrum ſaccum, & ſuper omne caput calvitium*. ET OMNIS BARBA RASA ERIT Hebr. גרעה, ad verbum, *imminuta*, id eſt, inæqualiter & turpiter evulſa, ut illi, quibus dimidia pars barbæ ignominiæ cauſa raſa fuerat: II. Regum X. 4. IN CUNCTIS MANIBUS COLLIGATIO, id eſt vincula, quod captivitatem ſignificat; ſolent enim captivi duci, ut poeta dicit *manibus poſt terga revinctis*. Hebr. על כל ידים גדדות; *ſuper omnes manus inciſiones*, ut R. Salomon. & R. David interpretantur, quo etiam ſenſu Septuag. tranſtulerunt: Καὶ πᾶσαι χεῖρες κόψονται, *Et omnes manus incidentur*. Solebant enim illæ gentes in luctu manus ſibi, & brachia, aut unguibus lacerare, aut cultellis incidere, ut conſtat Deuter. XIV. 1. & Levit. XIX. 28. & III. Reg. XVIII. 28. & ſupra apud hunc ipſum Prophetam cap. XVI. 6. *Non ſepelientur, neque plangentur, & non ſe incident, neque calvitium fiet pro eis*.

V. 38. SUPER OMNIA TECTA. Putat R. David. על, *ſuper*, ſignificare hoc loco materiam, non locum, ut ſenſus ſit, fore ut homines Moabitæ, cum captivi ducentur, tecta ſua reſpiciant, & ea defleant: ſicut Chriſtus reſpexit civitatem, & flevit ſuper eam, Lucæ XIX. 41. Ego aliter interpretor, ſicut ſupra alios duos ſimiles locos expoſuiſſe memini, cap. XIX. 13. Erant in Iudæa tecta ſuperne aperta, & complanata, ſtrataque lateribus, & lita cæmento, qualia hodie in Bætica noſtra, & in Italia ſunt multa, ut etiam Hieronym. adnotavit in

in epistola ad Suniam & Fretellam de correctione Psalmorum, Romæque solaria, vel meniana vocari dicit, quo verbo Sveton. in Calig. cap. XVIII. usus est. Itaque in tectis in hyeme apricabantur, in æstate noctu cœnabant, & sub dio dormiebant, & sæpe ad confabulandum conveniebant Iudæi. Ex quo illud intelligitur, *Quod in aure auditis, prædicate super tecta*: Matth. x. 27. Et quod legimus in Actis Apost. cap. x. 9. Petrum ascendisse orandi causa ἐπὶ τὸ δῶμα *in tectum*. Et quod præcipitur Iudæis, Deuter. XXII. 8. facere murum tecti per circuitum, ne quis ex eo cadat & homicidii rei sint. Significat ergo futurum, ut omnia plena sint planctus, & loca publica, ut plateæ; & privata, ut tecta. OMNIS PLANCTUS, id est, omne genus planctus, virorum, feminarum, puerorum; aliorum, qui patres interfectos; aliorum, qui captos; aliorum, qui bona sua direpta, aliorum, qui se ipsos plangant, ut in urbis expugnatione fieri solet. SICUT VAS INUTILE, id est reprobatum: hac enim metaphora vasis utilis, & inutilis, prædestinati, & reprobati designari solent, ut ad Rom. IX. 21. 22. 23. & II. ad Timoth. II. 21. Hebr. כבליאין חפץ בי, *sicut vas, in quo non est voluntas*, id est quo nemo iam uti vult. Recte noster interpres, *Inutile*: sicut e contrario D. Paulus hominem prædestinatum vocat vas utile ad omne opus bonum, II. Timoth. II. 21. Eodem modo Septuag. ὡς ἀγγεῖον οὗ οὐκ ἔστι χρεία αὐτοῦ, *sicut vas, cuius nullus est usus*.

V. 39. QUOMODO VICTA EST? Moabitis regio: חתה אין, *quomodo confractus est* (Moab) id est, quo modo regnum Moab attritum est. ET ULULAVERUNT; mutat numerum, quia collective loquitur de omni populo. R. Salom & alii Hebræi interpretantur, *Moabitæ ululabunt dicentes, quo modo confractus est Moab?* QUOMODO DEIECIT CERVICEM? Alludit ad vitulam triennem, quo nomine Moab appellaverat versu 34. quod cervicem haberet superbam, & nondum subactam iugo; quasi dicat: Quo modo Moab vitula illa elegans, & indomita, *Submisit tristi colla superba iugo?* ut poeta quidam dixit. ERITQUE MOAB. Hebraice præteritum est והיה, *& factus est*; referturque ad idem verbum, ululabunt dicentes, *factus est* MOAB IN DERISUM, ET IN EXEMPLUM. Hebr. ולמחתה, *& in terrorem*; id est, in exemplum terroris, ut omnes vicinæ gentes eius vastationem videntes, timeant, ne idem aliquando sibi accidat.

V. 40. QUASI AQUILA VOLABIT: hostis Nabuchodonosor, ut R. Salom. & R. David exponunt: quare supra columba vocatus est, quorundam interpretum opinione XXV. 38. & XLVI. 16. & infra L. 16. Aquila citissimi volatus est, rapturque vivit: significat ergo hostem celerrime venturum, & Moabitidem regionem drepturum. ALAS SUAS: alas vocat exercitus, ut Chald. interpretatur: nam & Latini in exercitu duas extremas partes, & latera alas appellant.

V. 41. CAPTA EST CARIOTH, הקריות, R. David, & Ionath. existimant non esse nomen proprium, sed appellativum civitatis numero plurali, propter ה. demonstrativum, quod nominibus propriis iungi non solet. Melius noster interpres, & Sept. & inter Hebræos R. Sal. nomen proprium efficiunt singularis numeri; nam & verbum נלכרה, singularis numeri, & feminini generis est, ut Iosue XV. 24. SICUT COR MULIERIS PARTURIENTIS: מצרה: *in angustiis* (partus) *constitutæ*, id est, parturientis, sicut Sept. & Chaldæus Paraphrastes etiam transtulerunt, id est erit infirmum, & plenum doloris.

V. 42. ET CESSABIT MOAB: נשמרמעם, *perdetur a populo*. Hebraismus, pro, ita abolebitur, ut non amplius sit populus, id est, non amplius habitetur, ut I. Reg. XV. 26. *Proiecit te Dominus*: ממות, *ab esse*, id est *ne sis rex super Israel*. Itaque recte noster interpres. QUONIAM CONTRA DOMINUM, id est, contra Israel populum Domini, ut dixit versu 27. Nam qui eos tangebat, tangebat pupillam oculi Domini, Zachar. II. 8.

V. 43. PAVOR. Pavorem vocat hostilem gladium, foveam, casum improvisum, laqueum, insidias ab hoste positas ad capiendos Moabitas, & in captivitatem abducendos. Itaque significat fore, ut alii gladio interficiantur, alii dum fugiunt in foveam cadant, id est aliquo improviso casu pereant; alii sicut aves laqueo vivi capiantur, & in servitutem redigantur. Ponit autem hæc tria periculorum genera loco omnium, ut explicatur duobus versibus qui sequuntur. Ita apud Isai. XXIV. 17. 18.

Formido, & fovea, & laqueus super te, qui habitator es terræ. Et erit qui fugerit a voce formidinis, cadet in foveam, & qui se explicaverit de fovea, tenebitur laqueo. Est autem Hebraice elegans παρονομασία inter hæc tria nomina, פחת פחד פח, quæ Latine exprimi non potest.

V. 44. Adducam enim super Moab. Hebr. כי אביא אליה לאמואב, *quia adducam super eam, super Moab*, id est super ipsam Moab. Hebraismus est firmitatem significans sententiæ, aut demonstrationem, ut ait R. David, quasi Propheta Moab digito demonstret. Annum visitationis eorum, id est punitionis; nota est phrasis, mutat numerum, quia de populo loquitur, qui & unus est, & multi.

V. 45. In umbra Hesebon, id est, qui manus, & insidias hostium effugient, recipient se in protectionem, & fidem Hesebon. Quia ignis egressus est de Hesebon, id est, milites fortes, & quasi ignis ardentes, & omnia depopulantes, ut Hebræi interpretantur. Et flamma de medio Ston. Vitiose sine aspiratione scriptum est: nam sine aspiratione significat montem, ubi templum Ierosolymitanum situm erat, Sihon vero cum aspiratione urbs est Moabitarum, ut ait R. Salom. in comment. in hunc locum. Hebr. *In umbra Hesebon* steterunt, מכח נסים, *a fortitudine fugientes*, id est propter fortitudinem hostis, vel, defectu fortitudinis fugientes, id est cum non possent iam præ latitudine fugere, ut R. Sal. & R. David interpretantur. Huiusmodi Hebraismum vers. 42. adnotavimus. Eodem modo Sept. verterunt, *ἀπὸ δυνάμεως φυγόντες*, *a fortitudine fugientes*. Noster interpres non videtur legisse מכח, *a fortitudine*; sed מפח, *a laqueo*, quod non differt nisi puncto, sensusque est melior: agebat enim de iis, qui e laqueo fugerant, Ionathas interpretatur sic: *In umbra Hesebon steterunt*, id est propterea quod confiderunt in Hesebon, & illi paruerunt, virtus eorum defecit, & fugerunt, & milites de Hesebon quasi ignis urens exierunt, & interfecerunt principes Moab; quasi dicat: Ex Hesebon, in qua spem salutis posuerant, interitus illis processit. R. David refert hæc ultima verba ad illud tempus, quo Hesebon & Sehon erant in Amorrhæorum ditione; tunc enim putat ex Hesebon, & Sehon Amorrhæos quasi flammam ignis exiluisse, & maiorem partem Moabitidis devastasse, aut ut Hebr. est, פאת מואב, *angulum Moab*, id est totam Moab usque ad ultimum angulum. Ionathæ mihi interpretatio magis placet, quia convenit cum historia quæ scribitur in Num. xxi. 26. 27. 28. *Urbs Hesebon fuit Sehon regis Amorræi, qui pugnavit contra regem Moab; & tulit omnem terram, quæ ditionis illius fuerat, usque ad Arnon. Ignis egressus est de Hesebon, flamma de oppido Sehon, & devoravit Ar Moabitarum, & habitatores excelsorum Arnon.* Accommodat ergo Propheta rem præteritam ad futuram; quasi dicat: Quemadmodum tunc exiit Sehon ex Hesebon, qui totum regnum Moab quasi ignis absumpsit, ita Chaldæi capta Hesebon, in qua Moabitæ maxime confidebant, inde erumpent, & totum regnum occupabunt. Et verticem filiorum tumultus; id est, principes Moabitarum tumultuantium, & ad rebellionem proclivium. Hebr. בני שאון, *filiorum Saon*. Septuaginta ipsum Hebraicum vocabulum integrum reliquerunt, æstimantes nomen esse proprium civitatis, quod probabilitate non caret.

V. 46. Vae tibi Moab, peristi. אבר, *periit populus Chamos*, sicut Sept. verterunt; id est, populus Moabitarum, qui idolum Chamos adorabat, III. Reg. xi. 5. 7. 33. & iv. 23. 13. Quia comprehensi, pro, comprehendentur: præteritum pro futuro. Sententia sumpta est ex Libro Num. xxi. 29. Sed illic agitur de re præterita, hic de futura; quasi dicat: Quemadmodum olim periit Moab, & filii eius capti sunt, ita nunc peribit, filiique eius capientur.

V. 47. Et convertam. Hebræi hoc referunt ad tempus Christi, quo tempore Moabitæ erant ex captivitate revocandi, ut R. David interpretatur, ut dicitur cap. sequenti vers. 6. de Ammonitis, & vers. 39. de AElan. Hucusque iudicia Moab. Hebr. משפט, *iudicium*, id est sententia a Deo proflicta, prophetia contra Moab. Quod ideo Propheta addidit, ut ait R. David, quia prophetia longa fuerat & difficilis.

S A.

Verſ. 1. AD MOAB, id eſt de Moabitis.

Verſ. 2. COGITAVERUNT, ſcilicet hoſtes. DE GENTE, id eſt ne ſit gens. CONTICESCES, ſcilicet mœſta.

V. 3. VOX, ſcilicet audietur. ORONAIM: duale eſt; quaſi dicat, Ex utraque *Oron*, ſeu *Choron*, ſcilicet ſuperiore, & inferiore.

V. 4. ASCENDET, ſcilicet fugiens. CONTRITIONIS, id eſt vaſtatorum a ſe.

V. 6. MYRICAE, ſcilicet humiles. Chald. *morantes in tentoriis*. LXX. *aſinus ſilveſter*.

V. 7. HABUISTI, ſcilicet o Moab. CHAMOS. Idolum Moabitarum.

V. 9. DATE FLOREM, id eſt vocate ſane floridam. Chald. *auferte coronam a Moab*. LXX. *date ſigna ipſi Moab*.

V. 10. FRAUDULENTER. LXX. *negligenter*. PROHIBET, ſcilicet eum Dominus cædere iubet: explicatio præcedentis. Intellige vero id de verbo Dei præcipue, quo interficienda peccata: quod notent Concionatores, ne aliud agant.

V. 11. FAECIBUS SUIS. Chald. *ſubſtantiis*. LXX. *gloria*. TRANSFUSUS. Perſtat in vini metaphora, quod in fæcibus conſervatur. VASE. Chald. *loco*. IN TRANSMIGRATIONEM. Explicatio metaphoræ. GUSTUS, id eſt ſapor; quaſi dicat, Gloria & ſpendor. ODOR, id eſt fama.

V. 12. STERNENT, id eſt deiicient.

V. 13. A CHAMOS, id eſt ſpe poſita in idolo ſuo. BETHEL, id eſt idolis Bethel.

V. 17. CONSOLAMINI. Ironice. QUI SCITIS, &c. id eſt qui eum noſtis, ſcilicet populum Moabitarum.

V. 18. SITI, id eſt loco arido, ſcilicet pulvere, vel deſiderio, ſcilicet ob rerum penuriam. HABITATIO FILIAE. Chald. *regnum cœtus*.

V. 21. IUDICIUM, ſcilicet Dei. Chald. *vindicta*.

V. 25. CORNU, id eſt potentia. Chald. *Regnum*.

V. 26. INEBRIATE, ſcilicet Dei ira, ſeu ultione. ALLIDET, id eſt complodet, ſcilicet more ebrii poſt vomitum.

V. 27. FUIT ENIM IN DERISUM TIBI, id eſt deriſiſti. ISRAEL, ſcilicet cum captivus duceretur. EUM, ſcilicet Iſraelem.

V. 30. EAM, ſcilicet iactantiam; quaſi dicat, Plus ſe iactat, quam poſſit.

V. 31. MURI FICTILIS. Nomen urbis. Hebr. *Kir Cheres*.

V. 32. DE PLANCTU, id eſt ſimili planctu. LXX. *quaſi planctum*. IAZER, ſcilicet vaſtatæ. PROPAGINES, id eſt cives. PERVENERUNT, ſcilicet ſolum, & non tranſierunt. LXX. *attigerunt*:

V. 33. CARMELO, id eſt agro fertili. CELEUMA, canticum eſt nautarum, & uvas calcantium, a κελεύω, *iubeo*, quod uno iubente ceteri cantu reſpondeant & opere.

V. 34. DE CLAMORE, &c. quaſi dicat: fugientes de Heſebon continuabunt clamorem uſque Eleale, &c. AD ORONAIM, ſcilicet clamabunt. CONTERNANTE, id eſt trima; quaſi dicat, Olim pulchra & opulenta urbe. PESSIMAE, id eſt inutiles, ſcilicet deſertæ. Chald. *in deſolationem*. LXX *in combuſtionem*.

V. 36. TIBIAE, ſcilicet in luctu adhibitæ. Loquitur vero in perſona Moabitarum.

V. 37. OMNE ENIM, &c. Deſcriptio ſtatus luctuoſi.

V. 39. QUOMODO, &c. vox lamentantium. EXEMPLUM, ſcilicet vindictæ Dei.

V. 40. VOLABIT, ſcilicet exercitus hoſtilis.

V. 41. PARTURIENTIS; quaſi dicat, Dolens & tremens.

V. 44. A FACIE, id eſt cauſa.

V. 45. QUIA; pro, verum; quaſi dicat, Non diu ibi tuti. VERTICEM, id eſt præcipuos, ſeu capita. TUMULTUS, id eſt tumultuantium. Chald. *turbæ*.

V. 46. CHAMOS, ſcilicet cultor.

V. 47. CONVERTAM, ſcilicet per Apoſtolos. IUDICIA, ſcilicet Dei; quaſi dicat, vindicta.

E S T I I.

Verſ. 10. MALEDICTUS QUI FACIT OPUS DOMINI FRAUDULENTER, ET MALEDICTUS, QUI PROHIBET GLADIUM SUUM A SANGUINE. Senſus litteralis eſt: Decretum eſt, & placet, ſumere graviſſimam vindictam de Moab, eiuſque regiones & urbes devaſtare per manus Chaldæorum. Igitur cum ea ſit definita

nita Dei voluntas, sit, omnis miles paratus, & alacriter ac serio vindictam illam perficiat; non fraudulenter, id est non simulet se occidere, cum non occidat. Et aptissime hæc sententia converti potest in quosdam nostri temporis iudices, quibus cum gladius sit datus a Deo in vindictam malorum, maxime eorum qui ecclesiam oppugnant, dissimulant ad eorum conventicula. Valet eadem sententia etiam contra eos, qui cum regi catholico militent adversus seditiosos hæreticos, non hoc tamen præcipue agunt, ut hostem opprimant, & religionem catholicam integritati restituant; sed id tantum, ut per fas, nefas marsupio suo bene consulant, de religione & fine suscepti belli, parum, aut nihil solliciti. Septuaginta pro, *fraudulenter*, legunt, *negligenter* hoc modo: *Maledictus qui facit opera Domini negligenter*. Qua occasione etiam solet hæc sententia non inepte accommodari ad sacerdotes, aliosque sacros ministros, qui negligenter, & oscitanter, vel sacrificium offerunt, vel sacramenta administrant, vel preces canonicas cursim nimis legunt, aut decantant. Qui si cogitent, quatenus sit ille, in cuius conspectu ministrant, facile intelligent non levem esse culpam, res tantas, negligenter, oscitanter, aut tumultuarie agere.

V. 36. QUIA PLUS FECIT, QUAM POTUIT, IDCIRCO PERIERUNT. Videri posset propheta hic accusare in Moab idem quod Isaias cap. XVI. *Superbia eius & arrogantia eius & indignatio eius, plusquam fortitudo eius*. Sed Hebræa aliud indicare videntur: sic enim habent: *Ideo quia augmentum sit, divitiæ quas fecit, perierunt*; quod sic interpretantur: Ob id lugebo super Moab, quia divitiæ, quas multo labore sibi comparavit, perituræ sunt. Potest etiam sic verti, *Ideo, quia augmentum fecit perierunt*, scilicet Moabitæ; id est, quia multas & superfluas divitias Moab sibi collegit, ideo periit, id est peribit: nam futura prophetis tam certa sunt, quam si iam facta essent. Et huic sensui sic aptantur verba nostræ versionis: *Quia plus fecit quam potuit*; id est, quia supra modum dignitatis ac status sui Moab collegit sibi opes, idcirco Moabitæ perierunt. Quidam moraliter etiam ad eos referunt, qui supra vires ieiuniis, aliisque austerioris vitæ durioribus exercitiis sese affligant. Vide Bonaventuram Lib. II. de perfect. relig. cap. XII.

MARIANAE.

Vers. 1. AD MOAB. Moab excidium prædicit, ut titulus Prophetiæ indicat. *Ad Moab*, ut Isai. cap. XV. 1. *Onus Moab*. VAE SUPER NABO. Urbs Moabitarum, Isai. XV. 2. ubi ait, *super Nabo, & super Medaba Moab ululavit*. ET CONFUSA, pudefacta, quia scilicet ignominiose capta est. CAPTA EST CARIATHAIM. Alia urbs Moab. CONFUSA EST FORTIS; id est, quamvis fortis videretur, cum ignominia capta est Cariathaim. Hebr. *pudore affecta est civitas*. Id significat *Misgbab*, id est, *civitas*. Sept. *fortitudo*. Chald. *domus fiduciæ*. Sed quocumque modo vertas, ad Cariathaim referenda sunt.

V. 2. NON EST ULTRA EXULTATIO. Hebr. *laus*. CONTRA HESEBON. Sept. *in Hesebon*: sic Hebr. Erat ea civitas Moab, Isai. XV. 4. cuius munitionem illi laudabant, & de ea gloriabantur. Verum, ut constet Vulgatæ interpretatio, scilicet *contra Hesebon* iungatur cum verbo, *cogitaverunt malum*, scilicet hostes. ERGO SILENS CONTICESCES, id est quiesce, ne movearis, quia malum tibi imminet. Hebr. *Madman sile*, nomen urbis Moab, fortasse quæ ab Isaia *Medaba* vocatur. SEQUETURQUE TE GLADIUS. Hebr. *post te ibit gladius*. Coniunctio *que* sententiam implicat. Quæ coniunctio Hebr. non est.

V. 3. VOX CLAMORIS, supple, audietur. DE ORONAIM. Hæc est civitas Moab. Isai. XV. 5. In Hebræo est vox hæc in duali, quoniam duplex erat, superior & inferior: sic Hebræi. VASTITAS; pro, quoniam vastitas, & contritio magna; ideo vox clamoris erit. Quid clamabunt?

V. 4. CONTRITA EST MOAB. Hoc clamant. ANNUNTIATE parvulis, ut clamorem ingeminent, prompta ætas ad lacrymas. Hebr. *audire facient clamorem parvuli eius*. Ii sunt qui vocem extollent. Chald. *annuntiaverunt clamorem dominatores eius*, id est proceres etiam ululabunt.

V. 5. PER ASCENSIONEM ENIM LUITH. כי *quia*, aut *enim*, sumo pro, sane; non est enim cuius rei reddatur causa. *Luit* aut arx est, quo se cives Oronaim flentes receperunt, aut mons. QUONIAM, pro, sane,

tie, IN DESCENSU ORONAIM, id eſt in ipſa Oronaim, quæ in valle erat, ululatum, quem ob contritionem & excidium urbis fugientes edebant, ipſi hoſtes audierunt, quia validus erat.

V. 6. FUGITE. Prophetæ verba ad fugam hortantis. ET ERITIS QUASI MYRICAE; id eſt, quamvis ſitis ſolitarii & miſeri, ut myricæ quæ in locis aridis naſcuntur. De hac arbore plura cap. XVII. 6.

V. 17. IN MUNITIONIBUS TUIS. Hebr. *in operibus tuis*, id eſt armentis & gregibus, quibus antiquorum opes conſtabant. Vulgo *hazienda* vocatur: ſic I. Reg. XXV. 2. ubi *& poſſeſſio eius in Carmelo*. Hebr. *& opus eius in Carmelo*. Hoc ſequentia magis confirmant. ET IN THESAURIS TUIS. Habuiſti fiduciam in operibus tuis & theſauris. CHAMOS, præcipuum idolum Moabitarum, quem Bacchum credunt, ille ibit captivus, deferent Chaldæi, non propter numen, ſed propter aurum.

V. 8. QUONIAM DIXIT DOMINUS. Sic Chald. Sept. *ſicut dixit Dominus*: ſic Heb. Sed אשר *aſer*, pro כאשר *caaſer*, id eſt *ſicut*, ſumi debet: Hebr. Schol.

V. 9. DATE FLOREM MOAB, ſcilicet ut ſertis redimito capite exeat. Hebr. *date alas Moab*, quia volando egredietur, id eſt celeriter fugiet. ET CIVITATES; pro, civitates autem deſolatæ erunt, & abſque habitatore.

V. 10. MALEDICTUS. Verba Prophetæ ad Chaldæos hortantis ad cædem Moabitarum. QUI FACIT OPUS DOMINI. Sic vocat eam cædem, quia Dei iuſſu. FRAUDULENTER, id eſt deſidioſe. Sept. *negligenter*.

V. 11. FERTILIS FUIT MOAB, pacatus, dives. REQUIEVIT IN FAECIBUS SUIS. Ex vino ſumpta metaphora, quod cum in novum dolium transfertur, commodius fit; cum manet in fæcibus, peius. Sic Moab quievit in ſuis divitiis, quod illi malo fuit. GUSTUS EIUS IN EO; ſcilicet parvus guſtus, & ſapor, & odor manſit in eo, id eſt vitia, & mala priora.

V. 12. ORDINATORES, ET STRATORES. Sic vocat, qui vina e dolio in dolium transfundunt. Hebr. *transmigratores, & facient transmigrare eum*, ſcilicet Moab. ET VASA EIUS EXHAURIENT, ſcilicet ut alia impleant. ET LAGUNCULAS EORUM COLLIDENT. *Cados* & *dolia fictilia* (id etiam, *nabli* vox ſignificat, non tantum *utres*) frangent, in quibus vinum prius erat, quaſi inutilia. Intelligit autem per lagunculas, domos & urbes, quas evertent hoſtes.

V. 13. ET CONFUNDETUR MOAB A CHAMOS, id eſt fallet eum ſpes, quam in Chamos poſuerat, quod pudori erit, ut Iſraelitas, inquit, decepit ſpes poſita in vitulo, quem Ieroboam poſuit in Bethel: III. Reg. XII. 29.

V. 15. ET CIVITATES ILLIUS SUCCIDERUNT, non *ſuccenderunt*, ut Lovan. neque *aſcenderunt*, ut Regia. Hebr. *& civitates* (pro, civitatum multitudo) *defecit*. Chald. *deſolatæ ſunt*. Sept. *periit civitas*. AIT REX. Deum hoc nomine vocat, quoniam de transferendo Regno agit. Ipſe enim Rex Regnum eſt, & transferre Regna poteſt de gente in gentem. Eccleſiaſtici X. 8.

V. 16. INTERITUS MOAB. Hebr. *calamitas Moab prope eſt*.

V. 17. CONSOLAMINI. Hebr. *commovemini*. Sic condolentes, & conſolantes ſolent movere caput. QUI ESTIS, ad quorum notitiam ea clades veniet. VIRGA FORTIS, id eſt Regnum validum, quomodo eſt confractum?

V. 18. DESCENDE; pro, deſcendes, deiicieris. DE GLORIA, opibus ſpoliaberis. ET SEDE IN SITI, id eſt in locis aridis, in deſerto ſedebis. HABITATIO FILIAE DIBON. Dibon civitas Moab: Iſai. XV. 2. & 9. *Filiæ* oppida vocantur, præſertim quæ aliis urbibus ſunt ſubiecta. Hebr. *qui habitas filiam Dibon*, id eſt cives Dibon. VASTATOR MOAB. *Moab* in genitivo, aſcendet & diſſipabit.

V. 19. HABITATIO AROER. Hebr. *quæ habitas Aroer*. Urbs eſt Moab in ripa Arnon: Ioſue XII. 2. Eſt & alia eo nomine prope Damaſcum, de qua Iſai. XVII. 2. Utraque id nomen a myricis ſortita videtur, quarum ii agri erant feraces. ערער *harhar* eſt *myrica*. Urbs illa ערוער *haroher* Hebr. vocatur. Ergo ſta in via, rerum ſtatum a fugientibus roga. ET EI QUI EVASIT, aut *quæ evaſit*. Hebr. in genere feminino eſt. Roga ergo ex fugitivis viris & mulieribus quid acciderit: Reſpondent,

V. 20. CONFUSUS EST MOAB, ignominioſe cecidit. VICTUS EST. Hebr. *confractus eſt*. IN ARNON, id eſt in regione, quam

quam Arnon alluit. Aut forte *Arnon* hic nomen est urbis eo nomine.

V. 21. ET IUDICIUM VENIT, id est punitio. SUPER HELON. Nomina sequuntur multarum urbium Moab, quas belli flamma afflixit.

V. 22. ET SUPER DOMUM DEBLATHAIM. Poterat dicere *super Bethdeblathaim*, (totum nomen est proprium) ut mox dicit super *Bethgamul*, & *Bethmaon*.

V. 25. ABSCISSUM EST CORNU MOAB, id est regnum. Chald. pro, *cornu*, *regnum* ponit. *Cornu* in bestia est supra alia membra, sic Reges supra subditos. Apocal. XVII. 22. *Decem cornua decem Reges sunt*. ET BRACHIUM EIUS, id est proceres, qui sunt velut brachia Regis; per quos operantur, contriti sunt.

V. 16. INEBRIATE EUM, calice furoris Domini, ut attonitus nesciat quid faciat. QUONIAM CONTRA DOMINUM. Chald. *contra populum Domini*. ERECTUS EST. Hebr. *magnificavit*, id est superbivit, inepte locutus est. ET ALLIDET MANUM. Sic solent ebrii manus complodere. Hebr. *volutabit se in vomitu suo*. Ebrii vomunt crapulam, deinde ad terram decidunt, & sordibus fœdantur. ET ERIT IN DERISUM ETIAM IPSE. Non solum patietur malum, sed etiam risum movebit. Tunc vicem exolvet.

V. 27. FUIT ENIM IN DERISUM, tibi (o Moab) Israel, cum, scilicet captiva ibat. Hebr. *&* *si non* (pro annon) *derisui fuit tibi Israel?* Si irrisisti, irrideris. QUASI INTER FURES. Hebr. *si inter fures inventus est?* Israel; quasi dicat, Minime. Fures convitio prosequitur populus. PROPTER VERBA ERGO TUA. Hebr. *quia ex quo verba tua in eum*, id est ex quo, cum Israel conviriatus es. CAPTIVUS DUCERIS. Chald. *transmigrabitis*. Hebr. *commovisti te*, scilicet irridendo movisti caput. Sic Hebræus; quasi dicat: Quod maleficium in Israel invenisti, quod probrum, ut eum irrideres, & contra eum loquereris?

V. 28. IN PETRA, id est in arcibus, quæ rupibus imponebantur, habitate. IN SUMMO ORE FORAMINIS. Hebr. *in lateribus oris foveæ*, id est in summis scissuris rupium, quo tutior sit, nidum ibi columba ponit, sic vos in loca munita, vos recipite.

V. 30. EGO SCIO .... IACTANTIAM EIUS, scilicet Moab. Hebr. *indignationem eius*, id est tumorem cordis, qui ex superbia venit. ET QUOD NON SIT IUXTA EAM (iactantiam) VIRTUS EIUS. Hebr. non uno modo vertunt. Ego sic, *& non sicut nugæ eius*, *non sic faciunt*. Facta verbis non respondent. Id aliis verbis dixit Hieron. NEC IUXTA QUOD POTERAT, CONATA SIT FACERE, id est non se suis viribus metitur. Hebr. hoc non est, illud tantum quod posuimus, Hieronymus pluribus verbis paraphrastis instar id extendit. In Isai. XVI. 6. invenies eadem fere verba de Moab, quæ hic Ieremias.

V. 31. EIULABO. Verba sunt Prophetæ. AD VIROS MURI FICTILIS, id est qui latericiis muris se cingebant. Sept. & Hebræi vocem *Kirheres* intactam relinquunt, quasi nomen urbis Moab sic dictæ, quod forte fictiles ex lateribus muros haberet. LAMENTANTES, scilicet ob suam cladem ad eos eiulabo. Hebr. *gemet*, pro, gement: Aut forte *gemet*, pro, gemam; scilicet ob ea mala, quæ illis civibus evenere.

V. 32. DE PLANCTU IAZER. Locus est difficilis, variæ interpretationes. Sane *Iazer* & *Sabama* duæ urbes Moab erant. Locum sic ego interpretor: quo planctu Iazer ploravi, eodem te Sabama plorabo: quam vineam vocat, quoniam familiare est, urbes vineas, cives vites vocare. PROPAGINES TUAE TRANSIERUNT MARE. Hæc sunt verba monodiæ sive luctus super Iazer. Ergo tam eras opulenta & frequens, ut colonias aut merces ultra mare mitteres. USQUE AD MARE IAZER (id est propagines Iazer) PERVENERUNT. SUPER MESSEM TUAM. Hebr. *super æstatem tuam*; id est, fructus æstatis prædo irruit. Omnia sunt verba monodiæ, quæ super Sabama vult repetere, quoniam similis illi clades imminebat quæ Iazer.

V. 33. ABLATA EST LAETITIA, scilicet messis & vindemiæ ab hoste occupatæ. DE CARMELO. Hic *Carmelus* non montem eo nomine, sed locum amœnum, opacum, frugiferum significat. SOLITUM CELEUMA. *Celeuma* est cantio, qua se simul laborantes excitant ad laborem, a κελεύω, id est *iubeo*, quod uno inchoante socii respondent. Hebr. *non calcabit* (calcator eum) *celeumate*. *Celeuma non celeuma* (erit,) sed planctus scilicet potius pro celeumate. Sic locum intelligo.

V. 34.

V. 34. De clamore Hesebon; id est, clamor Hesebon venit usque ad Eleale, & Iasa: aut sic: *propter clamorem Hesebon* (qui venit) *usque ad Eleale & Iasa*. Dederunt vocem suam, scilicet illæ ipsæ percitæ eo clamore. A Segor usque ad Oronaim, scilicet clamor venit. Omnes sunt urbes Moab. Vitula conternante. Sic lege, non *consternante*, id est vitula trima, pingui, & pulchra, quales sunt vitulæ ea ætate. Ponitur in ablativo, ut iungatur cum *Segor*, quam sic Isaias vocat cap. xv. 5. unde hæc Ieremias videtur mutuatus. Regia *vitulam conternantem* habent, quomodo iungitur cum *ad Oronaim*. Sed in Isaia iungitur cum *Segor*, ideo prior lectio est melior. Porro *conternante* vox barbara est ab Hieronymo conficta ad vocis Hebr. *selisiiah* vim exprimendam. Aquae quoque Nemrim. Nomen fluminis. Pessimae erunt, id est turbidæ. Hebr. *in desolatione*, id est *desertæ erunt*, ut Isai. xv. 6. *Deserta*, quia non erunt qui ad eas habitent.

V. 35. Et auferam idola, scilicet sacrificia & sacerdotes auferam.

V. 36. Ad Moab ... resonabit, id est propter Moab gemet cor meum, clamabit. Verba sunt Prophetæ miserantis. Ad viros muri fictilis. Hebr. *Kirheres* est nomen proprium urbis. Hieronymus hic, & vers. 31. & Isai. xvi. 7. & 11. ubi hæc fere Ieremiæ verba sunt, semper vocem interpretatur, quasi nomen appellativum sit. Quia plus fecit quam potuit, id est supra vires est conata. Hebr. *ideo residuum* (id est divitiæ, quas) *fecit*, *perierunt*. Sic Sept. & Chald. Sed Hieronymi versionem verba Hebraica non respuunt, si bene inspiciantur.

V. 37. Calvitium. Describit luctum Moab. Barba rasa, seu *diminuta*, *ablata*. In cunctis manibus colligatio. Vincula, ut ducantur in captivitatem, Hebr *incisiones*: in luctu solebant corpus incidere. Dicit *in manibus*, quia manibus eas faciebant, aut quia manus & brachia potissimum incidebant. Cilicium. Hebr. *saccus*.

V. 38. Super omnia tecta Moab, id est in omnibus domibus & plateis, omnia planctu plena erunt. Sicut vas inutile. Sic Sept. Hebr. *sicut vas, in quo non est voluntas*, scilicet quia inutile, contemni Moab.

V. 39. Quomodo victa est. Hebr. *contrita est*. Et ululaverunt? Vox *&* non est Hebr. ea sublata commodior sensus erit. *Ululaverunt*, sive ululabunt Moabitæ dicentes: Quomodo contrita est, scilicet Moab. Quomodo deiecit cervicem, quæ erat ut vitula triennis. Hebr. *quomodo vertit cervicem*, id est fugit. Et in exemplum erit Moab. Hebr. *in terrorem*, id est in exemplum terroris. Cuncti timebunt, ne illis paria contingant.

V. 40. Ecce quasi aquila volabit, scilicet hostis, qui aquilæ comparatur, quoniam velocissima est, & raptu vivit. Et extendet alas suas, id est *exercitus suos*: sic Chald.

V. 41. Capta est Carioth. Sic Sept. Ita *Carioth* faciunt nomen proprium. Verum quoniam articulus ה *Ha* non iungitur nominibus propriis, alii *urbes* vertunt. *Capta est* (pro, captæ sunt) *urbes*. Fortium Moab, id est militum. Sicut cor mulieris parturientis. Hebr. *sicut cor mulieris angustiatæ*, scilicet *doloribus partus*: uti Sept. & Chald. explicant.

V. 42. Et cessabit Moab esse populus. Hebr. *& disperdetur Moab a populo*, id est ut non sit populus. In unam reipub. formam non coibit. Quoniam contra Dominum, id est populum Domini. Gloriatus est. Hebr. *magnificavit*, id est verba superba iactavit.

V. 43. Pavor, et fovea, et laqueus super te. Tria periculorum genera pro omnibus. Hebr. *Pahad*, *pahath*, *pah*: *timor*, *fovea*, *laqueus*. Elegans paranomasia.

V. 44. A facie pavoris, id est qui propter pavorem fugerit, cadet in foveam. Adducam enim super Moab. Hebr. *adducam enim super eam, super Moab*. Multa in Hebr. lingua redundant, quæ omitti potuerant. Sed & repetitio potest indicare decreti firmitatem.

V. 45. In umbra Hesebon. Eo confugerunt qui evaserant, eius copiis & munitione confisi. De laqueo fugientes. Hebr. *de fortitudine fugientes*, scilicet hostium, pro כח *coah*, ut modo est, Hieronymus legit hanc dubium פח *pah*. Verum Sept. & Chald. ut modo est Hebr. legisse videntur. Sept. *ab exercitu fugientes*. Chald. *abbreviata est virtus eorum, fugerunt*. Quia; pro, sane, aut pro, sed. Ignis egressus est de Hesebon, scilicet hostes ea capta

urbe in omnes tum cives tum advenas instar ignis sævierunt. ET FLAMMA DE MEDIO SEON. Lege *Sehon*, quæ est civitas Moab, non *Sion*, aut *Seon*. Numer. XXI. 28. ad quem locum hic Ieremias alludit, dicitur: *Ignis egressus est ex Hesebon, & flamma de oppido Sehon*. Ergo, quod tunc accidit, ait in hoc bello accidisse etiam. ET DEVORABIT PARTEM MOAB. Hebr. *angulum Moab*, id est totam usque ad extremos fines. ET VERTICEM FILIORUM TUMULTUS, id est eorum qui tumultuantur, neque se victori subiiciunt.

V. 46. PERIISTI POPULE CHAMOS. Sic vocat Moab, quoniam idolum Chamos colebant. QUIA COMPREHENSI SUNT FILII TUI, comprehendentur, ibunt in captivitatem. Toto hoc capite præterita pro futuris sumi debent.

V. 47. ET CONVERTAM CAPTIVITATEM Moab. Quando? Forte cum Cyrus Iudæos liberavit, multi ex ea gente in patriam redierunt. HUCUSQUE IUDICIA MOAB, id est sententia; decretum a Deo contra Moab, & vindicta.

MALVENDAE.

Vers. 1. AD MOAB HAEC DICIT DOMINUS EXERCITUUM DEUS ISRAEL. Alii: *Contra Moabum sic ait Iehova exercituum Deus Isfraelis*. Huius, inquiunt, prophetiæ, qua Moabitis exitium a Babylonio eventurum prædicitur, partes universe sunt tres: prima est propositio, usque ad vers. 11. secunda, exornatio propositionis, inde ad vers. 43. usque: postrema, conclusio, reliquis versibus. In propositione autem continentur duo, denuntiatio cladis, sex versibus; & causæ, quinque sequentibus. VAE SUPER NEBO. Alii: *væ Neboni*, vel *Nebunti*. De hac civitate Moabitarum, vide in Isai. XV. 2. QUONIAM VASTATA EST. Alii per futurum: *nam vastabitur*. ET CONFUSA, CAPTA EST CARIATHAIM Alii: *Erubescent, capientur Kiriathaiima*, civitas attributa Reubenitis, deinde vero a Moabitis occupata: vide de ea Genes. XIV. 5. & Numeror. XXII. 37 & Iosue XIII. 19. CONFUSA EST FORTIS. ET TREMUIT. המשגב *misgbah*, non pauci nomen proprium urbis Moabiticæ faciunt: *pudore affecta est Misgab, & expavit*. Sic dicta quod in edito loco sita esset. Alii appellativum putant, unde reddunt: I. *Pudefacta est valida illa & munitissima arx, & metu perculsa*, vel *fracta*: ut de Nebunte, vel Kiriathaiimis accipiatur. II. *erubescet civitas editi loci*, vel *civitas sita edito loco*, id est Bamothæ, sive Bamoth Baghalis, quæ nominatur Isaiæ XV. 2. *& consternabitur*.

V. 2. NON EST ULTRA EXULTATIO IN MOAB CONTRA HESEBON, &c. Alii: *Non est ultra gloriatio in Moab super Hesebonem, excogitaverunt super eam malum*, vel *malam cogitationem*, seu *ceperunt contra eam malum consilium*. II. *Nulla erit amplius laus Moabi, de Cheschbone; cogitabunt contra eam malum, dicentes*, &c. Alludit Propheta ad singularum civitatum nomina, quod non satis commode aliis linguis ostendi potest: ut verbi gratia Bamothæ, excelsas significat, *& ait civitas edito loco sita*: Cheschbon, Rationes seu Cogitationes significat; ait vero Propheta nullam fore amplius laudem Moabo de rationibus, sed futurum esse ut hostes longe diversas rationes ineant contra illam: sic etiam de Madmenæ, & aliis compluribus. De *Hesebone* vide in Isai. XV. 4. VENITE ET DISPERDAMUS EAM DE GENTE. Alii: I. *Agite, exscindamus eam ex gentium numero*. II. Dicentes, *Agite, exscindamus eam, ne sit gens*: ut infra vers. 32. ERGO SILENS CONTICESCES, SEQUETURQUE TE GLADIUS. Alii: I. *& tu Madmena ad silentium redigeris, gladius te persequetur*. II. *etiam Madmena exscinderis, post te ibit*, vel *te persequetur gladius*. De *Madmena* vide Iosue XV. 31. & Isaiæ X. 31.

V. 3. VOX CLAMORIS DE ORONAIM. Alii: *Vox clamosa inde a Choronaiimis, dicentium, &c.* de quo oppido vide Isai. XV. 5. sic infra vers. 5. VASTITAS, ET CONTRITIO MAGNA. Alii: *dicentium, o vastitatem & contritionem magnam!* ethopœiæ elegantes, quibus luctum Moabitarum Propheta exprimit pervadentem a termino uno ad alterum, ut Isaiæ XV. 5. qui versus hos quatuor interpretatur.

V. 4. ANNUNTIATE CLAMOREM PARVULIS EIUS. Alii: I. *auditum facient clamorem minores eius*; id est, facient ut audiatur clamor ipsorum. II. *prædicabunt parvuli eius clamorem*. III. *edent clamorem parvuli eius*.

V. 5. PER ASCENSUM ENIM LUITH PLORANS ASCENDET IN FLETU. Varie alii: I. *Siquidem per clivum Luit ascendet in fletu*

tu & ploratu, quisque; quasi dicat, Qui vertentur in fugam a Chaldæis, cum lacrymis mœsti ascendent in Luit locum excelsum, ut ibi in tuto sint. II. *Nam clivum Luchithe cum fletu ascendet fletus*, vel *continuus ascendet fletus*; id est, Moabitæ effugiendo flentes, Synecdochice. QUONIAM IN DESCENSU ORONAIM HOSTES ULULATUM CONTRITIONIS AUDIERUNT. Alii ex Heb. I. *& quia in descensu Horon duplicis hostes clamorem calamitatis sunt audituri*: cum scilicet hostes redibunt ad Horonaim, audient clamorem Moabitarum fugientium. II. *& quia in descensu Horonaim clamorem vastationis, quam hostes expresserunt, audierunt*. III. *nam in descensu Choronaiimorum hostes fragoris*, vel *fragosi*, *clamorem fragoris*, vel *fragosum audient*; id est, tantus erit Moabitarum eiulantium fragor, ut hostium ipsorum (qui fere in victoria insolescunt, & tumultuantur præda) strepitum fragoremque maximum superent. De hoc versu vide Isaiæ xv. 5. qui idem fere est.

V. 6. FUGITE, SALVATE ANIMAS VESTRAS, &c. Alii hunc versum ex Hebr. exponunt: I. *Fugite, eripite animam vestram, & sitis velut myrica in deserto*; id est, concedite in loca deserta, ut illis vivatis solitarie. II. *Dicentium, Fugite, eripite animas vestras*, seu *vos ipsos, & estote ut nudatissima arbor in deserto*; id est, abiecti & contempti delitescite. ערוער *gharogher*, quod hic *myricam* vertunt, idem esse volunt quod ערער *gharghar*, de qua voce vide Psal. CI. 19. & supra XVII. 6. Quidam *gharogher* volunt esse arbusculam, cuius fructus exterius est spinosus, interius edulis: : Chaldæus paraphrastes עבביתא *ghachbbita* reddit, forte Latinis *arbutum*, Hispanice, *modronno*. Nonnulli tamen *gharogher* hic nomen proprium urbis Moabitarum munitissimæ esse putant, quasi dicat: Recipite vos in loca munitissima ut est Haroer, de qua vide in Num. XXXII. 34. ET ERITIS, והתינה *vethihienah*, est secunda vel tertia persona pluralis futuri: *& eritis*, vel *erunt*, vel *& fuistis*, vel *ut sitis*; aut *& fuerunt*, seu *ut sint*. Quidam ad *animas*, quod proxime præcessit, referunt, *ut sint animæ vestræ*, vel *ut sitis*, o vos congregationes civitatum. Vel ad Moabitas refertur, ad indicandum fractum & muliebrem eorum animum fugientium.

V. 7. PRO EO ENIM QUOD HABUISTI FIDUCIAM IN MUNITIONIBUS TUIS. Alii: *Nam eo quod fiduciam habes in operibus tuis*, id est in rebus a te comparatis, nempe pecoribus, armentis, divitiis, opibus, mercimoniis. Sic sumitur I. Samuel. XXV. 2. Heb. *in facturis tuis*. Hispanice, *en tus factorias*, id est negotiationibus, seu nundinationibus, &c. vel *en tu haziendas*, id est opibus & facultatibus. Altera pars propositionis, causas exponens accommodatas indiciis. Sunt autem eæ tres: prima est, præfidentia Moabitarum in opibus & thesauris suis, & in idolis suis, hoc versu: secunda est, ira Dei iustissimum iudicium denuntians, duobus sequentibus: tertia est, studium inimicorum acerbissimum accensum divinitus, vers. 10. ET IBIT CHAMOS IN TRANSMIGRATIONEM. Alii: *& exibit Chemosch in deportationem*, sive *in captivitatem*. Erat Chemos peculiare Moabitarum idolum, de quo vide Num. XXI. 29. Sed observandum, in margine scribi כמוש *cemosch*, cum *Vau*, in textu vero כמיש *chemisch*, cum *Iod*, quod est veluti *Vau* decurtatum, ad significandam Chemosi imbecillitatem & infelicem ac miserrimum statum abeuntis in captivitatem.

V. 8. ET VENIET PRAEDO AD OMNEM URBEM, & URBS NULLA SALVABITUR. Alii: *Cum veniet vastator contra omnem civitatem*, seu *contra unamquamque civitatem non eripies te*.

V. 9. DATE FLOREM MOAB, &c. Alii hunc versum ex Hebr. I. *Date alas Moab ut ocyssime avolet, nam civitates eius desertæ erunt ut nemo in eis habitet*. II. *Date, inquit, pennam*, seu *pennatam alam Moabo, ut penna utendo exeat: nam civitates eius desolationi erunt, adeo ut nullus habitet in eis*. Prosopopœia, qua Deus inevitabile iudicium suum Moabitis denuntiat hyperbolica concessione; quasi dicat: Si alas habuerint ad volandum, evolent; sed nullo pacto effugient, nam velut aquilæ futuri sunt ii, qui persequentur eum ציץ *tziz*, *florem*, & *pennam* seu *plumam* significat, quod hæc sit flos & apex avium, & plumæ speciem florum referant, & plumæ in comis & verticibus in modum coronæ adhibeantur. Nec noster hic florem alia significatione quam plumæ accepit.

V. 10. MALEDICTUS, QUI FACIT FRAUDULENTER, sive *fraude*, *aut*, *dolo malo*, &c.

&c. Verba Dei inflammantis hostes ad ultionem acerbissimam sumendam de Moabitis, & animo adeo incito ut ipsi inter se cohortentur in perniciem Moabitarum; quasi dicat, Execrandus sit, qui non sincere, integre, & ex animo vere Moabitas non exsciderit.

V. 11. FERTILIS FUIT MOAB AB ADOLESCENTIA SUA. Alii ex Hebr. I. *Opulentus & securus fuit Moab ab adolescentia sua*. II. *Tranquillus est Moab inde a pueritia sua*. Secunda pars prophetiæ, ut dictum est in vers. 1. exornatio, qua singulæ propositionis causæ cum iudiciis venturis comparatæ ordine explicantur: ac primum quidem præsidentia insolentissima, usque ad vers. 26. deinde ira Dei, usque ad vers. 40. ac postremo hostium acerbitas ad vers. 42. Præsidentiæ autem, quæ hoc versu demonstratur comparatione elegantissima, argumenta ponuntur duo: ab ipsorum persona, hoc versu; & a fiducia in Deum ipsorum, vers. 13. quæ argumenta confutat Propheta vers. 14. & sequentibus. Verbum שאנן *schaanan*, omnia ista complectitur: *tranquillus*, *pacatus*, *quietus*, *securus fuit*; & per metalepsin, *Insolens superbe tumultuatus fuit*, *Moab a pueritia sua*. Alii exponunt: *Opulentus*, *prosper*, *deliciosus fuit Moab*, &c. ET REQUIEVIT IN FAECIBUS SUIS. Hebr. *& quiescens*, *tranquillatus*, *ipse ad observationes*, seu *observata sua*, id est fæces, quæ in imo vase servantur, & in quibus vinum ipsum conservatur. Forsterus: *& desedit ipse*, vel, *quietus ipse*, *super fæcibus suis*. Tremellius & Iunius: *& desidet ipse super fæces suas*. Vinum, quod in dolio super fæces suas conservatur, solet esse pinguius & robustius; imo dulcius ac suavius. Hispanice vocant *vino sobre fondillol*, seu vinum vetus. NEC TRANSFUSUS EST DE VASE IN VAS, ET IN TRANSMIGRATIONEM NON ABIIT. Alii: *Neque transfusus*, seu *defæcatus est*, *de vase in vas*; id est, *in deportationem*, seu *captivitatem non abiit*. Hispanicus Interpres *y no fue trassegado devaso en vaso*. IDCIRCO PERMANSIT GUSTUS EIUS IN EO, ET ODOR EIUS NON EST IMMUTATUS. Quidam *propterea mansit sapor eius in eo*, *& odor eius non est immutatus*; id est, sibi constat in opibus & malitia sua, & rebus omnibus: allegorice.

V. 12. ET MITTAM EI ORDINATORES, ET STRATORES LAGUNCULARUM, ET STERNENT EUM. Varie alii ex Hebr. I. Sanctes, & Vatablus: *& mittam ei transmigrare facientes*, seu *transmigratores*, *qui*, vel *& transmigrarefacient eum*, seu *translatores*, *qui transferent eum*. II. Leo Iudæ: *ut mittam eis victores*, *qui diffundent ipsum*, id est doliarios, qui dolia compingunt ac ligant, Hispanice, *boteros*, *taneleros*. III. Forsterus: *& mittam ei volutatores*, *& volutabunt eum*. IV. Marinus: *& mittam ei vagatores*, *& discurrere facient eum*. V. Avenarius: *& mittam ei divagantes*, *& facient eum divagari*; id est, dimovebunt eum. VI. Tremellius, Iunius, Buxtorfius: *cum immittam ei peregrinantes*, *qui peregre agant eum*, id est Chaldæos. ET VASA EIUS EXHAURIENT, ET LAGUNCULAS EORUM COLLIDENT. Alii: I. *& vasa eius evacuabunt*, *lagenas eius quassabunt*. II. *& vasa eius depleant*, *ac utres eorum dissipent*: quibus Moabitarum oppida figurantur.

V. 13. ET CONFUNDETUR MOAB A CHAMOS, &c. Hunc versum alii reddunt: *Tum erubescet Moab a Chemoscho* deo suo, ut supra vers. 7. *quemadmodum erubuerunt domus Israelis a Bethele fiducia ipsorum*. Historia extat I. Reg. XII. 29. & 30.

V. 14. QUOMODO DICITIS, &c. Alii: *Quomodo dicitis*, *Potentes sumus*, *& viri strenui in bello?* Contestatio, qua præsidentiam Moabitarum Propheta exagitat, adductis iudiciis quæ deinceps narrantur, usque ad vers. 26.

V. 15. VASTATUS EST MOAB. Alii in futuro: *Vastabitur Moab*. ET CIVITATES ILLIUS SUCCIDERUNT. Hebr. *& urbes eius ascendit*, vel *conscendit*, scilicet hostis. Alii: I. *& urbes eius*, id est *unaquæque urbium eius*, *ascendit*, per ignem & fumum. II. *& multitudo urbium eius ascendet*, sursum; id est, evanescet, abibit de medio, peribit. III. *Et civitates illius excidit* hostis Chaldæus. IV. *& civitatum eius facta est sublatio*. V. *& civitates eius excisa fuit*, vel *excisæ fuerunt*, evanuit quæque earum. Poteris legere: *excidit*, penultima brevi. VI. *& urbes eius*, id est unaquæque ex urbibus eius *ascendit*, id est sublata est, defecit. Hic עיר *ghir*, *urbs*, videtur esse masculeum præter morem, nam construitur cum verbo masculeo, *ascendit*: vel certe masculino verbo utitur habita ratione populi

puli, qui erat in urbibus, unde Hebræorum nonnulli exponunt VII. *& populus civitatum eius ascendit*; id est, alio translatus est, vel sublatus est, evanuit in auras. VIII. Tremellius, & Iunius: *& e civitatibus suis ascendit*, scilicet Moab, inde exactus ab hostibus. ET ELECTI IUVENES EIUS DESCENDERUNT IN OCCISIONEM. Alii ex Hebr. I. *& electi iuvenes eius ad lanienam*, vel *cædem descenderunt*. II. *& delectus iuvenum eius*, sive *& lectissimi iuvenes eius descendent ad mactationem*.

V. 16. CONSOLAMINI EUM OMNES, QUI ESTIS IN CIRCUITU EIUS. Alii: I. *Commoueantur eius gratia omnes, qui sunt per circuitum eius*. II. *condolete ei omnes circumstantes eum*. Heb. ad verbum: *Divagate, demigrate ei*; id est, distrahite, divertite ei animum a mærore & dolore, in quo versatur: vide similem locutionem Ion. II. 11. QUOMODO CONFRACTA EST VIRGA FORTIS, BACULUS GLORIOSUS. Alii I. *Quomodo confractus est baculus fortis, virga præclara*. II. *Quomodo confracta est virga roboris, & sceptrum gloriæ?* Id est, qua ratione factum est ut regnum Moab tam potens & gloriosum sit deletum? III. *Quomodo fractus est baculus robustissimus, virga ornatissima*; id est, regnum & potentia amplissima, cui confidebant.

V. 18. DESCENDE DE GLORIA, ET SEDE IN SITI, HABITATIO FILIAE DIBON. Alii ex Hebr. I. *Tu quoque filia, quæ Dibon inhabitas, descende de magnificentia tua, & sede in siti*; id est, habitabis in loco sicco, & sitieuloso. II. *Descende de gloria, & sede in loco sitis*, seu *in sicco, o deses filia Dibonis*. De Dibone vide Isai. XV. 2.

V. 19. IN VIA STA, ET PROSPICE HABITATIO AROER. Alii ex Heb. *Iuxta viam consiste, speculare habitatrix Haroheris*. De qua vide in Numer. XXXII. 34. Deuteron. II. 36. & III. 12. Isai. XVII. 2. INTERROGA FUGIENTEM; ET EI QUI EVASIT, DIC; QUID ACCIDIT? Alii: *interroga fugientem virum, & feminam, eripientem se, dic: Quid factum est?* Hebr. sunt duo participia, prius masculeum, posterius femineum, ut viros & feminas fugientes includat.

V. 20. CONFUSUS EST MOAB, &c. Alii hunc versum ex Heb. educunt: I. *Pudefactus est Moab quoniam expavit*, seu *contritus est: ululate & clamate, annuntiate in Arnone quod vastatus sit Moab*. II. *Erubescit Moab, inquient, quia contritus est, eiulate & clamate: indicate ad Arnonem vastari Moabum*. De Arnone vide Numeror. XXI. 13. & Isai. XVI. 2.

V. 21. ET IUDICIUM VENIT AD TERRAM CAMPESTREM. Alii: *Nam iudicium adveniet in terram planitiei*, seu *planam*. Cuius oppida in ditione Moabitarum sita sequentibus nominantur. SUPER HELON. Alii: *In Cholonem*. Si hæc est illa in montanis Iehudæ, Iosue XV. 51. filiis Aaronis attributa. Iosue XXI. 15. videtur hisce temporibus in ditione Moabitarum fuisse. Sed potius existimo diversam: nam illa in monte, hæc in planitie fuit. ET SUPER IASA. Hebr. *& ad Iahtzah*, de qua vide in Numeror. XXI. 23. & Isai. XV. 4. ET SUPER MEPHAATH: attributam Reubenitis in iure Levitarum, Iosue, XIII. 18. & XXI. 36.

V. 22. ET SUPER DIBON: ut supra vers. 18. ET SUPER NABO: ut supra vers. 1. ET SUPER DOMUM DEBLATHAIM. Alii: *& in Bethdiblathaiima*, sive *Diblathaiima* tantum, de quibus Numeror. XXXIII. 46.

V. 23. ET SUPER CARIATHAIM: ut supra vers. 1. ET SUPER BETH-GAMUL. Huius oppidi alibi Scriptura non meminit בית־גמל Latinis sonat, *Domus ablactationis*, seu *educationis*, vel *retributionis* aut *domus cameli*. Forte quod abundaret Camelis, vel quod in ea multa perora alerentur. ET SUPER BETHMAON. Alii: *& in Beth-Meonem*. *Baiithum* vocat Isaias XV. 2. vide ibi Notas.

V. 24. ET SUPER CARIOTH. Alii: *Et in Keriiothas*, oppidum nobile, de quo Hamos II. 2. Fuit *Kerioth* urbs fortis Iehudæ in confinibus Idumææ, Iosue XV. 25. quæ si eadem cum ista est, cesserat his temporibus Moabitis. Sin diversa, potuit ab ista dici Iudas proditor Domini, *Iskeriioth*, vir *Keriiothensis*: qua ratione fuerit illa Moabita. Iosue XV. 25. ET SUPER BOSRA. Alii: *& in Botzram*, sive *Betzrum*, Reubenitarum, attributum Meraritis, Iosue XXI. 36. deinde vero a Moabitis occupatum: vide de eo in Deuteronom. IV. 43. aliis vero locis *Botzrah*, Idumæorum est: ut Genes. XXXVI. 33. Isai. XXXIV. 6. LXIII. 1.

V. 25. ABSCISSUM EST CORNU MOAB. Alii: *Refectum est cornu Moab*, vel *Suc-*

ci-

tidetur cornu Moabi, id eſt regnum, ut I. Samuel. II. I.

V. 26. INEBRIATE EUM, QUIA CONTRA DOMINUM ERECTUS EST. Alii: *Quia contra Iehovam magnificavit ſe*, ſeu *magnifice ſe extulit*. Secundus exornationis locus, ut dictum eſt in verſ. 11. ab ira Dei, cuius effundendæ argumenta ponuntur duo: unum eſt, inſolentia ipſorum contra Deum, & populum eius, quam Deus prædicit ſe iudiciis retuſurum eſſe, uſque ad verſ. 35. alterum eſt, idololatria, uſque ad verſ. 40. Dicit autem, *Inebriate*, ut dixerat ſupra cap. XXV. 15. & ſequentibus, & ſingulariter de Moabitis, verſ. 21. quaſi dicat: O Chaldæi affatim potate hunc inſolentem Moabum poculo iræ Dei, valde & prolixe affligite, percutite eum uſque ad amentiam, efficite ut Moab vi iræ & afflictionis incidat in amentem ebrietatem. ET ALLIDET MANUM MOAB IN VOMITU SUO, ET ERIT IN DERISUM ETIAM IPSE. Alii ex Hebr. I. Sanctes: *& vertet ſe de latere in latus Moab in vomitu ſuo, & erit in deriſum etiam ipſe*. II. Vatablus. Montanus: *ut volutet ſeſe Moab in vomitu ſuo*. Metaphora ab immodice ebriis, qui poſtquam vomuerint volutant ſeſe in vomitu, poſtea ridentur a ſobriis: vel *ut percutiat ſeſe*, *concutiat ſeſe* ad terram *Moab in vomitu ſuo*; id eſt, ad terram corpus ſuum concutiat & allidat, ut ſolent ebrii III. Forſterus: *pulſetur etiam Moab in vomitu ſuo*, id eſt concutiatur: vel *pulſabitur* ſeu *pulſabit ſeſe*, &c. IV. Leo Iudæ, Marinus, Avenarius: *ut complodat Moab manus ſuas in vomitu ſuo, & ludibrio ſit ipſe quoque*: V. Schindlerus: *ut plaudat Moab in vomitu ſuo*; id eſt, manus collidat præ anguſtiis ſuis. Aut corpus ad terram allidat, ſicut ebrius, qui ubi evomuerit vinum, quod bibit, in eo hic inde volutatur, & a ſobriis deridetur. VI. Tremellius, Iunius, Buxtorfius: *ut plaudat Moab in vomitu ſuo, & ſit riſui ipſe quoque*; id eſt, plauſu totius corporis volutet ſe in ſuo vomitu, ex ebriorum more. Poſſis accipere: *ut impingat Moab in vomitu ſuo*, ut ſolent ebrii vomentes manu, & corpore impingere, & allidi.

V. 27. FUIT ENIM IN DERISUM TIBI ISRAEL, &c. Alii: I. *An non ludibrio tibi fuit Iſrael? num inter fures deprehenſus eſt?* a te: *quia ex quo verba tua de eo facis, te ipſum commoviſti*; id eſt, tripudiaſti & exultaſti gaudio. Senſus eſt: Cur riſiſti Iſraelem, cum captivus abduceretur, idque non aliter quam ſi eum in furto deprehendiſſes? nam quoties de calamitate ipſius Iſraelis verba facis, præ gaudio vehementer exilis. II. *Nam*, *an non riſui tibi fuit Iſrael?* Apoſtrophe ad Moabitas, exprobrans inſolentiam illorum in populum Dei: *an inter fures inventus eſt?* videlicet, quod pudore furis populum meum afficis? ut Iob XXX. 5. & ſupra cap. II. 26. *quod cum verba tua facis de eo, commovens te*; id eſt, prorumpis in riſum, & impotentiſſime cachinnaris. PROPTER VERBA ERGO TUA, QUAE ADVERSUS ILLUM LOCUTUS ES, CAPTIVUS DUCERIS. Hunc ſenſum recte ferunt Hebræa, quæ ad verbum habent: *quia de ſufficientia verborum tuorum de eo, divagare*, ſeu *demigrare te ipſum facies*. Poſſis quoque exponere: Poſtquam ſatis ſuperque in eum verbis invectus ac debacchatus fueris, divagare tete facis; id eſt, totum te commoves & agitas præ gaudio ac lætitia, geſtis, tripudias, exilis, ſaltas.

V. 28. ET ESTOTE QUASI COLUMBA NIDIFICANS IN SUMMO ORE FORAMINIS. Varie alii ex Hebr. I. Sanctes: *& eſtote quaſi columba, quæ nidificat in lateribus foveæ*. II. Vatablus *in lateribus orificii cavernæ*, id eſt in rupium foraminibus; quaſi dicat, Cogemini morari in cavernis quaſi columbæ. Solent enim columbæ nidulari in foraminibus rupium, quæ ſunt ad ora cavernarum montium. III. Leo Iudæ: *& eſtote ſimiles columbæ nidulanti in prominentis foraminis foveæ*. IV. Forſterus: *& eſtote ſicut columba, quæ nidificat in tranſitibus foraminis foveæ*, vel *in perviis oris foveæ*. V. Tremellius, & Iunius: *& eſtote ſimiles columbæ nidificanti in tranſitibus oris foſſæ*, ſive *in lateribus hiatus cavi*. VI. Hiſpanicus Interpres apte: *y ſed como la paloma que haze nido de tras de la boca de la caverna*.

V. 29. AUDIVIMUS SUPERBIAM MOAB, &c. Alii hunc verſum ex Hebr. transferunt: I. *Audivimus*, id eſt intelleximus, novimus, & norunt omnes, *ſuperbiam Moabi* (*qui ſupra modum faſtuoſus eſt*) *ſuperbiam eius*, *faſtum eius*, *arrogantiam eius*, *& elationem cordis eius*. II. *Audivimus ſuperbiam Moabi*, *faſtuoſum eſſe admodum*, *altitudinem eius*, *& ſuperbiam*

eius,

eius, fastumque eius, & elationem animi eius. Vide similem versum Isai. xvi. 6.

V. 30. Ego scio, ait Dominus, iactantiam eius, &c. Alii ex Heb. hunc versum exponunt: I. *Ego novi, inquit Iehova, transgressionem eius*, seu *excessum iræ, iracundiam*: cui nec lacerti eius, nec facta eius respondent. II. *Ego novi, dictum Iehovæ, furorem eius: & non veritas*, seu *stabilitas*; id est, non est stabilis seu subsistens ira eius, nihil roboris habet: *mendacia eius* item novi, *non ita facturi sunt*, uti decreverant aut iactaverant; quasi dicat: Probe novi furorem Moabi vanum & nihili esse, nullum fortiturum effectum: novi etiam mendacia eius, qui nihil facturi sunt eorum, quæ contra hostes se facturos per fastum, & arrogantian thrasonice deblatterant. III. *Ego novi, ait Iehova, indignationem eius, non recte agit, mendacia eius sunt* cuncta, quæ loquitur, *non recte agunt*. IV. *Ego novi, Dictum Iehovæ, excandescentiam eius, tamen non ita efficiet: mendacia eius non ita efficient*; id est, furat & rumpatur licet, ac mendaciter glorietur, plurimum tamen aberit a suis rationibus. V. *Ego novi, ait Iehova, indignationem eius, rectitudinem non fecerunt*. Duas voces quibus hic utitur propheta עברה *ghebrah*, & בדים *badim*, affatim expositas habes Isai. xvi. 6. ubi similis huic sententia ponitur.

V. 31. Ideo super Moab eiulabo, &c. Alii hunc versum ex Hebr. convertunt: I. *Propterea super Moab eiulabo, & super totam Moab vociferabor, ad viros Kirhæres meditabitur*, cor meum. Alii: *garriet*, seu, *cogitabundus mussitabit Moab*. II. *Hac de causa propter Moab ululabo, & propter totam Moab vociferabor, propter viros Kirheres gemet*, cor meum. III. *Ideirco propter Moabitas eiulo, & propter Moabum totum clamito, propter homines Kir-Cheresi gemit* animus meus. Amplificatio indictæ calamitatis a persona prophetæ: Tanta, inquit, & tam insperata calamitas Moabitis eventura est, ut perhorrescam totus ad cogitationem illius, & me misereat ipsorum: sic etiam in altero membro, infra vers. 36. Vide similem locum Isa. xvi. 7. nam Ieremias hic multa ex Isaia cap. xv. & xvi. mutuatur. De Kir-Cheres, vide Isaiæ xv. 1. & xvi. 7. & 11. sic infra vers. 36.

V. 32. De planctu Iazer plorabo tibi vinea Sabama. Alii: I. *Fletu Iazer*, id est fletu simile fletui, quo deflevi Iazerem, quæ iam victa & abducta fuit, *flebo super te, o vitis Sibmah*. II. *Supra fletum Iahezeris defleo te, o vitis Sibmæ*; id est, amplius isto quam olim deflevit Ieschahiah xvi. 9. *De Iaghzere*, vide Isai. xvi. 8. & 9. & Numeror. xxi. 32. & Iosue xxi. 36. De *Sibmah*, xvi. Isai. 8. & 9. Num. xxxii. 3. & 38. Propagines tuae transierunt mare, &c. Alii reliquum versus ex Hebr. reddunt: *propagines tuæ traiicient mare, usque ad mare Iahazeris pertingent, super æstivos fructus tuos, & super vindemiam tuam vastator irruet*. Vide Isai. xvi. 8. & 9. nam illum hic Ieremias imitatur. Usque ad mare Iazer pervenerunt. Quidam: *usque ad mare Iahazeris*, vel *Iahazerem pertigerunt*. Sed Iahzer longe aberat a mari mediterraneo, quamvis non longius distaret a mortuo. Proinde alii reddunt: *ad mare, o Iahzer, pertigerunt*; vel *usque ad mare* viri *Iahzeris pervenerunt*, deportandi in alias regiones.

V. 33. Ablata est laetitia et exultatio, &c. Alii hunc versum ex Heb. convertunt: I. *Ablatum est gaudium & exultatio de agro culto & fertili de terra Moabi: vinum feci cessare de torcularibus, non calcabitur cum celeusmate, quin celeusma non erit celeusma*. II. *Et intercipietur lætitia & exultatio ex arvis e terra Moabi, & vinum e lacubus faciam ut cesset: noncalcabit celeustes celeustæ non erit celeusma*. De Carmelo. Hic sane non est nomen proprium, sed appellativum, *de agris, arvis fertilibus, uberrimis*: vide supra ii. 7. & Isai. xxxiii. 9. Nam nec regio, nec mons Carmeli erant in Moabitide regione. Celeusma. הידד *hedad*, vide de hac voce Isai. xvi. 9. & 10 & supra cap. xxv. 30. Ter hic ponitur, duo priora quidam concrete accipiunt, pro *celeusta*; id est eo qui *celeusma* decantat.

V. 34. De clamore Hesebon, &c. Alii hunc versum ex Hebr. transferunt. I. *Propter clamorem Hesebonis dederunt vocem suam usque ad Elhale, & usque ad Iahaz: a Zohar usque ad Hornaim vitula trima: quoniam & aquæ Nimrim desolatæ erunt*; id est, vociferante, eiulante, & tumultuante Hesebone celeberrima Moabitarum

rum urbe, capta ab hoste, fugientes ex ea flebilem vocem edent usque ad Elhale & Iahatz vicinas urbes: item cœtus Moabitarum fugiens a Zohar urbe capta, usque ad Hornaim similiter edent vocem flebilem: nec ullus relinquetur locus intactus, nam etiam aquæ Nimrim desolabuntur, hoc est, locus Nimrimorum irriguus & fertilis. Congregationem Moabitarum comparat vitulæ trimæ, quæ succulenta & pulchra esse solet. Sic Moabitæ ante felices & opulenti, destruentur. II. *Præ clamore Cheschbonis Elhalen usque, Iohatzum usque edent vocem suam, a Tzohare Choronaiima usque, quasi vitula trima. nam etiam aquæ Nimrimorum in desolationes erunt*, seu *desolatissimæ erunt*. De clamore Hesebon usque ad Eleale et Iasa dederunt vocem suam. Vide Isai. xv. 4. A Segor usque ad Oronaim. Vide Isai. xv. 5. Vitula conternante. Potest istud referri ad Segor, & ad Moab: vide late in Isai. xv. 5. Aquae quoque Nemrim pessimae erunt. Hebr. *quia aquæ Nimrim in desolationes erunt*: vide Isai. xv. 6.

V. 35. Et auferam de Moab, &c. Hunc versum alii ex Hebr. reddunt: I. *Vacare quoque faciam ipsi Moabo, dictum Iehovæ, sacrificantem in excelsis, & adolentem diis suis*. II. *Ita faciam ut cesset Moabo, dictum Iehovæ, qui offerat in excelso, & adoleat diis suis*; quasi dicat, Omnes idololatræ Moabi peribunt. Alterum iræ divinæ argumentum, ut diximus in vers 36.

V. 36. Propterea cor meum ad Moab, &c. Alii ex Hebr. I. *Hac de causa cor meum propter Moab instar tristium tibiarum perstrepet*, sive *resonabit*; id est, ob calamitatem Moabi, quæ gravissima erit, cor meum edet vocem lugubrem, instar tibiarum, quibus carmina funebria canuntur: de huiusmodi tibiis, quæ in funeribus adhibebantur, meminit Matth. ix. 23. Sed de tibiis funebribus vide plura apud Antonium Nebrissensem in Quinquagena, cap. xlvi. & Ioannem Kirchmannum Lib. II. de Funeribus Romanorum, cap. v. Galenus iii. Symptomatum annotat, rugitum quem viscera vacua edunt, similem esse tibiæ funereæ: *& cor meum propter viros Kir-Cheres instar funebrium tibiarum perstrepet*, seu *resonabit*. II. *Idcirco habet se cor meum propter Moabum perinde atque tibia triste missitans, & cor meum propter viros Kir-Cheres velut tibia perstrepit*. III. *Idcirco*, id est propter idololatriam, quæ modo dicta est, *animus meus propter Moabum ut tibiæ perstrepet, & animus meus propter homines Kir Cheresi, ut tibiæ perstrepet*: vide Isai. xvi. 11. Quia plus fecit quam potuit; idcirco perierunt. Nostra Translatio verbatim Hebræa expressit: (*super sic super relictionem fecit, ablati fuerunt*.) Diversimode alii: I. *quia residuæ divitiæ quas fecit, perierunt*. II. Ob id, inquam, lugebo, quia *divitiæ* quas *fecit*, sive *comparaverat* sibi Moab labore multo, *perituræ sunt*. III. *Quoniam, quo reliqui fuerunt, perierunt*. IV. Forsterus: *eo quod abundantia*, vel *superabundantia, quam fecit, ablata sit*. V. Avenarius: *propterea residuum, exuberantia, uberius, quod fecit, perierunt*. VI. Tremellius & Iunius: *Idcirco quamvis residuum fecerit, peribunt tamen*; id est, utcumque Moabitæ sibi de commeatu providerint, & de cibario sibi prospexerint, peribunt nihilominus: vide in Isai. xv. 7.

V. 37. Omne enim caput calvitium, &c. Alii hunc versum ex Hebr. transferunt. I. *Quoniam omne caput est calvum, & omnis barba attonsa: in omnibus manibus incisuræ, & super omnes lumbos saccus*. Describitur habitus lugentium, & significatur maximus luctus. Omnes, inquit, præ luctu vellent sibi capillos, barbam sibi truncabunt, incident sibi manus, & cilicium asperum induent depositis solitis vestibus. II. *Nam omni capiti calvitium erit, & omnis barba exsecta, in omnibus manibus cæsura, & super lumbos cilicium*; id est, omnes prementur luctu acerbissimo: synecdoche. III. Hispanicus Interpres: *Porque en toda cabeca aura calva, y toda barba sera menoscabada, y sobre todas manos rasguntos, y sacos sobre todos lomos*. Et omnis barba rasa. Hebr. *diminuta, succisa, exsecta, adempta, detracta, extracta*. Et in cunctis manibus colligatio. Non prorsus abest ab Hebræo hæc interpretatio: nam colligationes in manus sunt quasi irruptiones. גדודות *ghedudoth*, proprie *irruptiones, latrocinationes, incisiones, cæsuræ, dilacerationes, dilaniationes, incursiones*: vide de hoc gentium ritu supra cap. xli. 5. & xlvii. 5.

V. 38. Super omnia tecta Moab; ubi

ubi idola coluerant in propatulo. OMNIS PLANCTUS. Alii: *totus erit planctus*. QUONIAM CONTRIVI MOAB SICUT VAS INUTILE. Alii: I. *quoniam contrivi Moabum tamquam vas, in quo non est complacentia;* id est, non est gratum figulo, quo nemo delectatur. II. *tamquam vas cui nulla est gratia*. III. *cum fregero Moabum ut instrumentum in quo nulla est delectatio:* ut supra cap. XXII. 28.

V. 39. QUOMODO VICTA EST, &c. Alii hunc versum ex Hebr. convertunt. I. *Quomodo fractum est regnum Moabi, dicent ululantes, Quomodo vertit cervicem Moab & pudore affectus est? & quomodo fuit in derisum & formidinem omnibus circuitibus eius?* quasi dicat: Cum Moabitæ videbunt calamitatem suæ regionis, eiulabunt, dicentes: Quomodo factum est, ut regnum florentissimum Moabi tam cito eversum sit? &c. II. *Quomodo expavit?* vel *contritus* aut *fractus est animo? ululabunt*, hoc est, *eiulando dicent: Quomodo vertit cervicem*, vel *terga vertit Moab, & pudore affectus fuit? fuitque Moab in derisum, & in terrorem omnibus, qui sunt in circuitibus eius*. III. *Papæ, ut pavet? ut ululat? ut cervicem intorquet Moab præ pudore? sed erit Moab ludibrio & terrori omnibus, qui circum eum sunt*. IV. *Quomodo contrita est? eiulate, quomodo obvertit cervicem Moab pudendæ? estque Moab risui & consternationi apud omnes circumstantes ipsum?*

V. 40. HAEC DICIT DOMINUS, &c. Alii hunc versum ex Hebr. *Nam sic ait Iehova:* tertia pars exornationis, a persona hostium, ut diximus supra in vers. 11 *Ecce similis aquilæ involabit hostis; pandetque alas suas in Moabum*, ut supra cap. IV. 13.

V. 41. CAPTA EST CARIOTH, &c. Alii hunc versum ex Hebr. efferunt, I. *Captæ sunt urbes, & munitiones occupatæ*, seu *expugnatæ: eritque cor heroum Moabi ab eo tempore, sicut cor feminæ angustiis partus comprehensæ* II. *Capientur Keriothe*, de quibus supra vers. 24. *& unaquæque munitionum occupabitur: & erit animus potentum Moabi die illo, ut animus mulieris perpetientis tormina*. CARIOTH. Hebr. *Kerioth*. Plerique pro appellativo accipiunt, *civitates, urbes:* alii pro proprio, de quo supra vers. 24. quod est rectius. MULIERIS PARTURIENTIS. מצרה *metzerah*, aiunt esse participium femineum Hiphil, & tamen significationis immanentis, exponuntque: *mulieris afflictæ*, seu *afflictæ*, & comprehensæ angustiis, scilicet partus; vel mulieris mœstæ, & versantis in angustia, positæ in anxietate: neque enim transitive sumitur, quamvis sit vocis activæ participium. Sed satius est retinere activam significationem ad maiorem emphasim; *mulieris coangustiantis*, seu *angustiantis*, *affligentis*, quæ in angustiis & doloribus partus constituta sese vehementer angit & affligit atque etiam circumstantes: quæ se dolore comprimit, ac coangustat. Forsterus nomen substantivum esse vult, redditque: *& erit cor heroum Moabi in die illa velut cor mulieris in angustia*, scilicet existentis, id est in partu. Marinus, & alii faciunt adiectivum, a צר *tzir*, efformatum: *mulieris torminibus partus affectæ*. Sic infra cap. XLIX. 22.

V. 42. ET CESSABIT MOAB ESSE POPULUS, &c. Alii hunc versum ex Hebr. reddunt. I. *Et delebitur Moab ne sit populus, quia contra Iehovam magna molitus est*. Quidam: *magnificavit os suum;* id est, contumeliose in Deum locutus est. II. *Et exscindetur Moab ne sit populus, quia contra Iehovam magnificavit se;* vide supra vers. 26.

V. 43. PAVOR, ET FOVEA, ET LAQUEUS, &c. Alii: *Pavor, & fossa ac laqueus imminet tibi, o incola Moabi, dictum Iehovæ*. Conclusio, ut dictum est in vers. 1. continens primum summam iudiciorum præcedentium, quatuor versibus: deinde promissionem Evangelicam de vocatione ad regnum Christi, versu ultimo. Similem autem huic versum vide Isaiæ XXIV. 17.

V. 44. QUI FUGERIT A FACIE PAVORIS, &c. Alii hunc versum reddunt: I. *Qui effugerit pavorem*, id est hostes, qui metum incutient; *cadet in foveam*, paratam a Deo: *& qui emerserit de fovea, capietur laqueo: quia inducam super eum*, nempe *super Moabum, annum visitationis eorum, dictum Iehovæ*. II. *Qui effugerit a pavore, incidet in fossam, & qui ascenderit ex fossa, capietur laqueo: cum inveham in ipsum*, in *Moabum, annum visitationis*, seu *animadversionis, ipsorum, dictum Iehovæ*; quasi dicat: Eo tempore quo in eos animadvertero, nullus omnino evadet.

V. 45. IN UMBRA HESEBON STETERUNT, &c. Alii ex Hebr. hunc versum

exponunt: I. *In umbra Hesebonis steterunt, qui fugerunt propter vim hostis: quia ignis egressus est ex Hesebone, & flamma de Sihone, & devoravit angulum Moabi, & verticem filiorum tumultuosorum*. Quasi dicat: Fugientes Moabitæ ab excidio Chaldaico, Hesebone erant, urbe quondam potentissima, ex qua cum in ditione Amorrhæorum teneretur, & ex vicina urbe Sichone milites acerrimi & ardentissimi instar ignis prodire solebant, qui totam Mohabitidem devastarent, & quosque primi ordinis seu proceres ex Moabitis. Ac si dicat: Nihil profuit Heseboni, quod olim potentissima fuerit, & fortissimis militibus, quin effugiat cladem a Babyloniis. Alludit hic propheta ad historiam Numeror. XXI. 28. II. *In umbra Cheschbonis stabant; qui fugiebant a vi: sed ignis egredietur Cheschbone, & flamma e medio Sichonis, qui consumet latus Moabi, & verticem filiorum strepitus*, seu eorum, *qui nihil nisi strepunt*; id est, Moabitarum obstreperorum & thrasonum. Possis reddere, *filiorum ruinæ*, seu, *præcipitii*; id est, qui extiali ruina præcipirandi sunt.

V. 46. VAE TIBI MOAB, PERISTI POPULE CHAMOS. Hebr. *periit populus Chemos*. Accepit Iirmeia hæc verba Numer. XXI. 29.

V. 47. ET CONVERTAM CAPTIVITATEM MOAB IN NOVISSIMIS DIEBUS. Alii: *Attamen reducam multitudinem captivam Moabi in extremitate dierum*, seu *ultimis temporibus*. Vaticinium esse de vocatione Moabitarum ad regnum Christi, etiam ipsi Hebræorum Explanatores fatentur. Quod sane impletum est: cum Arabes nomen Christo dederunt. HUCUSQUE IUDICIA MOAB. Alii: *Hactenus iudicium Moabi*; id est, supplicium iusta Dei sententia & consilio decretum ac constitutum, ac mihi Iirmeiæ revelatum. Quidam notant, hanc clausulam oppositam quod hæc prophetia longior fuerit.

MENOCHII.

Vers. 1. AD MOAB: scilicet dirigitur sequens prophetia. Vaticinatur Moabitis extremum exitium, sicut Isaias cap. XV. quia cum Iudæis cognati essent, non solum non tulerunt eis opem, cum ab hostibus vexarentur, sed etiam irriserunt eos: vide infra num. 27. VAE SUPER NABO; id est, magnum excidium imminet Nabo Moabitarum civitati. VASTATA EST, id est vastabitur; omnia enim hæc præterita prophetice pro futuris accipiuntur. CONFUSA, ignominiose capta. CARIATHAIM: alia urbs Moabitarum. CONFUSA EST FORTIS. Hebr. *Confusa est refugium*; id est, ignominiose capta est ea civitas, quæ aliis refugium esse solebat.

V. 2. EXULTATIO, gloriatio. CONTRA HESEBON COGITAVERUNT MALUM; scilicet, Chald. Hesebon enim erat urbs in Moab: ita cum multis explicat Corn. a Lapide. VENITE, &c. Sunt verba Chaldæorum se se invicem ad excidium Hesebon excitantium. ERGO SILENS CONTICESCES: scilicet, tu o Hesebon; id est, silentio silebis, prorsus silebis, cum fueris eversa.

V. 3. VOX CLAMORIS, scilicet audietur. DE ORONAIM: quæ & ipsa Moabitarum civitas erat.

V. 4. ANNUNCIATE CLAMOREM PARVULIS EIUS; id est, prædicite pueris eius fore ut clament; solent enim pueri clamare, plorare & eiulare in rebus adversis.

V. 5. PER ASCENSUM ENIM LUITH. Hoc ad verbum de umptum est ex cap. XV. 5. Isaiæ, ubi etiam explicatum est.

V. 6. FUGITE, o Moabitæ. ET ERITIS QUASI MYRICAE IN DESERTO, id est humiles, abiecti, steriles, mœsti, & solitarii. Vide dicta supra XVII. 6.

V. 7. CHAMOS: nobile erat Moabitarum idolum; aliqui putant fuisse Bacchum, alii vero Priapum.

V. 8. PRAEDO: hostilis exercitus prædator.

V. 9. DATE FLOREM MOAB, id est vocate sane floridum, vel, finite nunc Moab florere, quia adhuc florens, antequam ad fructum perveniat, egredietur, scilicet e regione sua, & in captivitatem ibit.

V. 10 MALEDICTUS, &c. Hæc verba ad Chaldæos referuntur. Vocat propheta *opus Domini* vastationem Moab, quæ iussu Domini fiebat, execraturque hostem, qui fraudulenter, id est non serio, sed ut verterunt LXX. *negligenter* in Moabitarum cædem incubuerit; sic cap. L. 15. vocat opus Domini Chaldæorum internecionem. PROHIBET GLADIUM SUUM A SANGUINE: gladium suum non cruentat sanguine Moabitarum, illis parcens; vel, ex naturali

com-

commiseratione, vel ob acceptam pecuniam.

V. 11. FERTILIS, id est dives, & florens, nulliusque particeps calamitatis, ideoque Iudæos bellis, exiliisque sæpe agitatos irridebat. REQUIEVIT IN FAECIBUS SUIS; id est, pravos suos mores retinuit, ut retinent vina, quæ de vase in vas non transfunduntur. IDCIRCO PERMANSIT GUSTUS IN EO, &c. Idem sapor, iidem mores, eadem superbia, & insolentia; nondum enim illi vexatio dedit intellectum, ut loquitur Isaias cap. XXVIII. 19.

V. 12. ORDINATORES, id est qui vasa vinaria ordine solent disponere. STRATORES: qui solent sternere, aut inclinare dolia, ut vinum ex uno in aliud fundant. ET LAGUNCULAS EORUM COLLIDENT, id est urbes eorum destruent; pro eodem enim accipit vasa, & lagunculas; quasi dicat: Postquam vinum transfuderint, vasa in quibus continebatur, confringent, hoc est, postquam homines abduxerint, urbes ipsas vastabunt, ac diruent.

V. 13. CONFUNDETUR MOAB A CHAMOS: quia videbit se a Chamos non posse defendi. A BETHEL: vitulis aureis, quos Ieroboam constituit in Bethel, & in Dan, qui adeo opem non tulerunt Israelitis, ut eorum excidii causa fuerint.

V. 17. CONSOLAMINI EUM OMNES, &c. In Hebr. est, *Condolete ei*. LXX. habent, *Movete ei*; motio autem capitis signum est condolentis: vide Iob XLII. 11. QUI SCITIS NOMEN EIUS, DIXITE. LXX. *Omnes edite nomen eius, dicite*, &c. id est, ingeminate clamantes nomen eius, ut fit in luctu, clamate, & dicite Moab, Moab, o misera regio Moab, quomodo contrita es, &c. VIRGA FORTIS: regnum potens, & florens, & inclytum: virga videtur significare sceptrum regium.

V. 18. DEFENDE, id est cade, aut cades, imperativum pro futuro: deiicieris de florenti statu, in quo nunc es. SEDE IN SITI; id est, habita in loco arido, & sitibundo, *sicut myrice in deserto*, ut dixit n. 6. HABITATIO FILIAE DIBON; id est, populi multitudo, quæ habitas in civitate Dibon: erat Dibon Moabitarum civitas, ut patet ex Isaia XV. 9. VASTATOR MOAB: Nabuchodonosor, qui Moabitas vastabit.

V. 19. IN VIA STA, ET PROSPICE HABITATIO AROER; id est, o habitatores Aroer cum cœperint Chaldæi proximas Moabitarum urbes vastare, interroga eos, qui ex illis fugerint, quidnam acciderit, quia simile tibi excidium impendet.

V. 20. CONFUSUS EST MOAB. Hæc est est responsio Moabitarum fugientium.

V. 21. IUDICIUM VENIT. Iudicium vocat Dei punitionem, & flagellum. SUPER TERRAM CAMPESTREM; quasi dicat: Incendium hoc & montanas, & campestres Moabitarum urbes corripuit. SUPER HELON, &c. quæ hic enumerantur civitates ad Moabitarum ditionem pertinebant.

V. 25. CORNU MOAB, id est fortitudo, potentia, gloria, & regnum; desumpta metaphora ab animalibus, quibus vires sunt in cornibus.

V. 26. INEBRIATE EUM: scilicet Moab, vino iræ Dei, vos o Chaldæi, qui divinæ iræ administri, & executores estis; id est, implete eum afflictionibus, ita ut attonitus nesciat, quo se vertat. ALLIDET MANUM MOAB IN VOMITU SUO; id est, cadet in terram, & manus allidet ad solum, & præ ebrietate vomet. ERIT IN DERISUM ETIAM IPSE; id est, sicut derisit Israel, cum ab hostibus affligeretur, ut dicitur versu sequenti, ita etiam ipse deridebitur.

V. 27. FUIT IN DERISUM TIBI: cum ducebatur in captivitatem. QUASI INTER FURES REPERISSES EUM: fures enim cum deprehensi iam sunt, ac tenentur, irridentur ab omnibus, sicut lupi, & conviciis afficiuntur: vide supra II. 26. HABITATE IN PETRA: id est in locis desertis, & petrosis, aut in rupibus montium, ut tuti esse possitis: vel intelligit *Petram* munitam urbem Moabitarum. IN SUMMO ORE FORAMINIS, id est in summis scissuris rupium.

V. 30. ET QUOD NON SIT IUXTA EAM VIRTUS EIUS; id est, quod plus se iactet, & superbiat, quam facere possit. NEC IUXTA QUOD POTERAT, &c. quasi dicat: Non consideravit, quid posset, sed plus conata est facere quam præstare poterat.

V. 31. AD VIROS: propter viros. MURI FICTILIS; id est, qui lateritiis muris cingebantur, & hoc munimento se totos fore sperabant. In Hebr. est קיר חרש *chircheresc*, quam vocem tamquam loci propriam LXX. immutatam retinuerunt.

V. 32. DE PLANCTU IAZER, &c. quasi dicat: Fletu simili fletui facto super Iazer, de-

deflenda est fertilis vitibus (& metaphorice hominibus.) Sabama ; quia æque ac Iazer vastata est, id est vastabitur a Chaldæis: sunt verba prophetæ. Iazer, & Sabama fuisse urbes Moabitarum ex hoc ipso loco, & ex Isaiæ xvi. 9. manifestum est. PROPAGINES TUAE, &c. id est, cives tui ultra mare in captivitatem ducti sunt: vel, propagines tuæ transierunt mare ; id est, multitudo tuorum civium usque ad mare, & ultra perveniebat ; quasi dicat : Nimis fertilis eras, nimis longe palmites tuos proferebas, ideo amputanda fuisti, & ferro stringenda. PRAEDO: Nabuchodonosor cum exercitu suo prædatore.

V. 33. DE CARMELO, id est de locis cultis, & fertilibus Moab, qui ubertate similes sunt Carmelo. SOLITUM CELEUMA. Celeuma sive celeusma κέλευσμα est cantus, quo qui simul laborant, sese cohortari mutuo solent, ut remiges, & qui in torculari calcant, aut prælum torquent : vide supra cap. xxv. 30.

V. 34. DE CLAMORE, &c quasi dicat: Fugientes de Hesebon urbe, & fine Orientali Moab continuabunt fugam, & clamorem usque ad Eleale, quæ urbs est & finis Occidentalis Moab. A SEGOR USQUE AD ORONAIM. Nominat hasce duas urbes tamquam extremos, & sibi oppositos terminos Moab. Segor enim erat ab Oriente iuxta mare mortuum, Oronaim ab occidente Septemtrionali, hoc est ex parte, quæ Assyrios, & Babylonios respicit. VITULA CONTERNANTE, id est trienni : vide Isai. cap. xv. 5. Segor dicitur vitula triennis, id est pulchra, fortis, succulenta, perfecta, exultans, quales vitulæ sunt cum triennium implent. AQUAE NEMRIM. Nemrim locus erat multis aquis irriguus in Moabitide Isai. xv. 6. PESSIMAE ERUNT, id est turbabuntur multitudine calcantium hostium. Vel, confundentur cum vicinis aquis salsis maris mortui, dissipatis aggeribus, quibus prius ab incolis studiose separabantur.

V. 36. AD MOAB, id est propter Moab. QUASI TIBIAE, id est gemet, suspirabit, sicut tibia lugubre carmen resonans : de hoc tristi tibiarum cantu vide Matth. xi. 17. & Luc. vii. 32. AD VIROS MURI FICTILIS. Vide dicta supra num. 31. QUIA PLUS FECIT QUAM POTUIT; id est, quia plus conatus est facere Moab quam poterat; quasi dicat, Propter superbiam, & arrogantiam suam perierunt : vide supra num. 30.

V. 37. OMNE CAPUT CALVITIUM, &c. solebant enim veteres in luctu caput, & barbam radere. COLLIGATIO: captivi enim ligari solent. In Hebræo est, *super omnes manus incisiones;* solebant enim illæ gentes in luctu manus sibi, & brachia unguibus, aut cultellis incidere. CILICIUM, sacco enim se vestiebant in luctu.

V. 38. SUPER OMNIA TECTA : quæ in regione Moab, ut in Iudæa plana erant, ut ibi versari, & ambulare possent, ut sæpe dictum est: vide D. Hieron. in epist. ad Suniam, & Fretellam. OMNIS PLANCTUS : virorum, feminarum, puerorum, &c. aliis captos, aliis occisos, aliis bona direpta lugentibus.

V. 39. QUOMODO VICTA EST. regio Moabitarum. ET ULULAVERUNT: quomodo Moabitæ eiulatu, & planctu sua infortunia deploraverunt. QUOMODO DEIECIT CERVICEM. Alludit ad vitulam triennem, quo nomine Moab appellaverat num. 34. quod cervicem haberet superbam, & nondum subactam iugo. CONFUSUS EST, id est victus eum ignominia. IN DERISUM: sicut Iudæi fuerant in derisum Moabitis : vide supra num. 27. IN EXEMPLUM, terroris; nam vicinæ gentes videntes cladem Moab, timebunt, ne in eadem incurrant.

V. 40. QUASI AQUILA VOLABIT, hostis Nabuchodonosor. ALAS SUAS : alas vocat exercitus: sic etiam Latini in exercitu duas extremas partes, & latera, alas appellant.

V. 41. CARIOTH : nomen civitatis. Aliqui putant esse nomen appellativum, nam idem est *Carioth*, quod *civitates*. MULIERIS PARTURIENTIS: in angustiis, & doloribus partus constitutæ.

V. 43. PAVOR, &c. *Pavorem* vocat hostilem gladium, *foveam* casum improvisum, *laqueum* insidias ab hoste positas. Ponit autem hæc tria periculorum genera loco omnium.

V. 44. ANNUM VISITATIONIS, id est punitionis.

V. 45. IN UMBRA HESEBON STETERUNT : fugient Moabitæ ad civitatem munitam Hesebon, ut ibi tuti esse possint. IGNIS EGRESSUS EST DE HESEBON. Chaldæi milites, qui iam civitatem occupaverant ; vel cives Hesebon, qui a reliquis Moabitis diffiden-

fidentes, Chaldæis urbem prodiderant. De medio Seon: quæ est eadem cum Hesebon. Verticem filiorum tumultus: duces, & principes militum tumultuantium.

V. 46. Popule Chamos: ita appellabat Moabitas, qui idolum Chamos colebant.

V. 47. Convertam captivitatem: ut scilicet redeant e Babylone in Moab; id enim factum patet ex Sophonia II. 9. & ex Iosepho antiq. Lib. XIII. cap. XXI. vel referendum est hoc ad tempus Christi, cum Moabitæ, & aliæ gentes solutæ sunt e dæmonis captivitate. Iudicia Moab: iudicium, & sententia a Deo contra Moabitas prolata.

TIRINI.

Vers. 1. Nabo non accipitur hic pro *monte*, neque pro *idolo*, ut alibi *a*, sed pro *urbe* Moab, in tribu *Ruben*, Numeror. XXXII. 38. Significat vero *oraculum*, quod forsan erat in ea urbe; quasi dicat: Tu *Nabo* ex falso tuo oraculo promittis tibi ceterisque urbibus Moab pacem & immunitatem a Chaldæis; sed ego te primo loco ipsis tradam: ita Sanchez. Deinde Cariathaim, alteram urbem Moab, immo duplicatam urbem (est enim dualis numeri) in eadem tribu Ruben *b*, ubi ante habitarunt *Gigantes*: ita S. Hieron. *c* Lyranus, Hugo, Abulensis. *d* Vocatur hic civitas fortis; Hebraice, *refugium*, quia tempore belli solebant eo confugere vicini ob loci munitionem.

V. 2. Contra Hesebon cogitaverunt malum, scilicet Chaldæi: sic enim hæc verba connectunt Chaldæus, Pagninus, Lyranus, Hugo & Sanchez. Hæc est tertia urbs Moab, antea Sehonis regis Amorrhæorum. Nomen Silens, usurpat idem Chaldæus, Pagninus & Vatablus, pro nomine quartæ urbis, quæ Hebraice vocatur *Madmen*, id est silens; quasi dicat: Iuxta nomen tuum fiet tibi; vocaris *silens*, ad silentium & solitudinem redigeris.

V. 3. Oronaim quinta est civitas.

V. 4. Parvulis eius annuntiate edendum ab ipsis clamorem & eiulatum, cum viderint occidi, vel saltem a se divelli parentes suos.

V. 5. Luith sexta urbs Moab, loco excelso sita: ita Vatablus & Lyranus.

V. 6. Eritis quasi myricae, id est humiles, abiecti, viles, steriles, solitarii.

V. 7. De *Chamos* idolo Moab dixi alio loco *e*.

V. 8. Per praedonem intelligit Nabuchodonosorem.

V. 9. Date florem. Chaldæus, *coronam*: *Tsits* enim Hebræum, & *florem*, & *coronam*, & *alam* significat. Unde R. Kimchi, Pagnin. & Vatablus vertunt, *date alam Moab*, *quia volando f volabit*, id est certissime & citissime volabit in Chaldæam. Sed Rabanus, Hugo, Lyranus & alii legunt *florem* cum Nostro, vel coronam ex floribus contextam; quasi dicat: Floribus & coronis redimite vos, o Moabitæ, quantum lubet: sed scitote, vos cum floribus & corollis omnibus in carcerem & exilium deportandos.

V. 10. Maledictus qui fraudulenter; LXX. *negligenter*, facit opus Domini; nempe excidium Moabitarum a Deo decretum & imperatum. Puta, si fingat se velle occidere, & interim ob lytrum vel affectum parcat noxiis. Poterant autem Chaldæi vel ex hac ipsa Ieremiæ prophetia facile rescire, hoc esse Dei decretum de Moabitide exscindenda, sicut sciverunt de Iudæa: & si quidem ad hanc Dei voluntatem complendam se suaque direxissent Chaldæi, non peccassent vastando Moabitas vel Iudæos; sed quia in hoc potius ambitioni, avaritiæ, & odio suo deservierunt; hinc veri tyranni fuerunt, ideoque & ipsi merito puniti sunt, ut cap. L. audiemus.

V. 11. Moab vino calido similis, requievit hucusque in faecibus suis, id est in divitiis, deliciis, vitiis suis, ac proinde retinet primum saporem & odorem suum, austerum ac fæculentum; et non abiit in transmigrationem, id est numquam in exilium abductus est, quo purificari potuisset, instar vini de vase in vas *transfusi*, quod hac via suavius ac delicatius redditur: ita Vatablus, Chaldæus, Lyranus & Hugo.

V. 12. Propterea mittam ei ordinatores; Vatablus *viatores*, et stratores, qui lagunculas & dolia ordine disponant, humi sternant & inclinent, ut vinum ex uno vase in aliud transfundant, & Moabitas e patria in exilium abducant: deinde *lagunculas* collident, id est urbes Moab,

Moab, abductis incolis, destruent & evertent, inquit Vatablus & Maldonatus.

V. 13. CONFUNDETUR desertus, nec potens iuvari MOAB AB idolo suo CHAMOS; sicut confusi fuerunt Israelitæ non potentes adiuvari a suis vitulis aureis, quos pro diis colebant in Dan & BETHEL.

V. 17. QUOMODO CONFRACTA EST VIRGA FORTIS, BACULUS GLORIOSUS? id est sceptrum & regnum gloriosum Moab.

V. 18. O HABITATIO FILIAE DIBON, id est fluentis; quasi dicat: O popule *Dibon*, qui antea gloriabaris de affluentia aquarum & omnium aliarum rerum, SEDE iam IN SITI, id est carentia & inopia extrema. Addit Isaias, aquas *Dibon*, sanguine civium miscendas ac fœdandas esse, explicatque etiam alia multa huius cap. Porro vos Chaldæi, quasi ministri divinæ iustitiæ,

V. 26. INEBRIATE EUM; id est, propinate Moab calicem furoris Domini, & usque eo illum affligite, ut quasi ebrius ubique impingat, & evomat opes, potentiam, gloriam qua hucusque superbivit: *allidat manus* pedesque terræ, præ impatientia & ægritudine, & volutet se in sordibus *vomitus sui*: ita Chaldæus, Vatablus & alii.

V. 30. NON est IUXTA iactantiam Moab VIRTUS, seu potentia, EIUS; id est, plus se iactat quam possit præstare, inquit Theodoretus. NEC IUXTA QUOD POTERAT, seu vires eius ferebant, CONATA est FACERE; sed plus tentavit, & supra vires.

V. 31. De MURO FICTILI dixi alio loco *g*.

V. 32. DE PLANCTU IAZER, id est fletu tali qualis factus est super Iazer, *deflenda* est etiam SABAMA fertilis vitibus & hominibus. Utraque enim urbs a Chaldæis pari clade vastabitur. PROPAGINES TUAE, seu civium tuorum, USQUE AD MARE mortuum, & usque ad IAZER, quæ vicina est illi mari, extendebantur; quasi dicat: Nimis luxuriabaris *h*, nimis longe mittebas sarmenta tua: oportuit illa amputare: ita Maldonatus & Sanchez.

V. 33. Per CARMELUM intelligit locum fertilem, cultum & amœnum, qualis erat Carmelus, & Carmelo similis terra Moab: ita Pagninus & Vatablus. Sic omnem hortum amœnum solemus vocare *Tempe*. Porro fugentium Moabitarum

V. 34. DE HESEBON a finibus Orientalibus *clamor* continuabitur USQUE ELEALE, quæ est in finibus Occidentalibus Moab. Item A SEGOR Orientali, USQUE AD utramque ORONAIM Occidentalem, nempe *Bethoron* superiorem & inferiorem. Porro *Segor*, id est parva, sic vocata a Lot eo ex Sodomis confugiente Genes. XIX. 22. hic vocatur *vitula consternans*, id est triennis, nempe plenæ iam & perfectæ ætatis, fortis, pinguis, pulchra: de quo plura apud Isaiam. XV. 5. AQUAE MEMRIM; id est, amaræ ex aquis salsis maris Mortui, quod vicinum est illi urbi, iuxta nomen suum PESSIMAE tunc ERUNT, utpote cadaveribus & sanguine cæsorum inficiendæ, inquit Lyranus & Maldonatus.

V. 36. COR MEUM AD, id est propter excidium, MOAB, QUASI TIBIAE, quæ in luctu adhiberi solent, RESONABIT, id est lugubrem edet sonum, AD VIROS urbis *kir cheres*, id est MURI FICTILIS: de quo supra *i*. Verba sunt Prophetæ.

V. 37. OMNE CAPUT Moabitarum ERIT CALVITIUM: omnes enim vel captivi erunt, vel certe lugentes. Utrique enim horum decalvabuntur. IN CUNCTIS MANIBUS erit COLLIGATIO, id est omnium manus vinculis colligabuntur; Hebraice & Græce, *super omnes manus erunt incisiones*, nempe ex vinculorum constrictione.

V. 40. QUASI AQUILA *k* in Moab VOLABIT. Nabuchodonosor *alis* equitum & exercituum suorum. Insinuat fortitudinem, & celeritatem, violentiam, rapacitatem, simul & generositatem ac magnificentiam Chaldæorum, inquit Theodoretus.

V. 43. PAVOR gladii hostilis, ET FOVEA, id est casus improvisus, ET LAQUEUS, seu insidiæ, Chaldæorum, SUPER TE O MOAB. In Hebræo pulchra est paronomasia, *pach*, *paehat*, *pachad*, id est *laqueus*, *fovea*, *pavor l*. Et per hæc tria cetera quoque calamitatum genera intelligit.

V. 45. FUGIENTES DE LAQUEO; id est, evadentes vim & insidias Chaldæorum, confugerunt in urbem HESEBON, IN eius UMBRA, seu protectione, credentes se tutos fore; sed fallentur miseri; quia IGNIS a Chaldæis iniectus in urbem SEON, quæ eadem est cum urbe Hesebon, devorabit partem etiam illam Moabitarum, inibi conclusam, puta VERTICEM FILIORUM TUMULTUS, id est nobiliorem partem tumul-

multuantium Moabitarum: ita Sanchez & alii.

V. 47. ET tandem CONVERTAM, id est in patriam reducam, CAPTIVITATEM MOAB corporalem sub Cyro, teste Sophonia, Iosepho, *m* Theodoreto & aliis: & spiritualem sub Christo & Apostolis, inquit Rabanus, Hugo, Vatablus.

(a) Isaiæ xlvi. 1.
(b) Num. xxxii. vers. 37.
(c) Hieron. in Locis Hebr.
(d) Abulens. in Iosue xiv. 15.
(e) IV. Reg. xi. 7.
(f) Proleg. de Idiotismis Hebr. num. xlix.
(g) Isaiæ xvi. 7.
(h) Psal. lxxix. 12.
(i) Isaiæ xvi. 7. & hic 31.
(k) Ezech. xvii. 3.
(l) Isaiæ xxiv. 17. & 18.
(m) Sophoniæ ii. 9. Ioseph. Lib. XIII. Antiq. cap. xxi.

GORDONI.

Vers. 1. 2. & 3. AD MOAB, &c. Arabia petrea complectitur Moabitidem, Idumæam, & Cedarenos. NABO, erat civitas Moabitica in tribu Ruben: Num. xxxii. 37. Cariath urbs, & Cariathaim in duali, quasi duæ sunt urbes, aut duplex civitas. Frequens talis, aut similis additio, ut Cariatharbe, civitas quatuor scilicet virorum, aut Patriarcharum: item Cariath Sepher, civitas litterarum. MOAB CONTRA HESEBON: ad pugnam natæ invicem; ut Carthago Italiam contra, vers. 3. ORONAIM, civitas Moab.

V. 7. Etiam CHAMOS idolum vestrum IBIT IN TRANSMIGRATIONEM. Vers. 9. DATE FLOREM. Ironia. Heb. *date alas*, ut exeat celeriter.

V. 10. MALEDICTUS QUI FACIT OPUS FRAUDULENTER. Vitio hæc divina est, & opus Dei est & iustitiæ; ac proinde ut tale opus est, debet diligenter adimpleri. Dico ut tale, non vero ut est tyrannis Chaldæorum. Tale fuit opus Cyri punientis Babylonem.

V. 13. CONFUSA EST DOMUS ISRAEL A BETHEL: nam Bethel locus sacer erat, at profanatus ab idolis & evasit Bethaven: domus idoli, vel iniquitatis, vanitatis, און *aven*, ita in Moab Chamos.

V. 18. DIBON, sonat idem quod fluens. MOAB, abundabat aquis fluentibus & linguæ sapientia, en tamen omnia pessum ibunt.

V. 28. & 32. Absconde te ut solet columba penetrans ad ultimam cavernæ cavitatem: adhibe fletum similem illi qui est super Iazer: sic, inquit, erit etiam de Sabama: urbes sunt Moabitarum, nec vel una erit immunis a planctu.

V. 47. CONVERTAM CAPTIVITATEM, &c. Promittit tamen libertatem, & quidem duplicem intellige: unam quidem, quia sub Cyro redierunt, soluta captivitate Babylonica Iudæorum. Denique altera fuit per Apostolos & successores, crescente Ecclesia Christiana.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 2. HESEBON. Urbs Moabitarum, silens, inquit, conticescet.

Vers. 5. Loca notat Moabitarum, ubi audietur luctus.

Vers. 12. & 13. ORDINATORES. Vasa ordine ponentes ad capiendum vinum. Simile quid per stratores, & lagunculas designat.

Vers. 19. Aroer & vicini Moab interrogate diligenter de hoc excidio vobis vicino.

Vers. 34. Vitula consternante, trienni, nondum domita, erecto, & superbo collo exultans.

V. 37. COLLIGATIO: captivi ligantur.

Vers. 40. DOLABIT, hostis.

Vers. 43. IN UMBRA HESEBON. Fugiebant ad munitas suas civitates; sed frustra.



CAPUT XLIX.

Desolatio Ammon, Idumææ, & Damasci, Cedar, regnorumque Asor & AElam prænuntiatur: captivitas autem filiorum Ammon ac AElam tandem solvenda.

1 AD filios Ammon. Hæc dicit Dominus: Numquid non filii
sunt Israel? aut hæres non est ei? Cur igitur hereditate pos-
sedit Melchom, Gad: & populus eius in urbibus eius habi-
tavit? 2. Ideo ecce dies veniunt, dicit Dominus: & audi-
tum faciam, super Rabbath filiorum Ammon fremitum
prælii, * & erit in tumulum dissipata, filiæque eius igni
succendentur, & possidebit Israel possessores suos, ait Do-
minus. 3. Ulula Hesebon, quoniam vastata est Hai, cla-
mate filii Rabbath, accingite vos ciliciis: plangite & circuite per sepes: quo-
niam Melchom in transmigrationem ducetur, sacerdotes eius & principes eius
simul. 4. Quid gloriaris in vallibus? defluxit vallis tua, filia delicata, quæ con-
fidebas in thesauris tuis, & dicebas: Quis veniet ad me? 5. Ecce ego inducam
super te terrorem, ait Dominus Deus exercituum, ab omnibus qui sunt in cir-
cuitu tuo: & dispergemini singuli a conspectu vestro, nec erit qui congreget
fugientes. 6. * Et post hæc reverti faciam captivos filiorum Ammon, ait Do-
minus. 7. Ad Idumæam. Hæc dicit Dominus exercituum: Numquid non ul-
tra est sapientia in Theman? Periit consilium a filiis, inutilis facta est sapientia
eorum. 8. Fugite & terga vertite, descendite in voraginem habitatores Dedan:
quoniam perditionem Esau adduxi super eum, tempus visitationis eius. 9. Si
vindemiatores venissent super te, non reliquissent racemum: si fures in nocte,
rapuissent quod sufficeret sibi. 10. Ego vero discooperui Esau, revelavi abscon-
dita eius, & celari non poterit: vastatum est semen eius, & fratres eius, &
vicini eius, & non erit. 11. Relinque pupillos tuos: ego faciam eos vivere:
& viduæ tuæ in me sperabunt. 12. Quia hæc dicit Dominus: Ecce quibus non
erat iudicium ut biberent calicem, bibentes bibent: & tu quasi innocens relin-
queris? non eris innocens, sed bibens. 13. Quia per memetipsum iuravi, dicit
Dominus, quod in solitudinem, & in opprobrium, & in desertum, & in ma-
ledictionem erit Bosra: & omnes civitates eius erunt in solitudines sempiternas.
14. (*a*) Auditum audivi a Domino, & legatus ad Gentes missus est: Congre-
gamini, & venite contra eam, & consurgamus in prælium: 15. Ecce enim par-
vulum dedi te in Gentibus, contemptibilem inter homines. 16. Arrogantia tua
decepit te, & superbia cordis tui: qui habitas in cavernis petræ, & apprehende-
re niteris altitudinem collis: (*b*) cum exaltaveris quasi aquila nidum tuum, in-
de detrahum te, dicit Dominus. 17. Et erit Idumæa deserta: omnis qui tran-
sibit per eam, stupebit, & sibilabit super omnes plagas eius. 18. (*c*) Sicut sub-
versa est Sodoma, & Gomorrha, & vicinæ eius, ait Dominus: non habitabit
ibi vir, & non incolet eam filius hominis. 19. Ecce quasi leo ascendet de su-
perbia Iordanis ad pulchritudinem robustam: quia subito currere faciam eum
ad

ad illam: & quis erit electus, quem proponam ei? quis enim similis mei? &
quis sustinebit me? (*d*) & quis est iste pastor, qui resistat vultui meo? 20.
Propterea audite consilium Domini, quod iniit de Edom; & cogitationes eius,
quas cogitavit de habitatoribus Theman: Si non deiecerint eos parvuli gregis,
nisi dissipaverint cum eis habitaculum eorum. 21. A voce ruinæ eorum com-
mota est terra: clamor in mari rubro auditus est vocis eius. 22. Ecce quasi aqui-
la ascendet, & avolabit: & expandet alas suas super Bosran: & erit cor for-
tium Idumææ in die illa, quasi cor mulieris parturientis. 23. Ad Damascum:
Confusa est Emath, & Arphad: quia auditum pessimum audierunt, turbati
sunt in mari: præ solitudine quiescere non potuit. 24. Dissoluta est Damascus,
versa est in fugam, tremor apprehendit eam: angustia & dolores tenuerunt
eam quasi parturientem. 25. Quomodo dereliquerunt civitatem laudabilem, ur-
bem lætitiæ! 26. Ideo cadent iuvenes eius in plateis eius: & omnes viri prælii
conticescent in die illa, ait Dominus exercituum. 27. Et succendam ignem in
muro Damasci, & devorabit mœnia Benadad. 28. Ad Cedar, & ad regna A-
sor, quæ percussit Nabuchodonosor rex Babylonis. Hæc dicit Dominus: Sur-
gite, & ascendite ad Cedar, & vastate filios Orientis. 29. Tabernacula eorum,
& greges eorum capient: pelles eorum, & omnia vasa eorum, & camelos eo-
rum tollent sibi: & vocabunt super eos * formidinem in circuitu. 30. Fugite,
abite vehementer, in voraginibus sedete, qui habitatis Asor, ait Dominus: iniit
enim contra vos Nabuchodonosor rex Babylonis consilium, & cogitavit adver-
sum vos cogitationes. 31. Consurgite, & ascendite ad gentem quietam, & ha-
bitantem confidenter, ait Dominus: non ostia, nec vectes eis: soli habitant.
32. Et erunt cameli eorum in direptionem, & multitudo iumentorum in præ-
dam: & dispergam eos in omnem ventum, qui sunt attonsi in comam: & ex
omni confinio eorum adducam interitum super eos, ait Dominus. 33. Et erit
Asor in habitaculum draconum, deserta usque in æternum: non manebit ibi
vir, nec incolet eam filius hominis. 34. Quod factum est verbum Domini ad
Ieremiam prophetam adversus AElam, in principio regni Sedeciæ regis Iuda,
dicens: 35. Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego confringam arcum AE-
lam, * & summam fortitudinem eorum. 36. Et inducam super AElam quat-
tuor ventos a quattuor plagis cæli: & ventilabo eos in omnes ventos istos: &
non erit gens, ad quam non perveniant profugi AElam. 37. Et pavere faciam
AElam coram inimicis suis, & in conspectu quærentium animam eorum: &
adducam super eos malum, iram furoris mei, dicit Dominus: & mittam post
eos gladium donec consumam eos. 38. Et ponam solium meum in AElam,
& perdam inde reges & principes, ait Dominus. 39. In novissimis autem die-
bus reverti faciam captivos AElam, dicit Dominus.

(a) Abd. I. 2. (b) Abd. I. 4. (c) Gen. xix. 20. (d) Iob xli. 2.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 2. *Et erit in tumulum dissipata*. Patres correxerunt *tumulum*, quod est colliculum, pro eo quod vulgo legitur, addita *s* littera, *tumultum*, id est turbam.

V. 6. *Et post hæc reverti faciam captivos*. Voci *captivos* non præponas *fugientes &c.*

Vers. 29. *Formidinem in circuitu*. Non subiicias oronomen *eius*.

Verſ. 35. *Et ſummam fortitudinem eorum*. Legendum eſt nomen *ſummam*, conſtans duplici *m* medio, non verbum *ſumam*, futurum a ſumo.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verſ. 1. AD FILIOS AMMON; id eſt, prophetia ad Ammonitas, aut de Ammonitis, aut contra Ammonitas: hæc enim omnia ל. ſignificare poteſt. Eſt autem titulus prophetiæ, ut cap. ſuperiori verſ. 1. *Ad Moab*. Alii hæc verba cum ſequentibus iungunt. AD AMMON HAEC DICIT DOMINUS, ut Sept. & Chald. Paraphr. melius noſter interpres. NUMQUID NON FILII SUNT ISRAEL? Iſraeli. Tribus Gad vicina erat Ammonitis, qui cum Iſraelitæ in captivitatem ducti eſſent, in eorum poſſeſſiones irruerunt, quaſi de Iſrael actum eſſet, neque filios & hæredes haberet, qui poſt captivitatem in patriam terram redituri eſſent. Erant autem Ammonitæ fratres Iſraelitarum, ſicut & Moabitæ, utrique ex Lot progeniti, Geneſ. XIX. 37. 38. Itaque cum viderent Iſraelitas abolitos pene eſſe, eorum hæreditatem quaſi iure ſuo occuparunt. Hoc eſt, quod dicit, *Numquid non filii ſunt Iſrael?* AUT HAERES NON EST EI? CUR IGITUR HEREDITATE POSSEDIT; cur quaſi hæreditatio iure poſſedit MELCHOM, GAD, quemadmodum ſi Iſrael filios & legitimos hæredes non haberet. Melchom idolum Ammonitarum erat, IV. Reg. XXIII. 13. & hoc ipſo capite verſ. 3. atque hoc ſenſu vertit noſter interpres, & Sept. & exponit R. Salom. Ponit autem idolum Ammonitarum pro ipſis Ammonitis; ſicut capite præcedenti verſu. 46. Alii faciunt nomen appellativum מלכם, *rex eorum*, ut Ionathas, & R. David. Melius noſter interpres.

V. 2. AUDITUM FACIAM: audiri faciam: והשמעתי, *& efficiam ut audiatur clangor bellicus contra Rabbath Ammonitarum civitatem;* id eſt, inducam adverſus illam bellum. ET ERIT IN TUMULTUM: לתל, *in acervum* lapidum & ruderum, ut ſolent eſſe urbes dirutæ. FILIAEQUE EIUS, id eſt minores urbes circumvicinæ. Solent Hebræi principem civitatem matri, minores filiabus comparare: ut II. Par. XIII. 19. *Et cepit civitates eius, Bethel & filias eius; & Ieſana cum filiabus ſuis, Ephron quoque & filias eius*. ET POSSIDEBIT ISRAEL POSSESSORES SUOS, ſui, paſſive, id eſt qui ſe ante poſſederunt; ac ſi dicat: Revertentur filii Iſrael ex captivitate, poſſidebuntque non ſolum terram ſuam; ſed etiam Ammonitarum, qui ipſorum hæreditatem occupantes poſſederant.

V. 3. ULULA HESEBON. Heſebon non erat Ammonitarum, ſed Moabitarum urbs, ut ſuperiore capite manifeſtum eſt. Sed tamen quia vicina erat Ammonitis, & Ammonitarum urbes erant devaſtandæ, monet illam, ut paret ſe ad ſimilem calamitatem excipiendam: ſicut dixit cap. præcedenti verſ. 19. *In via ſta, & proſpice habitatio Aroer: interroga fugientem, & ei, qui evaſit, dic, Quid accidit?* Ex hoc loco perſpicuum eſt prius terram Ammonitarum, quam Moabitarum fuiſſe vaſtatam, & hanc prophetiam prophetia ſuperioris capitis priorem eſſe; ſed non ſervari ordinem temporis. QUONIAM VASTATA EST HAI, civitas Ammonitarum. CLAMATE FILII RABBATH, id eſt minores urbes vicinæ Rabbath, ut verſu præcedenti. CIRCUITE PER SEPES. R. David dicit ſepes vocari villarum clauſtra, quia cum muros non habeant, ſepibus ſicut ovilia, & horti cinguntur, ſenſumque eſſe putat: Ne confugiatis ad urbes munitas, quia & ipſæ capientur, ſed continete vos intra ſepta veſtra, & plangite. Ego ſimplicius interpretor, quemadmodum & R. Salom. videtur interpretari, *Circuite per ſepes*, ut quæratis aliquam latebram, ubi poſſitis deliteſcere. Solent enim qui ab hoſte fugiunt ad ſepes vinearum, & hortorum latendi cauſa ſeſe recipere Chald. ואתהממו בטיען, *& lacerate vos in tubis*, id eſt, publice. Sept. ἐπιλυπήθητε καὶ κόψασθε ἐπὶ Μολχὸμ: *Triſtamini & plangite propter Molchom*. QUONIAM MOLCHOM, Ammonitarum Deus, ut verſ. 1. expoſuimus, *in captivitatem* DUCETUR. Irriſio eſt; quaſi dicat: Deus veſter, in quo maxime confidebatis: in captivitatem abducetur, non quod vivens ſit; ſed quod aureus, vel argenteus,

ut capite superiori vers. 7. *Et ibit Chamos in transmigrationem : sacerdotes eius , & principes eius simul* , & cap. XLIII. 12. *Et succendet ignem in delubris Deorum AEgypti , & comburet ea , & captivos ducet illos* .

V. 4. QUID GLORIARIS IN VALLIBUS , id est locis irriguis, & frugiferis . *Valles enim abundabunt frumento* Psal. LXIV. 14. DEFLUXIT VALLIS TUA , id est vastata est, sterilis facta est defectu cultoris , ut Isai. XXIV. 4. *Luxit , & defluxit terra* . Alii, *fluxit aquis* , id est abundavit aquis , ut R. Sal. alii ; *fluxit occisorum sanguine* , quæ minus apte dicta sunt. FILIA DELICATA. Hebr. השובבה, quod alii vertunt, *filia rebellis* . Sicut & Sept. θυγάτηρ τῆς ἰταμίας, *filia temeritatis* . Chaldæus , *regnum insipiens* . שוב, significat averti, rebellare, sedere, habitare. Multo ergo melius noster interpres reddidit, *filia* השובבה, *sedens* , id est otiosa, domi sedens, delicata , non assueta labori, quæ nondum captivitatem experta est, quæ nondum coacta est de loco surgere, & alio migrare , ut supra cap. VI. 2. *Speciosæ & delicatæ assimilavi filiam Sion Ad eam venient pastores, & greges eorum, fixerunt in ea tentoria in circuitu* : & Isai. cap. XLVII. 8. 9. *Et nunc audi hæc delicata, & habitans confidenter , quæ dicis in corde tuo, ego sum , & non est præter me amplius . Non sedebo vidua , & ignorabo sterilitatem ; venient tibi duo hæc subito in die una , sterilitas , & viduitas* . QUAE CONFIDEBAS IN THESAURIS TUIS ; באצרותיה, *Confidens in thesauris suis* per tertiam personam , quam noster interpres perspicuitatis causa vertit in secundam . QUIS VENIET AD ME ? id est, quis accedere audebit ad me ? quis me capiet ? Noster interpres explicandi gratia addidit verbum, ET DICEBAS , quod Hebraice non legitur , sed intelligitur . Quod idem Chald. Paraphr. & Septuaginta fecerunt .

V. 5. TERROREM : bellicum, milites terribiles . AB OMNIBUS , QUI SUNT IN CIRCUITU TUO ; id est , efficiam , ut omnes gentes tibi vicinæ irrumpant in te . Hebr. מכל סביביך , *ab omnibus circuitibus tuis* , id est undique . SINGULI A CONSPECTU VESTRO , id est alii ab aliis : לפניו איש, *unusquisque in faciem suam* , id est, unusquisque in locum suum, alii huc , alii illuc.

V. 6. POST HAEC , id est in novissimis diebus , ut dixit de Moab in fine capitis præcedentis , quod intelligitur de tempore Christi , quo tempore Ammonitæ cum omnibus gentibus ex vera Diaboli captivitate liberati sunt .

V. 7. AD IDUMAEAM ; prophetia : titulus enim est prophetiæ, qualis ille vers. 1. *Ad filios Ammon* . IN THEMAN , id est in Idumæa, quæ ut ait R. David , Theman dicta est a Theman filio Elephaz , nepote Esau, Genes. XXXVI. 15. quasi dicat : Qui fit ut Idumæi, qui sapientes esse solebant , stulti facti sint ? Interrogatio affirmativa hoc loco, non postulat responsionem negativam , sed potius affirmativam , quod aliis locis adnotavimus , frequenter apud Hebræos fieri . PERIIT CONSILIUM A FILIIS , eius : Ita etiam Chaldæus . Hebraice מבנים , quod & *filios* , & *intelligentes* significat , itaque noster interpres & Chald. Paraphr. vertunt , *a filiis* : eodemque modo R. Salom. interpretatur . Septuaginta ἐκ συνετῶν , *ab intelligentibus* , sicut & R. David exponit ; quasi dicat : Periit sapientia sapientum , & prudentia prudentum reprobata est, Isai. XXIX. 14. sicut per Abdiam dicit vers. 8. *Numquid non in die illa , dicit Dominus , perdam sapientes de Idumæa , & prudentiam de monte Esau ?* Cum enim Deus aliquem populum punire vult, sapientes ab illo tollit , aut ita excæcat , ut nesciant quid agant . INUTILIS FACTA EST . נסרחה, *corrupta est* , ita ut nihil illis prodesse possit ; quasi dicat, Stulta facta est , ut supra capit. X. 14. *Stultus factus est omnis homo a scientia* .

V. 8. FUGITE . Exhortatur Idumæos ad fugam , significans prope esse eorum exitium . DESCENDITE IN VORAGINEM ; id est , abdite vos in cavernis , & locis subterraneis, ne vos hostis inveniat . Hebr. העמקו לשבת , ad verbum , *profundate ad habitandum* ; id est , habitate in locis profundis, aut longe discedite ad habitandum , ut Chaldæus interpretatur . Alii, ut R. David , putant hæc duo verba posteriora non esse imperativa , sed præterita posita pro futuris , ut sit sensus : *Fugite* , (quia) *conversi sunt* (hostes vestri contra vos) *& descenderunt ad habitandum* (in terra vestra) quod mihi nullo modo placet . Alii etiam peius : *Confusi sunt hostes*.

stes vestri contra vos, cum se fugere simulassent, & callidum consilium inierunt ad habitandum in terra vestra. Eadem sententia est infra versu. 30. HABITATORES DEDAM. O vos, qui habitatis in terra Dedan urbe Idumeæ, quam pro tota Idumæa ponit. QUONIAM PERDITIONEM ESAU, id est Esau iam diu destinatam. Esau autem vocat Idumæam, quia Esau Idumeæ habitator & princeps Edom cognominatus est, Genes. XXV. 30. & XXXVI. 1. Ita etiam loquitur Abdias vers. 6. ADDUXI: adducam, vel, adducere decrevi.

V. 9. SI VINDEMIATORES; interrogative legendum, Si vindemiatores venissent super te, nonne racemos aliquos reliquissent, ut solent? utique reliquissent. SI FURES IN NOCTE. Intelligitur verbum cum negatione, & interrogatione ἀπὸ κοινοῦ. Si fures in nocte venissent ad te, nonne rapuissent quod sibi sufficeret, reliquum tibi reliquissent? intelligitur altera pars comparationis ad explendam sententiam, ut si dicant: Vindemiatores reliquissent tibi aliquos saltem racemos; & fures, quidquid illis non esset necessarium; hostes autem, quos ego ad te mittam, nihil in te relinquent: quod partim explicatur versu sequenti. Eadem sententia apud Abdiam.

V. 10. EGO VERO DISCOOPERUI ESAU: Idumæam, ut vers. 8. quasi dicat: Vindemiatores non possunt omnes racemos vindemiare, quia aliqui latent inter folia; & fures non possunt furari omnia, quia multa sunt adeo abscondita, ut ab illis inveniri non possint; ego vero ita discooperiam, & nudabo Idumæam, & quicquid in ea absconditum est, ut ab hostibus inveniri possit. VASTATUM EST, vastabitur, SEMEN EIUS, omnis eius posterias. ET NON ERIT, id est ita ut nemo remaneat; ואיננו, *& ille:* ad verbum; id est, & non amplius erit Edon, penitus delebitur, ita ut ne vestigium quidem eius remaneat. Peribit memoria eius cum sonitu, ut Psalm. IX. 7. Alii, *Et non erit*, sub. qui dicat: *Relinque pupillos tuos, ego faciam eos vivere*; iungunt enim hæc verba cum versu præcedenti: ita R. David, & Septuaginta.

V. 11. EGO FACIAM EOS VIVERE. Hebraismus; id est, ego eos nutriam, & viduas tuas protegam. Verba Dei dicentis, ut, cum Edom in captivitatem ibit, sibi relinquat pupillorum suorum, & viduarum suarum curam; aut ut ait R. David, & Septuaginta vertunt, *verba sunt eorum, qui superstites in Idumæa manserint*, ut versu præcedenti explicatum est. Ego aliter interpretor: Ita omnes peribunt, ut ne viduæ quidem, & infantes maneant, de quibus ego, qui maximam viduarum, ac pupillorum curam gero, possim tibi dicere: RELINQUE PUPILLOS TUOS, ego eos nutriam. Atque ita videntur Sept. intellexisse, ἢ οὐκ ἔστιν ὑπολείπεσθαι ὀρφανόν σου ἵνα ζήσηται, *Et non est relinqui orphanum tuum, ut vivat*.

V. 12. QUIBUS NON ERAT IUDICIUM; id est, quos æquum non erat calicem bibere; biberunt. Hebraismus. Iudaicum est, pro, æquum est, ut supra cap. XXVI. vers. 11. *Iudicium mortis est viro huic*; id est, æquum est virum hunc mori. Intelligenda autem est hæc sententia per comparationem, quos æquum non erat bibere comparatione vestri; id est, qui minus digni erant pœna, quam vos, ii puniri sunt, & vos impunes evaditis? nota est phrasis, calicem bibere, id est puniri, affligi. Loquitur autem de aliis gentibus, quas Deus propter bella, quæ Iudæis intulerant, afflixit, cum idcirco minus contra Iudæos peccavissent, quod eorum fratres non erant: Edom autem, qui frater erat Iacob, maiore pœna dignus erat, quod fratrem, id est populum Iudæorum, quem iuvare debuit, potius vexaverit. Ita interpretantur R. Salomon, & R. David, idque convenit cum simili Abdiæ sententia vers. 10. *Propter interfectionem, & propter iniquitatem in fratrem Iacob operiet te confusio, & peribis in æternum*: Alii id interpretantur de Iudæis, ut loquatur Deus non ex veritate, sed ex eorum opinione. *Ecce quibus non erat iudicium*; id est, Iudæi, qui putabant non esse æquum ut ipsi, qui populus Dei peculiaris erant, biberent calicem, biberunt, & tu non bibes? Alii minus etiam accommodate id de Ieremia, & Baruch, & aliis iustis intelligunt, qui una cum ceteris afflicti sunt. ET TU QUASI INNOCENS: נקה תנקה, *essendo innocens, innocens eris*, id est impunis eris omnino? Non eris impunis; sed שתו תשתה, *bibendo bibes*, & prorsus exhauries calicem furoris Domini.

V. 13. BOSRA. Princeps erat Idumæorum civitas, quæ pro toto regno ponitur.

Et omnes civitates eius, minores urbes, quæ in eius ditione erant, omnes filiæ eius, ut locutus eſt ſupra verſ. 2. & 3. In solitudines sempiternas; id eſt, ita vaſtabuntur, & evertentur, ut numquam amplius reædificentur. Sicut dicuntur mortui ſempiterni, qui non reſurgent, Thren. III. 6. non quod numquam reſurrecturi ſint, ſed quod non ante finem mundi.

V. 14. Auditum audivi; id eſt, audiens audivi, aut rem audivi ego Ieremias a Domino; quaſi dicat: Dominus animo me audire fecit ſententiam contra Boſra, & mandatum, quo ad omnes gentes legationem miſit, ut ad expugnandam Idumæam conſpirarent.

V. 15. Parvulum dedi te: dabo, ponam. Hebraiſmus; id eſt, faciam, vel, facere decrevi, deiiciam te, ac deprimam: cum tu magnus tibi eſſe videare o Edon.

V. 16. Qui habitas in cavernis petrae: כחגוי, *inſciſſuris*, ut Cantic. II. 14. hoc eſt, qui tibi inexpugnabilis eſſe videaris, quaſi habites in ſummis ſciſſuris altiſſimarum rupium, ubi aves nidificare ſolent. Et apprehendere niteris: תפשי, *qui attingis*: id eſt, attingere tibi videris altitudinem collis; quaſi dicat, Qui tibi videris ſimilis eſſe altiſſimo colli. Alii, *qui apprehendis*, id eſt, occupas, tenes altitudinem collis, qui habitare tibi videris in ſummo colle. Clarior hic locus apud Abdiam II. 3. 4. *Ecce parvulum dedi te in gentibus, contemptibilis tu es valde. Superbia cordis tui extulit te, habitantem in ſciſſuris petrarum, exaltantem ſolium tuum, qui dicis in corde tuo, quis detrahet me in terram? Si exaltatus fueris ut aquila, etſi inter ſidera poſueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus*. Similis de impio ſententia apud Iob XX. 6. 7. *Si aſcenderit uſque ad cælum ſuperbia eius, & caput eius cælum tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur, & qui eum viderant, dicent, ubi eſt?* Et de Capernaum Luc. X. 15. *Et tu Capernaum uſque in cælum exaltata, uſque in infernum demergeris*. Semper enim illud verum eſt, *Qui ſe exaltaverit, humiliabitur*, Matth. XXIII. 12.

V. 17. Et sibilabit; id eſt, obſtupeſcet videns ruinas eius, vel contemnet eam videns everſiones eius. Sibilus apud Hebræos admirationem aut contemptum ſignificat, ut ſupra XVIII. 16. & XIX. 8. & XXV. 9. 18. & XXIX. 8. & infra capite ſequenti verſu 13.

V. 19. Ecce quasi leo. Variæ ſunt apud interpretes huius loci explicationes. Mihi R. David optime videtur omnium interpretari: *Ecce hoſtis aſcendet quaſi leo*, ſi furorem ſpectes. De superbia Iordanis; id eſt, tamquam ſuperbus Iordanis, ſicut Iordanis cum nimia aquarum exundatione terram obruit, ſic veniet hoſtis multitudine militum terram operiens, ut ſupra cap. XLVI. 7. *Quis eſt iſte, qui quaſi flumen aſcendit, & veluti fluviorum intumeſcunt gurgites eius?* Et Iſai. VIII. 7. 8. *Propter hoc ecce Dominus adducet ſuper eos aquas fluminis fortes & multas, regem Aſſyriorum, & omnem gloriam eius, & aſcendet ſuper omnes rivos eius, & fluet ſuper univerſas ripas eius*. Et Iſa. LIX. 19. *Cum venerit quaſi fluvius violentus, quem ſpiritus Domini cogit*. Superbiam ergo Iordanis vocat tumentes eius fluctus, ut capite ſequenti verſ. 44. Dixit autem, *de ſuperbia Iordanis*, ut indicaret ex Iudæa hoſtem eſſe venturum, Iudæoſque, poſtquam ex captivitate revocati fuerint, Idumæam vaſtaturos, ut prædicit Abdias, verſ. 18. *Et erit domus Iacob ignis, & domus Ioſeph flamma, & domus Eſau ſtipula, & ſuccendentur in eis, & devorabunt eos, & non erunt reliquiæ domus Eſau*. Ad pulchritudinem robustam, id eſt ad Idumæam, quæ & amœna eſt, & fortis. Heb. אל נוה איתן, *ad habitationem AEthan*; quem aliqui proprium nomen loci eſſe putant, ut Septuaginta. Et R. David interpretatur AEthan eſſe montem Idumææ, qui vocatur Seir, quaſi hirſutus ab Eſau, qui hirſutus erat, & in eo habitavit: Geneſ. XXXVI. 8. 9. Sed melius mihi videtur noſter interpres facere nomen appellativum, quia cap. ſequenti verſ. 44. eadem proſus verba contra Babylonios dicuntur; atqui non poterat in Idumæa, & in Chaldæa idem eſſe locus. Quare אלבוה איתן interpretor, *ad habitationem fortem*, id eſt, ad Idumæam, quæ eſt habitatio fortis & munita. Quia subito currere faciam eum, id eſt ſumma celeritate hoſtem adducam contra Idumæam. Hebraice כיארגיעה אריצבו מעלוה, quod R. David, & alii eum ſecuti interpretantur, *poſtquam quieſcere fecero* (Iſrael) *currere*

faciam eum ab illa; id est, faciam eum celeriter in patriam suam redire ex Idumæa, ubi exulabat. At neque legimus Israelitas apud Iduæos exulasse: etsi legeremus, tamen non id agitur hoc loco, ut Iudæi ex Idumæa redeant, sed ut in Idumæam irruant, ut ex Abdia versu 18. manifestum est. Melius ergo R. Salom. sicut & noster interpres, & Chaldæus Paraphr. *Subito currere faciam*, id est momento temporis adducam Israel super eam, id est ut superior sit ea. Hanc enim vim habere dicit R. Salom. præpositionem illam מעל, *sicut*. *Desuper* apud Latinos. Ita Virgil. II. AEneid.

Aut hæc in nostros fabricata est machina muros;
Inspectura domos, venturaque desuper urbi.

Quis erit electus? id est, electos milites inducam contra eam, vel, ut alii volunt, quem ducem præficiam Idumææ ut possit eam contra Israelitas defendere? quasi dicat, Nullus reperietur. Quis enim similis mei? ut possit mihi resistere pugnanti pro Israel. Et quis sustinebit me? id est, quis ferre poterit impetum meum? Hebraice יעירני, *quis constituet mihi tempus;* id est, quis audebit diem mihi præscribere ad pugnandum contra me, ut R. Salom. & David exponunt. Quis est iste pastor; id est quis erit pastor ille, qui resistat mihi: pastorem vocat Regem ut Hebræi adnotant, quia rex pastor populi est, sicut passim Homerus ποιμένα λαῶν. Ita etiam supra VI. 3. *Ad eam venient pastores, & greges eorum; fixerunt in ea tentoria in circuitu*. Et Isai. XLIV. 28. *Qui dico Cyro, pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis*.

V. 20. Audite consilium, id est quid Dominus decreverit, adversus Edom, & quid cogitaverit adversus Theman, id est Idumæam, quæ Theman appellabatur a Theman filio Elephaz nepote Esau, Gen. XXXVI. 15. ut supra explicavimus vers. 7. Si non deiecerint eos, si non vicerint, si non conculcaverit eos: אם לא יסחבום, *si non traxerint*, aut *raptaverint eos*, ut supra XXII. 19. aut si non lacerabunt eos ac discerpent, ut XV. 3. Parvuli gregis; id est, pueri, qui gregem custodire solent. Vocat parvulos gregis Iudæos ut ait R. David, quia Iacob ex quo descendebant minor erat natu, quam Esau, ex quo Idumæi originem ducebant: vel, Israel, ut idem auctor dicit, quod aliorum populorum comparatione parvus esset. Nisi dissipaverint cum eis; id est, nisi eos deiectis ipsorum domiciliis oppresserint, nolo Deus haberi, aut, nolo mihi in posterum credi; forma iurandi est apud Hebræos usitatissima, per aposiopesin, ut supra XLII. 5. *Sit Dominus inter nos testis veritatis, & fidei, si non iuxta omne verbum, in quo miserit te Dominus Deus tuus ad nos, sic faciemus*: vide quæ illic adnotavimus, si quid amplius ad huius loci explanationem desideras.

V. 21. A voce ruinae, id est, præ fragore casus eorum terra commovebitur. Sæpe monuimus omnem sonitum apud Hebræos קול, *vocem* appellari. Clamor in mari rubro. Hebræi sic verba distinguunt: *Clamor in Mari rubro* (audietur) audietur vox eorum, sicut Chaldæus etiam vertit. At sensus est idem. Septuaginta, κραυγή σου ἐν θαλάσσῃ ἠκούσθη, *Clamor tuus in mari auditus est*. Erat mare rubrum vicinum Idumææ, propterea illud potius, quam aliud nominavit.

V. 22. Ecce quasi aquila ascendet, hostis: vide eadem verba explicata supra XLVIII. 40. Alas suas, copias suas militares. Super Bosram, principem Idumæorum civitatem, ut vers. 13. dictum est.

V. 23. Ad Damascum: sub. prophetia, quæ tertia est huius capitis. Est enim titulus, ut ille versu primo: *Ad filios Ammon*. Et ille alter vers. 7. *Ad Idumæam*. Damascum autem ponit pro tota Syria, quia caput eius erat, ut dicit Isaias VII. 8. *Caput Syriæ Damascus, & caput Damasci Rasin*. Inter alias autem gentes, quæ Iudæos afflixerant, erant Syrii, ut apparet IV. Reg. VI. 5. & Isai. VII. 1. Propterea post Moabitas, Ammonitas, & Idumæos, qui Iudæis cognati erant, ideoque gravius castigandi, quod illis bellum intulissent; contra Syros Ieremias vaticinatur, ut fecit etiam Isaias cap. XVII. Confusa est Emath, et Arphad: duæ erant Syrorum civitates. Quia auditum pessimum, malum nuntium audierunt, nempe captam esse Damascum. Significat Damascum primo loco captum iri, eaque fama ceteras minores Syrorum civitates terrefaciendas. Turbati sunt in mari. Hebræi intelligunt, כאשר: quemadmodum qui in mari quiesce-

re

re non potest præ solicitudine, exorta tempestate, id est non potest pacato esse animo, cum videat se neque fugere posse, neque resistere. In hanc sententiam Chaldæus Paraphrastes, & R. Salom. & R. David interpretantur. Ponuntur autem præterita pro futuris.

V. 24. DISSOLUTA EST DAMASCUS, id est perterrita est, manus eius dissolutæ sunt, ut Hebræi loqui solent, cum integra phrasi uti volunt: Isa. XIII. 7. & XXXV. 3. & supra VI. 24. & XXXVIII. 4. & XLVII. 3.

V. 25. QUOMODO DERELIQUERUNT: cives quomodo deseruerunt Damascum metu hostis, quomodo non defenderunt. Hebr. איך לא עזבה, *quomodo non est derelicta civitas laudabilis*, ut etiam Septuaginta, & Chaldæus Paraphrastes legunt, quod Hebræi varie interpretantur. Alii sic, *quomodo non est relicta immunis ab ista tanta calamitate civitas laudabilis*, id est Damascus: ita aliquos interpretari scribit R. Salom. Alii, in quibus est ipse Salom. *Quomodo est relicta, sine præsidio, & munitionibus: quomodo urbem tam pulchram non muniverunt cives*. Melius R. David putat hæc verba esse Damascenorum fugientium, qui dicant; quomodo non est derelicta ab hostibus; id est, quomodo tam pulchræ civitati hostes non pepercerunt. Hæc interpretatio in eo, quo cum prima convenit, vera est. Sed malim dicere hæc esse verba Prophetæ quam Damascenorum, quamvis utrumque probabile sit.

V. 16. IUVENES EIUS, id est milites. Solent enim Hebræi milites בחחים, *iuvenes* appellare, quod milites plerumque iuvenes sint; sicut Latinus poeta exercitum lectissimam pubem appellavit. Exempla reperies supra IX. 21. & XI. 22. & XVIII. 21. & XLVIII. 15. Itaque repetitio est hoc loco, *Iuvenes*, & VIRI PRAELII: idem enim sunt. CONTICESCENT; id est, prorsus peribunt, ita ut nulla fiat amplius de illis mentio. Hebraismum multis exemplis explicavimus, cap. XLVII. 5.

V. 27. MOENIA BENADAD: ארמנותכו הדד, *palatia Benadad*, *regis Syriæ*, III. Reg. XV. 18. Fuit & alius Benadad eius nepos rex etiam Syriæ, IV. Regum XIII. 24. De quo fortasse hic loquitur Ieremias: nisi dicamus sensum esse, Palatia Benadad, non qui tunc viveret, sed qui ea dum viveret ædificaverat.

V. 28. AD CEDAR, id est prophetia de Cedar, vel, contra Cedar, vel pertinens ad Cedar. Fuit Cedar secundus filius Ismaelis filii Abraham ex Agar ancilla, Genes. XXV. 13. ex quo Agareni Cedar nomine Patris appellati sunt. Vaticinatur ergo nunc Propheta contra Agarenos, qui cum Iudæis, sicut Moabitæ, Ammonitæ, & Idumæi cognationem habebant. ET ADREGNA ASOR: pluralis pro singulari; aut regna vocat dominationes, & diversas eiusdem regni civitates. Septuag. τῇ βασιλίσσῃ τῆς αὐλῆς, *Et regina aulæ*, quasi legerint למלכו החציר: חציר enim *aulam*, aut *atrium* significat. Quod Theodoritus interpretatur, *ad Cedar civitatem reginam aulæ*, id est quæ Agarenis imperat, qui in aulis ac tabernaculis habitant. Alii melius, *Ad omnia regna Asor*, id est ad omnes civitates, quæ sunt in ditione Asor, quæ civitas erat, in qua sedes regis Agarenorum Iud. IV. 2. HAEC DICIT DOMINUS; Chaldæis. Indicat Deum fuisse, qui Chaldæos ad pugnandum contra Agarenos excitavit. VASTATE FILIOS ORIENTIS, id est eos, qui ad orientem Cedar habitant, ut Chaldæus interpretatur. Hebr. בני קדם, *filios Cedem*. Quod & Hebræi, & Septuaginta nomen proprium esse putant alterius filii Ismaelis, qui ad orientem Cedar habitavit, unde fortasse nomen traxit; nam, *Cedem*, orientem significat: lege cap. XXV. Genes. vers. 15.

V. 29. TABERNACULA EORUM. Scitum est Agarenos pastores fuisse, & in tabernaculis & tentoriis habitasse: itaque eorum opes tabernacula, greges, pelles, & cameli erant, & sarcinulæ, quas secum, quocumque migrabant, comportare consueverant, eas vocat hoc loco *vasa*. Sicut omnia impedimenta bellica & Græce σκεύη, & Latine *vasa* dicuntur. Per pelles omne divitiarum genus intelligi solet, ut apud Iob II. 4. *Pellem, pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua*. ET VOCABUNT SUPER EOS: *contra eos*, עליהם, FORMIDINEM, id est, milites formidabiles ex omni parte, ut superius vers. 5. *Ecce ego inducam super te terrorem, ait Dominus*.

V. 30. ABITE VEHEMENTER: נדו מאד, *recedite valde*, id est longe. IN VORAGINIBUS SEDETE; id est, abdite vos sub terra, ne vos hostis inveniat. Heb. העמיקו לשבת, *profundate ad habitandum*, ad verbum; id est, quærite loca subterranea, & profunda, in

in quibus habitetis ut supra versu 8. QUI HABITATIS ASOR: id est, qui nunc in frequentissima civitate Asor habitatis, fugite, & habitate in cavernis solitudinis.

V. 31. CONSURGITE. Apostrophe ad Chaldæos, qua eos exhortatur, ut veniant contra Agarenos. AD GENTEM QUIETAM, id est pace abundantem. Ita describit Agarenos, ac Nomadas, qui extra urbes habitabant sine ostiis, ac sine vectibus, quamvis aliquas haberent civitates, ut Asor, & alias.

V. 32. ET DISPERGAM EOS IN OMNEM VENTUM: in omnes terrarum oras. QUI SUNT ATTONSI IN COMAM, id est Agarenos, qui secundum aures comam attondebant, ut nunc Poloni, & Hungari faciunt. קְצוּצֵי פֵאָה, quod Hebræi interpretantur *terminatos anguli*, id est ad eos qui habitant in extremis terræ angulis: sensus nostri interpretis mihi magis placet. Similis locus supra IX. 26. & XXV. 23.

V. 34. QUOD FACTUM EST VERBUM. Ordo verborum inversus, ut XLVI. I. & XLVII. I. ADVERSUS AELAM. AElam pars est Persidis, quæ Ailam ab AElam filio Sem dicta esse creditur. Tradunt autem Hebræi, ut R. David hoc loco refert, AElamitas Chaldæis contra Iudæos opem tulisse, ideoque contra illos nunc Ieremiam vaticinari.

V. 35. CONFRINGAM ARCUM, id est fortitudinem, & robur AElamitarum. Erant enim peritissimi sagittarii, ut apparet Isai. XXII. 6. Itaque omne robur bellicum in arcu ponebant. ET SUMAM FORTITUDINEM EORUM, id est auferam fortitudinem eorum, hoc est arcum. Heb. ראשית גבורתם, *caput fortitudinis eorum*, appositio; quasi dicat: Confringam arcum AElamitarum, qui est caput, & principium fortitudinis eorum. Quo etiam sensu Chaldæus, & Septuagint. verterunt; eodemque modo R. Salom. interpretatur. Ac fortassis etiam noster interpres verterat. *Summam fortitudinis*, aut *fortitudinem eorum*, eodem sensu, demptaque una littera *m*, sensus mutatus est.

V. 36. QUATUOR VENTOS: per ventos hostes intelligit, per quatuor omnes, quia ad quatuor omnes venti referuntur; quasi dicat: Hostes undique contra AElamitas excitabo, qui eos tamquam vehementissimi venti in omnes terræ partes abripiant.

V. 37. ET MITTAM POST EOS GLADIUM; id est, efficiam ut hostes eos, quocumque fugerint, persequantur, donec eos penitus deleam.

V. 38. ET PONAM SOLIUM MEUM; id est, postquam AElamitas eiecero, constituam alium regem in AElam, ut R. David interpretatur. Vocat solium suum, quod ipse dat. Aliter R. Salom. *ponam solium meum*, id est obsidionem meam: efficiam, ut hostes obsideant AElam: quemadmodum Galli obsidionem vocant *siege*, *solium*. Scribit R. David Hebræorum magistros hoc de Regina Vasthi & Aman exponere consuevisse, quod repudiata Vasthi, & suspenso Aman cum decem filiis suis Esther in reginæ, Mardochæus in Aman locum successerit.

V. 39. REVERTI FACIAM CAPTIVITATEM; id est, captivos AElamitas in libertatem asseram, quod de tempore Christi intelligendum est; quo tempore AElamitæ inter alias gentes a captivitate diaboli liberati, & in libertatem Christi vocati sunt; sicut Hebræi interpretantur similem locum supra XLVIII. 47. Vide caput II. Act. vers. 7. 8. 9.

S A.

Vers. I. AD FILIOS, id est de filiis, vel contra filios. ISRAEL, id est Israeli. MELCHOM, id est *Rex eorum*, scilicet Ammonitarum, vel idolum quod sic vocabatur: sic & infra. GAD, id est regionem tribus Gad, quæ ultra Iordanem. EIUS, scilicet Melchom. EIUS, scilicet Gad.

V. 2. TUMULUM DISSIPATA. Chald. *acervum desolationis*. FILIAE, id est subdita oppida, seu villæ.

V. 3. HAI, scilicet tibi vicina. FILIAE, id est villæ.

V. 4. DEFLUXIT. Chald. *desolata est*. FILIA DELICATA. Chald. *regnum insipiens*.

V. 5. AB OMNIBUS; pro, in omnibus, scilicet locis. A CONSPECTU VESTRO, id est ab invicem.

V. 6. FACIAM, scilicet per Evangelii prædicationem.

V. 7. THEMAN, id est Idumæa: a Theman filio Eliphaz filii Esau. FILIIS. LXX. *prudentibus*.

V. 8. VORAGINEM, id est fossas, scilicet ad latendum.

V. 9.

V. 9. Non. Chald. *num.* Racemum: per interrogationem; quasi dicat, Aliquem reliquissent, at hostes tui nihil relinquent. Rapuissent, scilicet tantum.

V. 10. Non erit, scilicet dicere quod sequitur.

V. 12. Non erat, scilicet hominum opinione. Iudicium, id est æquum, seu iustum; quasi dicat, Qui non videbantur mereri supplicium. LXX. *lex*.

V. 13. Sempiternas, id est diuturnas.

V. 14. Eam, scilicet Bosra. Consurgamus. Chald. & LXX. *surgite*.

V. 15. Parvulum, id est abiectum. Chald. *infirmum*. Te, scilicet o popule Idumæorum.

V. 16. Apprehendere, id est tenere.

V. 19. Ascendet, scilicet Nabuchodonosor. Superbia, id est tumore. Iordanis; scilicet illac transiturus erat contra Idumæos. Robustam, scilicet Idumæorum. Praeponam ei? scilicet dando victoriam contra eam. Pastor. Chaldæus, *Rex*.

V. 20. Parvuli gregis, id est vilissimi quique exercitus Chaldæorum. Nisi: affirmat, more Hebr.

V. 21. Eius, scilicet Idumææ.

V. 22. Ascendet, scilicet exercitus.

V. 23. Auditum, id est nuntium, seu rumorem. In mari; pro, velut in mari, scilicet iactati.

V. 27. Benadad: nomen Regis Syriæ.

V. 28. Regna, id est ditionem. Asor: nomen urbis. Orientis, scilicet Arabes Orientales.

V. 29. Formidinem, id est milites timorem incutientes. LXX. *perditionem*.

V. 30. Fugite, scilicet si potestis. Ironice.

V. 31. Ostia, scilicet quia nullum timent.

V. 32. Attonsi. Vide sup. cap. ix. Confinio. LXX. *parte*. Chald. *latere*.

V. 34. AElam, id est Persiam, seu Persiæ certam regionem, dictam sic ab AElam filio Sem.

V. 35. Summam fortitudinem. Chald. *caput roboris*.

V. 36. Ventos. Chald. *regna*.

V. 38. Solium meum: quasi dicat, Subiiciam mihi.

V. 39. Reverti, scilicet ad fidem Evangelicam.

ESTII.

Vers. 1. Numquid non filii sunt Israel?.... Cur igitur haereditate possedit Melchon Gad? Melchon idolum erat Ammonitarum: & solent gentiles idolis suis tribuere victorias adeptas: unde propheta se eorum loquendi consuetudini attemperans, sic loquitur. Ita & Iephte Iudicum xi. ad Ammonitas, nominans alterum eorum idolum, dicit: *Nonne ea quæ possedit Chamos Deus tuus tibi debentur?* possidere autem hic est acquirere. Itaque manifestum est hæc dici ad sensum gentilium, qui ita opinabantur, non autem quod dæmones suis cultoribus ullas possint dare victorias, nisi Deo permittente. Potest istud etiam aliter intelligi; videlicet ut per Melchon non intelligatur idolum Ammonitarum, sed rex. Nam vox, *Melchon* significat idem, quod, *rex eorum*. Unde quod habemus II. Reg. xii. 30. de victoria David contra Ammonitas: *Et tulit diadema regis eorum de capite eius*, idem narratur I. Paralip. xx. his verbis: *Tulit David coronam Melchon de capite eius*. Et utrobique est idem vocabulum *Melchon* in Hebræo; quod Interpres noster modo interpretatus est, modo reliquit. Itaque cum ibi in lib. Paralipom. verisimilius sit per vocem *Melchon*, intelligi, *regem eorum*: hoc enim *Melchon* ut diximus, sonat: non autem idolum Ammonitarum; ita & hoc loco similiter vocem (*Melchon*) possumus accipere.

MARIANAE.

Quinque Prophetiæ hoc capite continentur contra totidem gentes. De tempore, quo sunt dictæ, laborare non est opus.

V. 1. Ad filios Ammon. Titulus Prophetiæ. Erant Ammonitæ posteri Lot, Genes. xix. 37. sicut & Moabitæ. Illis vicina erat tribus Gad, quæ cum in captivitatem abiisset cum reliquo Israele, Ammonitæ eius urbes & agros occuparunt, quasi vacuos, aut propinquitatis iure. Quod factum hic accusat Propheta. Melchon, idolum Ammonitarum, alio nomine *Moloch*, quia Saturnus creditur. Per *Melchom* autem Ammonitas intelligit, qui eum co-

lebant. Chald. vertit *Rex eorum*, quare possedit Rex Ammonitarum Gad.

V. 2. ET AUDITUM FACIAM: audire faciam fremitum belli. SUPER RABBATH. Sic Septuagint. sive *in Rabbath*. Civitas Ammonitarum. ET ERIT IN TUMULUM. non *in tumultum*. Sed ut urbes eversæ in lapidum & ruderum acervos rediguntur. DISSIPATA. Hebr. *desolationis*, id est desolata. FILIAEQUE EIUS. Sic villas & vicos urbi subiectas vocant. ET POSSIDEBIT ISRAEL, eorum ditio Israelitis cedet. Quod quo tempore sit factum, non constat.

V. 3. ULULA HESEBON. Urbs Moabitarum, sed vicina Moabitis. Ulula ergo, quoniam similis clades ei, quam pertulit Hai urbs Ammonitarum tibi imminet. FILIAE RABBATH. Villæ & vici. ET CIRCUITE PER SEPES, aut *oberrate per sepes*: captate latebras in vinearum & hortorum sepibus. MELCHOM. Quod de Chamos dixit cap. XLVIII. 7. ibit in captivitatem non propter numen, sed aurum.

V. 4. QUID GLORIARIS IN VALLIBUS? Quia irriguæ & fertiles. DEFLUXIT VALLIS TUA; pro, *valles*; defluxit fertilitas, abiit, aut defluxit occisorum sanguine. FILIA DELICATA. Hebr. *filia rebellis*. Urbem, *filiam* vocat, ut solet aliis locis virginem vocare. QUAE CONFIDEBAS IN THESAURIS. Per thesauros, horrea, apothecas intelligo, ut cap. XLI. 8. ET DICEBAS: non est Hebr. sed bene suppletur, ut & Sept. & Chald. supplent. *Dicebas*; *Quis veniet ad me?*

V. 5. TERROREM inducam, scilicet bellicum; milites terribiles. AB OMNIBUS QUI SUNT IN CIRCUITU TUO: finitimæ gentes in te conspirabunt. Hebr. *ex omnibus circuitibus tuis*. Quod intelligi potest, ut diximus, aut quod ex omnibus lateribus tuis ingruet bellum. SINGULI A CONSPECTU VESTRO, id est a patria vestra. Heb. *quisque ad facies suas*, id est per diversa loca dispergemini.

V. 6. ET POST HAEC REVERTI FACIAM. Quod de Moabitis etiam dixit cap. superiori vers. 47. Quando? Christi tempore. At id beneficium commune est omnibus.

V. 7. AD IDUMAEAM. Titulus Prophetiæ. IN THEMAN. Urbs Idumææ præcipua, unde belli & pacis legis prodibant, dicta sic a Theman nepote Esau, Genes. XXXVI. 15. PERIIT CONSILIUM A FILIIS, scilicet Theman a civibus. Sept. *ab intelligentibus;* quasi dicat: *Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobabo*: Isai. XXIX. 14. Vox Hebr. מִבָּנִים *banim* & *filios* & *intelligentes* significat. INUTILIS. Hebr. *computruit sapientia eorum*. Nesciunt quo se vertant, quid faciant.

V. 8. ET TERGA VERTITE. Hebr. *convertimini*, scilicet in fugam. DESCENDITE IN VORAGINEM. Hebr. *profundate ad habitandum*, id est vos in speluncas abdite. HABITATORES DEDAN. Urbs erat Idumææ. QUONIAM PERDITIONEM ESAU ADDUXI. Sic vocat Idumæos, quoniam Esau fuit eorum Princeps & auctor: Genes. XXV. 30.

V. 9. SI VINDEMIATORES VENISSENT SUPER TE. Hebr. *tibi*, loquitur de iis qui alienas vineas vindemiant. NON RELIQUISSENT RACEMUM, scilicet sponte sua. Omnia raperent. QUOD SUFFICERET SIBI. Hebr. *vastarent sufficientiam suam*, id est omnia quæ possent, & liberet.

V. 10. EGO VERO. Hebr. *quia ego*; quasi dicat: Sic fiet cum Idumæis, quia ego revelabo hostibus omnia quæ habent, ut nihil eos lateat. SEMEN EIUS: ipsi & posteri peribunt. ET NON ERIT. Non amplius erit Edom, penitus delebitur. Sept. & Kimhi illud *& non erit* iungunt cum sequentibus. Kimhi sic, *& non erit*, (scilicet qui dicat) *relinque pupillos*. Sic Sept. *& non est, relinqui orphanum tuum, ut vivat*. Ego quidem de ordine versuum nihil muto, sed sequentia aliter explico.

V. 11. RELINQUE PUPILLOS SUOS. Dixerat, hostes fore ut prædones vastaturos omnia. Excipit nunc ab ea universitate pupillos & viduas. *Relinque*, id est exipe pupillos. Deus miserorum est pater, in ira etiam eos tuetur.

V. 12. ECCE QUIBUS NON ERAT IUDICIUM, id est æquum non erat comparatione vestri. Cap. XXVI. 11. *Iudicium mortis est viro huic*, id est mori æquum est. UT BIBERENT CALICEM, scilicet iræ Dei. ET TU QUASI INNOCENS liberando liberaberis? Hebr. id est pro tua innocentia pronuntiabitur? Bibes haud dubium calicem.

V. 13. BOSRA. Erat urbs Idumææ Princeps; sumitur pro tota Idumæa. Ideo additur, *omnes civitates eius*, scilicet Idumææ. ERUNT IN SOLITUDINES SEMPITERNAS, numquam reædificabuntur. Porro *Bos-*

ra,

ra, *arcem* & *munitionem* significat, quod scilicet ea urbs munitissima esset.

V. 14. ET LEGATUS AD GENTES MISSUS EST. Prosopopœia est. Per *Legatum Dei* decretum intellige concitandi contra Idumæam alias gentes. ET CONSURGAMUS. Hebr. *consurgite*.

V. 15. PARVULUM, abiectum, contemptibilem te, o Edom, feci, ut mox addit.

V. 16. ARROGANTIA TUA. Vox Hebr. *tiphlazthecha* significat *terrorem*, scilicet quem finitimis iniecisti, decepit te. Significat etiam *idolum*, in quo scilicet fidebas, decepit te, & ex eo superbia cordis. IN CAVERNIS PETRAE, aut *in scissuris*. Hebr. *in cacuminibus petræ*, id est in rupibus, quibus arces imponebant. Ergo qui habitas in arcibus, eoque tibi videris tutus. Id magis declarat. ET APPREHENDERE NITERIS ALTITUDINEM COLLIS, scilicet in summo colle arce imposita. QUASI AQUILA altissime volat, & in locis arduis ponit nidum. Totus hic locus ferme iisdem verbis est in Abdia. INDE DETRAHAM TE, ex iis arcibus.

V. 17. ET SIBILABIT. Ex admiratione, aut ex contemptu sibilabit viator.

V. 19. ECCE QUASI LEO ASCENDET, scilicet hostis. DE SUPERBIA IORDANIS, id est de silvis, quæ ad Iordanem sunt densæ & proceræ propter humorem, eas vocat *superbiam Iordanis*. Ergo hostis erit ut leo, non cicur, sed ferox ex silvis. AD PULCHRITUDINEM ROBUSTAM. Hebr. *ad habitaculum robustum:* sic Idumæam vocat. Iam monui sæpe, Hieronymum pro *habitaculo* ponere *pulchritudinem*, & quam ob causam. QUIA SUBITO CURRERE FACIAM EUM, scilicet leonem. Hic leo ex Abdia vers. 18. est Iudaicus populus, qui liber a captivitate vastavit Idumæam. Chald. *quia momento adducam eos*. ET QUIS ERIT ELECTUS? Quem illis ducem ad resistendum præficiam? quasi dicat, Nullus erit. ET QUIS SUSTINEBIT ME. Hebr. *quis constituet mihi tempus*, scilicet, ad confligendum mecum. Quis mihi diem dicet? ET QUIS EST ISTE PASTOR, id est Rex. *Pastoris* nomine sæpe Reges vocantur in Sacris & profanis litteris. QUI RESISTAT UULTUI MEO? Hebr. *qui stet coram me*.

V. 20. THEMAN. Sic Idumæa vocatur a Theman filio Eliphaz nepote Esau, Genes. XXXVI. 15. Erat & civitas eo nomine vers. 7. SI NON. Forma iurandi, per aposiopesim, ut, Mihi non credatur, si non. DEIECERINT EOS PARUULI GREGIS, id est pueri pastores. Sic Iudæos vocat, quia ex Iacob minori fratre progeniti. Pro *deiecerunt*, alii vertunt *traxerint*. Utroque modo significat fore ut Idumæos vincant. NISI DISSIPAVERINT. Hebr. *nisi desolaverit* (pro *desolaverint*) *cum eis habitacula*, id est tuguria. Prosequitur pastorum metaphoram, & per *tuguria* seu *habitacula* domos & urbes intelligit.

V. 21. A VOCE RUINAE, id est præ fragore cadentium domorum. COMMOTA, seu *tremuit* terra illa. CLAMOR IN MARI RUBRO. Idumæa mari illi vicina erat. VOCIS EIUS. Hebr. *vox eius:* sic Chald. scilicet audita est. Per *vocem* strepitum, fragorem intellige.

V. 22. QUASI AQUILA ASCENDET, scilicet hostis. EX EXPANDET ALAS, copias SUPER BOSRAN, seu *contra Bosran*. Illam obsidebit castris iuxta positis. MULIERIS PARTURIENTIS. Hebr. *mulieris afflictæ*, scilicet doloribus partus. Sic scilicet erit cor Idumææ.

V. 23. AD DAMASCUM. Novæ & tertiæ Prophetiæ titulus. CONFUSA EST EMATH, ET ARPHAD: pudore affectæ. Duæ urbes Syriæ Damasco vicinæ, præsertim Emath, quæ postea Antiochia dicta est. Caput tunc Syriæ Damascus. Isai. VII. 8. *Caput Syriæ Damascus*. Romanorum tempore Antiochia Syriæ fuit caput: Tacitus Lib. XIV. QUIA AUDITUM PESSIMUM, scilicet hostes contra Syriam venire. TURBATI SUNT IN MARI. Hebr. *liquefacti sunt*, aut *dissoluti sunt*. Forte in navali pugna victi erant. Aut *in mari laborabit*, pro, sicut in mari, nausea scilicet vectores laborant: sic Chald. PRAE SOLITUDINE. Hebr. non est *præ*, neque in Gotth. sed in ablativo tamen poni, verbum (*potuit*, aut *poterit*) masculini generis ostendit. NON POTUIT; pro, non potuere illæ urbes præ solitudine quiescere.

V. 24. TREMOR APPREHENDIT EUM. Tremit tota præ metu.

V. 25. QUOMODO DERELIQUERUNT; scilicet a civibus, non eam sunt tutati. Heb. *quomodo non est derelicta*; id est, quomodo ei urbi non perpercit belli flamma. Verba sunt aut Prophetæ, aut Damascenorum.

V. 26.

V. 26. Ideo, scilicet quia Syri confidunt in ea. Cadent iuvenes, id est milites, qui fere ea ætate leguntur. Et omnes viri praelii, item milites. Conticescent, sive *exscindentur*, *peribunt:* sic Sept. & Chald. Verbum דמם *damam*, *silere* & *exscindere* significat. Sed & *conticescent* significare potest *peribunt*, ita ut nulla eorum mentio aut memoria extet.

V. 27. In muro Damasci; pro, intra murum. Et devorabit moenia Benadad: fortasse legi debet *mœniana*, quia Hebr. est *palatia Benadad*. *Benadad* fuit Rex Syriæ, III. Regum xv. 18. & alter, IV. Regum xiii. 24. Intra Damascum erat palatium a Rege eo nomine exstructum, quod *palatium*, seu *palatia Benadad* vocabatur.

V. 28. Ad Cedar. Novæ Prophetiæ titulus. *Cedar* fuit secundus Ismaelis filius: Genes. xxv. 3. Ab eo gens *Cedar* dicta in Arabia, quæ Nomadum instar in tabernaculis vivebat. Cant. 1. 5. *quasi tabernacula Cedar*. Hi solito instar finitimos odio Iudæis erant infensi. Asor, urbs præcipua Chanaan: Iudic. iv. 2. Ergo Prophetia contra Cedar, & contra Chanaan est. Surgite. Chaldæis loquitur, quos excitat contra Cedar. Et vastate filios Orientis. Arabia Iudææ ad Ortum est.

V. 29. Tabernacula eorum. In iis habitabant illæ gentes. Et greges, pastores erant. Pelles. Hebr. *cortinas*, quæ *pelles* vocantur Cant. 1. 5. *Sicut pelles Salomonis*, quoniam e pellibus fiebant. Porro *Cortinæ* pro tentoriis sumuntur, ut sit repetitio; aut per *tabernacula* tuguria intelligit ex ramalibus facta, per *cortinas* tentoria e pellibus. Vasa, suppellectilem: omnia hæc hostes tollent. Præterea vocabunt Formidinem, id est milites formidabiles undique contra eos convocabunt. Hactenus contra Cedar, mox contra Asor.

V. 30. Abite vehementer, id est procul. In voraginibus sedete Hebr. *profundate ad habitandum*, id est latebras subterraneas captate.

V. 31. Consurgite, o Chaldæi. Non ostia, nec vectes eis. In oppidis apertis habitant nullis muris cincti, nullæ urbium portæ, nulli vectes quibus portæ claudantur, nullas auxiliares copias habent. Soli habitant, quippe nihil sibi timent Aforitæ, de quibus loquitur: Opportuni hostium iniuriæ sunt.

V. 32. Multitudo iumentorum. Hebr. *multitudo pecudum*, seu *gregum*: id significat מקנה *mikneh*. Et dispergam eos in omnem ventum, in omnes orbis plagas. Qui sunt attonsi in comam: scilicet Aforitæ sunt usque ad aures attonsi, ut nunc gentes quædam. Heb. *extremos anguli*; id est, faciam ut eant ad extremas orbis partes. *Angulus* pro, fine. Hanc formam loquendi habes cap. ix. 26. & cap. xxv. 23 & ibi plura.

V. 34. Adversus AElam. *AElam* Persis est, aut pars Persidis, de qua Act. ii. 9. & Ioseph. Lib. I. Antiq. cap. xiv. sic dicta ab AElam filio Sem.

V. 35. Ecce ego confringam arcum AElam. Erant peritissimi sagittarii. Et summam fortitudinem eorum: non *summam*, ut quidam codices; quoniam Heb. est, *Principium* (ut Sept. seu *caput*, ut Chald.) *fortitudinis eorum*, scilicet qui arcus est præcipua eorum fortitudo.

V. 36. Quatuor ventos, id est hostes ab omnibus plagis in eos induceam, qui in omnes ventos, id est oras, eos dispergent.

V. 38. Et ponam solium meum in AElam, id est alium eis Regem præficiam, cuius solium suum vocat, quoniam ab ipso Deo constitutum.

MALVENDAE.

Vers. 1. Ad filios Hammon, &c. Hebr. *Filiis*, dativus, vel *De filiis Hammonis*. Alii: *Contra filios Hammonis*, seu *Hammonitas*, &c. Sic deinceps. Hoc capite, inquiunt, continentur quinque prophetiæ suis inscriptionibus distinctæ, pro ratione populorum, ad quos fuerunt enuntiatæ. Hæc autem prima contra Hammonitas tres partes continet: nam primum de iniuria populo suo facta cum Hammonitis contestatur Deus, vers. 1. & supplicium denuntiat duobus sequentibus: deinde contestatur insolentis fiduciæ nomine, & pœnam inducit peccato parem vers. 4. & 5. postremo promissionem Evangelicam adhibet vers. 6. ut supra cap. xlviii. 47. Numquid non filii sunt Israeli? aut heres non est ei? Alii: I. *Nam Israeli desunt liberi, aut hæredem non habet?*

bet? II. *An filii nulli sunt Israeli? an hæres nullus est ei*: id est, an nulli sunt amplius posteri ex Iahakobo, qui maioribus aut agnatis suis succedant ex lege, quod Gadiis sortem obtines? aut etiam nonne est Iehuda legitimus hæres sortis suæ, quod tu infestas eum? II. Reg. xxiv. 2. Melchom. Heb. מלכם *malcham*. Noster & alii putarunt esse nomen proprium idoli Hammonitarum, qui I. Reg. xi. 5. dicitur *Milchom*. Alii appellative capiunt, *rex eorum*, quod magis Hebraicæ punctaturæ congruit. Sic vers. 3. Quidam reddunt: *cur hæreditario iure possidet rex istorum Ghadem?* id est, sortem attributam tribui Ghadis ultra Iardenem; quam sibi primum Hammonitæ vindicare voluerunt, Iudic. xi. deinde vero deportatis in Assyriam Reubenitis, & Ghaditis eum Phule aut Thiglath Phileessere convenerunt de ea possidenda, magna cum aliorum Israelitarum, tum Iehudæorum iniuria.

V. 2. Ideo ecce dies veniunt, &c. Alii: *Idcirco ecce dies venturi sunt*, &c. videlicet post eversum Iehudæorum regnum: vide Ezechiel. xx. 33. & sequentibus. Iosephus X. Antiquit. cap. xi. tempus consignat in hunc modum: *Quinto enim post excidium Ierosolymitanum anno, qui fuit regni ipsius Nabuchodonosori vigesimus tertius, cum magnis copiis invasit Cœlen Syriam, qua subacta, bellum gessit contra Hammonitas, & Moabitas, &c* Et auditum faciam super Rabbath filiorum Ammon fremitum praelii. Alii: I. *ut ipsi Rabbath filiorum Hammonis inferam classicum prælii*, vel *clamorem bellicum*, *qualem edunt milites sub conflictum*: nimirum post classicum, quem Latini *barritum*, vel *barbaricum* vocant: vide Militiam Romanam Lipsii Lib. IV. Dialogo 12. II. *cum faciam ut audiatur contra Rabbam Hammonitarum clangor belli*. Fuit *Rabbah*, vel *Rabbath* civitas regia Hammonitarum, de qua vide in Deuteronom. iii. 11. Iosue xiii. 25. II. Samuel. xi. 1. Forsterus reddit: *& audire faciam ad Rabbath filiorum Hammonis; triumphationem*, seu *triumphum belli*; id est, eam vocem quam milites triumphantes parta victoria edere solent, *Io triumphe:* ut supra cap. ii. 19. Et erit in tumulum dissipata: Alii, I. *& redigetur in acervum desolationis*, id est in acervum lapidum, aut ruderum testem ruinæ & desolationis. II. *sitque tumulus vastitatis*. Filiae eius igne succendentur. Alii: I. *& filiæ eius igne comburentur*; id est, vicinæ urbes minores, subditæ ei. II. *& pagi*, *villæ*, *suburbana*, *oppida minora eius igne succendantur;* sic versu sequente. Et possidebit Israel possessores suos. Alii: I. *ita hæres erit Israel hæredum suorum*. II. *& hæreditate accipiet Israel eos, qui hæreditate acceperunt ipsum*. Hoc impletum quidam volunt tempore Machabæorum, I. Machabæor. v. 6. & sequentibus.

V. 3. Ulula Hesebon. Alii: *Eiula Cheschbon*, civitas Gaditarum, Iosue xxi. 37. de qua vide Numeror. xxi. 25. & supra cap. xlviii. 34. Quoniam vastata est Hai. Alii: *cum vastata fuerit Hai*, civitas Gaditarum altera trans Iardenem sita, ac proinde distinguenda ab ea, cuius historia habetur Iosue vii. quæ eis Iardenem erat. Hæc nostra vicina fuisse videtur Ghesboni. Et circuite per sepes. Imperativus התשוטטנה *hithschotatnah*, verbi geminati *in Hithpahel* ingentem trepidationem fugæ & discursationis significat. Quidam reddunt: *& cursitate per septa*, vel *sepes* aut *macerias*. Alii: *& oberrate circum sepes*, pagorum aut villarum, quærentes latebras fugæ. Quoniam Melchom in transmigrationem ducetur. Non male hic retineatur nomen proprium dea-stri Hammonitarum: nam hoc ipsum etiam dictum est supra de Chemoso deo Moabitarum, cap. xlviii. 7. Alii tamen appellative exponunt: *Nam rex istorum in deportationem abibit*, vel *in captivitatem vadet*.

V. 4. Quid gloriaris in vallibus? &c. Hunc versum ex Hebr. alii reddunt: I. *Quid gloriaris in vallibus* tuis fertilibus & uberrimis? *defluxit vallis tua*, sanguine interfectorum, *o filia vaga* vel *rebellis*, *quæ confidit in thesauris suis*, *dicens: Quis accedet ad me?* ut mihi noceat. II. *Quid gloriaris de convallibus*, *affluente canvalle tua o filia aversa? quæ confidit in thesauris suis*, id est opibus & commeatu abundantissimo: *dicens*: *Quis invaderet me?*

V. 5. Ab omnibus qui sunt in circuitu tuo. Alii:, I. *ab omnibus*, *qui circum te sunt*, id est ab omnibus vicinis tibi regionibus. II. *ex omnibus locis circumstantibus te*. Et dispergemini singu-

CULI A CONSPECTU VESTRO. Alii: I. *& propellemini quisque seorsim*, vel *ante conspectum suum;* quasi dicat, Et versi in fugam fugietis singuli in regionem vobis obviam & oppositam. II. *cuius* pavoris *praesentia dispellemini quisque*. Hebr. *ad*, *ante*, *facies suas*; id est, quocumque eum sors tulerit. NEC ERIT QUI CONGREGET FUGIENTES. Alii, I. *nec erit*, *qui palantes colligat*. II. *& nullus erit*, *qui congreget errantem*. III. *& non est*, *qui colligat vagabundum*; id est, nullus erit qui vagos vos, & huc illuc discurrentes hospitio excipiat.

V. 6. ET POST HAEC REVERTI FACIAM, &c. ut supra cap. XLVIII. 47.

V. 7. AD IDUMAEAM. Alii: *De Idumaea*, vel *Contra Edomaeos*. Secunda haec prophetia tribus partibus continetur: primum enim sapientiam carnalem Edomaeis Deus obiicit, & interminatur de iudicio gravissimo ignominiaque importanda, usque ad vers. 16. deinde obiicit praefidentiam propter munitionem loci, & ruinam denuntiat usque ad vers. 19. postremo iniurias populo suo factas exprobrat, quarum nomine Deus se par pari relaturum dicit, inde ad vers. 23. Confer cum Ezechiel. cap. XXV. NUMQUID NON ULTRA EST SAPIENTIA IN THEMAN? Alii: *An nulla est amplius sapientia in Themane?* gente Edomaeorum, denominata a Themane nepote Hesavi ex Eliphazo Genes. XXXVI. 15. Etsi hac voce synecdochice comprehenduntur omnes posteri Hesavi; ut voce Dedanis posteri Abrahami ex Ketura, proxime sequente versu. Sic supra XXV. 24. De regione Themanis vide in Genes. XXXVI. 34. olim Idumaei & Themanaei sapientiae nomine commendati fuere Hobadiae vers. 8. Argumento est Eliphaz Themanites amicus Iiobi sapientiae opinione clarus, ut eius cum Iiobo dissertationes manifeste commonstrant; quasi dicat: Qui fit, ut iam Themanitae sapientia destituantur, qui antea ea plurimum pollebant? PERIIT CONSILIUM A FILIIS, בנים *banim*, plurale nominis בן *ben*, *filius* a בנה *banah*, *periit consilium a filiis*, quo patres & maiores eorum cumprimis claruerunt. Alii participium plurale *kal* verbi בין *bin*, faciunt: *periitne consilium ab intelligentibus*, sive *a prudentibus?* INUTILIS FACTA EST SAPIENTIA EORUM. Alii ex Hebr. I. *corrupta est*, *putrida*, *foetida facta est sapientia eorum*. II. *extensa est*, id est *amota*. III. *contracta est*, *& imminuta sapientia eorum*; id est, contractum est & imminutum, id quod ample extensum & diffusum erat de eorum sapientia. IV. *superfluafacta est nimis sapientia eorum*. V. *nihil facta est sapientia eorum*. VI. *exolevit sapientia eorum*, VII. Chaldaeus: *infatuata est sapientia eorum*.

V. 8. FUGITE, ET TERGA VERTITE, &c. Hunc versum alii ex Hebr. reddunt: I. *Fugite*, *o habitatores Dedanis*, *quia conversi sunt hostes*, *& vafrum consilium inierunt*, *ut habitent in patria vestra*: quasi dicat, Fugere cogemini: *quia calamitatem Esau*, seu *Idumaeae*, *inducturus sum super eum*, *tempore quo visitabo eum;* id est, tempore, quo decrevi illam Idumaeam punire. II. *Fugite*, *tega vertite*, *in valles vos demergite ad habitandum*, *o vos habitatores Dedanis*, *quia interitum Esau induxi super eum*, *tempus*, *quo eum visito*. III. *Fugite* (*fiet*, *ut avertentes sese profundabunt habitare*, seu *petant habitationes profundas*) id est, effugiant e montibus suis in latibula; sic infra vers. 30. vide Abdiae vers. 6. *o habitatores Dedanis*, *nam calamitatem Hesavi adducturus sum in eum*, *quo tempore visitabo eum*, seu *animadvertam in eum*. IV. *Fugite*, pro fugietis (*conversi sunt*, seu *convertentur*, aut *convertent sese* hostes vestri contra vos, posteaquam simulaverint fugam: *callidum consilium inierunt ad habitandum*, seu *ut inhabitent*.) Hebr. *profundaverunt*, subaudi, consilium; id est, hac ratione callidum, subtile, astutum, ac vafrum consilium inibunt adversum vos, ut occupent terram vestram: *o habitatores Dedanis: quoniam contritionem Esau adducturus sum super eum*, *tempore quo visitabo eum*. Hebr. praeterita pro futuris. TERGA VERTITE, הפנו *hophnu*, plerique imperativum *Hophal* esse volunt; *obversi estote*, *vertite vos*. Alii praeteritum, negantes huic coniugationi imperativum esse, *obverterunt sese*. Vide Thesaurum Pagnini, colum. 2013. & 2192. HABITATORES DEDAN: de quo vide supra XXV. 23.

V. 9. SI VINDEMIATORES VENISSENT SUPER TE, &c. Plerique hunc versum ex Hebr. interrogative efferunt, ut Habdiae vers. 5. ubi idem habetur. I. *Si vindemiatores venissent tibi*, vel *contra te*, *an non reliquos fecissent racemos aliquos? & si fu-*

res

res noctu irruissent, tantum vastassent, vel *perdidissent, sufficientiam suam*, seu *quod*, vel *quantum eis libuisset, & satis fuisset*: reliquis pepercissent. II. *Si vindemiatores advenirent tibi, nonne relinquerent racemos? Si fures noctu, perderent quod satis esset ipsis*: ac non amplius dilapidarent. Amplificatio calamitatis prænuntiatæ per comparationem minoris, hoc versu, & duobus sequentibus.

V. 10. Ego vero discooperui Esau, &c. Alii hunc versum ex Hebr. transferunt: I. *Sed ego nudavi Hesau, revelavi abstrusa eius, ut abscondi non possit; vastatum est semen eius, fratres eius atque vicini eius, ita ut nihil eius superfit*. Alii per futurum. II. *Atqui ego denudaturus sum Hesavum, reseraturus abdita eius, adeo ut sese abscondere non possit: vastabitur semen eius, fratresque eius, & vicini eius, adeo ut nullus superfit, qui dicat*, vel *& non erit, qui dicat*, scilicet, sequentia. Revelavi abscondita eius. Heb. *evolvi, devolvi, revelavi, reseravi, absconsiones, latebras, latibula eius*, מסתרים *mistarim*, proprie *mysteria*. Græca ipsa vox ipsissima est Hebræa, & ab Hebræis accepta; quasi dicat: Totam Edomæam nudavi, discooperui, spoliavi omnibus suis opibus & ornamentis, & omnes latebras eius excussi, & exposui expilandas hosti. Et celari non poterit, נחבה *nechbah*, aiunt esse infinitivum *Niphal* perfectum, cum *Nun* Characteristico coniugationis, & *He*, pro *Aleph*. Alii participium faciunt: *& abscondens se*, seu *abditus esse non poterit*.

V. 11. Ego faciam eos vivere. Alii I. *ego reficiam eos*. II. *ego in vita conservabo*, vel *nutriam, educabo*. Et viduae tuae in me sperabunt, vel *confident*. Hebr. est enallage generis, & personæ: vide Thesaurum Pagnini colum. 251. Aptius alii active: *& viduas tuas super me*, vel *mihi confidetis*, seu *confiditote*; id est, meæ fidei committite. Hispanice, *Fiarlas eys demi*, aut *sobremi*; quasi dicat: Esto bono animo, nam te mortuo, curam pupillorum tuorum, & viduarum tuorum geram.

V. 12. Quia haec dicit Dominus: Ecce, &c. Alii hunc versum ex Hebr. reddunt: I. *Quia sic dixit Iehova: Ecce, quorum non erat iudicium, ut biberent calicem iræ* Dei, *bibendo bibent; & tu immunis existendo immunis eris*, vel *absolvendo absolveris*, aut *innoxius existendo innoxius eris? non eris immunis*, seu *innoxius*, vel *non absolveris; sed bibendo bibes*; quasi dicat: Qui suis peccatis non sunt commeriti iudicium meum, ut a me castigentur & affligantur, solent nihilominus interdum a me affligi & exerceri; multo magis tu, qui tot & tanta peccasti, a me punieris. Quidam exponunt: Qui suo iudicio indignum iudicabant ut biberent calicem, nempe Iudæi quod populus Dei essent, & tamen ipsi biberunt; quanto magis vos gentiles, alieni a fœdere Dei, &c. II. *Quia sic locutus est Iehova: Ecce quos videbatur parum æquum bibere calicem, cumprimis biberunt: tu autem innoxius & exors esses? neutiquam eris innoxius & exors, sed bibendo bibes*. III. *Nam sic ait Iehova*: confirmatio a comparatione minoris, adducto exemplo iudiciorum Dei in eos, qui minus fuerant promeriti: *Ecce quorum nullum erat ius bibendi hoc poculum*, videlicet comparatione tui, dictum καὶ τι; *ii omnino bibunt; tu autem ipse impunis existendo impunis esses*, seu *omnino esses impunis? non eris impunis, sed omnino bibes*: vide supra cap. XXV. 28. & 29. ubi simile habetur.

V. 13. Quia per memetipsum iuravi, dicit Dominus, &c. Quidam hunc versum ex Hebr. convertunt: *Nam per me iuro, dictum Iehovæ, desolationi, opprobrio, vastitati, & maledictioni fore Botzram: & omnes civitates eius abituras in vastitates sæculi*, seu *perpetuas*. Alter confirmationis locus, a iuramento Dei, hoc versu: & decreto lato, duobus sequentibus. De Botzra vide cap. XLVIII. 24.

V. 14. Auditum audivi a Domino, &c. Alii hunc versum ex Heb. explanant: *Rumorem audivi a Iehova, & legatum ad gentes missum, dicentem: Congregate vos & invadite eam, ac surgite ad prælium*. Vide hunc versum totidem verbis conceptum Abdiæ vers. 1. Hebr. *Auditionem audivi de cum Iehovah*; id est, certissime audivi a Iehovah, vel apud Iehovah. Alii: *Famam, rumorem audivi, intellexi, revelante mihi Iehova*.

V. 15. Ecce enim parvulum dedi te, &c. Alii: I. *Nam ecce parvum dispositurus sum te inter gentes, contemptum in-*

ter homines. II. *Ecce enim abiectum, humilem te reddidi inter gentes ; & contemptum, proculcatum, inter homines;* quasi dicat: Decrevi te deprimere, & summa illa felicitate, ob quam hodie superbis, spoliare te, o Edomæa. Vide Abdiæ vers. 2

V. 16. ARROGANTIA TUA DECEPIT TE. Alii ex Hebr. I *Idolum* seu *simulacrum tuum*, aut *superstitio*, seu *idololatria tua decepit te*. II. *Conquassatio tua*, active qua alios quassabas, & in eos tyrannidem exercebas, *decepit te*. III. *Fremor, timor, terror tui, quem solebas aliis incutere*, præ nimia potentia tua, *ipse decepit te*. IV. Tremellius, Iunius, Buxtorfius: *Horror tuus decepit*, vel *seduxit te*, id est horrenda potentia tua, vel horrenda terra tua in qua nimium confidis. Secundus locus, ut diximus supra in vers. 7. Intelligit autem horrentem Edomæorum regionem præ asperitate montium Chorræorum ; unde etiam montes Sehiris, id est horrentis regionis, videntur dicti. Vide in Genes. XIV. 6. QUI HABITAS IN CAVERNIS PETRAE. Alii: *o qui habitas in cavernis*, seu *fissuris*, vel *in gyris*, seu *in circuitu rupis;* id est, in vertice, seu in cacumine rupis, hoc est in locis inexpugnabilibus & inaccessis. Chorræos, dictos quasi Troglodytas, annotavimus in Genes. XIV. 6. Vide Abdiæ vers. 3. ET APPREHENDERE NITERIS ALTITUDINEM COLLIS. Heb. *capiens, prehendens, tenens, occupans altitudinem collis*. Quidam: *qui carpis altitudinem collis;* id est, qui in editis collibus Sehiris habitas? CUM EXALTAVERIS QUASI AQUILA NIDUM TUUM, &c. Alii, I. *etiamsi sustuleris nidum tuum ut aquila, tamen inde descendere faciam te*. II. *quamvis exaltares ut aquila nidum tuum, inde deiicerem te, dictum Iehovæ.* Vide Abdiæ vers.4.

V. 17. STUPEBIT, ET SIBILABIT. Vide I. Reg. IX. 8. Sic infra cap. L. 13.

V. 18. SICUT SUBVERSA EST SODOMA ET GOMARRAH, ET VICINAE EIUS. Alii ex Hebr. *Erit sicut subversio Sedomi, & Hamoræ, de vicinorum eius*, nimirum qui nominantur Deuteron. XXIX. 23.

V. 19. ECCE QUASI LEO ASCENDET DE SUPERBIA IORDANIS, &c. Alii hunc versum ex Hebr. explanant. I. *Ecce quemadmodum leo ascendit de tumore Iordanis, ad habitaculum loci fortis*, vel *ad habitacula munitissima ; sic impellam, & ad currendum incitabo eum adversus eam : & quicumque electus iuvenis fuerit, hunc contra eam recensebo: quis vero mihi similis est? quis mecum certet?* aut *quis iste pastor, qui coram me consistat?* II. *Ecce tamquam leo ascendet a tumore Iordanis*, id est a Iordane superbo & inflato, vel a loco, in quo Iordanis magnam vim aquarum secum trahit, hoc est a Iudæa veniet Nabuchadnetzar: *& habitaculum robustum*, id est contra domos robustas montis Sehiris: *cum quiescere faciam* Israelem *currere faciam eum ab illa*, id est, celerrime liberabo captivos Israelitas, qui sunt in Edomæa, efficiamque ut cursu veloci revertantur in patriam suam: *& quis electus, quem adversus eam præficiam*; id est, & quis est robore & disciplina militari præstantissimus, ut contra illam Edomæam constituam cum ducem & imperatorem? *quis enim est similis mei? & quis constituet mihi tempus? pugnæ & conflictus: & quis est ille pastor, qui stet coram me?* id est, quisnam rex ille fuerit, qui poterit mihi resistere? III. *Ecce quasi leo ascendit*: tertius locus, ut diximus in vers. 7. quo ostendit Deus quanto furore Edomæi indesinenter Iudæos infestaverint, & ipse eos propulsans, quanta potentia electos suos restituet, quod sequente versu exornatur: *supra altitudinem Iardenis*, id est, amplius exundat quam soleat Iarden. Vide Iosue III. 15. nam Edomæi semper Iudæos atrocissime infestarunt: *contra habitaculum Robustissimi*: id est, Dei: periphrasis Iehudææ, ut Exod. XV. 13. *Sed momento agam, faciam ut excurrat*, vel *sed momento fugabo eum ex hac terra, & eum qui electus est, in hac præficiam*; id est, momento fugabo Edomæos ex Iudæa quam infestant, & electum mihi populum Iudæorum in ea restituam: *nam quis est par mihi? aut quis contestetur mecum; denique quisnam est pastor, qui obsistat mihi*; id est, rex populos regens, ac veluti pascens auctoritate sua, ut supra cap. XXIII. 1. Confirmatio a potentia Dei infinita & incomparabili: vide hunc eumdem versum infra cap. L. 44. QUIA SUBITO CURRERE FACIAM EUM AD ILLAM. Verbum רגע raghagh, quod ponitur in Hiphil, varie reddunt. I. *quiescere faciam, currere faciam eum super eam*. II. *momento agam*;

agam; vel, sic loqui liceat, *momentabo*, *faciam currere eum super eam*. III. *momento quiescam*, *currere faciam eum*, &c. id est, faciam rigide currere eum, id est, contento cursu. Aliqui notant, iunctum alteri verbo, ut hic, adverbiascere; pro, *momento*, *subito*, *rigide currere faciam eum desuper eam*. ET QUIS SUSTINEBIT ME? id est, quis sistet me iudicio? Alii: & *quis contestabitur me?* Notant esse verbum forense. Vide in Iob IX. 19.

V. 20. PROPTEREA AUDITE CONSILIUM DOMINI. Exortatio comminationis, quæ præcessit versu proximo. SI NON DETECERINT EOS PARVULI GREGIS. Varie alii ex Hebr. I. *Dispeream*, vel *ne post hac credatis mihi*, *nisi traxerint eos*; id est, cadavera eorum raptaverint per terram, ignominiæ causa, *parvuli regis*, id est vilissimi quique exercitus Chaldæorum, calones, lixæ. II. *Mentiar*, *nisi abiicient eos minimi ex ipso grege*, id est infirmissimi & abiectissimi quique; quasi dicat: Ita frangam eos, ut omnium etiam infirmorum terantur pedibus, ut dixerat David Psalm. LIX. 10. De particula *Si* in huiusmodi formulis iurandi, vide in Genes. XIV. 23. NISI DISSIPAVERINT CUM EIS HABITACULA EORUM. Hebr. est verbum singulare: *Si non afflaverit super eos*, vel *cum eis habitacula eorum*. Alii: *nisi desolet cum illis habitacula illorum*. Forsterus: *si non horrenda faciet super illis habitacula eorum*.

V. 21. A VOCE RUINAE EORUM COMMOTA EST TERRA, &c. Alii ex Hebr. reddunt hunc versum: I. *A fragore casus eorum crepabit terra*: id est, præ strepitu, quem edent qui concident mortui, quatietur terra, quæ ad ingentem quemdam strepitum concuti solet: *clamor vocis eorum exauditur in mari carectoso*. II. *Præ sono casus illorum commovebitur ipsa terra*: *præ clamore*, *ad mare algosum audietur vox illorum*; id est, tanta erit vociferatio, ut inde ad mare rubrum usque, quamvis sit remotum, audiatur. CLAMOR IN MARI RUBRO. Heb. *clamor*, *in* ים סוף *iam suph*. AUDITUS EST VOCIS EIUS. Discordia generum, nam Hebr. *clamor* est femineum, & verbum *audiendi* masculeum: ut etiam infra cap. L. 46. Quare alii: *audita* est, vel *audietur vox eius*. Nam *vox* Hebr. est masculini generis, *eius* est femineum; id est, vel clamoris, vel Edomææ, vel terræ concussæ & tremiscentis.

V. 22. ECCE QUASI AQUILA ASCENDET, &c. Alii hunc versum reddunt: *Ecce velut aquila ascendens hostis involabit*, & *pandet alas suas contra Botzram*: *eritque animus potentium Edomi die illo*, *sicut animus mulieris perpetientis tormina*: ut dixerat in Moabum supra cap. XLVIII. 40. & 41.

V. 23. AD DAMASCUM. Alii: *Contra Damascum*. Tertia hæc prophetia regno Damasceno exitium prænuntiat paulo post a Nabuchadnetzare eventurum, duobus versibus: deinde causam adducens a præfidentia & luxu illius, vers. 25. amplius confirmat, duobus reliquis. De Damasco vide Genes. XIV. 15. CONFUSA EST EMATH: vel *pudefacta est*. Alii: *Erubescet Charmath*. De qua vide Genes. X. 18. Numer. XIII. 22. & alibi passim. ET ARPHAD. De qua vide II. Reg. XVIII 34. QUIA AUDITUM PESSIMUM AUDIERUNT, TURBATI SUNT. Alii: *cum rumorem malum audierint*, *diffluent*, vel *liquescent*, *dissolventur*. IN MARI PRAE SOLICITUDINE QUIESCERE NON POTUIT. Alii Hebr. pro ים *iam*, *mari*, legerunt יום *iom*, *die*, redduntque, *in die solitudinis non poterunt quiescere*. Nonnulli reddunt: *ut qui est in mari in angore*, *quietum reddere cor suum non potest*; id est, ut, qui sunt in mari, non possunt metu liberari, qui naufragium sunt facturi: sic cives Chamathæ, & Arphadis bono esse animo non possunt audito rumore belli. Forsterus: *in mari tantus est metus*, *ut tranquillum esse non possit*. Tremellius, & Iunius: *in ipso mari sollicitudo erit*, *quiescere non poterit*; id est, Antaradus, & omnes maris Syriaci insulæ percellentur.

V. 24. DISSOLUTA EST DAMASCUS. Hebr. *Remissa est Damascus*, id est soluta, remisso animo, exanimata præ metu, *debilitata est*, *torpuit*. TREMOR APPREHENDIT EAM. Genera non cohærent, nam Hebr. tremor est masculeum, & *apprehendit*, femineum. Alii *tremorem apprehendit*, maiori emphasi, quasi non tremor ipse apprehenderit Damascum, sed potius Damascus timorem quasi manu apprehensum, aut mordicus arreptum fortius retinet, ne abeat. רטט *retet*, idem esse volunt quod רתת *retheth*, nempe *horrorem*, *tremorem*, qui

quidem concussio est seu concursatio celera sanguinis, seu frigoris per totum corpus, & horripilatio. Germani vocant mutuato ab Hebræis nomine, *den riten*. Buxtorfius exponit: *& tremorem membrorum comprehendet*. Tremellius, & Iunius *: & horrorem frebilem prehendet* ; id est, veluti ex febre horrens trepidabit. Existimo eum rigorem & tremorem membrorum esse, qui ex frigore in tertianis febribus excitatur.

V. 25. QUOMODO DERELIQUERUNT, &c. Alii hunc versum ex Hebr. exponunt: *Quomodo non relinqueretur civitas laudis*, seu *laudatissima? Urbs gaudii mei?* dicebat illa; id est, quis vellet aut posset tam celebre oppidum pervertere, & non potius intactum relinquere? Alii volunt esse verba vel regis Damascenorum, vel prophetæ; quasi dicat: Cur non pepercerunt hostes urbi celeberrimæ, & laudatissimæ, atque amœnissimæ?

V. 27. ET DEVORABIT MOENIA BENADAD. Alii: *qui consumet palatia Benhadadi*, regis Syriæ potentissimi, cuius mentio est I. Regum xv. 18. sequentibus capitibus. Sic Hamos I. 14

V. 28. AD CEDAR, ET AD REGNA ASOR. Alii ex Hebr. *Contra Keddarem, & contra regna Chatzoris*. Quarta hæc prophetia prædicit mala incolis Arabiæ Petrææ, & Desertæ eventura, qui synecdochice Kedaris & Chatzoris nominibus intelligendi sunt. Sunt autem illius duæ partes: propositio summa hostium adventantium & cladis, duobus versibus: & exornatio, reliquis. De Kedare autem vide Psal. CXIX. 5. Chatzor vero in Arabia Deserta fuit, quo Chatzoritani a Iosue fusi sese contulerunt: vide Iosue II. 12. & Iudic. IV. 2. 5. Hieronymus in XXI. Isaiæ, ad vers. 17. exponens hunc locum Iirmeiæ, inquit: *Ut quæ sit Kedar indubitanter intelligas, considera quomodo Ismahelitarum, hoc est Sarracenorum proprie gentem descripseris: qui habitant in tentoriis, qui quas nox compulerit, sedes tenent: quibus armenta sunt & pecora, camelorumque greges, &c. Asor civitatem, quæ metropolis gentis illius in eremo fuit, &c.* ET AD REGNA ASOR. Quidam exponunt, diœceses regionis, seu hordas, cortes, ut appellantur Genes. XXV. 16. nam ii omnes Nomades & Scenitæ erant. FILIOS ORIENTIS. De quibus vide in Genes. XV. 19. & I. Reg. IV. 30.

V. 29. TABERNACULA EORUM, &c. Hunc versum alii ex Hebr. convertunt: I. *Tentoria eorum, & gregem eorum rapient, cortinas eorum & omnia vasa eorum: camelos eorum tollent sibi, & clamabunt ad eos, Pavor undique;* vel *& vocabunt*, seu *convocabunt contra eos viros pavoris de circuitu*, id est milites, qui eis metum inferant undique. II. *Tentoria eorum & greges eorum capient*. Chaldæi, duce Nebuchadnetzare, *aulæa eorum cum omnibus instrumentis ipsorum, & camelos eorum sument sibi proclamabunt contra eos formidinem circumquaque*. TABERNACULA EORUM, seu *tentoria*, de quibus Canticor. I. 5. nam Kedareni erant Scenitæ. TOLLENT SIBI. Hebr. *levabunt eis*, id est auferent eis, nempe Kedarenis: vel *sument sibi*, Chaldæi. ET VOCABUNT SUPER EOS FORMIDINEM IN CIRCUITU. Hebr. *& vocabunt super eos Maghor missabibum*: ut supra cap. XX. 3.

V. 30. FUGITE, ABITE VEHEMENTER. Alii: I. *Fugite, facessite protinus*, vel *longe*. II. *Fugite, emigrate valde*, &c! Exornatio, ut diximus in vers. 28. continens primum hypothesin fugæ Arabum, & Chaldæorum irruptionis, duobus versibus: deinde narrationem ruinæ Arabibus eventuræ, duobus alteris. IN VORAGINIBUS SEDETE. Alii, I. *in vallem vos demergite ad habitandum*. II. *callidum consilium inierunt ad habitandum*, seu *ut habitarent*. III. *petite profundas habitationes*. Sed est potius præteritum quam infinitivus: *profundaverunt ad habitandum*. Sic supra vers. 8.

V. 31. GENTEM QUIETAM. Hebr. *ad gentem securam, salvam, tranquillam, pacificam, beatam, felicem, prosperam, fortunatam*: vide in Iob XVI. 12. SOLI HABITANT. Alii, *in solitudine habitant*, nullas ædes; aut urbes inhabitant, sed in solitudinibus & desertis vagantur sub tentoriis: periphrasis Arabum, Nomadum & Scenitarum: vel *habitant soli*, hoc est sine militibus præsidiariis, quia nihil sibi timent. Kimchi exponit: *soli habitabunt*, id est tuto; nam qui tutus est non timet solitudinem, nec multo necesse habet accersere, quo in tuto sit.

V. 32. QUI SUNT ATTONSI IN COMAM. Hebr.

Hebr. *præfectos*, *præcisos*, *detruncatos anguli*: vide supra cap. IX. 26. ET EX OMNI CONFINIO EORUM ADDUCAM INTERITUM SUPER EOS. Alii I. *&* *ex omnibus lateribus eius regionis adducam contritionem eorum*. II. *&* *ab omnibus*, *qui trans*, vel *ultra eos sunt*, *adducam perniciem eorum*. III. *&* *ex omnibus partibus eius gentis adducam calamitatem eorum*.

V. 34. QUOD FACTUM EST VERBUM DOMINI AD IEREMIAM PROPHETAM, &c. Alii: *Verbum Iehovæ*, *quod fuit ad Irmeiam prophetam*, *&c.* Postrema hæc prophetia (cuius inscriptio continetur hoc versu) narrat primum cladem Helamitarum, id est totius Medorum regni, synecdochice versibus tribus: deinde exponit promissiones, duobus ultimis. ADVERSUS AELAM, seu *contra Helamum*. Tremellius, & Iunius in hunc locum hæc annotant: *Hanc gentem dictam a filio Chemi Genes.* X. 22. *ante ostendimus sitam esse in confinio Medorum*, *Persarumque*. *Quum autem paulo ante tempora Phraortes Arieci* (*quem Deiocem Herodotus vocat*) *filius Persidem totam regno adiunxisset*, *non est dubium quin synecdochice* (*ut modo dicebamus*) *totum regnum Mediæ intelligendum sit Helami nomine*. *Quamobrem prædictionem hanc referimus ad illam historiam*, *quæ a Scythis gesta est contra Medos*, *quo tempore Nebuchadnetzar in Iudæa & citerioribus regionibus erat occupatus*. *Scythæ enim temporibus Cyaxaris filii Phraortis totum Mediæ regnum leguntur occupasse*, *expilasse*, *&* *annis* 28. *egisse atque rapuisse omnia arbitratu suo*: *ut refert Herodotus Lib.* I. *Numer.* 103. 104. 105. *&* 106. *Sed quid ad hoc argumentum*, *inquies*? *Hæc prophetia superioribus adiecta est tamquam sigillum*, *quo Ecclesia de veritate earum confirmaretur*. *Hoc enim Iirmeiæ frequentissimum est*, *ut prophetias confirmet prophetiis*, *&* *res propinquiores adhibeat ad confirmandas eas*, *quæ postea longiore intervallo eventuræ sunt*: *cuiusmodi exempla vidimus supra cap.* XX. *&* XXVIII. *&* XLIV. *&* *eiusmodi extat evidentissimum* I. *Samuel.* II. 34. *Ac propterea nominatim designatum est tempus quo hæc prophetia dicta est*, *quia paulo post*, *&* *ante capta Ierusalaima* (*ut ratio temporum confirmat*) *hanc cladem acceperunt Medi*. Hactenus illi. Sane hanc prophetiam in Medos fuisse prænunriatam, satis diserte Ieremias supra cap. XXV. 25. significare videtur: nam eorum verborum hæc prophetia exegesis proculdubio esse videtur. Sed quod de irruprione Scytharum in Mediam sit accipienda, nobis valde suspectum est. Nam cum Scythica expeditio in tempora Psammithichi AEgypti regis inciderit, auctore Herodoto Lib. I. Numer. CV. is multo ante tempore decessit, quam Tzidkiia regnare inciperet, cum filius eius Necho, qui in regnum ei successit, Iosiam regem interfecerit, &c. atqui Iirmeia hanc prophetiam initio regni Tzidkiiæ prævidit, ut hoc versu dicitur. Equidem Eusebius, & optimi quique recentiorum chronologorum Scytharum in Mediam irruptionem multo ante initia Tzidkiiæ collocanr: quod si verum est, Iirmeia iam non prophetiam, sed historiam texeret. Illud verisimilius dici posse videtur, prædicere hic Iirmeiam eversionem Medici imperii, devicto Astyage, per Cyrum.

V. 35. CONFRINGAM ARCUM AELAM. Videntur Helamitæ optimi & peritissimi sagittarii fuisse: ut Isaiæ XXII. 6. Alii: *arcum*, id est potentiam, ut sequentia exponunr. ET SUMMAM FORTITUDINEM EORUM. Heb. *&* *principium prævalescentiæ eorum*. Alii: I. *præcipuum potentiæ ipsorum*: *principium*, pro *præcipuo* *&* *summo*: vide Forsterum pag. 758. II. *quo illi præcipue valent*. III. *&* *caput roboris eorum*; id est omnia ea, in quibus vires regni sui positas esse censent, hoc est strenuos duces, arma, commeatus, opes, &c. Quidam regem ipsum, vel Cyaxarem, vel filium eius Astyagem.

V. 36. QUATUOR VENTOS. Tremellius, & Iunius exponunt, id est infinitos hostes, ex populis infinitis Boreæ accolis, quos omnes confuse solebant veteres Sarmatarum & Scytharum appellatione designare. Sed aptius est, exercitum Persarum duce Cyro ingentibus copiis Mediam invadentem instar violentissimorum ventorum, accipere. ET VENTILABO EOS IN OMNES VENTOS ISTOS, &c. Alii ex Heb. I. *&* *dispergam eos ad quatuor ventos istos*; *nec erit gens ulla*, *ad quam non veniant profugi Helami*. II. *spargamque eos in omnes ventos istos*, *adeo ut non sit futura gens*, *quo non perveniat aliquis depulsorum e Helamo*. Hyperbole: vel gentes circumvicinas intelligit. Et hoc inde confirmatur, quod Medi adhuc sub Cyro rebellarunt, ut eos oportuerit mul-

multis bellis a Cyro domari, ut ſcribit Iuſtinus Lib. I. deinde & ſub Dario etiam ab imperio Perſarum defecerunt; ſed prælio victi iterum ſubacti ſunt, auctore Herodoto Lib. I. Num. CXXX.

V. 37. ET PAVERE FACIAM AELAM CORAM INIMICIS SUIS &c. Alii: *Et conſternatos reddam Helamitas coram inimicis ſuis*; id eſt, perculſos metu, & primo impetu fuſos ita frangam animis, ut ab hoſtibus Scythis agantur pro libidine, & premantur ſervitute rigidiſſima. Sed rectius hæc retuleris ad ingens illud prælium, quo Medi a Perſis duce Cyro victi & profligati ſunt, quod deſcribit Herodotus Lib. I. Numer. CXXVII. & CXXVIII. & Iuſtinus Lib. I. accuratiſſime.

V. 38. ET PONAM SOLIUM MEUM IN AELAM, &c. Alii: *Deinde reponam ſolium meum in Helamo*; id eſt, regnum Cyri ſervi mei, quem etiam unctum Dei Iſaias nominat, cap. XLIV. 28. & cap. XLV. 1. Atque hæc prima promiſſio. ET PERDAM INDE REGES. Heb. ſingulariter *regem*. Tremellius, & Iunius exponunt: *cum perdidero inde regem*, Cyaxarem patrem Aſtyagis: nam illo extincto regnavit Aſtyages, qui venit in Cyri manus; quaſi dicat: Poſt regem hunc, qui modo rerum potitur, nempe Cyaxarem, atque ætatem hanc. Futilis & ridicula expoſitio. Quanto aptius ex Heb. *& auferam, tollam, inde regem*, Aſtyagem. Nam hunc non interfecit Cyrus, ſed tantum regno amovit, & penes habuit ſe, quoad vita exceſſit, ut inquit Herodotus Lib. I. Numer. CXXX. vel genti Hircanorum præfecit, ut auctor eſt Iuſtinus Lib. I.

V. 39. IN NOVISSIMIS AUTEM DIEBUS &c. Alii hunc verſum ex Heb. reddunt: *Erit tandem ultimis temporibus, cum reducam multitudinem captivam Helami, dictum Iehovæ*. Altera promiſſio, videlicet Evangelica, qualem habuimus ſupra verſ. 6. & cap. XLVIII. 47. quaſi dicat: Sub Chriſto aſſeram Elamitas a tyrannide Satanæ, peccati, & mortis. Quod impletum videtur Actor. II. 9.

MENOCHII.

Verſ. 1. AD FILIOS AMMON: ad Ammonitas, aut de Ammonitis, aut contra Ammonitas. NUMQUID NON FILII SUNT ISRAEL? id eſt Iſraelis; hoc dicit, quia dum Iſraelitæ abducti ſunt in captivitatem, Ammonitæ involarunt in captivorum bona, poſſeſſiones, quaſi eorum eſſent heredes. MELCHOM, id eſt Ammonitæ, quorum idolum erat Melchom, ut patet etiam ex IV. Reg. XXIII. 13. GAD: Tribus enim Gad Ammonitis erat vicina.

V. 2. AUDITUM FACIAM: audiri faciam. RABBATH; urbs eſt Arabiæ, Ammonitarum Metropolis, quæ poſtea appellata eſt Philadelphia. Dicta eſt Rabbath, id eſt magna, vel multa, ob magnitudinem urbis, & populi frequentiam. IN TUMULTUM: in acervum lapidum, & ruderum, ut ſolent eſſe urbes dirutæ. FILIAE EIUS: minora oppida circa Rabbath. POSSESSORES SUOS: Moabitas, qui in poſſeſſionem Iſraelitis irruperant.

V. 3. ULULA HESEBON. Heſebon erat civitas Moabitarum, ut patet ex ſuperiori capite, & vicina finibus Ammonitarum. Iubet ergo Heſebonem ululare, vel ex commiſeratione calamitatis vicinarum civitatum, vel ob ſibi iam imminens excidium. Itaque hæc de Ammonitis prophetia præcedit tempore prophetiam de Moabitis, quæ ſuperiori capite continetur. HAI: civitas Ammonitarum. FILII RABBATH: cives Rabbath. CILICIIS: ut fiebat in luctu: ſic ſuperiori capite num. 37. CIRCUITU PER SEPES: ut quæratis aliquam latebram, ubi poſſitis delitеſcere: ſolent enim, qui ab hoſtes fugiunt, ad ſepes vinearum, & hortorum latendi cauſa ſe recipere. MELCHOM: deus veſter, in quo confidebatis, non quod vivens ſit, ſed quod aureus, vel argenteus.

V. 4. QUID GLORIARIS IN VALLIBUS, id eſt locis irriguis, & frugiferis. Valles enim abundant frumento, Pſalm. LXIV. 14. DEFLUXIT VALLIS TUA, id eſt vaſtata eſt, ſterilis facta eſt defectu cultoris: ſic Iſai. XXIV. 4. luxit, & defluxit terra: videtur ſumpta metaphora a foliis arborum, quæ cum defluxerunt e ramis, arbores decore ſuo carent. FILIA DELICATA. Heb. שובבה *ſcobebah, ſedens*, otioſa, domi ſedens, delicata, non aſſueta labori. LXX. vertunt *θυγάτηρ ἰταμίας*, *filia temeritatis*, vel *impudentiæ*. Proprie dicimus Italice *sfaciata*. QUIES VENIET AD ME: ut me capiat.

V. 5. TERROREM, bellicum, milites terribiles. AB OMNIBUS, &c. id eſt, efficiam, ut omnes gentes tibi vicinæ irrumpant

pant in te. DISPERGEMINI, &c. alii ab aliis separabimini.

V. 6. REVERTI FACIAM CAPTIVOS: tum a captivitate temporali, tum a spirituali diaboli per Christum.

V. 7. AD IDUMAEAM: scilicet dirigitur sequens prophetia: est titulus prophetiæ, qualis ille num. 1. *Ad filios Ammon.* NUMQUID NON ULTRA EST SAPIENTIA IN THEMAN? Theman urbs erat principum Idumææ sapientibus abundans; quasi dicat: Qui fit ut Idumæi, qui sapientes esse solebant, stulti facti sint? A FILIIS. LXX. *a sapientibus:* nam Hebraicum בנים *banim*, tam sapientes, quam filios significat.

V. 8. DESCENDITE IN VORAGINEM; id est, abdite vos in cavernis, & locis subterraneis, ne vos hostis inveniat. HABITATORES DEDAN: regio est ita dicta a Dedan filio Abrahæ ex Cetura Genes. XXV. 3. sita est in Idumæa, vel iuxta eam, ut ex hoc loco patet. PERDITIONEM ESAU, id est iam dudum Esau destinatam: Esau autem vocat Idumæam, quia Esau, qui etiam dictus est Edom, illi nomen dedit. VISITATIONIS, id est punitionis.

V. 9. NON RELIQUISSENT RACEMUM? quasi dicat, Sane reliquissent. RAPUISSENT QUOD SUFFICERET SIBI: reliquum vero tibi reliquissent.

V. 10. DISCOOPERUI ESAU; quasi dicat: Vindemiatorum, aut furum diligentiam aliquid fugit; at vero prædatores Idumææ nihil latebit, quia ego discooperiam, & nudabo ea, ita ut omnia, quæ habet, inveniri possint. VASTATUM EST, vastabitur. SEMEN EIUS; posteritas eius. NON ERIT; scilicet semen, ut præcessit, id est posteritas Idumææ. RELINQUE PUPILLOS TUOS, si quos habes: sed sane nullos habebis, quia omnes peribunt. LXX. habent: *& non est relinqui orphanum tuum, ut vivat.* EGO FACIAM EOS VIVERE: eorum curam geram. IN ME SPERABUNT: eas enim vivere facerem, &c. sed nullæ relinquentur.

V. 12. QUIBUS NON ERAT IUDICIUM, &c. quos comparatione vestri æquum non erat adeo graviter puniri. Iudæos intelligit: similis phrasis occurrit supra XXVI. 11. *Iudicium mortis est viro huic*, id est æquum est virum hunc mori. CALICEM, furoris Domini, & severæ punitionis. NON ERIS INNOCENS: non eris impunitus. BIBENS BIBES: & prorsus exhauries calicem furoris Domini.

V. 13. IN OPPROBRIUM: adeo horrende plectetur Bosra, ut futura sit in opprobrium, id est execrabilis & maledicta. IN DESERTUM, redacta in solitudinem. IN MALEDICTIONEM: ut scilicet alteri maledicere volentes, id illi imprecentur, quod Bosræ accidit. BOSRA: erat princeps Idumæorum civitas.

V. 14. AUDITUM AUDIVI A DOMINO; id est, audivi, Domino mihi revelante, sententiam contra Bosra. LEGATUS AD GENTES MISSUS EST: quem scilicet Chaldæi miserunt ad gentes sibi subiectas, ut se ad bellum contra Idumæos excitarent. CONGREGAMINI, &c. Verba invitantium ad bellum. CONTRA EAM, Idumæam.

V. 5. PARVULUM DEDI TE, &c. dabo, ponam. Hebraismus; id est, faciam, vel facere decrevi, deiiciam te, ac deprimam, cum tu, o Edom, magnus tibi esse videaris.

V. 16. QUI HABITAS IN CAVERNIS PETRAE. Hebr. *in scissuris*, qui putas te inexpugnabilem, quod in præruptis, & confragosis montibus habites. ET APPREHENDERE NITERIS, &c. Hebr. est *attingis*, id est tenes, occupas altitudinem collis. Intelligit autem montem Seir, qui est in Idumæa; vel sensus est, quasi dicat: Quid tibi videris esse excelsus, & similis colli altissimo. CUM EXALTAVERIS, id est etiam si exaltaveris, & in sublimi constitueris sedem tuam: similis sententia Abdiæ II. 3. & 4. Lucæ X. 15. Matth. XXIII. 12.

V. 17. SIBILABIT, id est obstupescet videns ruinas eius: vel contemnet eam videns eversionem eius. Sibilus apud Hebræos admirationem aut contemptum significat, ut supra XVIII. 16. & XIX. 8. & alibi sæpe. PLAGAS EIUS: calamitates eius, excidium eius.

V. 19. ECCE QUASI LEO: ecce Nabuchodonosor ascendet quasi leo, si furorem spectes. DE SUPERBIA IORDANIS; id est, cum superbit Iordanis turgens, & exundans, tunc enim leones, & aliæ feræ ex suis lustris exire coguntur eluvione aquarum, & ferocius sæviunt, quippe famelicæ. PULCRHITUDINEM ROBUSTAM, id est ad Idumæam, quæ amœna est, & fortis. SUBITO CURRERE FACIAM EUM; id est, summa celeritate hostem adducam contra Idumæam.

mæam. QUIS ERIT ELECTUS, &c. id eſt, quem ducem præficiam Idumææ, ut poſſit eam contra ingruentes hoſtes defendere? quaſi dicat: Nullus reperietur: QUIS ENIM SIMILIS MEI? ut poſſit mihi reſiſtere pugnanti contra Idumæos, per manus Chaldæorum. QUIS SUSTINEBIT ME? Quis ferre poterit impetum meum? PASTOR, dux, imperator.

V. 20. AUDITE CONSILIUM DOMINI, id eſt quid Dominus decreverit adverſus Idumæos. DE HABITATORIBUS THEMAN. Eſt repetitio. De Idumæis vide dicta ſupra num. 7. SI NON, &c. Eſt formula iurantis; quaſi dicat: Niſi eos deiectis ipſorum domiciliis oppreſſerint, non habear Deus. DEIECERINT EOS: vicerint, oppreſſerint, conculcaverint. PARVULI GREGIS: viliſſimi quique exercitus Chaldæorum.

V. 21. A VOCE RUINAE, &c. id eſt, præ fragore caſus eorum terra commovebitur. CLAMOR IN MARI RUBRO, &c. mari enim rubro vicina eſt Idumæa.

V. 22. ECCE QUASI AQUILA, &c. Hæc explicata ſunt capite ſuperiori num. 40.

V. 23. AD DAMASCUM: ſcilicet dirigitur ſequens prophetia: eſt titulus, ut ille num. 1. *Ad filios Ammon*, & num. 7. *Ad Idumæam*. Damaſcum autem ponit pro tota Syria, quia caput eius erat. CONFUSA EST EMATH, ET ARPHAD. Timore perculſæ ſunt Emath, & Arphad, quæ duæ erant Syrorum civitates. Ponuntur more prophetarum præterita pro futuris. AUDITUM PESSIMUM: malum nuncium audierunt, ſcilicet captam eſſe Damaſcum, ſignificat Damaſcum primo loco capiendam, eaque fama ceteras minores Syrorum civitates terrefaciendas. TURBATI SUNT IN MARI: turbati, & territi ſunt ſicut incolæ Emath, & Arphad, ut timent, & turbantur qui mare navigant ingruente tempeſtate; vel ſenſus eſt, Magis fluctibus, & æſtu curarum turbati ſunt.

V. 24. DISSOLUTA EST DAMASCUS: perterrita eſt, manus eius diſſolutæ ſunt, ut loqui ſolent Hebræi.

V. 25. QUOMODO DERELIQUERUNT; id eſt, quomodo eives deſeruerunt Damaſcum metu hoſtis, quomodo non defenderunt. LAUDABILEM, id eſt inclytam. URBEM LAETITIAE: urbem pulchram, & elegantem, cuius aſpectus lætitiam affert intuentibus.

V. 26. IDEO: quia derelicta eſt civitas. IUVENES EIUS: melior ætas, & apta ad arma iracunda. CONTICESCENT: vel ſignificat penitus perituros, vel hoſtibus futuros ſubiectos: ſic I Lib. Machab. 1 3. dicitur, terra ſiluiſſe in conſpectu Alexandri Magni.

V. 27. MOENIA BENADAD, regis Syriæ.

V. 28. AD CEDAR, &c. ſcilicet dirigitur ſequens prophetia: vide dicta num. 23. ſuit Cedar ſecundus filius Iſmaelis, filii Abraham, ex Agar ancilla, Geneſ. xxv. 13. ex quo Agareni *Cedar* nomine patris appellati ſunt. Eſt autem Cedar regio Arabiæ in Saracenorum ſolitudine. AD REGNA ASOR: ad omnia regna Aſor, id eſt ad omnes civitates, quæ ſunt in ditione Aſor, quæ civitas erat, in qua erat ſedes regis Agarenorum Iud. iv. 2. PERCUSSIT: per utiet. HAEC DICIT DOMINUS, Chaldæis. FILIOS ORIENTIS. Filii Orientis ſunt filii prognati a Cetura, & Agar uxoribus Abrahæ: hi enim habitabant ad Orientem poſterorum Iſaac, id eſt Hebræorum.

V. 29. PELLES EORUM: tabernacula eorum facta ex pellibus. OMNIA VASA EORUM: inſtrumenta, ſupellectilem, & arma eorum. SUPER EOS, contra eos. FORMIDINEM: milites formidabiles ex omni parte contra eos vocabunt: ſic ſupra num. 5. *Ecce ego inducam ſuper te terrorem, ait Dominus*.

V. 30. ABITE VEHEMENTER: quam potеſtis longiſſime recedite. IN VORAGINIBUS SEDETE: abdite vos in cavernis, ne ab hoſtibus inveniamini. CONSILIUM: ut vos perdat.

V. 31. CONSURGITE, o Chaldæi, quaſi milites mei contra Agarenos; eſt vox Dei. AD GENTEM QUIETAM, &c. id eſt pace abundantem: ita deſcribit Agarenos Nomadas, qui extra urbes habitabant ſine oſtiis, ac ſine vectibus, quamvis aliquas haberent civitates, ut Aſor, & alias.

V. 32. IN OMNEM VENTUM: in omnes terrarum oras. QUI SUNT ATTONSI IN COMAM: Agarenos intelligit, qui iuxta aures comam attondebant, ut nunc Poloni, & Hungari faciunt.

V. 34. QUOD FACTUM EST VERBUM DOMINI: ordo verborum inverſus, ut cap. XLVI. 1. & cap. XLVII. 1. ADVERSUS AELAM. AElam pars eſt Perſidis, quæ ab AElam filio Sem dicta eſſe creditur. Tradunt Hebræi AElamitas Chaldæis contra

Ia-

Iudæos opem tulisse, ideoque contra illos nunc prophetare Ieremiam.

V. 35. CONFRINGAM ARCUM AELAM, id est fortitudinem, & robur AElamitarum; erant enim peritissimi sagittarii, ut apparet ex Isai. XXII. 6. itaque omne robur bellicum in arcu ponebant, & hæc erat summa eorum fortitudo, ut hic dicitur.

V. 36. QUATUOR VENTOS. Per ventos hostes intelligit, per quatuor, omnes, quia ad quatuor ventos præcipuos, & cardinales omnes reliqui intermedii referuntur; quasi dicat: Hostes undique contra AElamitas excitabo, qui eos tamquam vehementissimi venti in omnes terræ partes abripiant.

V. 37. MITTAM POST EOS GLADIUM; id est, efficiam ut hostes, eos, quocumque fugerint, persequantur, donec eos penitus deleant.

V. 38. PONAM SOLIUM MEUM IN AELAM; id est, postquam AElamitas eiecero, constituam alium regem in AElam: vocat solium suum, quod ipse dat.

V. 39. REVERTI FACIAM CAPTIVOS AELAM: scilicet per Cyrum, qui Babylone eversa regnum ad AElamitas, id est Persas transtulit, & spiritualiter per Christum libertatem filiorum Dei adepti sunt: vide Act. II. 7. 8. & 9.

TIRINI.

Vers. 1. NUMQUID NON FILII, vel *heredes*, SUNT ISRAELI, ad quos iure pertinet terra GAD, totaque reliqua Galaaditis, trans Iordanem? CUR ergo MELCHOM *a*, id est Ammonitæ (quorum rex, dominus & deus est Melchom) illum invaserunt, tribubus Gad, & Ruben, & dimidia Manasse in Assyriam *b* abductis? Nempe, quod olim sub Iephte *c* non poterant, iam nullo repugnante effectui dederunt. Sed Deus illis tamquam raptoribus, & sibi suoque populo iniuriis, excidium hoc nomine intentat. Ezechiel *d* aliam etiam causam excidii illorum profert, nempe quod in eversione Israelis exultarint, eamque adiuverint. Tropologice, Alcazar *e* per Moab & Ammon, fratres ex carnali & incesto concubitu genitos, accipit appetitum duplicem, concupiscibilem & irascibilem, qui rationi & spiritui iugiter adversantur & obluctantur.

V. 2. RABBATH, id est multa *f*. Sic ob populi multitudinem & loci amplitudinem vocabatur metropolis Ammonitarum in Arabia sita, quæ postea a *Ptolemæo Philadelpho* dicta fuit *Philadelphia*, inquit Stephanus *g*. Hanc Iudæi e Chaldæa reversi facient aliquando suam, & POSSESSORES iam suæ ditionis, ipsi tunc *possidebunt*: id factum per Machabæos *h* docet sacra historia & Iosephus *i*, Hugo, Lyranus & alii.

V. 3. ULULA HESEBON urbs Moabitarum, ob excidium HAI vicinæ Ammonitarum urbis. Præcessit ergo excidium Ammonitarum, eversionem Moabitarum. Et deberet hoc caput præponi capiti XLVIII. inquit Isidorus & Maldonatus.

V. 4. QUID GLORIARIS IN VALLIBUS, amœnis & fertilibus per excellentiam, instar paradisi Dei? erant enim vicinæ Pentapoli, Genes. XIII. 10. Sed iam DEFLUXIT VALLIS TUA, quia vastata; Chald. *desolata est*.

V. 5. SINGULI DISPERGEMINI A CONSPECTU VESTRO mutuo; quasi dicat: Unus huc, alter alio diffluet. Tandem tamen

V. 6. REVERTI FACIAM CAPTIVOS AMMON; ut supra k dixit de *Moab*. Dices, Ezech. XXV. 10. dicitur, non amplius fore *memoriam Ammon*, Resp. Hoc intelligit de rege & regno Ammon, non vero de gente, seu populo, quem constat a Cyro remissum in patriam, sed Persis subiectum, instar aliarum provinciarum.

V. 7. THEMAN urbs erat Idumææ, sapientibus abundans, & quasi gymnasium seu academia: sic dicta a *Theman l* nepote Esau. Miratur ergo Propheta, Themanos ante tam sapientes, iam Nabuchodonosore adventante, inopes factos omnis consilii, sapientiæ, industriæ ad sese tutandos.

V. 8. DEDAN regio est Idumææ, vel certe illi vicina, sic dicta a *Dadan m* filio Abrahæ ex Cetura: nam & alii Abrahæ filii in vicinis Arabiæ provinciis se continuerunt. Porro *Dedanæos* monet, sed ironice, ut ad latebras captandas *descendant* IN VORAGINEM, id est in fossas, in speluncas vicinas; quasi dicat: Frustra vos occultabitis, quia etiam inde vos eruent, capient, occident Chaldæi, ut dicitur vers. 10. QUONIAM PERDITIONEM ESAU, id est cla-

cladem pridem a me decretam contra Idumæam, iam *inducam* SUPER *eam*.

V. 9. VINDEMIATORES hinc inde *relinquunt* latentem aliquem RACEMUM: fures quoque non omnia tollunt.

V. 10. EGO VERO ita DISCOOPERUI omnia ABSCONDITA Idumææ, ut nihil CELARI *n possit* Chaldæos: ita Rabanus, Hugo, & Lyranus: ET NON ERIT superstes tantæ cladi, humanitus loquendo, ullum SEMEN, inquit Maldonatus.

V. 11. RELINQUE tamen mihi PUPILLOS TUOS; quasi dicat: Ex horrenda illa strage pauculos conservabo, divina mea potentia ac providentia. Sed tamen etiam maior pupillorum pars involvetur iisdem flammis. Atque hinc considera,

V. 12. Si QUIBUS per ætatem *nondum* ERAT IUDICIUM, quo possent malum a bono secernere, *bibent* CALICEM iræ & furoris mei; TU qui provecta ætate toties tam fœde impegisti, QUASI INNOCENS, impunis RELINQUERIS?

V. 13. BOSRA metropolis Idumææ *o*, ERIT IN MALEDICTIONEM; id est, tam horrende castigabitur, ut omnibus palam futurum sit, ipsam a Deo maledictam, & excidio devotam esse. Modum excidii iam orditur ab ovo.

V. 14. AUDITUM; id est, rem prout accidit, AUDIVI non ab aliquo homine, sed *ab* ipsomet DOMINO. Primo, LEGATUS *p* a Nabuchodonosore MISSUS EST AD GENTES illi subiectas, qui omnes ad bellum *contra Idumæos* evocaret: ita Albertus & Arias.

V. 15. & 16. PARVULUM DEDI TE, id est, dedi vobis o Idumæi, regionem angustam & arctam inter rupes & saxa, parvos etiam numero vos superstites reliqui tot cladibus per David & Ioab *q* & alios reges *r* non semel attritos, & pene excisos. Intumescis nihilominus intoleranda superbia atque ARROGANTIA ob loci quo concluderis munitionem, ob colles & rupes inaccessas quibus cingeris. Falleris tamen; Chaldæus omnia pervadet: ita Theodoretus, Rabanus, Hugo. Desumpsit hæc Ieremias ex Abdia, cuius tota prophetia est de excidio Idumææ.

V. 19. ECCE tibi mox hostem in portis, in monarcham Chaldæum, qui QUASI LEO *f*, DE SUPERBIA IORDANIS; id est, transmisso Iordane tempore messis admodum intumescente *t*, ASCENDET cum innumeris copiis AD PULCHRITUDINEM ROBUSTAM, id est ad expugnandas urbes & arces tuas, non minus pulchras quam robustas: ita Rabanus, Hugo, Vatablus. Vel, ut a Castro, sicut leo ascendere solet de pascuis turgidi Iordanis ad prædam, ita veniet ad te Nabuchodonosor. QUIS ERIT ELECTUS ille miles vel imperator, QUEM PRAEPONAM, seu præficiam, Idumææ, ad resistendum Nabuchodonosori a me misso, & consequenter ad resistendum mihi? QUIS ISTE PASTOR *u* populorum, id est *rex*, ut Chaldæus vertit, QUI VULTUI MEO RESISTAT? ita Lyranus & Sanchez.

V. 20. SI NON DEIECERINT Idumæos PARVULI GREGIS, id est vilissimi quique militum Chaldæorum: supple, habear mendax: est enim formula iurandi, ut sæpius *x* dixi: ita Chald. Hugo, Lyranus & Vatablus.

V. 23. DAMASCUS. Hebraice, *Dammasec*, id est *sanguinis*, (seu vini rubri) *saccus*; Græce quasi αιμα ασα'ς *y*, *vini uter*; optimo enim vino abundat: unde fingebant, Bacchum *Damasci* in *sacco* habitasse: *urbem Iovis*, *& totius Orientis oculum* vocabat Iulianus Apostata *y*. Condita primum ab *Hus* filio Aram nepotis Noe, inquit Iosephus *z*, unde dicta *Aram*: inde restaurata a *Dammesec aa* servo Abrahæ, vocata est *Damascus*, inquit S. Hieronymus *bb*. Caput est & regia nobilioris partis Syriæ, quæ inde *Damascena* dicitur, vel *Syria Damasci*. Et panni istic contexuntur diversorum colorum serici, byssini, xylini, seu gossipini, qui inde *Damasceni* vocantur. Primus eam subegit rex David *cc*: secundus, Teglatphalassar *dd*: tertius, Nabuchodonosor: quartus, Romanus exercitus tempore Pompeii: Quintus, Saraceni: sextus, Tamberlanes: septimus, Selymus Turcarum Imperator anno Christi 1517. & his etiamnum paret: ita Brembachius & Adrichomius.

EMATH urbs Syriæ, postea ab Antiocho Epiphane aucta nomen accepit *Epiphaniæ ee*. ARPHAD alia est urbs Syriæ.

V. 27. MOENIAE BENADAD, id est Damasci, quam Benadad Syriæ & Damasci rex

rex novis ac splendidis ædificiis exornavit, inquit Theodor.

V. 28. CEDAR regio est Arabiæ, sic dicta a *Cedar ff* secundo Ismaelis filio, quæ postea vocata est Arabia Petræa, in qua mons Sinai & Horeb. Incolæ *Cedareni* dicti, id est nigri, a radice *kada*; quod nigrescere significat, quia ob solis æstum quo torrentur, seu corpore fusco. Dicuntur & *Agareni*, ab Agar matre Ismaelis. Iam *Saraceni* dici malunt, mutuato nomine a Sara primaria Abrahæ uxore: vel, ut Stephanus *gg* opinatur, a Saraca metropoli sua. Ex his prognatus est *Mahometus*, pernicies orbis. Agunt fere in rupibus, silvis, locisque desertis instar ferarum, ex pecoribus vivunt & raptu: nec potest Turca prædones istos, omni sua potentia a prædis compescere.

ASOR metropolis est Cedarenorum; unde REGNA *Asor* sunt ipsa *Cedar*, inquit S. Hieronymus, Sanchez & alii. Iidem vocantur *filii* ORIENTIS, quia incolebant Orientalem plagam, respectu pastorum *Isaac hh*, cognatorum suorum.

V. 32. ATTONSI erant Saraceni IN COMAM: uti nunc VValachi, & nonnulli Germani, ut *ii* alibi dixi.

V. 34. AElam *kk* regio est Persidis, ita dicta ab *AElan* primogenito Sem, inquit Iosephus & S. Hieronymus *ll*. Hi Chaldæis Iudæam expugnantibus opem tulerunt, inquiunt Rabbini, ideoque puniendi hic prædicuntur.

V. 36. QUATUOR *venti* A QUATUOR PLAGIS CAELI designant multiplices militum phalanges undique instar ventorum involaturas in AElAM.

V. 38. PONAM SOLIUM MEUM IN AElAM *mm*, id est, subigam mihi Persas, & ego ipse illis imperabo, nempe per *servum* Nabuchodonosorem, inquit Theodoretus. Quod Sanchez factum opinatur post excisos Cedarenos.

V. 39. IN NOVISSIMIS DIEBUS, nempe Cyro Persa Chaldæam obtinente, REVERTI FACIAM CAPTIVOS AElAM in Persidem patriam suam: Allegorice ad Ecclesiam Christi. Certe Actor. II. 9. inter alias gentes, e quibus plurimi conversi dicuntur, etiam AElamitæ recensentur: & mire floruit ibidem christianismus, maxime sub Sapore rege, ut Sozomenus *nn*, & ex eo Baronius fuse describit.

(a) I. Paral. xx. 2.
(b) IV. Reg. xv.
(c) Iudic. xi. vers. 12.
(d) Ezech. xxv. 6.
(e) Alcazar in Apoc. xiv. vers. 18. not. vi.
(f) Ierem. xlvi. 25.
(g) Steph. Lib. de Urbibus.
(h) I. Mach. v. 6.
(i) Ioseph. sup.
(k) Ierem. xlviii. 47.
(l) Genes. xxxvi. 11.
(m) Genes. xxv. 3.
(n) Abdiæ i. 5.
(o) Genes. xxxvi. 33.
(p) Isaiæ v. 26.
(q) II. Reg. 8. 14.
(r) IV. Reg. xiv. 7.
(s) Ierem. iv. 7.
(t) Iosue iii. 13.
(u) Isaiæ xliv. 28.
(x) Proleg. de Idiotismis Hebr. xv.
(y) Iulian. in Epistolis.
(z) Ioseph. Lib. I. Antiq. cap. xi.
(aa) Genes. xv. 2.
(bb) Hieron. de Locis Hebr.
(cc) II. Reg. viii. 6.
(dd) IV. Reg. xvi. 9.
(ee) Amos vi. 2.
(ff) Genes. xxv. 13.
(gg) Steph. Lib. de Urbibus.
(hh) Gen. xxi. 6.
(ii) Ierem. ix. 26.
(kk) Isaiæ xii. 6.
(ll) Ioseph. Lib. I. Antiq. cap. vii. Hieron. in Tradit. in cap. x. Genes. vers. 21.
(mm) Ierem. xxv. 18. & 25.
(nn) Sozom. Lib. II. cap. viii. ix. x.

GORDONI.

Vers. 1. PRimum de Ammonitis agitur: Ezechiel cap. xxv. vers. 6. dat causam cur contigerit Ammonitis excidium: quia irriserunt Israelitas euntes in exilium. Ieremias hic aliam profert, quia pulsis Israelitis & abductis, Ammon iniuste occupavit eorum possessiones, seu sortem Gad, Ruben, & dimidiæ tribus Manasse. De hac invasione expostulat initio Ieremias contra Ammonitas, & eorum Deum Melchom, ac si Israel non haberet heredem.

V. 2. & 3. Veniet ergo excidium, & quale sit declarat enumeratione urbium & locorum vastandorum, & tamen post cladem redibunt Ammonitæ, vers. 6.

V. 7. & 8. AD IDUMAEAM, &c. Theman urbs præcipua Idumæorum: abundabat sapientibus, illinc erat Eliphas; ami-

eus Iob: vide quæ de hoc dixi in Iob cap. 4. perditionem Esau adduxi: en vers. 8. excidium Esau, seu Idumææ.

V. 11. & 12. RELINQUE PUPILLOS, &c. ac si diceret; Non te vexabit cura relictorum pupillorum: paucos enim relinques, & his innocentibus si non parcitur, quanto minus magnis in Idumæa peccatoribus & iniustis.

V. 19. ECCE QUASI LEO ASCENDET, &c. Leo hic est Nabuchodonosor; *ascendet* vero *de medio Iordanis*, ἐκ μέσου, ut habent Septuag. in Hebr. *de elevatione Iordanis;* Noster vertit *superbia*; quasi diceret: Transibit Iordanem ut veniat, superando omne obstaculum fluctuum & sylvarum, quæ ibi sunt & ad pulchritudinem; & ea quæ pulchriora sunt apud Idumæos.

V. 20. SI NON DEIECERINT, &c. Gravis affirmatio est instar iurantis, fore ut vilissimi Chaldæorum deiiciant robustissimos Idumæos.

V. 23. AD DAMASCUM, &c. Damascus Syriæ caput est, de qua urbe multa hic Cornelius; hic eius per Chaldæos excidium exponitur: inter præcipuas urbes erat Emath, post sub Antiocho Epiphane dicta Epiphania: Dicuntur turbari IN MARI, hoc est velut in mari; nam in Hebræo subintelligi debet caph, similitudinis.

V. 18. AD CEDAR. Dixi supra Cedarenos esse populum in solitudine Arabiæ a Cedar Ismaelis filio Genes. v. 13. dicta Arabia petrea, in qua est mons Sina: dicti incolæ Agareni, ab Agar, & Saraceni a Saraca civitate, qui vastabuntur.

V. 31. Depingit Cedarenorum mores & excidium. Cedareni, seu regnum Asor (quæ est metropolis) carebant domibus; tabernacula habebant tecta pellibus, tenuem supellectilem & pastoritiam: hanc tollent, inquit, Chaldæi, non ostia & vectes: soli habitant, scilicet Nomades vagabundi; & Agareni isti his vivunt moribus.

V. 34. QUOD FACTUM EST, &c. Prophetia est contra AElam, IN PRINCIPIO REGNI SEDECIAE. AElam urbs in Persia erat sic dicta ab AElam primogenito Sem, ex Hieron. in tradit. vide Gen. x. 22. erant hi sagittarii periti. Hinc ait Deus, CONFRIGAM arcus eorum: rediere in patriam per Cyrum.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 2. RABBATH, urbs in Arabia, & Ammonita est, sic vocata a magnitudine, ut nomen Hebraicum sonat: postea dicta Philadelphia. FILIAE EIUS, minora oppida.

Vers. 3. HESEBON, urbs hæc est quidem Moabitarum, sed ipsa & tribus Dan ob vicinitatem ad hos Ammonitas sentient damnum. HAI, Ammonitarum civitas est: redibunt tamen a captivitate sua Ammonitæ vers. *6.*

Vers. 8. DEDAN. Regio vicina Idumææ. ESAU, Idumæa, nomen hoc impositum est ab Esaü vocato Edom.


Vers. 12. NON ERAT IUDICIUM. Non erat equum, si cum aliis comparetur, qui minora mala faciunt.

Vers. 13. BOSRA: Idumæorum civitas.



CAPUT L.

Babylon quæ in captivitate affligit filios Israel, his in terram suam feliciter reductis, penitus vastabitur a regibus Aquilonis.

1 Erbum, quod locutus est Dominus de Babylone, & de terra Chaldæorum, in manu Ieremiæ prophetæ. 2. Annuntiate in Gentibus, & auditum facite: levate signum, prædicate, & nolite celare: dicite: Capta est Babylon, confusus est Bel, victus est Merodach, confusa sunt sculptilia eius, superata sunt idola eorum. 3. Quoniam ascendit contra eam gens ab Aquilone, quæ ponet terram eius in solitudinem: & non erit qui habitet in ea ab homine usque ad pecus: & moti sunt, & abierunt. 4. In diebus illis, & in tempore illo, ait Dominus: venient filii Israel, ipsi & filii Iuda simul: ambulantes & flentes properabunt, & Dominum Deum suum quærent. 5. In Sion interrogabunt viam, huc facies eorum. Venient, & apponentur ad Dominum fœdere sempiterno, quod nulla oblivione delebitur. 6. Grex perditus factus est populus meus: pastores eorum seduxerunt eos, feceruntque vagari in montibus: de monte in collem transierunt, obliti sunt cubilis sui. 7. Omnes, qui invenerunt, comederunt eos: & hostes eorum dixerunt: Non peccavimus: pro eo quod peccaverunt Domino decori iustitiæ, & expectationi patrum eorum Domino. 8. Recedite de medio Babylonis, & de terra Chaldæorum egredimini: & estote quasi hœdi ante gregem. 9. Quoniam ecce ego suscito, & adducam in Babylonem congregationem Gentium magnarum de terra Aquilonis: & præparabuntur adversus eam, & inde capietur: sagitta eius, quasi viri fortis interfectoris, non revertetur vacua. 10. Et erit Chaldæa in prædam: omnes vastantes eam replebuntur, ait Dominus. 11. Quoniam exultatis, & magna loquimini, diripientes hereditatem meam: quoniam effusi estis sicut vituli super herbam, & mugistis sicut tauri. 12. Confusa est mater vestra nimis, & adæquata pulveri, quæ genuit vos: ecce novissima erit in Gentibus, * deserta, invia, & arens. 13. Ab ira Domini non habitabitur, sed redigetur tota in solitudinem: omnis, qui transibit per Babylonem, stupebit, & sibilabit super universis plagis eius. 14. Præparamini contra Babylonem per circuitum omnes qui tenditis arcum; debellate eam, non parcatis iaculis: quia Domino peccavit. 15. Clamate adversus eam, ubique dedit manum, ceciderunt fundamenta eius, destructi sunt muri eius, quoniam ultio Domini est: ultionem accipite de ea; sicut fecit, facite ei. 16. Disperdite satorem de Babylone, & tenentem falcem in tempore messis: a facie gladii columbæ unusquisque ad populum suum convertetur, & singuli ad terram suam fugient. 17. Grex dispersus Israel, leones eiecerunt eum: primus comedit eum rex Assur: iste novissimus exossavit eum, Nabuchodonosor rex Babylonis. 18. Propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Ecce ego visitabo regem Babylonis, & terram eius, sicut visitavi regem Assur: 19. & reducam Israel ad habitaculum suum: * & pascetur Carmelum & Basan, & in monte Ephraim

& Ga-

& Galaad saturabitur anima eius. 20. In diebus illis, & in tempore illo, ait Dominus, quæretur iniquitas Israel, & non erit; & peccatum Iuda, & non invenietur: quoniam propitius ero eis, quos reliquero. 21. Super terram dominantium ascende, & super habitatores eius visita, dissipa, & interfice quæ post eos sunt, ait Dominus: & fac iuxta omnia quæ præcepi tibi. 22. Vox belli in terra, & contritio magna. 23. Quomodo confractus est, & contritus malleus universæ terræ? quomodo versa est in desertum Babylon in Gentibus? 24. Illaqueavi te, & capta es Babylon, & nesciebas: inventa es & apprehensa: quoniam Dominum provocasti. 25. Aperuit Dominus thesaurum suum, & protulit vasa iræ suæ, quoniam opus est Domino Deo exercituum in terra Chaldæorum. 26. Venite ad eam ab extremis finibus, aperite ut exeant qui conculcent eam: tollite de via lapides, & redigite in acervo, & interficite eam: nec sit quidquam reliquum. 27. Dissipate universos fortes eius, descendat in occisionem: væ eis, quia venit dies eorum; tempus visitationis eorum. 28. Vox fugientium, & eorum qui evaserunt de terra Babylonis, ut annuntiet in Sion ultionem Domini Dei nostri, ultionem templi eius. 29. Annuntiate in Babylonem plurimis, omnibus qui tendunt arcum: consistite adversus eam per gyrum, & nullus evadat: reddite ei secundum opus suum: iuxta omnia quæ fecit, facite illi: quia contra Dominum erecta est, adversum sanctum Israel. 30. Idcirco cadent iuvenes eius in plateis eius: & omnes viri bellatores eius conticescent in die illa, ait Dominus. 31. Ecce ego ad te superbe, dicit Dominus Deus exercituum: quia venit dies tuus, tempus visitationis tuæ. 32. Et cadet superbus, & corruet, & non erit qui suscitet eum: & succendam ignem in urbibus eius, & devorabit omnia in circuitu eius. 33. Hæc dicit Dominus exercituum: Calumniam sustinent filii Israel, & filii Iuda simul: omnes, qui ceperunt eos, tenent, nolunt dimittere eos. 34. Redemptor eorum fortis, Dominus exercituum nomen eius, iudicio defendet causam eorum, ut exterreat terram, & commoveat habitatores Babylonis. 35. Gladius ad Chaldæos, ait Dominus, & ad habitatores Babylonis, & ad principes, & ad sapientes eius. 36. Gladius ad divinos eius, qui stulti erunt: gladius ad fortes illius, qui timebunt. 37. Gladius ad equos eius, & ad currus eius, & ad omne vulgus, quod est in medio eius: & erunt quasi mulieres: gladius ad thesauros eius, qui diripientur. 38. Siccitas super aquas eius erit, & arescent: quia terra sculptilium est, & in portentis gloriantur. 39. * Propterea habitabunt dracones cum faunis ficariis: & habitabunt in ea struthiones: & non habitabitur ultra usque in sempiternum, nec extruetur usque ad generationem & generationem. 40. (a) Sicut subvertit Dominus Sodomam & Gomorrham, & vicinas eius, ait Dominus: non habitabit ibi vir, & non incolet eam filius hominis. 41. Ecce populus venit ab Aquilone, & gens magna, & reges multi consurgent a finibus terræ. 42. Arcum & scutum apprehendent: * crudeles sunt & immisericordes: vox eorum quasi mare sonabit: & super equos ascendent, sicut vir paratus ad prælium contra te filia Babylon. 43. Audivit rex Babylonis famam eorum, & dissolutæ sunt manus eius: angustia apprehendit eum, dolor quasi parturientem. 44. Ecce quasi leo ascendet de superbia Iordanis ad pulchritudinem robustam: quia subito currere faciam eum ad illam: & quis erit electus, quem præponam eis? quis est enim similis mei? & quis sustinebit me? (b) & quis est iste pastor, qui resistat vultui meo? 45. Propterea audite consilium Domini, quod mente concepit adversum Babylonem; & cogitationes eius, quas cogitavit super

ter-

terram Chaldæorum; Nisi detraxerint eos parvuli gregum, nisi dissipatum fuerit cum ipsis habitaculum eorum. 46. A voce captivitatis Babylonis commota est terra, & clamor inter Gentes auditus est.

(a) Gen. xix. 24. (b) Iob xli. 1.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 22. *Deserta, invia, & arens.* Non præponas & coniunctionem voci *deserta.*

Vers. 19. *Et pascetur Carmelum & Basan.* Scribendum est accusativo casu *Carmelum*, non nominativo *Carmelus.*

Vers. 39. *Propterea habitabunt dracones cum faunis ficariis.* Duplex mendum hinc sublatum est felicissima Romanorum Patrum diligentia: unum, quo pro *faunis* (quod nomen est dæmonum silvestrum, apud Ethnicos, affinium Satyris) scribebatur fatuis, id est stultis. Alterum, quo legebatur *ficariis* a fica, quod genus est gladii, pro *ficariis*, a ficu arbore, Faunis, credo, ut alias Mercurio, amata.

Vers. 42. *Crudeles sunt & immisericordes.* Cave scribas contrarium *misericordes.*

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. IN MANU IEREMIAE. Hebraismus pro, per Ieremiam Prophetam, ut supra XXVII. 3. *Mittes eos in manu nuntiorum, qui venerunt Ierusalem*, id est per nuntios. Et cap. XXXVII. 2. *Et non obedivit ipse, & servi eius, & populus terræ verbis Domini, qui locutus est in manu Ieremiæ Prophetæ.*

V. 2. ANNUNCIATE IN GENTIBUS. Aliqui putant verba esse Dei ad Prophetas; quasi dicat: Annuntiate gentibus, o Prophetæ mei, futuram Babylonis eversionem. Mihi verba Prophetæ esse videntur dicentis omnibus hominibus, ut apud omnes Gentes annuntient Babylonis excidium; fuerat enim rex Babylonis in omnes fere gentes longe, lateque dominatus; propterea dicit Propheta, ut eius interitus quasi lætissimum nuntium narretur omnibus Gentibus, ut recte observavit R. David. AUDITUM FACITE, narrate. LEVATE SIGNUM, id est, publice prædicate, ut nemo ignorare possit, vel, ut alii volunt, *tollite signum victoriæ*: alii, *tollite signum*, ut omnes Gentes veniant ad pugnandum contra Babylonem. CAPTA Præteritum pro futuro; capietur enim Babylon, confundetur Bel Chaldæorum idolum, vincetur. Hebr. חת, *conteretur Merodach alterum idolum.* Duos præcipuos Chaldæorum deos pro omnibus posuit, quos ideo confundendos, id est, ignominia afficiendos esse dicit, quia tunc manifestum erit, non posse suos cultores liberare, ut ait R. David. SUPERATA SUNT. חתו, *contrita, confracta sunt*, ut exponit Chaldæus Paraphrastes. Septua. παρεδόθη, *tradita sunt*, id est capta sunt ab hostibus, & in captivitatem ducta. Qui sensus valde mihi videtur huic loco convenire. Nam & חתו a חתת venire potest & eodem modo supra de Chamos Moabitarum idolo locutus est Ieremias XLVIII. 7. *Ibit Chamos in transmigrationem* & cap. XLIII. 12. de diis AEgypti, *Et succendet ignem in delubris deorum AEgypti, & comburet ea, & captivos ducet illos.* Certe Septuag. ita videntur intellexisse. Quanquam R. David contendit verbum esse חתת.

V. 3. AB AQUILONE. Persæ scilicet, & Medi, qui Babyloniis Aquilonares erant, ut ait R. David, & ut eventus ipse demonstravit, Daniel. v. 31. & VI. 28. ET MOTI SUNT: præteritum pro futuro, movebuntur, id est dissipabuntur, dispergentur Babylonii נדו. ET ABIERUNT, id est fugient, aut ibunt in captivitatem.

V. 4. IPSI, ET FILII IUDA SIMUL, id est tam decem tribus, quæ Israel, quam duæ, quæ Iuda vocabantur. Non legimus in libris Esdræ decem tribus a captivitate re-

rediisse: sed est verosimile earum reliquias una cum duabus tribubus cum potestas illis a Cyro revertendi facta esset, reversisse. AMBULANTES, ET FLENTES, prae gaudio, ut supra cap. XXXI. 9. *In fletu venient, & in misericordia reducam eos.* Est enim fletus quidam lætitiæ: sicut Esau flevit amplexans & osculans fratrem suum, Genes. XXXIII. 4. Et sicut Ioseph flevit conspiciens fratres suos, Genes. XLII. 24. & XLIII. 30. & XLV. 14. Ita etiam Hebræi interpretantur; idque valde convenit cum historia. Nam Lib. I. Esdræ III. 12. dicuntur Iudæi templi restaurationem videntes, magna voce præ gaudio flevisse. Alii quidam exponunt, flentes, cum viderint se multos fuisse in captivitatem abductos, paucos vero redire, minus proprie ET DOMINUM DEUM SUUM QUAERENT. Hoc non solum ad illud tempus referendum est, quo tempore Iudæi ex Chaldæa Ierosolymam redierunt; sed multo etiam magis ad tempus Christi, quo ex diaboli captivitate Iudæi liberati, non iam Ierosolymis, neque in monte Samariæ; sed in spiritu & veritate Deum adorare didicerunt Ioan. IV. 21. Sicut illa altera prophetia, quam supra explicavimus, cap. XXXI. 11. 12. 13. Id perspicuum est versu sequenti, ubi agitur de fœdere sempiterno.

V. 5. IN SION, id est viam, qua veniant in Sion: &, si prophetiæ finem respiciamus, interrogabunt viam, qua veniant in Ecclesiam. HUC FACIES EORUM; id est, huic recta via contendent, non divertent huc nec illuc; facilis est Hebraismus. VENIENT, ET APPONENTUR; id est, adhærebunt Domino, FOEDERE SEMPITERNO, id est evangelico quod nullum finem habiturum est. R. David, putat באו ונלוו, esse imperativa, *venite: & adhærete Domino.* Melius noster interpres fecit præterita, eaque in futura convertit, sicut & Septuag. & Chaldæus Paraphrastes, ut apud Isaiam, cap I. 41. *Prope est ut veniat tempus eius, & dies eius non elongabuntur. Miserebitur enim Dominus Iacob, & eliget adhuc de Israel, & requiescere eos faciet super humum suam: adiungetur advena ad eos, & adhærebit domui Iacob.*

V. 6. GREX PERDITUS; id est, hactenus similis fuit populus meus gregi eranti per montes, & colles: sic enim ille sine pastore sine rege, sine sacerdote in captivitate erravit: sic ego interpretor. Alii referunt ad mores; *erraverunt*, id est depravati sunt moribus; quod etsi verum est, tamen non videtur mihi proprius esse sensus huius loci. Pastores eorum vocat reges, & pseudoprophetas qui populum blandiendo seduxerunt, in causaque fuerunt, ut in captivitatem iret: sicut dixit supra XII. 10. *Pastores multi demoliti sunt vineam meam*: & cap. XXIII. 1. *Væ pastoribus, qui disperdunt, & dilacerant gregem pascuæ meæ, dicit Dominus.* OBLITI SUNT CUBILIS SUI, ovilis: alludit enim ad gregem errantem qui nescit ad ovile reverti. Ovile autem vocat Sion; propterea dixit versu præcedenti, *In Sion interrogabunt viam.* Exponit populi calamitates, ut magis suum in eo reducendo beneficium commendet.

V. 7. COMEDERUNT, id est facti sunt in prædam, & devorationem omnibus gentibus: Ezechiel. XXXIV. 5. 8. *Facti sunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri.* ET DIXERUNT, NON PECCAVIMUS; id est, omnes qui interficiebant eos, arbitrabantur obsequium se præstare Deo, ut ipsi postea putabant, cum Apostolos interficiebant, Ioan. XVI. 2. quasi omnes gentes dicerent, *Deus dereliquit eum: persequimini, & comprehendite eum: quia non est, qui eripiat,* Psal. LXX. 11. DECORI IUSTITIAE: נוה צדק, qui illis, antequam peccarent, erat iustitiæ decus, id est, qui eorum iustitiam multis beneficiis decorabat. Alii, *habitaculo iustitiæ;* id est, in quo cum iusti essent, confidebant, a quo sicut ab habitaculo protegebantur; quasi dicat: Habitabant in adiutorio Altissimi, & in protectione Dei cæli commorabantur, Psal. XC. 1. Ita Hebræi. Alii, *Non peccavimus, quia peccaverunt discedendo a Deo habitaculo iustitiæ, & veritatis*, ut Chaldæus interpretatur. ET EXPECTATIONI, id est Domino, in quo patres eorum speraverant: & adiutor eorum, & protector eorum fuit, Psal. CXIII. 17. 18. 19.

V. 7. ET ESTOTE QUASI HOEDI ANTE GREGEM. R. David interpretatur, *Nihil timeatis, sed securi redite in patriam vestram, quemadmodum hœdi nihil metuentes, gregem præcedunt.* Magis mihi placet multorum Latinorum interpretatio, qui existimant

mant hac similitudine lætitiam, & celeritatem significari; quasi dicat: Redite celeres, & læti, sicut hirci gregem præcedunt. Chaldæus alium sensum reddidit. *Estote quasi principes in capite populi*; quasi grex sine ductore errastis, nunc constituite vobis principes, qui populum antecedant, & redite in ovile vestrum, ut dixit vers. 6. Sept. ὥσπερ δράκοντες κατὰ πρόσωπον προβάτων, *sicut dracones ante faciem ovium*: quod tamen Theodorit exponit, *sicut arietes*, & ex Syro interprete, *sicut hirci*; id est, estote superiores Babyloniis, sicut arietes, aut hirci superiores sunt ovibus.

V. 9. PRAEPARABUNTUR ADVERSUS EAM: ערכו, *præparabunt*, id est aciem instruent, aut obsidionem parabunt adversus eam. ET INDE, משם, *primo conflictu*, aut prima vice, ut ita loquar, prima obsidione, id est, non prius inde Medi discedent, quam eam capiant, ut R. David exponit. SAGITTA EIUS, congregationis, id est exercitus. QUASI VIRI FORTIS INTERFECTORIS: כגבור משכיל, *sicut viri fortis orbantis*, id est interficientis multos, orbantisque multas mulieres viris suis, ut quidam explicant, Chaldæum Paraphrastem imitati. Alii melius meo quidem iudicio, *sicut viri*, aut, *sicut bellatores periti*, id est, qui numquam iaculando sagittas errant. Id enim significat משכיל, puncto in cornu sinistro, sicut Sept. legisse manifestum est: verterunt enim, ὡς βολὶς μαχητοῦ συνετοῦ, *sicut iaculum bellatoris intelligentis*. NON REVERTETUR VACUA; id est, singulis sagittis singulos homines interficiet. Hebraismus, qualis apud Isaiam LV. 11.

V. 11. REPLEBUNTUR, spoliis, divites efficientur eius direptione: ישבעו, *saturabuntur*, id est explebunt occidendi, prædandique cupiditatem.

V. 11. QUONIAM EXULTATIS. Vos o Chaldæi. ET MAGNA LOQUIMINI, id est arroganter loquimini contra me: תעלזי, *exultastis*, extulistis vos victoria contra populum meum parta. EFFUSI ESTIS, id est, multiplicati; ut Hebræi interpretantur, opibus hereditatis meæ, aut locupletati, pingues facti, SICUT VITULUS SUPER HERBAM. ET MUGISTIS; id est, feroces facti estis, sicut tauri propter divitias, quas a populo meo abstulistis. Mugitus enim in tauro ferocitatem, elationemque significat.

V. 12. CONFUSA EST MATER VESTRA, id est Babylon, aut Chaldæa. ADAEQUATA PULVERI, id est eversa, solo æquata: חפרה, idem significat quod *confusa*, sicut Sept. reddiderunt: est enim repetitio. ECCE NOVISSIMA ERIT IN GENTIBUS, id est abiectissima erit omnes gentes. Hebr. הנה אחרית גוים: *Ecce postremum gentium*; id est, finis vester erit inter desertus, invius, & arens, id est in fine terra vestra erit deserta, invia, & arens, aut ציה וערבה, *sitiens & sola*. Gentes vocat ipsos Chaldæos; quasi dicat, Principium vestrum fuit iucundum & prosperum; finis autem erit miserabilis, & luctuosus: ita Hebræi, R. Salom. & R. David.

V. 13. AB IRA DOMINI; propter iram Domini. Hebraismus, ut Psalm. XXXVII. 9. *rugiebam a gemitu cordis mei*, id est propter gemitum. SIBILABIT, id est obstupefiet, vel admirabitur, aut contemnet. Sæpe diximus sibilum apud Hebræos, aut stuporem, aut contemptum significare: vide quæ diximus superiori capite vers. 17.

V. 14. PRAEPARAMINI, ערכו, *præparate*, aut instruite aciem contra Babylonem, ut vers. 3. OMNES QUI INTENDITIS ARCUM, id est omnes bellicosi viri armis assueti. Arcum enim pro omni armorum genere posuit. DEBELLATE EAM. Hebr. ידו אליה, *proiicite* (sagittas) *contra eam*, sicut Chaldæus, & Sept. converterunt.

V. 15. CLAMATE; id est, pulsate vasa bellica, canite classicum, clangite tubis, ut olim contra Iericho factum est, Iosue 6. ita R. David. Ego, *Clamate*, id est cantate celeusma contra eam, exhortantes vos ad bellum. Hispanice, *Dalde Santiago*. Sicut supra dixerat XXV. 30. *Celeusma quasi calcantium concinetur adversus omnes habitatores terræ*; & infra LI. 14. de eadem loquens Babylone, *Iuravit Deus per animam suam, quia replebo te hominibus quasi bruchо, & super te celeusma cantabitur*. UBIQUE DEDIT MANUM. Hebræi aliter verba coniungunt: legunt enim sic: עליה סביב נתנה ידה הריעו, *clamate contra eam in circuitu*, quod noster interpres dixit, *Ubique dedit manum suam*. Quod R. Salom. & R. David exponunt, *infirmata est*, ita ut non sit illi ullum robur; quasi dicat, Cecidit, & allisit in terram manus suas, sicut dixit de Moab, cap. XLVIII. 26. Aut. *dedit manum suam*, id est victa est,

est, ut alii interpretantur, quemadmodum Latine dicimus, *dare manus*, id est dedere se. At ea phrasis non est Hebraica. Sept. παρελύθησαν αἱ χεῖρες αὐτῆς, *solutæ sunt manus eius*, id est perterrita est. Chaldæus, *tradita est in manus eorum*, id est hostium. Ponuntur præterita pro futuris, aut imperativis. SICUT FECIT, Ierusalem, & aliis urbibus tum Iudæorum, tum etiam aliarum gentium. Ita etiam Abdias contra Edom vers. 15. *Quoniam iuxta est dies Domini super omnes gentes; sicut fecisti, fiet tibi, retributionem tuam convertet in caput tuum*, & Apocal. XVIII. 6. *Reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis, & duplicate duplicia secundum opera eius. In poculo, quo miscuit, miscete illi duplum.*

V. 16. DISPERDITE SATOREM; id est, occidite omnes Babylonios, ita ut nemo remaneat, neque qui seminet, neque qui metat, ut explicat R. David. Eodem sensu, quamvis aliis verbis Septuag. *Disperdite semen de Babylone*. ET TENENTEM FALCEM IN TEMPORE MESSIS. Chaldæus putavit esse metaphoram, qua per semen reges, per tenentes falcem milites gladium tenentes, per tempus messis, tempus belli & occisionis intelligeretur. Itaque vertit, *Disperdite regem de Babylone, & tenentem gladium in tempore occisionis*. A FACIE GLADII COLUMBAE. Hunc locum supra explanavimus XXV. 38. & XLVI. 16. Columbam vocat hostem, non propter mansuetudinem, quæ in illo nulla erat; sed propter celeritatem. Hebr. מפני חרב היונה, R. David exponit, ut superius diximus, *propter gladium vastantem*. Ionathas vero & R. Salomon, *propter gladium inebriantem*, id est, qui sanguine inebriatur, ut supra XLVI. 10. & Isai. cap. XLIV. 5. Septuaginta, ἀπὸ προσώπου μαχαίρας Ἑλληνικῆς, *a facie gladii Græci*, ut supra XLVI. 16. quod illic refutavimus, nam neque hoc loco, neque illo de Græcis agitur; sed illic de Chaldæis, hic de Medis, & Persis. UNUSQUISQUE, qui in auxilium Babyloniorum venerant, ut R. David exponit.

V. 17. GREX DISPERSUS, id est similis gregi disperso, & erranti, ut vers. 6. *Grex perditus factus est populus meus*. LEONES EIECERUNT EUM, de loco suo: leones vocat regem Assyriorum, & Chaldæorum; Iudæos comparat ovibus, quæ a leonibus territæ locum suum deserunt. PRIMUS COMEDIT EUM REX ASSUR. Hunc locum & Hebræi, & Latini, & Græci auctores eodem modo interpretantur. Rex Assyriorum dicitur primus comedisse populum Dei, id est solam carnem edisse, ossa vero non comminuisse; quia decem tribus, quæ quasi caro erant, in captivitatem duxit: IV. Regum XVIII. 11. Duas vero tribus, in quibus erat regnum, & sacerdotium, ac templum Dei, quasi ossa, & robur populi non perdidit. Rex vero Babylonis ossa confregit, quia & duas tribus in captivitatem duxit, & templum evertit, IV. Regum XXV. 9.

V. 19. ET PASCETUR CARMELUM. Sic legendum, non Carmelus, quia sic est Hebr. & sic emendatiora habent exemplaria, & eodem sensu Sept. καὶ νεμήσονται ἐν τῷ Καρμήλῳ, *Et pascentur in Carmelo*. Loquitur de populo; tamquam de grege, persistens in superiore metaphora, vers. 6. & 17. quasi dicat Reducam oves meas in loca pascua, unde eas leones eiecerunt, & pascentur ibi, sicut ante. ET SATURABITUR ANIMA EARUM, id est appetitus. Hebraismus est, anima pro appetitu, ut Psal. XLI. 3. *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum*, & Psal. LXII. 6. *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea*: Isai. V. 14. *Dilatavit infernus animam suam*.

V. 20. QUAERETUR; id est, etiamsi quæratur, non invenietur, quia delebo illam, &, ut ait per Michæam cap. VII. 19. *Revertetur, & miserebitur nostri; deponet iniquitates nostras, & proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra*. Locutio est absoluta, pro conditionali, quales frequentes occurrunt apud Hebræos. QUONIAM PROPITIUS ERO EIS QUOS RELIQUERO, quos ex calamitate captivitatis reliquos fecero, aut, ut longius prospiciamus ad tempus Christi, quo videtur spectare prophetia, propitius ero reliquiis Israel, quæ salvæ erunt, id est prædestinatis Israel, Is. X. 22. ad Rom. IX. 27. & XI. 5.

V. 21. SUPER TERRAM: *contra terram*, על הארץ. DOMINANTIUM, id est Chaldæorum, qui tunc dominantur. Hebr. מרתים, *rebellionum*, id est rebellem; ita vocat Babylonem, quod contra populum Dei rebellasset, ac proinde etiam contra Deum. Sept. ἐπὶ τῆς γῆς πικρῶς, *contra terram amare*, existimantes esse a מרר, quod vix convenire potest. ASCENDE, o hostis, o Me-

• Mede o Persa: est enim apostrophe Dei, aut Prophetæ ad hostes. INTERFICE QUAE POST EOS SUNT. Dele omnem eorum posteritatem. Hæbr. והחרם אחריהם, & interfice post eos, id est, non solum ipsos, sed etiam ipsorum filios, qui post ipsos erant successuri; aut ut R. David interpretatur, persequere, & interfice a tergo eos fugientes. IUXTA OMNIA QUAE PRAECEPI. Indicat Deus se Medos, ac Persas contra Chaldæos excitasse. Vocat autem præceptum instigationem, aut permissionem, ut II. Reg. XVI. 10. *Dominus præcepit ei, ut malediceret David*.

V. 22. VOX BELLI. Clamor bellicus, sub auditur: hypotyposis belli est.

V. 23. CONTRITUS EST MALLEUS. Malleum vocat per metaphoram regem Babylonis, quia cetera regna percutere solebat. Loquitur autem de re futura, tamquam de iam confecta, ut eam magis ob oculos ponat. BABYLON IN GENTIBUS; id est, quæ prius in Gentibus, aut inter Gentes dominabatur: aut, Babylon, quæ apud Gentes est ut Galilæa Gentium, Matth. IV. 15. aut, quod mihi magis placet, *Quomodo conversa est in desertum in Gentibus?* id est, inter gentes, sicut aliæ gentes. Quemadmodum dixerat vers. 12. *Ecce novissima erit in Gentibus, deserta, invia, & arens*.

V. 24. ET NESCIEBAS; id est, illaqueavi, & comprehendi te antequam animadverteres, subito de improviso. INVENTA ES, id est deprehensa & capta. QUONIAM DOMINUM PROVOCASTI, ad iram. Hebr. כיהוה התגרית, *Cum Domino miscuisti te*, id est litem suscepisti.

V. 25. THESAURUM SUUM; id est, armarium, ubi habet reposita arma iræ suæ, famem, pestem, bellum, & alia huiusmodi. Alii putant armarium appellare Mediam, & Persiam, & vasa iræ suæ Darium, & Cyrum. Non abs re. QUONIAM OPUS EST. Opus Domini, aut quod Domino faciendum est, vocat Chaldææ devastationem, quæ Dei iussu facienda erat. Sicut cap. XLVIII. 10. vocavit opus Domini Moabitarum cædem. *Maledictus*, inquit, *qui facit opus Domini fraudulenter*.

V. 26. APERITE: vias, aut portas omnium civitatum, omnium gentium; ut liberum sit omnibus exire, ut pugnent adversus eam. TOLLITE DE VIA LAPIDES, ut contra eam iaciatis; aut, auferte lapides a via ut omnes, qui velint sine impedimento contra eam venire possint. Hic nostro interpreti sensus est. Aliter Hebræi: פתחו מאבסיה, *aperite horrea eius*: סלוה כמו ערמים, *conculcate eam sicut acervos*; id est sicut triturantes solent frumenti acervos conculcare, ut interpretantur R. David & R. Sal. Chaldæus vero, *Aperite horrea eius, consumite facultates eius, sicut consumi solent acervi tritici*. Sept. alio prorsus sensu, quem non opus est explicare.

V. 27. DISSIPATE UNIVERSOS FORTES EIUS, id est omnes potentes principes eius, aut omnes viros bellicosos eius: חרבו כל פריה, *occidite omnes vitulos eius*. Vitulos vocat per metaphoram principes ac magnates, ut dicunt Hebræi, quod fortes sint. Ego id non reprehendo, sed forte vituli vocantur omnes Chaldæi, quod omnes essent quasi vituli mactandi, sicut statim dicit, DESCENDANT IN OCCISIONEM: quæ phrasis proprie significat non tamquam homines; sed tamquam pecudes occidi, ut cap. XLVIII. 15. *Electi iuvenes eius descenderunt in occisionem*. Sept. existimarunt פריה, a פרי, quod fructum significat. Verterunt enim, ἀναξηράνατε πάντας τοὺς καρποὺς αὐτῆς, *Exsiccate omnes fructus eius*, quasi perseveret in metaphora superioris versus, *Aperite omnia horrea eius*.

V. 28. VOX FUGIENTIUM, Iudæorum audietur. Quomodo vocat fugientes Iudæos, cum non fugerint; sed publico Cyri edicto discesserint? Respondet R. David, cum primum Medii Babylonem obsederunt, nonnullos Iudæos profugisse, & Ierosolymam rediisse, annuntiasseque evenisse iam quod in Babylonis expugnatione, & Iudæorum liberatione Ieremias prædixerat.

V. 29. ANNUNTIATE IN BABYLONEM; id est, dicite plerisque omnibus gentibus tendendi arcus peritis, ut contra Babylonem veniant. Galli dicunt, *Donnez le rendez vous*. Id clarius dicitur Hebraice, השמיעו אל בבל רבים, *Congregate contra Babylonem iaculatores*: כל דרכי קשת חנו עליה סביב, *Omnes qui arcum tenditis castrametamini contra eam in circuitu*. Ita R. Salom. & R. David. SECUNDUM OPUS SUUM; id est, sicut ipsa fecit aliis gentibus, quas expugnavit, ut statim expli at. IUXTA OMNIA QUAE FECIT, FA-

CITE ILLI, ut ſupra verſ. 15. & Abd. verſ. 15. 16. & Apocal. XVIII. 6. ERECTA EST: זדה, *ſuperbe egit*, *extulit ſe*. SANCTUM ISRAEL, id eſt contra Deum, qui ſanctificat Iſrael, ut aliis locis adnotavimus. Alii, *Sanctum Iſrael*, templi vocari putant.

V. 30. IUVENES, id eſt milites. Sæpe docuimus Hebræos milites, בחורים, *iuvenes*, aut *electos* eum appellare, quod milites plerumque iuvenes ſint, & deligi ſoleant. Repetitio enim eſt, IUVENES EIUS, ET BELLATORES EIUS. Vide ſupra XLIX. 26. ubi & alterum Hebraiſmum, qui ſequitur declaravimus. CONTICESCENT, id eſt prorſus peribunt, ita ut nulla deinceps de illis mentio fiat, ut ſupra XXV. 37. & XLVII. 5. & Iſai. XV. 1. & Oſe. IV. 6. & Sophon. I. 11.

V. 31. ECCE EGO AD TE: אליך, *contra te* (venio.)

V. 33. CALUMNIAM SUSTINENT: עשוקים, *oppreſſi ſunt*, *vi tenentur in captivitate*, ut ſtatim exponunt.

V. 34. REDEMPTOR EORUM FORTIS. Conditio, comparatio, & adnominatio in ſimplici oratione latent. Conditio, & comparatio, quia ſenſus eſt: Quamvis filii Iſrael, & Iuda fortiter teneantur, tamen fortior eſt Dominus redemptor eorum, qui ipſorum cauſam defendendam ſuſcipiet. Adnominatio autem eſt, quia verſ. præcedenti dixit, בם החזיקו, *fortiter tenent eos*: nunc autem dicit. גאל חזק, *redemptor eorum fortior*. IUDICIO DEFENDET: ריב יריב, *ſuſcipiendo ſuſcipiet*, CAUSAM EORUM, id eſt omni ſtudio ac diligentia defendet. UT EXTERREAT TERRAM: הרגיע את הארץ, quod R. Salomon & R. David exponunt, *ut quieſcere faciat terram*, *commovebit habitatores Babyonis*. Nam prius Babylonii omnem terram bellis turbabant; turbata autem Babylone omnis terra conquievit. Eodem ſenſu verterunt Sept. ὅπως ἐξάρῃ τὴν γῆν. Chaldæus aliter, לם תבר רשיעי אר עא, *ut conterat impios terræ*.

V. 36. GLADIUS AD DIVINOS: contra divinos eius, ſub. veniat: בדים, *mendaces*, ſic appellantur divini, quia mentiri ſolent; itaque non ſolum noſter interpres, ſed etiam Sept. & Chaldæus Paraphraſtes divinos tranſtulerunt. QUI STULTI ERUNT: ונאלו, *& deſipient*; id eſt, apparebit eos deſipere, quia non bene ſuum ipſorum interitum divinaverant. AD FORTES: ad fortiſſimos quoſque: וחתו, *& confringentur*, id eſt gladio concidentur.

V. 38. SICCITAS SUPER AQUAS. Sunt qui putent hoc dici propter aquas Euphratis, quæ a Cyro in varios rivulos deductæ ſint, ut facile traiici poſſent; hoc enim modo captam urbem. At neque conſtat veritas hiſtoriæ, & aquas derivari, non eſt יבוש, *areſcere*, & *ſiccari*. Quare de vera ſiccitate interpretor, quam Deus ad puniendos Chaldæos miſerit; aut vero ſignificat fore, ut terra deficientibus habitatoribus inculta ſit, & arida, id eſt, non irrigata, ut videtur verſu ſequenti declarare.

V. 39. CUM FATUIS SICCARIIS. Fatuos vocat Faunos, aut Satyros, qui cum hominibus colludunt: ſicut Galli huiuſmodi genus dæmonum appellant, *Folets*, *ſtultulos*. Siccarios autem id eſt in locis ſiccis, atque aridis habitantes, ut exprimeret Hebraicam vocem איים, quod non intelligentes nonnulli miras interpretationes excogitarunt, ציים את איים. Utraſque dicunt Hebræi beſtias eſſe ſylveſtres quæ in locis aridis verſari ſoleant. Alii, feles cum ululis; alii cercopithecos cum felibus, ut Chaldæus paraphraſtes. Septu. Κατοικήσουσιν ἰνδαλματα ἐν ταῖς νήσοις, *habitabunt ſpectra in inſulis*. Vide Iſai. XIII. 21. 22. ubi eædem voces explicatæ ſunt.

V. 41. GENS. Medi, & Perſæ, qui Chaldæis Aquilonares erant, ut ſupra verſ. 3. & 9.

V. 43. AUDIVIT. Hebraiſmus; id eſt, cum audierit, diſſolventur manus eius, vehementer timebit, ut cap. VI. 24. & cap. XXXVIII. 4. & XLVII. 3. Cetera omnia uſque ad finem capitis explicata ſunt ſuperiori capite a verſu decimo nono uſque ad viceſimum ſecundum, ubi iiſdem verbis eadem contra Idumæos dicta ſunt.

S A.

Verſ. 1. IN MANU, id eſt opera.

Verſ. 2. ANNUNTIATE, ſcilicet o Prophetæ. AUDITUM; pro, audiri. SIGNUM, id eſt vexillum, ſcilicet in ſignum victoriæ. BEL: nomen idoli; itemque MERODACH, per quæ duo reliqua intelliguntur. Chald. *Confuſi ſunt cultores Bel*, *& confracti cultores Merodach*. CONFUSA, ſcilicet quia non potuerunt defendere.

V. 3.

V. 3. AQUILONE, scilicet Perside.

V. 4. FLENTES, scilicet præ lætitia, Evangelii tempore: id enim hic præcipue nuntiatur, cuius tamen rei figura reditus Iuda, & aliquorum ex Israel, a captivitate Babylonica.

V. 5. IN SION, scilicet ducentem.

V. 6. PASTORES, Chald. *Reges*, TRANSIERUNT, scilicet errantes.

V. 7. COMEDERUNT. Chald. *diripuerunt*. LXX. *consumpserunt*. NON PECCAVIMUS, scilicet opprimendo. DECORI IUSTITIAE, id est ornanti eos iustitia. EXPECTATIONI, id est spei, scilicet in quo sperabant.

V. 8. QUASI HOEDI, scilicet læti; & subsilientes præ gaudio.

V. 9. MAGNARUM, id est fortium. Chald *multarum*.

V. 10. REPLEBUNTUR, scilicet spoliis.

V. 11. MAGNA LOQUIMINI, LXX. *gloriamini*. EFFUSI ESTIS. LXX. *lascivitis*. Chald. *exultatis*. MUGISTIS. LXX. *cornu petistis*.

V. 12. MATER, scilicet Respublica, seu civitas. NOVISSIMA, id est contemptissima.

V. 13. AB IRA, id est præ ira, vel ob iram.

V. 14. DOMINI, in est contra Dominum.

V. 15. CLAMATE, scilicet oppugnantes. UBIQUE. Hebr. & Chald. *per circuitum*; & iungitur cum *clamate* DEDIT MANUM, scilicet ut solent victi; quasi dicat, Victa est. FECIT, scilicet aliis a se debellatis.

V. 16. SATOREM, &c. quasi dicat, Etiam agricolas. COLUMBAE, id est velocis exercitus. Chald. *inimici*. LXX. *Græci*. Vide sup. XLVI. 16. CONVERTETUR, scilicet ex agris fugiens.

V. 17. LEONES. Chald. *Reges*, scilicet hostium. ASSUR, scilicet qui abduxit decem tribus. EXOSSAVIT. Chald. *consumpsit*.

V. 18. VISITABO, scilicet puniens. REGEM ASSUR, scilicet Sennacherib.

V. 19. CARMELUM, &c. Chald. & LXX. *in Carmelo & Basan:* quasi dicat, In locis fertilibus & pinguibus.

V. 20. DIEBUS, scilicet Evangelici status. Mira in Prophetis transitio a figuris ad figurata. NON ERIT, scilicet quia per Christum remissa.

V. 21. DOMINANTIUM, scilicet Chaldæorum. ASCENDE, scilicet o Dari, vel Cyre. QUAE POST EOS SUNT. Chald. *reliquias eorum*.

V. 22. TERRA, scilicet Chaldæorum.

V. 23. MALLEUS, scilicet Rex Babyloniæ, secundum Chald. IN GENTIBUS, id est in Gentes.

V. 24. ILLAQUEAVI. Chald. *venatus sum*. Verba Dei vel Darii. NESCIEBAS, scilicet id tibi eventurum.

V. 25. VASA, scilicet arma Persarum & Medorum. DOMINO; pro, Domini.

V. 26. APERITE, id est expedite viam. EXEANT, scilicet e difficultate viarum; quasi dicat, Facile incedant.

V. 27. VISITATIONIS. LXX. *ultionis:* sic & inf.

V. 28. FUGIENTIUM, scilicet Iudæorum.

V. 29. IN BABYLONEM, id est contra Babylonem. OMNIBUS; pro, nempe omnibus.

V. 30. CONTICESCENT. Chald. *contERENtur*. LXX. *proiicientur*.

V. 31. SUPERBE. Chald. *Rex impie*.

V. 33. CALUMNIAM. Chald. & LXX. *vim*. TENENT. Chald. *violenter tenent*.

V. 34. DEFENDET. Chald. *vindicabit*. EXTERREAT TERRAM. Chald. *conterat impios terræ*.

V. 35. GLADIUS, scilicet veniet.

V. 36. STULTI ERUNT. Chald. *insanient*.

V. 37. QUASI MULIERES. Chald. *infirmi ut mulieres*.

V. 38. AQUAS, scilicet Euphratis, qui fuit ab hostibus divisus in multos rivulos, ut posset transiri. PORTENTIS. Chald. *idolis*.

V. 39. FAUNIS FICARSIS. Forte dæmones intelliguntur specie ficariorum apparentes. Hebr. *ululis*. seu *noctuis*. Chald. *felibus*. SEMPITERNUM, id est tempus longissimum.

V. 41. AQUILONE, id est Persia & Media.

V. 42. FILIA. Chald. *cœtus*.

V. 44. ECCE, &c. Vide sup. cap. XLIX.

ESTII.

Verſ. 4. AMBULANTES ET FLENTES PROPERABUNT, ET DOMINUM DEUM SUUM QUAERENT. Ut hæc etiam ad litteram de reditu ex captivitate Babylonica quadrent, quæritur quomodo propheta dicat eos reverſuros flentes; cum Pſal. cxxv. ubi item de captivitate & reditu mentio eſt, legatur: *Euntes ibant & flebant: Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos*. An forte intelligitur fletus non mœroris, ſed gaudii? Vel potius dicendum, alios gaviſos fuiſſe de reditu in patriam, ſed aliquos nihilominus ploraſſe, quod inveniens civitatem deſtructam, templum exuſtum, patriam deſolatam. Nam & in ipſa ædificatione templi poſt captivitatem legimus I. Eſdræ III. alios fleviſſe, magna voce, alios exclamaſſe præ lætitia: *Nec poterat*, inquit Scriptura, *quiſquam agnoſcere vocem clamoris lætantium, & vocem fletus populi: commixtim enim populus vociferabatur clamore magno, & vox audiebatur procul*.

V. 20. IN DIEBUS ILLIS QUAERETUR INIQUITAS ISRAEL, ET NON ERIT; ET PECCATUM IUDA, ET NON INVENIETUR, QUONIAM PROPITIUS ERO EIS. Quæret aliquis, quomodo illud, *quæretur peccatum illius & non invenietur*, pertineat ad promiſſionem gratiæ, cum Pſalm. IX. idem videatur poni inter comminationes adverſus impium? ſic enim ibi legitur: *Contere brachium peccatoris & maligni: quæretur peccatum illius, & non invenietur*. Solvitur hæc quæſtio, ſi oſtendamus utriuſque loci diverſam eſſe intelligentiam, licet verba ſint eadem. Huius quidem loci ſenſus utcumque manifeſtus eſt. Significatur enim peccati remiſſio, & reatus contracti oblivio; quaſi dicat: Si iniquitas Iſraelis requiratur ad puniendum non invenietur, quia dimiſſa eſt gratuito. Quod autem in Pſalmo dicitur, quidam hoc pacto accipiunt: Deus quæſtionem inſtituet de impietate peccatoris, & non invenietur peccator, id eſt non audebit ſe ſiſtere in conſpectum Dei, ut cauſam ſuam defendat, utpote ſibi male conſcius, ſed quantum poterit iudicium ſubterfugiet. Sed minus probabilis eſt hæc expoſitio: neque enim quiſquam eſt, quin ibi comparebit, dicente Apoſtolo, II. Cor. v. *Omnes nos manifeſtare oportet ante tribunal Chriſti*. Probabilior ergo eſt hic ſenſus: *Quæretur peccatum illius, & non invenietur*; ac ſi dicat: *Contere*, immo ſic penitus conteres, *brachium peccatoris, & maligni*, videlicet Antichriſti, ut ſi quæratur peccatum eius, id eſt gravis illa perſecutio, qua fideles quaſi ad peccatum cogebat, non inveniatur amplius. Nam, ut Apoſtolus ait, II. Theſſ. II. *Dominus Ieſus interficiet illum ſpiritu oris ſui*. Locus igitur Pſalmi non de reatu, neque voluntate peccandi intelligitur, ſed de opere tantum externo; præſens autem locus ſignificat pleniſſimam oblationem peccati quoad omnia tria.

MARIANAE.

Verſ. 1. VERBUM. Hoc capite & ſequenti contra Chaldæos vaticinatur, & de Iſraelitis quædam permiſcet. IN MANU IEREMIAE PROPHETAE, id eſt per manum Ieremiæ, per Ieremiam eſt Deus locutus. Vox *manus* ſæpe redundat.

V. 2. ANNUNTIATE IN GENTIBUS. Verba ſunt Prophetæ omnes hortantis, ut cladis Babylonicæ famam diſpergant inter gentes, in quibus illi late dominabantur; neque ſine invidia. LEVATE SIGNUM, ſcilicet lætitiæ, feſta fronde & floribus ornate domos. Explicate militaria ſigna, ut fit in lætitia populari. CONFUSUS EST, id eſt pudore affectus BEL, idolum Babylonis. VICTUS EST MERODACH. Hebr. *fractus eſt Merodach*, nomen alterius idoli. CONFUSA SUNT SCULPTILIA EIUS. Hebr. *dolores eorum*. Sic idola vocantur a dolore, quem colentibus faciunt. SUPERATA SUNT IDOLA EORUM. Hebr. *fracta*. Sept. *tradita ſunt*, capta ab hoſtibus. Verum ut ea interpretatio conſtet, vocem חתו *hathu*, oportet mutatis punctis deducere, non a חתת *hathath*, ut Hebræi deducunt, ſed a חתה *hathah*, quod eſt *capere*. Chald. per *idola* intelligit colentes ea. Pudore affectus eſt Bel, id eſt colentes Bel, ſeu Baal; & ſic de aliis.

V. 3. AB AQUILONE. Medi & Perſæ Babylonis ad Aquilonem ſunt. AB HOMINE USQUE AD PECUS. Hebr. *uſque ad iumentum*. Sed bene vox ea pro pecore & gregibus ſumi ſolet. ET MOTI SUNT, ET

ABIE-

ABIERUNT. Homines & pecora in captivitatem abierunt. Sic Hebraici accentus distinguunt, præterquam quod coniunctio *&* prior Hebr. non est: qua sublata, constructio planior redditur.

V. 4. FILII ISRAEL, IPSI ET FILII IUDA SIMUL, id est inter ipsos reconciliata gratia, veteri simultate sublata. AMBULANTES ET FLENTES, scilicet præ gaudio. I. Esdræ III. 12. Iudæi vita templi instauratione flevisse præ gaudio dicuntur.

V. 5. IN SION INTERROGABUNT VIAM, scilicet quæ via ducat in Sion. HUC FACIES EORUM, id est illuc recta ibunt in Sion scilicet. VENIENT, ET APPONENTUR. Hebr. *venerunt*, *& adhæserunt*; pro, venient, & adhærebunt Domino. FOEDERE SEMPITERNO. Hoc fœdus ad Ecclesiæ & Evangelii tempus refertur.

V. 6. PASTORES. Reges, sacerdotes, pseudoprophetæ, seduxerunt populum. FECERUNTQ; E VAGARI IN MONTIBUS; id est, per provincias captivitatis tempore vagos, & sine lare dispersi fecerunt. OBLITI SUNT CUBILIS SUI, scilicet greges caulæ obliti sunt. Perstat in metaphora. *Cubile* seu *caulam* vocat Sion.

V. 7. OMNES, QUI INVENERUNT, COMEDERUNT EOS, facti sunt in prædam omnibus gentibus. ET HOSTES EORUM DIXERUNT: NON PECCAVIMUS; quia scilicet in eo ministri sumus divinæ vindictæ. DECORI IUSTITIAE, pro, decoræ iustitiæ peccaverunt. Hebr. *habitaculo iustitiæ*, id est ubi iustitia habitat, aut a quo ut habitaculo protegebantur. ET EXPECTATIONI, id est in quo patres eorum sperabant, & confidebant, scilicet Deo.

V. 8. RECEDITE, o popule meus. QUASI HOEDI ANTE GREGEM. Hebr. *quasi hirci*, id est ut illi præcedunt, sic vos festinate, pleno gradu discedite.

V. 9. DE TERRA AQUILONIS. Medos & Persas adduco. ET PRAEPARABUNTUR. Hebr. *præparabunt ei*, scilicet prælium, ut Chald. aut aciem disponent. ET INDE; pro, & ab illis capietur. SAGITTA EIUS. Hebr. *sagittæ eius*, scilicet congregationis gentium. QUASI VIRI FORTIS INTERFECTORIS. Hebr. *fortis orbantis*, scilicet cæso hoste. Sept. *pugnatoris prudentis*: nimirum vocem משכול *maschil* legerunt cum puncto *Smol*, sententia eadem est. Sagittæ non mittentur frustra.

V. 10. REPLEBUNTUR, id est *saturabuntur*, ut est Hebr. præda erit copiosa, nempe ex urbe aliarum gentium spoliis ditissima.

V. 11. EXULTATIS; pro, exultastis, & magna ac superba locuti estis, cum meam hereditatem diripuistis. EFFUSI ESTIS. Heb. *multiplicastis*, scilicet carnes, saginati estis. SICUT VITULI SUPER HERBAM, scilicet cum herbam depascitur. ET MUGISTIS, צהל *zahal*, *hinnire* significat: atque ita vertit Chald. *hinnitis*. Verum, quod est hinnitus in equo, id est in tauro mugitus. SICUT TAURI. Sic Sept. Chald. *sicut fortes*. Vox Hebr. אבירים *abirim*, *fortes* significat; sed sumitur etiam pro tauris.

V. 12. MATER VESTRA Babylon. ET ADAEQUATA PULVERI. Sept. *erubuit*, ut est Hebr. Hieronymus pro ח *Heth* habuit ע *Haim*, legitque עפרה ubi modo חפרה. NOVISSIMA ERIT. Sic Sept. Chald. *finis populorum*, id est, postrema. DESERTA, INVIA, ET ARENS. Hebr. *desertum*, *arida*, *&* *desolata* erit Babylon.

V. 13. AB IRA DOMINI, id est propter iram Domini. ET SIBILABIT viator ex admiratione, aut contemptu. Eadem verba cap. XLIX. 17.

V. 14. PRAEPARAMINI. Hebr. *parate*, o Medi. PER CIRCUITUM. Hebr. *circuitum*, aut *circuitu*, id est obsidete eam. DEBELLATE EAM. *Iacite in eam*: sic Chald. scilicet sagittas, lapides. NON PARCATIS IACULIS. Hebr. *non parcatis super sagittam*; id est, quot poteritis iacite, sumptus & labor cassus non erit.

V. 15. CLAMATE ADVERSUS EAM. Sic distingue verba hæc. Hebr. *clamate super eam circuitu*, id est undique: sic fit in pugna. Sept. *plaudite super eam*, scilicet quasi victoria iam parta; quod magis sequentia declarant. DEDIT MANUM, id est victam se fatetur. CECIDERUNT; pro, quoniam ceciderunt fundamenta actis cuniculis. Muri sunt eversi. Canite ergo quasi victores pæana.

V. 16 DISPERDITE SATOREM. Hebr. *exscindite satorem*. Multi e finitimis veniebant ut colerent agros, meterent segetes; hos omnes redire in patriam vastatis Babylonis agris iubet. A FACIE GLADII COLUMBAE. De hac rediximus cap. XXV. 38. Verum eo & aliis locis Babylonium columbam vocat, hic Cyrum, qui Babylo-

nem

nem expugnavit; credo quia & Medi & Persæ Semiramidem colebant ut deam, & columbam insigne in vexillis gestabant.

V. 17. GREX DISPERSUS ISRAEL. Heb. *pecus*, sive *agnus*, id significat שה *seh*. LEONES. Hi fuerunt Assyrius, qui decem tribus egit in captivitatem: IV. Reg. XVIII. 11. & Babylonius, qui duas alias tribus cepit: IV. Reg. XXV. 9. EXOSSAVIT EUM, id est ossa confregit. Ossa erant templum & urbs Ierusalem. Ita Assyrius carnes comedit pecoris, Babylonius ossa confregit.

V. 18. SICUT VISITAVI REGEM ASSUR, cum Sardanapalus Assyriorum Rex ultimus ab Arbace Medo fuit vita & imperio spoliatus: Diodor. Lib. III. cap. VII.

V. 19 ET PASCETUR CARMELUM, scilicet Israel: postquam redierit. Non lege *Carmelus*. Hoc est, gregibus Carmelum & Basan montes nobilissimos occupabit. IN MONTE EPHRAIM ET GALAAD, alii duo montes nobiles. SATURABITUR ANIMA EIUS, id est fames explebitur, vel eorum, de quibus ut de gregibus loquitur, vel gregum quos alent.

V. 20 QUAERETUR INIQUITAS. Etiamsi quæratur; non invenietur, quia ego parceam. QUOS RELIQUERO, qui e captivitate remanserint, eis propitius ero.

V. 21. SUPER TERRAM, seu *contra terram*. DOMINANTIUM, id est Babyloniorum, qui late dominantur. Hebr. *rebellionum*, id est rebellum Deo, scilicet vocem מרתים *merathaim*, Hieronymus a מרא *mara*, seu מרי *mare* deducit, quod Chald. *Dominus* est. Sept. a מרר *marar*, id est *amarum esse*. Verterunt enim, *super terram amare ascende*, id est amaro animo, voluntate lædendi. ASCENDE, o Cyre. QUAE POST EOS SUNT. Hebr. *post eos*, id est eos fugientes, aut posteros eorum, ut penitus deleantur.

V. 23. MALLEUS UNIVERSAE TERRAE. Rex Babylonis, qui mallei instar opprimebat omnes. IN GENTIBUS, inter gentes.

V. 24. ET NESCIEBAS: repente, cum minime id cogitabas. QUONIAM DOMINUM PROVOCASTI. Hebr. *in Dominum litigasti*, ei rebellis extitisti.

V. 25. THESAURUM SUUM, aperuit Deus armamentarium. VASA IRAE SUAE, arma sua, gladium, pestem, famem. QUONIAM OPUS EST DOMINO, habet negotium in terra Chaldæorum.

V. 26. VENITE AD EAM AB EXTREMIS FINIBUS. Hebr. *venite a fine*, id est quia venit eius finis. Hier. Schol. sic Sept. *quoniam venerunt tempora eius*. APERITE, scilicet urbium portas, ut cito milites egrediantur. TOLLITE DE VIA LAPIDES, ne scilicet offendant, qui contra Babylonem eunt. ET REDIGITE IN ACERVOS, ut sint signa viæ, ne aberrent. Hebr. *aperite horrea eius*, ut scilicet diripiatis ea. *Conculcate eam sicut acervos*, id est triturate quasi acervos segetum in area.

V. 27. DISSIPATE UNIVERSOS FORTES EIUS. Hebr. *occidite omnes vitulos eius*, scilicet milites, aut Proceres. DESCENDANT IN OCCISIONEM quasi victimæ: sic cap. XLVIII. 15. *Electi iuvenes eius descenderunt in occisionem*. *Descendere*, pro ire.

V. 28. VOX FUGIENTIUM, scilicet Iudæorum. Ante Cyri edictum fugisse aliquos Iudæos, atque nuntiasse in Iudæa Babylonis cladem, est verisimile.

V. 29. ANNUNTIATE; pro, convocate, congregate contra Babel. PLURIMIS. Sic Sept. & Chald. Vox *rabim* & *plures* significat, & *iaculatores*, qua in significatione Hebræi sumunt eam vocem, *Annuntiate iaculatoribus*. OMNIBUS QUI TENDUNT ARCUM, scilicet annuntiate. Hebr. *Omnes tendentes arcum castra ponite contra eam* (in) *circuitu*. Quod Noster dixit: CONSISTITE ADVERSUS EAM PER GYRUM, obsidete. SECUNDUM OPUS SUUM: ut ipsa aliis fecit. QUIA CONTRA DOMINUM ERECTA EST. Hebr. *superbiit*. SANCTUM ISRAEL, id est Deum Israelis. Verba sunt Prophetæ Duces excitantis contra Babel.

V. 30. IDCIRCO. Repetitio est vers. 26. cap. XLIX.

V. 31. ECCE EGO AD TE, scilicet venio, ut de te pœnas sumam: Regem Babylonis alloquitur.

V. 33. CALUMNIAM SUSTINENT FILII ISRAEL. Hebr. *oppressi sunt*. QUI CEPERUNT EOS, captivantes eos. TENENT fortiter, tenent eos violenter.

V. 34. REDEMPTOR EORUM FORTIS, id est fortior illis. IUDICIO DEFENDET. Hebr. *litigando litigabit litem eorum*, id est patrocinabitur eis. UT EXTERREAT TERRAM, scilicet Babel. Hebr. *ut quiescere faciat terram*, quam Chaldæi turbabant. Sept. *ut liberet terram*. ET COMMOVEAT

HA-

HABITATORES BABYLONIS, ſeu *conturbet*, ut ipſi alias gentes turbabant.

V. 35. GLADIUS AD CHALDAEOS, contra Chaldæos, contra habitatores, contra Principes & ſapientes eius. *Ad*, pro, contra.

V. 36. GLADIUS AD DIVINOS EIUS, id eſt contra divinos. Hebr. *ad mendaces*, *nugatores*. Sic *divini* vocantur ob eorum nugas. Sicque Sept. & Chald. *divinos* vertunt. QUI STULTI ERUNT, ſcilicet divini, id eſt eorum ſtultitia conſpicua erit. GLADIUS AD FORTES ILLIUS, QUI TIMEBUNT. Hebr. *& confringentur fortes*. Omnibus necem minatur.

V. 37. ET AD OMNE VULGUS. Hebr. *ad omnem mixtionem*, per quam Hieronymus, Sept. & Chald. vulgus intelligunt, quoniam, ex variis conſtat generibus. Hebr. *mercatores*, quoniam merces commutant & miſcent. ET ERUNT QUASI MULIERES. Imbelles ſcilicet & ſine viribus.

V. 38. SICCITAS SUPER AQUAS EIUS ERIT. Hebr. eſt pulchra paranomaſia inter חרב *hereb*, id eſt *gladium*, de quo hactenus, & חרב *horeb*, id eſt *ſiccitatem*. ET IN PORTENTIS GLORIANTUR. Hebr. *in ſimulacris*, *in idolis*. GLORIANTUR. Sic Sept. & Chald. At Pagn. *inſaniunt*. Vox Hebr. utrumque ſignificare poteſt. Sententia non diſcrepat.

V. 39. PROPTEREA HABITABUNT DRACONES CUM FAUNIS FICARIIS. De vocibus ציים & איים multa diximus Iſai. XXXIV. 14. quomodo Hieronymus non uno modo, ſed variis eas voces interpretatur. At nobis tunc viſum eſt utraque voce *incubos* ſeu *lemures* ſignificari. Modo addo homines etiam ſilveſtres, quos Satyros ſeu Faunos vocabant, qualis Antonio apparuit in deſerto, cum ſanctum Paulum iret inviſum. Verum, an dici debeant *fauni ficarii*, an *fatui ficarii* magna quæſtio eſt. Gotth. hoc loco *fatuis ficariis* habent, ſic Regia, & Lovan. Sane *lemures*, Italice & Gallice *fatui* vocantur lingua vulgari. *Sicarii* a ſiccitate dici videntur, quod locis aridis tum homines ſilveſtres verſantur, tum dæmones, iuxta illud Matth. XII. 43. *ambulat per loca arida*. Verum *incubos*, *faunos ficarios* vocat Iſidor. VIII. Etymol. cap. ult. & Paul. Diac. ſive Eutrop. Lib. XII. *faunos ficarios* vocat ſilveſtres homines, ſic fortaſſis dictos, quod ficubus veſcerentur ſponte natis in ficetis ſilveſtribus. Quam lectionem prætulerunt hoc loco, qui Romæ Biblia caſtigarunt. Servius Æneid. VI. in illud, *Caſtraque Innui*, ait: *Innuus*, *Pan*, *Epialtis*, *Incubus*, *Faunus*, *Fatuellus*, *idem*. Noſtris *Duende*, *Traſgo:* neque nos quidquam mutamus. STRUTHIONES ibi habitabunt. Chald. *filiæ ſtruthionum*. Sept. *filiæ Sirenum*. Quidam vertunt *filiæ ululæ*. Hiſp. *autillo*. NEC EXTRUETUR. Hebr. *incoletur*.

V. 40. SICUT SUBVERTIT. Repetitur verſ. 18. cap. XLIX.

V. 41. ECCE POPULUS VENIT AB AQUILONE. Medi & Perſæ. A FINIBUS. Hebr. *a lateribus*. Sed *latera* pro, *finibus* ſæpe.

V. 42. ET SCUTUM. Sic Chald. Sept. *iacula*. Hebræus ait vocem כידון *chidon* ſignificare *lanceam*, alii *ſagittam*. Quid enim ſagittario cum ſcuto, quid cum lancea? Ita verſionem Sept. probo.

V. 43. AUDIVIT; pro, cum audierit Rex Babylonis. ET DISSOLUTAE SUNT; pro, diſſolventur præ metu manus. Tres reliqui verſus repetunt quæ contra Idumæos dicuntur cap. XLIX. a verſ. 19. uſque ad 22.

M A L V E N D A E.

Verſ. 1. VERBUM, QUOD LOCUTUS EST DOMINUS, &c. Alii ex Heb. hunc verſum convertunt: *Verbum quod locutus eſt Iehova contra Babylonem & contra terram Chaldæorum, in manu*, vel *per manum Iirmeiæ prophetæ*, ſeu *per Iirmeiam prophetam*. Inſcriptio, inquiunt, hæc duorum capitum communis eſt, ac propterea uti commune eſt illorum argumentum, ita coniunximus. Sunt autem, ſi huius prophetiæ inſcriptionem hoc verſu contentam exceperis, ſex eius partes: prima eſt, propoſitio ſumma, verſibus quatuor: Secunda eſt, propoſitionis enartatio; inde ad verſum uſque 33. tertia eſt, confirmatio, narrationem illuſtrans, inde uſque ad verſ. 41. capitis LI. quarta eſt, confutatio, inde ad verſ. 50. quinta, concluſio, uſque ad 59. poſtrema vero, typus a Deo adhibitus ad prophetiam illuſtrandam, inde ad finem uſque.

V. 2. ANNUNTIATE, &c. Alii: *Indicate*, o vos prophetæ, ſeu miniſtri verbi, vel vos o Iudæi. Prima hæc pars, prolepſis ſive propoſitio generalis totius argumenti,

duobus membris continetur: unum est, de ruina Babyloniorum, duobus versibus, alterum de liberatione populi, propter quam evertendi fuerant Babylonii, duobus alteris. Utrumque autem propositionis membrum propheta consulto enunciat Iudæis (qui iam tum ex parte deportati fuerant, ut apparet ex vers. 59. cap. LI. cum ad confirmandum eos in expectatione liberationis suæ, & in gravissimis malis consolandum, in quibus illos stantes & erectos fide, iubet gloriose Babyloniorum exitium, & suam salutem prædicare, & inter se informare: tum etiam ad bene utendum commoditate divinitus oblata hortatur. IN GENTIBUS: id est, fratribus nostris, qui per varias gentes huc illuc dispersi sunt, ac proinde coram nequeunt in cœtu nostro institui de his promissionibus. Alii, *in gentibus*, id est, per universas gentes & nationes, quibus longe lateque Babylonius monarcha dominatus fuerat: quia celeberrimum tunc erat regnum Chaldæorum, ac par erat ut tanti imperii casus publice gentibus prædiceretur, ut vel admirarentur, vel gauderent excusso iugo. ET AUDITUM FACITE. Alii: *pronuntiate*, vel *prædicate*, *significate*, *auribus inculcate*. LEVATE SIGNUM. Alii: *tollite vexillum*, ad evocandas gentes contra Babyloniam, vel signum victoriæ. Nonnulli: *tollite vexillum*; id est, fratres vestros in cœtus & congregationes sanctas convocate tamquam elato vexillo verbi Dei, ad communicandas cum ipsis promissiones Dei vobis expositas: sic enim pios clam temporibus angustiæ convenisse, testantur historiæ sacræ, ut annotavimus II. Chronicor. XXXV. 3. prophetia Iechezkelis passim & Mordecai exemplum docet Esther IV. & iubet Apostolus Hebræor. X. 24. & sequentibus. CAPTA EST BABYLON. Alii per futurum: *Capietur Babylon*. CONFUSUS EST BEL: vel *erubescet Bel*: vide in Isaiæ XLVI. 1. VICTUS EST MERODACH. Heb. *consternatus*, *prostratus*, *contritus*, *fractus est*, vel per futurum, *conteretur Merodach*. Sic statim. *Merodach*, plerique notant fuisse nomen alterius primarii Babyloniorum dei, ut duo fuerint eorum præcipui & maiores dii, *Bel*, & *Merodach*, seu *Berodach*, ut appellatur, II. Reg. XX. 12. Cuius nominis varias etymologias videre poteris apud S. Hieronymum, & Pagninum Libellis de Nominibus Hebraicis, quæ tametsi ex Hebraica lingua petitæ sunt, non ut penitus alienæ repudiandæ videntur, quod maxime affines hæ linguæ sint. Tremellius & Iunius observant: *Merodach, id est ad verbum Scipiuchos, seu Sciptuchos, aut Sipthruchos, sive Sceptriser, Sceptritenens, Chaldaica appellatione; nomen fuit apud Babylonios commune dei ipsorum Beli, & regum omnium inde a Beli primi regis ipsorum temporibus. Nos ut pro Belo accipiamus hoc quidem in loco, ab adiunctis adducimur, & maxime sequentis membri comparatione: quasi dicat propheta ut summus illorum deus erubescet, contereturque; sic etiam minorum gentium dii exemplo illius: metaphoræ.* Hæc illi: quibus accinit, quod Herodotus Lib. I. numer. 195. de Babyloniis refert: *Singuli*, inquit, *gestant sceptrum affabre factum, cui superstat aut malum, aut rosa, aut lilium, aut aquila, aut aliquid eiusmodi*. Forte in honorem dei sui. Idem affirmat Strabo Lib. XVI. pag. 746.

V. 3. GENS AB AQUILONE. Exponunt, Id est, a Media, quæ magis aquilonem spectat respectu Babyloniæ, & ex Assyria, qua iterfecit Cyrus venturus ad Babyloniam, expugnandam: vide infra vers. 21. Sic vers. 41. AB HOMINE USQUE AD PECUS: ET MOTI SUNT, ET ABIERUNT. Alii I. *non homo non iumentum, fugerunt; alio abierunt*. II. *tam homines, quam iumenta emigrabunt, abibunt*.

V. 4. IN DIEBUS ILLIS, &c. Hunc versum & sequentem videntur mihi Tremellius & Iunius apte satis exposuisse in hunc modum: 4. *Diebus illis & tempore illo, dictum Iehovæ, veniant filii Iisraelis, ipsi cum filiis Iehudæ una, eundo & flendo ibunt*, vel 1. *indesinenter flendo eant, & Iehovam Deum suum quærant*; 5. *De Tziione interrogent in via*, 2. *illuc facies eorum spectent: agedum dicant, & adiungant se Iehovæ fœdere, perpetuo, quod non tradatur oblivioni*: 1. Id est, flagrent tanto desiderio revisendi Ecclesiam Dei, ut neque flendi, neque pergendi finem faciant, donec ad locum exoptatissimum pervenerint, ut amplificatur sequente versu. Hæc autem per hortationem potius, quam per narrationem propheticam dici statuimus, cum ex præcedentis partis comparatione, tum ex complemento & veritate rei. Nam revera Deus edicto Cyri libertatem omnibus tribuit, & mandavit ut Ecclesiam repeterent. Hezræ I. 3. Sed

3. Sed quam pauci iustissimam conditionem oblatam amplexi sint, etiam ex optimatibus Iehudæ, historiæ omnes testantur, & ipse Hezra cum in libro suo, tum etiam I. Chronicor. IV. 21. & sequentibus manifesto docet. 2. Id est, nihil loquantur, ad nihil advertant aliud, sed toti ferantur animo & corpore Tziionem versus: similes loquutiones sunt Genes. XIX. 17. II. Reg. IV. 29. Lucæ X. 5. Ceterum alii recte monent, revera plures Israelitarum cum Iudæis ex deportatione Babylonica revertisse, ut recte hæc Ieremias nedum hortatorie, sed etiam historice vaticinari potuerit. Aliqui observant, tametsi ex Israelitis per Salmanassarem abductis, nulli redierint: at rediisse multos, qui permisti Iudæis in Babylonem sub Nebuchadnetzare deportati fuerant, qui ante secedentes a schismate Ierobami, sese in partes duarum tribuum variis occasionibus contulerant. Vide II. Paralipom. XI. 16. & cap. XV. 9. & cap. XXX. 25. Sed de his fuse disseruimus Lib. XI. de Antichristo, cap. XVIII.

V. 6. GREX PERDITUS FACTUS EST POPULUS MEUS, &c. Alii: *Grex ovium pereuntium sunt populus meus* &c. Secunda pars, enarratio propositionis, ut diximus in vers. 1. cuius prius membrum per hysterosin Hebræis familiarem, posteriore loco, inde a versu 6. posterius vero priore loco illustratur, his tribus versibus, quorum duo allegorice figurant miserum statum populi, a domesticorum fraudibus, hoc versu; exterorumque oppressionibus & propriis peccatis, sequente versu: ultimus, ad diem illum prænuntiatum liberationis venturæ revocat. PASTORES EORUM SEDUXERUNT EOS. Alii: *Pastores eorum faciunt ut aberrent*, id est principes & præfecti omnes ordinis utriusque, ecclesiastici atque politici. FECERUNTQUE VAGARI IN MONTIBUS. Alii, I. *ad montes expulerunt eos;* id est, perdita institutio magistratuum utriusque ordinis, fecit ut populum Chaldæi in captivitatem abduxerint. II. *in montibus contriverunt eos*; id est, causa extiterunt contritionis & calamitatis eorum, cum per montes altos, & asperos in captivitatem raptarentur. III. *ad* vel *per montes avertunt eos*; id est, faciunt ut oberrent per loca montosa & aspera: allegoria.

V. 7. NON PECCAVIMUS; PRO EO QUOD &c. Alii ex Heb. I. *Non delinquemus;* id est, erimus extra culpam perdendo & affligendo eos: *propterea quod peccaverunt Iehovæ, habitaculo iustitiæ, & expectationi patrum eorum Iehovæ;* id est, qui Iehova erat eis habitaculum iustitiæ, id est locus tutus sub tutela legum & iusto iudice, qui eos vindicabat, ut antea fuerat spes, & columen patrum suorum. Inimici eorum promittebant sibi omnem impunitatem, quod contra fontes agerent, & extrema supplicia commeritos. II. *Nos culpa vacamus, quia isti peccaverunt Iehovæ: atqui Iehova domicilium erat iustitiæ*, qui eos ut iustus iudex ab iniuriis vindicabat, *& spes patrum eorum Iehova.* III. *Non erimus rei*, id est impune facturi sumus: vide supra cap. II. 3. *eo quod peccant Iehovæ in caula iustitiæ*, id est Ecclesia Dei, cuius symbolum erat Iudæa: *ii quorum maioribus expectatio fuit Iehova*; id est, optimorum parentum degeneres filii. NON PECCAVIMUS. Heb. in futuro hæc omnia complectuntur: *Non erimus afflabiles*, seu *abominandi*, *non rei peragemur*, *non noxa obstringemur: non erimus in culpa*, *non erimus piaculares: non erimus ob hanc culpam cum flatu quodam abominationi & horrori*. DECORI IUSTITIAE. Heb. *nomo*, *caulæ*, *pascuo amœno*, *tesquuo* vel *tesco iustitiæ:* vide in Exod. XV. 13. videtur hic esse epithetum Dei, quod sit Deus nomus, pascuum amœnum, campus ubertimus, nomus, regio, præfectura iustitiæ; quasi dicat: Non erimus in culpa, vel non puniet nos Deus, qui est integerrimus vindex iustitiæ, quod istos impios affligamus, quod ipsi ob sua scelera mereantur iustissime flagellari; immo rem gratissimam Deo facimus, qui iustitiæ eius administri sumus.

V. 8. ET ESTOTE QUASI HOEDI ANTE GREGEM. Alii: *veluti capri*, aut *hirci maiores ante gregem*. Exponunt: Id est, alieni a metu, ut hirci gregem præcedentes; quasi dicat, Nemo ex vobis refugiat tenere primas in agmine secedentium, ut hirci intrepide gregem antecedere solent; vel, exemplo vestro præite etiam gentibus, easque ad Ecclesiam invitate. Aut, exite celeres, læti, exultantes, ut hirci solent præcedentes gregem.

V. 9. QUONIAM ECCE EGO SUSCITO, &c. Alii: *Nam ecce ego excitaturus & sum adducturus contra Babylonem congregationem*, seu *cœtum*, &c. AEtiologia metabatica ad prio-

rem propositionis locum de iudicio in Babylonios, quod duobus versibus expositum, deinde exornatur primum per apostrophen ad Babylonios, tribus versibus; tum ad hostes Babyloniorum, tribus alteris: ac postremo amplificatur a causis, quibus suae iudicii venturi narrationes adhibentur, usque ad vers. 33. GENTIUM MAGNARUM DE TERRA AQUILONIS: id est, Medorum, Persarumque, ut Isaiae XXI. 2. ET PRAEPARABUNTUR ADVERSUS EAM. Heb. *& ordinabunt ei*. Alii, I. *& instruent in eam*. II. *& oppugnabunt eam*. III. *quae disponent acies contra illam*. ET INDE CAPIETUR. Alii I. *deinde capietur*. II. *inde capietur*, id est a copiis inde ab aquilone venientibus: nam ex Assyria in Babyloniam irruerunt, infra v. 21. SAGITTA EIUS QUASI VIRI FORTIS INTERFECTORIS, NON REVERTETUR VACUA. Alii I. *sagitta eius gentis non redibunt vacuae, quemadmodum sagitta viri iaculandi periti*, vel *fortis orbantis*, scilicet mulieres viris, & patres filiis. II. *cuius sagittarum, ut potentis orbantis*, seu *interfitientis, nulla revertetur*, seu *resiliet frustra*; id est, ut sagittae sagittarii peritissimi, qui valentissime transfigit vitales adversarii partes, & orbat vita prout optaverit.

V. 10. ET ERIT CHALDAEA IN PRAEDAM. Heb. *Et erit Chaldaei in spolium*, id est quisque Chaldaeorum. Alii: *Et erit terra*, vel *regio Chaldaeorum, praedae*.

V. 11. QUONIAM EXULTATIS, ET MAGNA LOQUIMINI, &c. Alii hunc versum ex Heb. explanant: I. *Quoniam gavisi estis & laetati estis conculcando haereditatem meam: quia increvistis*, seu *sumpsistis incrementum, ut vitula exterens*, vel *triturans*, hoc est pinguis; nam triturando vescuntur multo tritico, unde pinguiores redduntur: opponitur vitulae aranti, quae macra esse solet: *& hinnivisti sicut caballi*, sententia expletur sequente versu. II. *Cum laetati fueritis, cum exultaveritis o direptores possessionis meae; cum abundaveritis ut vitula herbilis, & claram vocem edideritis, ut robusti iuvenci*. Apostrophe ad Babylonios, ut diximus in vers. 9. delicias illorum & perditum luxum hilariorum denotans, in quibus capta est Babylon, ut notavimus supra cap. XXV. 26. Forte notat mores Babyloniorum Luxu, & lascivia perditos, quales describunt Herodotus Lib. I. Numer. 199. Strabo Lib. XVI. pag. 745. Curtius Lib. I. cap. 1.

QUONIAM EFFUSI ESTIS. Futurum verbi פוח *phut*, haec omnia complectitur: *quoniam ex petulantia expatiabimini, divagabitis, lascivietis, luxuriabimini*, seu *luxuriabitis*; vel *quoniam multiplicabimini, abundabitis, augescetis, excrescetis, ampliabimini, diffundemini*. SICUT VITULI SUPER HERBAM. דשא *dascbah*, plerique a דשא *dascbah*, cum *Aleph* deducunt: *sicut vitulae progerminationis*, seu *herbae tenerae*, aut *herbulae*, seu *ut vitula herbificata*, id est herbis pasta, vel *herbificans*, pascens herbas: aut ut, *vitula herbilis*; id est, quae herbis pascitur & augescit. Forsterus: *Sicut vitula graminis*, vel *in gramine*. Alii volunt esse praeteritum seu participium verbi דוש *dusch*, *Sicut vitula triturans* vel *quae trituravit*: ut etiam Forsterus exponit. In quibusdam exemplaribus scribitur cum *He* דושה *dascbah*, in aliis cum *Aleph* דושא *dascbah*. Possis reddere: *sicut vitula progerminans*, videlicet cornua: tunc enim solent vitulae magis lascivire. Notandum, quatuor futura huius versus scribi cum *Iod* in fine, & legi cum *Vau*; cum *Iod* quidem sunt secundae personae femineae, singulares, *laetaberis, exultabis, lascivies, hinnies*, seu *mugies*, videlicet, tu Babel: cum *Vau* vero sunt secundae personae masculeae plurales, *laetabimini, exaltabitis*, &c. ut vertimus, nimirum, vos Chaldaei seu Babylonii. ET MUGISTIS SICUT TAURI. Verbum צהל *tzahal*, pro *mugire* alibi non memini me legisse, cum fere de equis dicatur, id est hinnire: & figurate interdum de hominibus. Sed & huic loco hinniendi significatio etiam recte aptari queat, ut paulo ante vidimus. Siquidem אביריס *abbirim*, id est *robusti*, etiam de equis, ut de tauris effertur. Quidam hic reddunt: *& mugistis sicut tauri parta victoria*: ut Virgilius egregie describit III. Georgicor.

V. 12. CONFUSA EST MATER VESTRA NIMIS. Alii I. *Pudefacta est mater vestra vehementer*. II. *Erubescet mater vestra valde*; id est, Babylon metropolis, ac veluti totius regionis mater. ET ADAEQUATA PULVERI, QUAE GENUIT VOS. Heb. *& infossa est genitrix vestra*, id est defossa, sepulta; vel *prae pudore infodit se*. Forsterus: *& avertit se genetrix vestra*; id est, non ausa est intendere oculos, sed faciem & oculos avertit seu divertit, pudore affecta, occuluit faciem & oculos, & quaesivit latibula.

bula. Hanc esse secundariam verbi חפר *chaphar*, ex primaria *infodiendi* existimat. Alii I. *pudore suffusa est*, *quæ genuit vos*. II. *erubuit genitrix vestra*. III. *pudebit genitricem vestram*, *dicendo*, *Ecce*, &c. ECCE NOVISSIMA ERIT IN GENTIBUS, &c. Alii ex Heb. I. *Ecce postremum gentium*, id est finis regni Babylonici: *desertum*, *vastitas & solitudo*. II. *dicendo*, *ecce postremum gentium*, *desertum*, *siticulosum*, *& campestrem locum*; quasi dicat: Hui tam cito me quæ primas obtinebam, & regina sedebam in gentibus, postremam omnium effectam esse, & horrere totam. Prosopopœia.

V. 13. AB IRA DOMINI NON HABITABITUR, &c. Hunc versum alii ex Heb. exponunt: *Præ furore*, seu *effervescentia*, *ira fervente*, *& bulliente*, *& quasi spumante Iehovæ non habitabitur*, *sed erit desolatio*, seu *desolatissima tota; quisquis transibit iuxta Babylonem*, *obstupescet*, *sibilabitque propter omnes plagas eius;* id est, ex quo semel ruere cœpit, ut ædificium inclinans magis ac magis labefactabitur, donec tota corruerit: cœpit enim hoc iudicium per Cyrum primo, deinde per Darium Hystaspis promotum est, tum per Alexandrum Macedonem: ac postremum in solitudinem redacta, vicinitate Seleuciæ conditæ intra nonagesimum lapidem a Seleuco Nicatore, teste Plinio Lib. VI. cap. XXVI. vide in Isai. XIII. 19. STUPEBIT, ET SIBILABIT SUPER UNIVERSIS PLAGIS EIUS. Vide supra cap. XLIX. 17. & cap. XIX. 8.

V. 14. PRAEPARAMINI CONTRA BABYLONEM, &c. Hunc versum alii ex Heb. transferunt: I. *Instruite aciem contra Babylonem circumquaque omnes*, *qui arcum tenditis*, *iaculamini in eam*, *ne parcatis iaculis*, aut *telis*, *quia Iehovæ peccavit*. II. *Disponite contra Babylonem circumquaque omnes tendentes*, *iaculamini contra eam*, *ne parcatis sagittæ*, *nam Iehovæ peccavit illa*. Apostrophe ad Medos & Persas, ut diximus in vers. 9.

V. 15. CLAMATE. Heb. *Taratantarizate*, *classicumcanite*, *triumphate*, *ululate*, *vociferamini*, *ingentem clamorem edite*, ut solent milites sub conflictum, *barrite*, *contra eam circumquaque*, *&c.* Elegantissima descriptio causæ, propter quam Medi & Persæ fuerunt infensissimi Babyloni, & alii alios provocarunt ad sumendam ultionem de ea. DEDIT MANUM. Plerique exponunt: *victa est*, sese dedidit, ut Latini dicunt, *dare manus*. Hispanicus Interpres: *rendido se ha*. Qui sensus non satis loco congruit, nam Babylon non deditione, sed vi & irruptione capta est a Cyro. Alii, *dedit*, seu *iunxit manum suam*; id est, fœderati fuerunt Babylonii cum hoste Cræso Lydorum rege adversus Cyrum. Herodotus Lib. I. Num. 77. *Crœsus in animo habebat accersere etiam Babylonios*, *cum quibus & ipse fœdus percusserat*. *Erat autem Babyloniorum tyrannus ea tempestate Labynitus*. De hac locutione, *dare* seu *iungere manus*, fœdus inire, vide Levit. VI. 2. Ezechiel. XVII. 18. I. Machabæor. XI. 50. cui non absimile est loquendi genus Iob XVII. 3. CECIDERUNT FUNDAMENTA EIUS, &c. Alii: *cadant fundamenta eius: cum ultio Iehovæ sit*, *ultionem sumite de ea;* id est, cum ultio de ea fiat auctore Deo, vel cum Deus ipse in pœna Babylonis vindicetur, adversum quem ipsa impie egerat: *quemadmodum fecit*, *facite illi*, ut Apocalyp. XVIII. 6.

V. 16. DISPERDITE SATOREM DE BABYLONE, ET TENENTEM FALCEM IN TEMPORE MESSIS. Alii: *Excidite satorem e Babylonia*, *& qui tractat falculam tempore messis;* id est, ne agricolis quidem (qui minimi ac ferme inermes, & summe in republica sunt necessarii) parcite. Sic figuratur excidium gravissimum. Nam Babyloniam ipsam non herbas quidem, sed tantum segetes copiosissimas fundere, testantur Herodotus Lib. I. Num. 193. & Plinius Lib. XVIII. cap. XVII. A FACIE GLADII COLUMBAE. Vide supra cap. XLVI 16. & cap. XXV. 38. Atqui hic diserte *gladius columbæ*, gladius Babylonii intelligi non potest: sed gladius Persæ vel Medi. UNUSQUISQUE AD POPULUM SUUM CONVERTETUR, &c. Hæc quidam de mercenariis copiis Chaldæorum intelligunt, quæ audito adventu Persarum & Medorum, diffugient.

V. 17. GREX DISPERSUS ISRAEL, LEONES EIECERUNT EUM. Alii ex Heb. *Parva pecus dispersa fuit Iisrael*, *quam leones depulerunt*, vel *expulerunt*. Amplificatio præcedentis propositionis, a causa, propter quam Deus ad iudicium hoc exercendum adducitur. Proponitur itaque causa ab insolentia & tyrannide Babyloniorum in populum Dei, hoc versu: deinde promissio fit restitutionis populo, tribus versibus: ac postremo prophetice narratur excidium Baby-

bylonis, inde ad verſ. 33. PRIMUS COMEDIT EUM REX ASSUR. Alii: *prior comedit eam rex Aſſyriæ*, id eſt reges Aſſyriæ: ſylleptice, qui decem tribus deportaverunt, de quibus II. Reg. XVI. & XVII. & I. Paralipom. V. ISTE NOVISSIMUS EXOSSAVIT EUM NABUCHODONOSOR. Alii: *hic autem exoſſavit eum*, vel *oſſa eius comminuit*, *contrivit*, *Nebuchadnetzar*; id eſt, abſumpſit quidquid erat reliquum: elegans allegoria; quaſi dicat, Oſſa reliqua abſumpſit.

V. 18. ECCE EGO VISITABO, ſeu *animadvertam in* REGEM BABYLONIAE, ET *in* TERRAM EIUS; SICUT VISITAVI REGEM ASSUR: vel *quemadmodum animadverti in regem Aſſyriæ*, ut exponitur Ezechiel. XXXI.

V. 19. ET REDUCAM ISRAEL AD HABITACULUM SUUM. Alii I. *Et reducam Iſraelem ad ſepta ſua*. II. *Et faciam ut revertatur Iiſrael ad caulam ſuam*. Hoc proculdubio de reſtitutione corporali: ſed potiſſimum ſpirituali ad Eccleſiam, accipiendum eſt. ET PASCETUR CARMELUM ET BASAN. &c. Alii: *& depaſcat Carmelum & Baſchanem, & in monte Ephraiimi atque Ghilhade ſatietur anima eius*; id eſt, fruatur, vel opimis & uberrimis paſcuis Eccleſiæ ſatietur.

V. 20. QUAERETUR INIQUITAS ISRAELIS, &c. Alii reddunt: *ſi quæratur iniquitas Iſraelis, nulla extabit; & peccata Iehudæ nulla invenientur: quia condonavero iis, quos faciam reliquos*; id eſt, reliquiis Iſraelis & Iudæ, quæ ſalvæ fient, remittet Chriſtus propter ſe peccata, & annuntiabit eis Evangelium in remiſſionem peccatorum, Iſai. X. 22. Roman. IX. 27.

V. 21. SUPER TERRAM DOMINANTIUM ASCENDE. Varie alii ex Heb. I. Sanctes ex Kimchi, Vatablus, & alii paſſim: *Adverſus terram rebellionum*, *perduellionum*, ſeu *rebellantium*, nempe Babyloniam: מרתים *merathaiim*, formam dualem habet, id eſt, *duarum rebellionum*, ſeu *geminatarum rebellionum*, hoc eſt *perduelliſſimam*, *duplicium*, *duplicatarum rebellionum*. II. Avenarius: *contra terram amaritudinum*, *exacerbationum*, quæ deos & homines exaſperant. III. Marinus: *contra terram duarum contradictionum*, ſeu *duarum rebellionum*. IV. Forſterus & Schindlerus: *ſuper terram mutationum*. ASCENDE, tu hoſtis Mede, vel Perſa; aut tu Cyre. ET SUPER HABITATORES EIUS VISITA. Heb. *& ad habitatores viſita*; id eſt, animadverte, puni, affiige. Tremellius, & Iunius vocem מרתום *merathaim*, quam Noſter *dominantium* dixit, a מרא *mara* Chaldaico; & vocem פקוד *phekod*, quæ imperative ab aliis, *viſita*, redditur, ut nomina propria locorum accepe-runt, locumque hunc ita exponunt: *Contra terram hanc ipſam. Narratio prophetica, ut diximus in verſ. 17. qua res gerendæ ordine exponuntur mandato Dei. Merathaimis aſcende; id eſt, ex Aſſyria: nam in Aſſyria ſuperiore erant Mardi ab oppido Marde trans Tigrin, apud Ptolemæum Lib. VI. cap. II. & eis Tigrin in Armenia Mardi ex adverſo Mardorum Aſſyriæ (ut oſtendit Ptolemæus Lib. V. Geographiæ, cap. XIII.) a quibus dicebantur Martyeni montes (Mantyones vocat Herodotus Lib. I. Num. 189. & 202. imo exemplaria emendatiora Mantienos potius vocant) Gyndem fluvium profundentes ſuper utroſque Mardos, & per habitatores Pekodi*; id eſt, partis Aſſyriæ inferioris, qua Cyrus tranſvexit in Babyloniam. Sic autem dicta videtur hæc Aſſyriæ pars, hic & Iecheskelis XXIII. 33. eo quod ſumma illic præfectura fuiſſet regni Aſſyriorum, & in ea Ninive everſa iam eo tempore. Sed vereor, ut hæc ſunt ſubtiliter & curioſe excogitata, ita ſolida ſint. Illud ſatis conſtat, Cyrum Babylonem exercitum ductantem ad Gyndem fluvium veniſſe, qui in Mantyenis oritur montibus: ut Herodotus ſcribit Lib. I. Numer. 189. *pekod*, Noſter hic pro imperativo accepit, *viſita*. Plerique Hebræorum nomen proprium Babylonis eſſe putant, ſic dictæ, quod tunc viſitanda eſſet a Cyro, quaſi dicat: *& contra habitatores viſitationis*, id eſt Babylonis viſitandæ. Chaldæus vult eſſe nomen cuiuſdam alterius urbis regionis Babylonicæ. Aliqui exponunt: *& contra habitatores ſpeculæ*, id eſt altiſſimæ illius turris Babyloniæ. DISSIPA, ET INTERFICE QUAE POST EOS SUNT. Alii ex Heb. I. *perime & perde, eundo poſt eos*. II. *Graſſare & exſcinde, eundo poſt eos*. III. *Devaſta, & internecioni devove poſt eos*; id eſt, poſtquam iſtos Aſſyriæ tractus occupaveris, tum omnia ferro & flamma conſumito: ſimiles locutiones vide Deuteronom. XXIV. 20. & I. Samuel. XXI. 9. Fortaſſe innuit hic primam Cyri impreſſionem, quam his verbis deſcribit Herodotus Lib.

Lib. I. Num. 190. *Cyrus ergo ire Babylonem pergit, Babyloniis eum producto exercitu præstolantibus. Qui, ubi propius urbem ille promovit, cum eo conflixerunt, prælioque fugati in oppidum compulsi fuerunt.* Hoc igitur videtur hic propheta vel Deus dicere: Cyre devasta, & interfice post eos; id est, cæde terga fugientium & se in urbem recipientium. Et fac iuxta omnia, quae praecepio tibi. Alii, I. *& perfice omnia, quæ præcepi tibi.* II. *denique efficce omnino, prout præcipio tibi.*

V. 22. Vox belli in terra et contritio magna. Alii, I. *Fama prælii in terra* ista Chaldæorum, *& confractio magna;* id est, prælium seu conflictus magnus, in quo corruent multi. II. Iungunt superioribus: *Effice sonum belli in ista terra, & contritionem magnam.*

V. 23. Quomodo confractus est, &c. Quidam hunc versum ita ex Heb. exponunt: *Quomodo succideretur, & confringeretur malleus totius terræ? quomodo esset stupori Babylonia gentibus?* Occupatio, qua populum, Cyrumque confirmare voluit Deus diluendo omnem difficultatem, metumque, verbis sequentibus; cum ad Babyloniam ipsam, vers. 24. tum ad Medos & Persas, versibus sequentibus.

V. 24. Illaqueavi te, et capta es, &c. Alii versum istum ex Heb. transferunt: *Laqueum tetendi tibi, & etiam capieris, o Babylon, cum tu nescies*, vel *te imprudente*: *invenieris etiamque deprehenderis, quia cum Iehova miscuisti bellum.* Allegoria venustissima; qua Deus potentissimum illum malleum ostendit sibi non amplius fore quam baculum, ex vers. 27. aut feram venaticam, ad quam capiendam omnia iam sibi comparata esse docet, sequente versu. Et capta es Babylon; et nesciebas. Hunc locum illustrat Herodotus Lib. I. num. 191. *Nunc ex inopinato illis Persæ supervenerunt. Tantaque urbis erat magnitudo, (quemadmodum narrant accolæ) cum capti essent, qui extremas urbis partes incolebant, ii, qui mediam urbem incolerent, id nescirent. Sed quod forte dies festus eis esset, exercendis choreis atque oblectationibus operam dabant, donec plane hoc resciverunt. Atque ita primo capta est Babylon.* Aristoteles Lib. III. Politicorum, cap. III. *Babylone tertium iam diem capta, partem quamdam urbis non sensisse dicunt.* Quoniam Dominum provocasti. Alii ex Heb. I. *quoniam contra Iehovam miscuisti-litem*, vel *litigavisti*. II. *conflixisti*. III. *provocasti-te ipsam*. IV. Forsterus: *trahere voluisti te*, vel *attraxisti*, scilicet currus, ut mos erat curribus uti in bello & pugnare; aut *instruxisti-tracturam*, videlicet curruum; quasi dicat, Quia apertum bellum induxisti Deo: vide de notione verbi גרה *gharah* in Hithpahel, Deuter. II. 5.

V. 25. Aperuit Dominus thesaurum. Alii, *repositorium*, seu *armamentarium suum*. Hispanice, *sit almazen*. Et protulit vasa irae suae. Alii, I. *& eduxit arma furoris sui*. II. *& depromsit instrumenta indignationis suæ*: ut Isai. XIII. 5.

V. 26. Venite ad eam ab extremis finibus. Alii: *convenite in eam ab extremo*; id est, etiam gentes longinquissimæ. Alii: *in extremo*, vel *fine*; quasi dicat: Persæ, invadite Babylonem, quia iam adest finis imperii eius. Aperite ut exeant. Heb. *aperite horrea*, *granaria*, *apothecas*, ubi grana seu frumenta calcata & excussa reponuntur, *eius*. Qui conculcent eam: tollite de via lapides, et redigite in acervos. Alii ex Heb. I. *conculcate eam, quemadmodum acervos manipulorum*; id est, exterite eam & conculcate, ut solent in area exteri & calcari frumenta. II. *contumulate eam quasi acervos*; id est, redigite eam in tumulos & acervosruderum, ut calcata frumenta coguntur in acervos. Et interficite eam, nec sit quidquam reliquum. Alii I. *& vastate eam, ne aliquid supersit*. II. *& anathemati*, seu *internecioni devovete eam, ne supersint ei reliquiæ*. De urbium devotione, vide Notas in Levit. XXVII. 29.

V. 27. Dissipate universos fortes eius. Alii: *Interficite gladio omnes vitulos eius*, id est principes saginatos & opulentos. Verbum חרב *charab*, proprie est, *gladio sanguinem exsiccare & exhaurire*.

V. 29. Vox fugientium, &c. Hunc versum alii ex Heb. convertunt: *Vox fugientium & evadentium e terra Babyloniæ, ut indicet in Tzione ultionem Iehovæ Dei nostri*; quasi dicat, Non supererunt alii, quam ii, quos Deus misericordia sua servaverit ad celebrandum in Ecclesia nomen suum, ut Isai. XLV. 20. & sequentibus: *ultionem templi eius*; id est, quam ultionem sumpserit pro salute Ecclesiæ eius. Plerique hos fugien-

gientes & evadentes, non Chaldæos, sed Iudæos ipsos deportatos existimant, qui ope Dei effugerint & evaserint ex excidio Babylonis, & ad reliquam Ecclesiam nuntium attulerint exitii Babyloniæ.

V. 29. Annuntiate in Babylonem plurimis omnibus, qui tendunt arcum. Alii ex Heb. I. *Accersite contra Babylonem inculcatores*, seu *sagittarios*, *omnes tendentes arcum*. II. *Promulgate convenire in Babyloniam amplissimos*, *qui tendunt arcum*, רבים *rabbim*, nescio cur hic nonnulli Hebræorum exponant *sagittarios*, seu *iaculatores:* cum statim subiungatur, *tendentes arcum*. Plerique reddunt, *multos*, *plurimos*, *amplissimos*, *magnates*, *optimates*, vel *magistros*, *præfectos*, militum, seu castrorum; ut supra cap. xli. 1. Consistite adversus eam per gyrum. Alii: *castrametate contra eam circumquaque*. Et nullus evadat. Alii: *ne sit ei effugium*. Iuxta omnia quae fecit, facite illi. Alii: *omnino prout fecit*, *facite illi*.

V. 30. Conticescent. Alii: *consopientur*, *tollentur de medio*; *exscindentur*, *silebunt*, *obmutescent*, *in silentium redigentur*, *disperibunt*, *actum erit de eis*: vide versum hunc supra cap. xlix. 26.

V. 31. Ecce ego ad te, superbe, dicit Dominus Deus exercitum. Alii: *Ecce me adversum te*, *o superbia*, vel *o superbissime*, *dictum Domini Iehovi exercituum*, *&c.* Apostrophe ad Babylonium, ut cœperat supra vers. 24. זדון *zadon*, potest esse abstractum, *superbia*; & concretum, *superbus;* sic versu sequente. Sed abstractum maiorem emphasim habet: O tu, qui nedum superbus es, sed ipsissima superbia, superbissimus.

V. 33. Haec dicit Dominus exercituum. Alii hunc versum reddunt: *Sic ait Iehova exercituum*: *Opprimuntur*, vel *vim patiuntur filii Israelis*, *& filii Iehuda pariter: & quicumque captivos fecerunt eos*, *detinent eos*, *renuunt dimittere eos*. Tertia pars prophetiæ, ut diximus in vers. 1. confirmatio præcedentis narrationis, primum a potentia Dei, cuius causæ, instrumenta, operarii, administrique iudiciorum, atque effecta describuntur, usque ad vers. 14. sequentis capitis: deinde a iuramento, vers. 14. & sequentibus.

V. 34. Redemptor eorum fortis, &c. Ex Heb. alii hunc versum exponunt: I. *Sed fortis vindex eorum*, *cuius nomen est Iehova exercituum*, *is causam eorum bona fide suscipiet*, *& disceptabit*: *& ut requiem det terræ*, *conturbabit habitatores Babylonis*. II. *Vindex eorum fortis*, *Iehova exercituum nomine*, *omnino aget causam eorum*; *ut quietum reddat hanc terram*, *& commoveat habitatores Babyloniæ*. Causæ, sive fines iudicii ponuntur duo: unus liberatio & tranquillitas Ecclesiæ; alter Babyloniorum supplicium, & pœna: quæ per hysterosin more Hebræorum deinceps explicantur. Iudicio defendet causam eorum. Heb. *litigando litigabit*, *disceptando disceptabit*, *contendendo contendet*, *causam agendo aget*, *litem*, *disceptationem*, *contentionem*, *causam eorum*. Ut exterreat terram: optime. Heb. *ut rigere faciat terram*; id est, ut metu & horrore, seu solitudine rigentem reddat. Forsterus: *propter concitare terram*, seu *conturbare*. *Ubi præteritum*, inquit, *ponitur pro infinitivo*. Apte, nam למען *lemeghan*, non solet præfigi præteritis, seu futuris & infinitivis. Alii, הרגיע *hirgiagh*, infinitum esse volunt, quamvis *He* Characteristicum sit cum *Chirich* loco *Pathach:* vide Thesaurum Sanctis, Colum. 2627. & Buxtorfium pag. 707. Quidam reddunt: *ut scindere*, *discindere*, *diffindere*, *disrumpere faciat terram*. Hispanice consona voce Hebraicæ רגע *ragagh*, dicimus, *razgar*, magnam terræ Babyloniæ stragem & rupturam futuram significat. Quiescendi notio ab Hebræorum ac Nostrorum plerisque huic loco attributa, nobis non magnopere probatur: *ut quietam reddam hanc terram*.

V. 35. Gladius ad Chaldaeos, &c. Alii: *Gladius irruet*, vel *venturus est in Chaldæos*, *&c.* Ergasia finis, qui posteriore loco dictus est, usque ad versum quintum capitis sequentis.

V. 36. Gladius ad divinos eius. Sic בדים *baddim*, hic Chaldæus, & plures Hebræorum accipiunt, pro astrologis iudiciariis, divinis, magis: quorum triplex quidem doctrina apud Chaldæos fuit, ut ait Plinius Lib. VI. cap. xxvi. sed numerus infinitus: consule Strabonem Lib. XVI. pag. 739. vide in Isai. xvi. 6. Quidam exponunt: *gladius in mendaces eius*; id est, divinos, & Astrologos. Alii: *in vectes eius*, figurate; id est, magistratus cum politicos, tum ecclesiasticos, qui populum sustentant & portant. Qui stulti erunt. Heb.

Heb. *& stultescent*, *insanient*, *in amentiam vertentur*. Quidam reddunt: *ut defetiscantur*.

V. 37. GLADIUS AD EQUOS EIUS, ET AD CURSUS EIUS; id est, in omnem apparatum bellicum Babyloniorum: Synecdochice. Porro quantum Babylonii equitatu valuerint, illud satis argumento esse potest, quod scribit Herodotus Lib. I. Num. 192. de Tritæchma Artabazi filio satrapa Babyloniæ: *Erant ei peculiares equi, præter bello destinatos, admissarii octingenti, cum equarum a quibus admittebantur, sexdecim millibus: nam singuli a vicenis admittebantur*. ET AD OMNE VULGUS, QUOD EST IN MEDIO EIUS. Alii: *& in totam mistionem*, seu *miscellaneam turbam*, *quæ est in medio eius*. Forte intelligit promiscuam diversarum gentium multitudinem, quæ Babylone negotiandi causa versabatur. ET ERUNT QUASI MULIERES. Alii: *ut sint velut feminæ*; prout factum est, postquam prælium cum Cyro adventante commisissent: ex quo tempore delituerunt Babylone, nec occupata est: ut supra vers. 21. ex Herodoto annotavimus. Sic infra cap. XLI. 30. GLADIUS AD THESAUROS EIUS, QUI DIRIPIENTUR. Alii: *Gladius in thesauros eius*, *ut diripiantur*. Non auri & argenti tantum, sed commeatus militaris, quem in permultos annos intro comportaverant. Herodotus Lib. I. Num. 190. *Babylonii tamen, quia Cyrum iam pridem animadverterant inquietum esse, viderantque omnes pariter gentes aggredientem, comportaverant permultorum annorum commeatus: ideoque tunc obsidionem nihili faciebant*.

V. 38. SICCITAS SUPER AQUAS EIUS ERIT, ET ARESCENT. Quidam: *Siccitas in aquas eius*, *ut arefiant*, ut infra cap. LI. 32. vide rationem huius rei totam apud Herodotum Lib. I. Num. 191. Putant enim hic describi, quod ibidem Herodotus in hunc modum narrat: *Et Cyrus, cum iam longo tempore nihil admodum res ipsius proficerent, inops consilii erat. Tandem sive alius ei anxio suggessit, sive ipsi in mentem venit quid in rem esset, sic statuit faciendum: Instructis universis copiis partim qua fluvius urbem ingreditur, partim a tergo, qua egreditur, præcipit, ut cum cernerent alveum posse transiri, illac urbem invaderent. Ita instructis atque admonitis suis, cum inutiliori exercitus parte abiit ad paludem. Eo ubi pervenit, quæ Babyloniorum regina fecerat circa flumen & circa paludem*, (quæ ipse fuse superius Num. 185. narravit) *eadem & ipse fecit. Nam fluvio in paludem sive stagnum, ducta fossa immisso, pristinum eius alveum fluvio subsidente*, seu *abscedente*, *vado transibilem* seu *pervium reddidit. Quod cum ita factum esset, Persæ qui ad hoc ipsum instructi erant, per alveum, unde fluvius Euphrates abscesserat, mediorum femorum tenus ad summum fortiter Babylonem introierunt. Quos Babylonii, si factum Cyri prius aut audissent, aut sensissent, haud dubie ingredi non permisissent, sed pessime exitio affecissent* (*Nam obseratis omnibus, quæ ad flumen ferunt portulis*, de quibus supra Num. 180. & 186. dixerat) *conscensisque septis, ipsi pro ripis stantes, illos progressus veluti in cavea excepissent. Nunc ex inopinato illis Persæ supervenerunt: & cum capti essent, qui media urbis incolebant Babylonii, propter eius tamen magnitudinem, non sentiebatur* (*ut fertur*) *ab iis, qui circa extrema habitabant, &c.* Hactenus Herodotus: atque hoc esse volunt, quod hic propheta ait, *siccitas in aquas eius* veniet, *& arescent*: nam averso fluvio, & exsiccato alveo Euphratis, ingressus est Cyrus. QUIA TERRA SCULPTILIUM EST: id est, quia deos colunt huiusmodi, qui seipsos nequeunt defendere, nedum cultores suos. ET IN PORTENTIS GLORIANTUR. Alii, I. *& in Simulacris insaniunt*; id est, adeo ferventer idola sua colunt, ut insanire videantur. II. *& apud terricula insane agunt*. Ironia gravissima, per antithesin sapientum Babyloniorum cum factis & ritibus, ac cæremoniis ipsorum. De *terriculis* vide in I. Samuel. XXXI. 9. Sed ibi alia est vox. Hic vero est אימים *emim*, *formidines*, *terrores*. Sic dicta volunt idola, quod terrorem potius quam tranquillitatem animis cultorum suorum afferant. Avenarius reddit: *& in crudelitatibus*, seu *horroribus*; vel *in crudelibus*, *horridis*, *horrendis*, scilicet *idolis*, *insanient*: quod dii gentium sint crudelissimi & horrendi, cum sæpe hostias humanas exigant. GLORIANTUR. Alii: *immoderate*, *indecore*, *indecenter agent*, seu, *gerent se*. Proprie *extollere se facient*; id est, vel mente nimium excedent, vel immoderate sese iactabunt, & gloriabuntur. Verbum ex Hithpahel auget significatum.

V. 39. PROPTEREA HABITABUNT DRACO-

CONES, &c. Alii hunc versum ex Heb. interpretantur: *Idcirco habitabunt feræ cum terrificis, & manebunt in ea filiæ ululæ, non considebit amplius usque in æternum, neque habitabit usque in generationem quamque.* Enarratio effectorum, ut diximus in vers. 13. vide de hoc versu Isai. XIII. 20. 21. & 22. CUM FAUNIS FICARIIS. S. Hieronymus in Isai. XIII. ad vers. 21. *Quod sequitur: Pilosi saltabunt ibi*, vel *Incubones*, vel *Satyros vel Silvestres quosdam homines, quos nonnulli Faunos ficarios vocant, aut dæmonum genera intelligunt.* S. Isidorus VIII. Originum, cap. XI. extremo: *Quem autem vulgo Incubonem vocant, hunc Romani Faunum Ficarium dicunt.* Paulus Diaconus Lib. XII. Historiæ Miscellæ, cap. XI. de origine Hunnorum ista prodit: *Nam hos, ut refert antiquitas, ita extitisse comperimus. Filimer rex Gothorum Godarici magni filius, post egressum Scantiæ insulæ, iam quinto loco tenens principatum Getharum, qui & terras Scythicas cum sua gente introiit, reperit in populo suo quasdam magas mulieres, quas Gothico sermone Alyrumnas vocant: easque habens suspectas, de medio sui proturbavit, longeque ab exercitu suo fugatas, in solitudinem coegit errare, quas silvestres homines, quos nonnulli Faunos Phicarios vocant, per desertum vagantes dum vidissent, & earum complexibus in coitum se miscuissent, hoc genus ferocissimum ediderunt. Quod fuit inter paludes Mæotidas minutum, tetrum, atque exile, quasi inhumanum genus, nec alia voce notum, nisi quod humani sermonis imaginem assignabat. Tali igitur stirpe Hunni creati, Gothorum finibus advenere.* Hæc Paulus, quæ ex Iornade de Rebus Geticis cap. XXIV. descripsit. Porro *Faunos Ficarios* dictos volunt a ficu, quod vel ficubus arboribus delectarentur, & sub his ferme degerent; vel quod ficus iis adamata, ut Mercurio, aut quod ficubus silvestribus, seu caprificis vescerentur, aut sycomoris: quod nescio an satis congruat. *Phicarios* habet Paulus, forte *Phycarios*, quod in algosis & palustribus locis degerent; nam φῦκος Græcis est *alga*. Pleraque Latina exemplaria Editionis Vulgatæ ante novissimam Romanam emendationem, habebant, *cum fatuis ficcariis*, vel *ficariis*, probissima sane lectione: nam *fatuis* idem est quod *Faunis*; *fatui* enim *Fauni*, & *fatuæ* Nymphæ olim dicebantur. Servius in VII. Æneidos: *Quidam deus est Fatuellus.* (*Fatuus* quidam in Servio legendum admonent.) *Huius uxor est Fauna. Dicti autem sunt Faunus & Fauna a vaticinando, id est fando. Unde fatuos dicimus inconsiderate loquentes. Ergo Fauna est Fatua.* Donatus in Eunuchum Terentii: *Fatuus, inepta loquens, a fando fatuus dicitur. Inde Fauni Fatui, eo Nymphæ Fatuæ dicta sunt.* Idem Servius ad illud Æneidos VI. *Castrumque Inui*, ait; *id est, Panos, qui illic colitur. Inus autem Latine appellatur, Græce Pan: item Ephiales Græce, Latine Incubo. Idem Faunus, idem Fatuus, Fatuellus*, &c. Itali, Galli, & Valentini nomen adhuc retinent. *Folletes*, vel *Folletos* eiusmodi spiritus vocant, quasi dicas *Fatuos*, vel *Fatuellos*. Castellani vocant, *Trasgos*, *Duendes*. *Sicarii* vero, aut *Siccarii* eiusmodi Fauni seu spiritus dicuntur, quod loca sicca & deserta fere incolant: quod certe verbis Hebraicis, quæ hic ponuntur, mire congruit.

V. 40. SICUT SUBVERTIT, &c. Alii hunc versum ex Heb. convertunt: *Simili subversione, qua Deus subvertit Sedomum & Hamoram, & vicinos eius, dictum Iehovæ, non habitabit ibi quisquam, neque commorabitur in ea filius hominis:* vide Isai. XIII. 19. & 20. Habes similem versum supra cap. XLIX. 18.

V. 41. ECCE POPULUS VENIT. Heb. בא *ba* potest esse participium præsens, *veniens*, vel præteritum, *venit*, ob certitudinem prophetiæ. Quidam: *Ecce populus venturus est*, &c. Ennarratio instrumentorum, & operariorum Dei ad evertendam Babylonem ad finem usque capitis, quæ deinde illustratur similitudine, quatuor primis versibus capitis sequentis. AB AQUILONE: ut supra vers. 3. AC REGES MULTI. Alii: *ac reges magni*, seu *ampli*, id est Cyrus, cap. LI. v. 27. & sequentibus. Nam Cyrus nonnisi tota Asia perdomita, bellum Babyloniis intulit, ut auctor est Herodotus Lib. I. & Crœsus semper eum comitabatur. His tribus versibus vide alios tres similes supra cap. VI. 22. 23. 24.

V. 42. ARCUM ET SCUTUM APPREHENDENT, &c. Hunc versum Alii ex Heb. efferunt: I. *Arcum & lanceam tenebunt, crudeles erunt quisque, neque utentur misericordia; vox eorum ut mare fremet, & cum equis vehentur: instructus quisque, ut vir* præ-

præstans ad bellum, *contra te*, *o filia Babylonis*. II. *Arcum ferunt & hasile*, *sævi sunt*, *nihil miserentur* : *vox eorum mari tumultuanti similis est*, *equis vehuntur*, *instructi ad bellandum*, vel *instar eius*, *qui descensurus est ad singulare certamen*, *contra te o filia Babylon*, vide supra cap. VI. 23.

V. 43. AUDIVIT REX BABYLONIS, &c. Alii hunc versum ex Heb. reddunt. I. *Audita fama eorum*, *elanguerunt manus regis Babylonici*; *angustia & dolor apprehendit eum sicut parturientem*. II. *Audientis regis Babyloniæ rumorem de eis*, *illico remittent se manus*, *angustia apprehendet eum*, *dolor tamquam parturientis* : vide supra cap. VI. 24.

V. 44. ECCE QUASI LEO ASCENDET, &c. De hoc versu & duobus sequentibus, vide supra cap. XLIX. 19. & 21.

V. 46. A VOCE CAPTIVITATIS BABYLONIS, &c. Alii hunc versum reddunt: I. *ob strepitum*, *quo capietur Babylon*, *commovebitur terra*, &c. quasi dicat: Cum evertetur Babylon, tantus clamor excitabitur in ipsa urbe, ut ad eum tota ipsa terra sit commovenda. Hyperbole. II. *A fragore captæ Babylonis contremiscet terra*, *& clamor eius inter gentes audietur*. III. *Præ sono occupatæ Babyloniæ commovebitur ipsa terra*, *& clamor in gentibus audietur*.

MENOCHII.

Vers. I. IN MANU IEREMIAE : per Ieremiam: est Hebraismus: sic supra XXVII. 3. & XXXVII. 2.

V. 2. ANNUNTIATE IN GENTIBUS. Sunt verba prophetæ iubentis, ut apud omnes gentes annuntietur excidium Babylonis. LEVATE SIGNUM: tollite signum victori. CONFUSUS EST BEL: ignominia afficietur Bel deus Chaldæorum. MERODACH: alius eorumdem Deus.

V. 3. GENS AB AQUILONE: Persæ scilicet & Medi, qui licet Babyloniis sint Orientales, gentes tamen ab Aquilone, quales erant Hircani, Armeni, Sacæ, Cadusii, &c. duxerunt contra Chaldæos. MOTI SUNT: movebuntur, dissipabuntur. ABIERUNT: in fugam, vel in captivitatem.

V. 4. FILII ISRAEL: reliquiæ decem tribuum. ET FILII IUDA: qui ad duas tribus Iuda, & Beniamin pertinebant. ET FLUENTES: præ gaudio: vide Lib. I. Esdræ capite III. 12. ubi dicuntur Iudæi templi restaurationes videntes, flevisse præ gaudio. DOMINUM DEUM SUUM QUAERENT. Hoc non solum ad tempus reditus captivorum referendum est, sed multo magis ad tempus Christi, cum ex dæmonis captivitate liberati sunt in ipsum credentes. Ita intelligendum esse hunc locum, patet ex versiculo sequenti, ubi agitur de fœdere sempiterno.

V. 5. IN SION, id est viam qua veniant in Sion, & in Ecclesiam. HUC FACIES EORUM, id est huc recta via contendent. APPONENTUR AD DOMUM: adiungentur, & adhærebunt Domino. FOEDERE SEMPITERNO, id est evangelico, quod nullum finem habiturum est.

V. 6. GREX PERDITUR; quasi dicat: Errabat Israel per montes instar ovium. PASTORES: reges intelligit, & pseudoprophetas, qui populum blandiendo seduxerunt, & in causa fuerunt ut in captivitatem iret. FECERUNT VAGARI IN MONTIBUS: ad idola colenda invitantes, ex uno idolo, & monte ad alium montem, & aliud idolum. OBLITI SUNT CUBILIS SUI: obliti sunt Sion, ubi solebant requiescere, & templi in Sion constituti.

V. 7. OMNES QUI INVENERUNT, &c. id est, facti sunt in prædam, & devorationem in omnibus gentibus, vide Ezech. XXXIV. 5. & 8. ET DIXERUNT: NON PECAVIMUS; id est, omnes qui interficiebant eos, arbitrabantur se obsequium præstare Deo. DECORI IUSTITIAE. Sic vocat Deum; primo quod populum suum antequam peccaret, decorasset iustitia: secundo, quod decor esset populi propter leges iustitiæ, quas illi dederat, & quibus eum gubernabat: tertio, quod eius iustitiam, & pietatem multis beneficiis decoraret, & muneraretur. EXPECTATIONI, &c. id est Domino in quo patres eorum speraverant, qui adiutor eorum, & protector eorum fuit: Psalm. CXIII. 17. 81. 19.

V. 8. RECEDITE: Iudæos alloquitur e captivitate liberandos. QUASI HOEDI ANTE GREGEM: alacres, læti, hilares, celeres sicut hirci, & hœdi gregem præcedentes.

V. 9. CONGREGATIONEM GENTIUM MAGNARUM: ingentem Persarum exercitum. DE TERRA AQUILONIS: vide dicta supra

 num.

num. 3. PRAEPARABUNTUR, &c. parabuntur, & instruent se ad Babylonem oppugnandam. INDE. Hebr. משם misseam, & significatur primo conflictu, vel prima obsidione capiendam; non prius inde discessuros Persas, quam illam capiant. SAGITTA EIUS, scilicet, exercitus. VIRI FORTIS INTERFECTORIS, militis strenui, & periti sagittarii. NON REVERTETUR VACUA: nam singulis sagittis singulos homines interficiet.

V. 10. REPLEBUNTUR: spoliis, & divitiis.

V. 11. QUONIAM EXULTATIS, &c. In Hebraeo est in praeterito: *Quoniam exultastis diripientes hereditatem meam*. EFFUSI ESTIS SICUT VITULI. LXX. *Quia gestiebatis quasi vituli in herba*. MUGISTIS, &c. id est, feroces facti estis sicut tauri, propter divitias quas a populo meo abstulistis: mugitus enim in tauro ferocitatem, elationemque significat.

V. 12. CONFUSA EST: ignominiose capta. MATER VESTRA: Babylon, aut Chaldaea. ADAEQUATA PULVERI: eversa, solo aequata. NOVISSIMA, &c. id est, abiectissima erit inter omnes gentes.

V. 13. AB IRA DOMINI: propter iram Domini. SIBILABIT, id est obstupescet, vel irridebit. Vide capite praecedenti vers. 17.

V. 14. PRAEPARAMINI, &c. instruite aciem contra Babylonem. Vide sup. num. 9. OMNES QUI INTENDITIS ARCUM, id est omnes viri bellicosi, armis tractandis assueti. Arcum posuit pro omni armorum genere. NON PARCATIS IACULIS: sagittas e pharetris depromite, & in Chaldaeos effundite.

V. 15. CLAMATE ADVERSUS EAM: exhortantes, & excitantes vos ad bellum. DEDIT MANUM, id est victa est Babylon, & victam se fatetur. LXX. habent, *solutae sunt manus eius*. SICUT FECIT: Ierusalem, & aliarum gentium Civitatibus.

V. 16. DISPERDITE SATOREM; quasi dicat: Interficite in Babylone non solum milites, sed etiam agricolas, qui serunt, quibus tamen in excidiis urbium parci solet, ita ut nemo sit, qui seminet, aut metat. A FACIE GLADII COLUMBAE: columbam vocat hostem, non propter mansuetudinem, quae in illo nulla erat, sed propter celeritatem.

V. 17. GREX DISPERSUS, id est similis gregi disperso, & erranti: sic supr. num. 6. dixit, *Grex perditus factus est populus meus*. LEONES EIECERUNT EUM, scilicet de loco suo. Leones vocat Regem Assyriorum, & Chaldaeorum. PRIMUS COMEDIT EUM REX ASSUR. Rex Assyriorum dicitur primus comedisse populum Dei, id est solam carnem edisse, ossa vero non comminuisse, quia decem tribus, quae quasi caro erant, in captivitatem duxit IV. Reg. XVIII. 11. Duas vero tribus, in quibus erat regnum, sacerdotium, & templum Dei, qui ossa, & robur populi non perdidit. At Rex Babylonis ossa confregit, quia & duas tribus in captivitatem duxit, & templum evertit IV. Reg. XXV. 9.

V. 18. VISITABO: puniam, flagello irae meae atteram.

V. 19. ET PASCETUR CARMELUM: reducam oves meas in laeta pascua Iudaeae, & depascentur ea sicut ante. SATURABITUR ANIMA EORUM, id est appetitus: sic capitur anima Psal. XLI. 3. Psalm. LXII. 6. Isa. V. 14.

V. 20. QUAERETUR, id est etiam si quaeratur non invenietur, quia delebo illam. Haec prophetia respicit Christum, cuius tempore omnis populi in eum credentis iniquitas ablata est. QUOS RELIQUERO: ex Israel enim reliquiae salvae factae sunt, Rom. IX. 27. & cap. XI. 5.

V. 21 TERRAM DOMINANTIUM: Chaldaeam intelligit. ASCENDE, scilicet o Dari, & Cyre. VISITA, DISSIPA, Babylonem. INTERFICE QUAE POST EOS SUNT, id est dele omnem posteritatem eorum, filios scilicet, & nepotes. IUXTA OMNIA QUAE PRAECEPI. Indicat Deus se Medos, ac Persas contra Chaldaeos excitasse. Vocat autem praeceptum instigationem, aut permissionem, ut II. Reg. XVI. 10. *Dominus praecepit ei, ut malediceret David*.

V. 22. VOX BELLI: clamor bellicus, scilicet auditur; quasi dicat: Videor mihi audire canentes tubas, & fremitum militum Cyri, & Persarum.

V. 23. MALLEUS, &c. ita per Metaphoram appellat Regem Babylonis, qui cetera regna comminuere solebat. IN GENTIBUS: quae prius inter gentes dominabatur. Vel sensus est, Babylonem instar aliarum gentium domitam esse, & eversam.

V. 24.

V. 24. ILLAQUEAVI TE : quasi feram laqueo irretivi te, cum nihil tale cogitares; capta est enim Babylon cum festum ageret, & Baltasar cum suis convivaretur, ut patet ex Dan. v. 1. INVENTA ES, id est deprehensa, & capta.

V. 25. THESAURUM SUUM, id est armarium, ubi reposita habet arma iræ suæ, famem, pestem, bellum, &c. QUONIAM OPUS EST, &c. quia opus quoddam iustitiæ suæ molitur in terra Chaldæorum.

V. 26. VENITE : o Dari, o Cyre, & vos Persæ. APERITE, vias aut portas omnium civitatum. UT EXEANT ; milites, qui Babylonem oppugnent, & conculcent. TOLLITE DE VIA LAPIDES : ut omnes qui velint contra eam sine impedimento venire possint. INTERFICETE EAM : *Perdite eam*, ut est in Hebræo.

V. 27. FORTES EIUS : potentes principes eius, aut omnes viros bellicosos eius. DESCENDANT IN OCCISIONEM : occisi cadant.

V. 28 VOX FUGIENTIUM, Iudæorum audietur : nam cum primum Babylon obsessa est, nonnulli ex Iudæis profugerunt, & Babylonem reversi annunciarunt evenisse iam quod de Babylonis expugnatione, & Iudæorum liberatione prædixerat Ieremias.

V. 29. ANNUNCIATE IN BABYLONEM, &c. id est dicite plerisque omnibus tendendi arcus peritis, ut designato loco veniant contra Babylonem. Italice diceremus. *Intimate che s' armino per Babylonia*. SECUNDUM OPUS SUUM : sicut ipsa fecit, & alias regiones vastavit. ERECTA EST : superbe egit, extulit se. SANCTUM ISRAEL : contra Deum qui sanctificat Israel. Alii templum intelligunt, quod Chaldæi everterant.

V. 30. CONTICESCENT, obstupescent, & peribunt.

V. 31. ECCE EGO AD TE, id est contra te venio o superbe : alloquitur Deus Nabuchodonosorem, vel potius Balsasarem, quo regnante capta est Babylon.

V. 33. CALUMNIAM SUSTINENT : oppressi sunt, vi tenentur in captivitate.

V. 34. REDEMPTOR EORUM FORTIS ; quasi dicat: Esto, fortes sint Chaldæi, fortiterque Iudæos in Babylone detinent; tamen fortior iis est Dominus, qui Iudæos e Babylone redimet, & liberabit. IUDICIO DEFENDET. In Hebræo est, *suscipiendo suscipiet causam eorum*, id est omni studio, & diligentia defendet iustam eorum causam. EXTERREAT TERRAM, Chaldæorum. In Hebr. est *Ut quiescere faciat terram*, quam scilicet Chaldæi bellis turbabant. COMMOVEAT: vexet, & agitet Persarum gladiis.

V. 36. AD DIVINOS EIUS : contra divinos, & astrologos Chaldæorum gladius veniet. QUI STULTI ERUNT : qui stulti apparebunt, cum suum & suorum exitium non præcognoverint, nec prædixerint.

V. 38. SICCITAS SUPER AQUAS : nam Babylonem tradunt historici captam fuisse derivatione Euphratis per fossas manu factas, ita ut per siccum eius alveum aditus patuerit militibus ad civitatem. Ita Xenophon Lib. VII. Cyripædiæ, & alii. Vel sensus est : Deus immittet Chaldææ sterilitatem, & siccitatem ; nam terra deficientibus habitatoribus inculta erit, & arida. TERRA SCULPTILIUM : in qua scilicet sculptilia adorantur. IN PORTENTIS, id est portentosis, & monstruosis deorum suorum, & Idolorum figmentis.

V. 39. CUM FAUNIS FICARIIS. Chaldæus vertit, *cercopitheci cum felibus*, alii, *Feles cum vulvis*, alii, *feræ*, & *monstra*, scilicet spectra nimirum dæmonum, qui deſertas terras incolunt. Fauni sunt dæmones sese hominibus ostendentes corpore partim caprino, partim humano. Dicuntur *Ficarii* quod se caprificis, id est ficis silvestribus in solitudine nascentibus victitare mentiantur. STRUTHIONEM : de quo dixi Levit. xi. 16. est enim etiam in Hebræo eadem vox scilicet יקנה *Iahanach*.

V. 41. AB AQUILONE. Vide dicta supra num. 3. REGES MULTI, inter quos Xenophon Lib. V. Cyripædiæ numerat Reges Armeniorum, Hyrcanorum, Cadusiorum, Lydorum, &c.

V. 43. AUDIVIT, &c. Hebraismus, id est cum audiverit dissolventur manus eius præ magnitudine timoris.

V. 44. QUASI LEO ASCENDET DE SUPERBIA IORDANIS; id est, sicut leo ascendere solet de pascuis turgidi Iordanis ad prædam ; sic veniet Persa contra Babylonem pulchram, & invictam urbem : vide dicta cap. superiori num. 19. AD PULCHRITUDINEM ROBUSTAM, &c. quæ hic habentur usque ad finem capitis explicata sunt

funt fuperiori capite 2. num. 19. citato.& deinceps.

TIRINI.

Verf. 2. CONFUSUS EST, id eft certo confundetur, BEL *a*, idolum Babylonium. VICTUS EST, feu vincetur, MERODACH, feu *Evilmerodach*, alio nomine *Baltaffar b* dictus.

V. 3. GENS AB AQUILONE: proprie refpectu Babylonis erant Armeni, Hyrcani, Cadufii & alii, quos ad communem hoftem Chaldæum e medio tollendum Perfæ & Medi evocarunt. Quamquam & ipfi Medi etiam ex parte vergant ad Aquilonem Babylonis. Vide Sanchez. MOTI, id eft difperfi, SUNT Babylonii, ET ABIERUNT in fervitutem, in captivitatem.

V. 4. & 5. FILII ISRAEL, SIMUL ET FILII IUDA VENIENT; Hebraice, *fociabunt fe*, FLENTES præ lætitia, ob recuperatam libertatem fub Cyro, fed magis fub Chrifto, antitypo Cyri. IN, id eft verfus, SION, feu Iudæam: myfticæ in Ecclefiam Chrifti, INTERROGABUNT VIAM. Hac via VENIENT AD DOMINUM, ET ei APPONENTUR; Hebraice, *copulabuntur*, agglutinabuntur, indivulfe adhærebunt FOEDERE SEMPITERNO: nempe quamdiu durabit Iudæorum refpublica. Vel potius, fœdere evangelico, quod vere æternum durabit. Etfi enim hæc ad litteram videantur exponenda de Iudæis & Ifraelitis e Chaldæa & Affyria in Iudæam reverfis, ut vere plurimi reverfi funt ex omnibus tribubus, tefte quoque Ifaia, & Iofepho *c*; tamen proprie ac præcipue id intelligendum de Iudæis & Ifraelitis e fervitute diaboli & legis veteris in libertatem filiorum Dei per Chriftum reductis, ut SS. Patres & Doctores unanimi confenfu exponunt.

V. 6. GREX PERDITUS Ifrael errabat colendo varia idola in variis montibus, OBLITUS CUBILIS SUI, id eft templi, & Dei veri, in cuius finu folebat quiefcere, inquit Theodoretus & Rabanus.

V. 7. HOSTES Iudæorum DIXERUNT: NON PECCAVIMUS, immo obfequium Deo præftitimus, expilando & exfcindendo Iudæos: EO QUOD ingrati PECCAVERUNT DOMINO DECORI IUSTITIAE, id eft, a quo tam fplendide decorabantur tempora iter & fpiritualiter cum adhuc in iuftitia ftarent: qui, femper fuit *exfpectatio b*, id eft fpes, PATRUM: protegens, falvans, ornans omnes fuis beneficiis.

V. 8. ESTOTE QUASI HOEDI ANTE GREGEM; id eft, finguli conentur primi effe in reditu e Babylone, generofe animantes infirmos, & per ardua traducentes languidos.

V. 11. QUONIAM EXULTATIS IN DIREPTIONE HEREDITATIS MEAE, id eft in excidio Iudæorum, qui filii & hereditas mea funt, & quia MAGNA LOQUIMINI, fuperbe vobifmet victoriam adfcribentes: ET EFFUSI ESTIS fumma aviditate & inexplebili avaritia, in prædam, SICUT VITULI irruunt *in* HERBAM: ferocientes, lafcivientes, ideoque *mugientes*, inquit Rabanus & Hugo.

V. 12. MATER VESTRA Babylon, CONFUSA EST NIMIS, utpote, ADAEQUATA PULVERI, id eft plane everfa ad folum ufque: NOVISSIMA, id eft abiectiffima facta, inter omnes *Gentes*.

V. 15. UBIQUE, id eft omni occafione, omni in loco, in omni prætio DEDIT victa victori MANUM, fe fuaque omnia illi dedens ac fubiiciens, & vitam gratuito ac veniam a victore depofcens. Sed venia indigni funt. Quare

V. 16. DISPERDITE e Babyloniis non modo militem omnem, fed & SATOREM & mefforem, id eft agricolas omnes. Hi fugient A FACIE GLADII COLUMBAE, id eft metu gladii Perfarum, qui devictis Chaldæis, infigni quod ante geftabant Solis *e* & aquilæ *f*, iunxerant etiam infigne Chaldæorum iam devictorum, columbam, de qua alibi *g*.

V. 17. LEONES, Teglatphalaffar, Salmanaffar, Sennacherib reges Affyriorum EIECERUNT *Ifraelem* e terra fua, decem tribus in Affyriam captivas trahentes: NOVISSIMUS EXOSSAVIT Ifrael NABUCHODONOSOR duas reliquas tribus cum templo & urbe fancta, in quibus omne robur Ifraelis funditus exfcindens, atque ita omnem remp. Ifraelitarum avertens. Et hæc fuit caufa, cur Chaldæis excidium hic merito intentet Propheta, nempe lege talionis, *Iuftum* enim *eft*, inquit Ariftoteles ex Rhadamantho *h*, *ut damnum quod quis iniufte aliis intulit, ipfe quoque fubeat*.

V. 19. ISRAEL interea redux e captivitate in patriam PASCETUR CARMELUM,

ET

id est lætis & pinguibus pascuis *Carmeli*, ET BASAN, id est totius Iudææ. Ita LXX. Et si

V. 20. QUAERATUR INIQUITAS ISRAEL, nempe idololatria; NON ERIT ulla amplius a reditu e Babylone. Ita Theodoretus, Hugo, Lyranus. Consequenter, nulla etiam amplius erit pœna illius iniquitatis, puta captivitas, fames, pestis, &c. quasi dicat: Nullæ supererunt reliquiæ prioris cladis, inquit Sanchez. Et nullæ peccatorum reliquiæ post conversionem Iudæorum ad Christum, inquit Vatablus & Dionysius.

V. 21. ASCENDE, o Dari, o Cyre, SUPER, seu contra, TERRAM DOMINANTUM, id est Chaldæorum, qui nunc monarchiam tenent, & instar *mallei* vers. 23. *conterunt universam terram*, INTERFICE QUAE POST EOS SUNT, id est dele omnem illorum posteritatem, filios, & nepotes. Et en tibi in eum finem *vasa iræ* divinæ; quibus

V. 25. OPUS EST DEO IN TERRA CHALDAEORUM, id est ad exscindendam terram Chaldæorum, nempe copias militares, pecunias, & robur, animos, omnemque bellicum apparatum, deprompta ex *thesauro* Dei, id est ex armamentario omnipotentiæ divinæ, seu iustitiæ vindicativæ, in quo infinita continentur tela & supplicia, quæ in hostes emittantur, inquit Theodoretus.

V. 26. APERITE valuas portarum & urbium vestrarum, UT per illas EXEANT milites vestri QUI CONCULCENT Babylonem. TOLLITE DE VIA LAPIDES; & facite illam planam, expeditam, facilem, ne quid retardet vel remoretur Persas Babylonem adventantes.

V. 31. ECCE EGO AD TE, id est, contra te venio, o *superbe* Baltassar. *Cades*, & tecum cadet universa monarchia *i* Chaldæa.

V. 33. CALUMNIAM SUSTINENT FILII ISRAEL ET FILII IUDA. LXX. & Chaldæus, *vim*, seu violentam oppressionem & captivitatem sustinent, iniuste & quasi per *calumniam* damnati tyrannico Chaldæorum iudicio. Nam licet ex parte Dei iuste punirentur, ex parte tamen Chaldæorum iniuste & tyrannice cum illis agebatur.

V. 36. GLADIUS a Deo exeritur AD DIVINOS, id est contra astrologos Chaldæorum, QUI STULTI omnibus apparebunt, quod suum & regni interitum prædivinare nequiverunt, immo alia omnia læta ac prospera falso prædixerint.

V. 38. SUPER AQUAS Babylonis, quibus putat se invictam & inaccessam, SICCITAS *k* ERIT, Euphrate in alios alveos per Cyrum deducto, adeo ut sicco alveo priore, militem quantum Cyrus vellet, in medium urbis immiserit *l*, ut Xenophon, Herodotus *m* & alii testantur, & ex iis Vatablus, Capella & a Castro. Addit Frontinus *n*, simili stratagemate ter Babylonem interceptam fuisse, puta a Semiramide, a Cyro & ab Alexandro. IN PORTENTIS, id est portentosis & monstrosis idolorum suorum figmentis, *gloriantur* Babylonii.

V. 39. FAUNI, vel, bestiæ sunt ex infando congressu hominum cum bestiis, v. g. pastorum cum capris, prognatæ; vel certe sunt dæmones instar hominum in silvis & montibus degentes. Dicuntur *fauni*, quasi fari nescii, quia solum strident ut hirci vel aliæ bestiæ. Dicuntur *ficarii*, quia caprifico sustentantur, eiusque *ficus* comedunt. Indicat ergo summam fore desolationem Babylonis, nempe ut fiat spelunca draconum, faunorum, aliarumque ferarum ac demonum, quod & Isaias *o* prædixit. NON INHABITABITUR ULTRA ab hominibus IN SEMPITERNUM. Hæc prophetia non simul, sed sensim & successive impleta fuit. Primo enim per Cyrum adempta illi est monarchia & imperium. Secundo, rebellans Dario Hystaspis, mœnibus ab eo spoliata, teste Herodoto & Iustino *p*. Tertio, a Seleuco Nicanore civibus & opibus exhausta: transtulit enim omnia *Seleuciam*, quam in vicinia condiderat. Parthi postea transtulerunt reliqua *Ctesiphontem*, inquit Plinius *q*. Quarto igitur nihil præter muros illi relictum sub Adriano Imp. Pausania *r* teste. Quorum ambitu non nisi bestiæ omnis generis pro venatione regia continebatur, teste S. Hieronymo *f*. Allegorice, excidio Babylonis præsignatur excidium urbis Romæ (quæ a S. Petro *t* *Babylon* vocatur) adeoque totius universi.

V. 41. REGES MULTI a Cyro adversus Babylonem evocati numerantur & nominantur a Xenophonte *u*. Cetera huius capitis explicata habes cap. præced. a vers. 19. us-

19. usque ad vers. 22. ubi similia contra Idumæos intentantur.

(a) Chron. xii. & Gen. xi. & Dan. iv. in fine.
(b) Chron. cap. xxxiv. in fine & IV. Reg. ult. in fine.
(c) Isaiæ xi. 14. Ioseph. XI. Antiq. cap. v.
(d) Ierem. xiv. vers. 8.
(e) Curtius Lib. III.
(f) Xenophon Lib. VII. Cyri pæd.
(g) Ierem. xxv. 18.
(h) Arist. Lib. V. Ethic.
(i) Daniel. v. in fine.
(k) Ierem. li. vers. 32.
(l) Daniel. sup.
(m) Xenoph. Lib. VII. Cyripæd. Herod. Lib. I.
(n) Frontin. Lib. III. cap. vii.
(o) Isaiæ xxxiv. 14.
(p) Herod. Lib. III. Iustin. Lib. I.
(q) Plin. Lib. VI. cap. xx.
(r) Pausan. Lib. I.
(s) Hieron. in cap. xiii. Isaiæ.
(t) I. Petri. v. vers. 13.
(u) Xenoph. Lib. V. sup.

GORDONI.

Vers. 1. VERBUM QUOD, &c. Huic prophetiæ, & capiti præposui pro indice temporis Sedeciam, ut pote cuius anno 4. hæc prophetavit Ieremias, ut habemus ex cap. LI. 59. Vocat ergo Ieremias signa gentium bellica contra Babylonem, a qua tot gentes passæ sunt excidia.

V. 2. CONFUSUS EST BEL idolum: VICTUS EST MERODACH idolum aliud, aut certe rex Baltazar in quem incidit excidium: ut enim a primo Cæsares; ita a primo Merodach successores id nominis retinere potuerunt.

V. 5. IN SION INTERROGABUNT VIAM, &c. En reditum Iudæorum a captivitate, & adhærebunt FOEDERE SEMPITERNO, hoc est, quamdiu vel durabit Respub. Iudæorum, vel fœdus Evangelicum cum vocabuntur ad Ecclesiam.

V. 16. A FACIE GLADII COLUMBAE, &c. Gladium Persicum intelligit: dixi cap. xxv. vers. 38. columbam esse bellicum signum Chaldæorum: ergo gladius columbæ est Persicus in columbam paratus. Apud LXX. est gladius. Græci; Μαχαίρας ἑλληνικῆς. Sed in Hebræo est יונה *Iona*. LXX. legerunt *Iavan*.

V. 17. Notat hic duas captivitates; unam decem tribuum, sub Salmanassare; alteram Babylonicam.

V. 20. IN DIEBUS ILLIS, &c. Quia Iudæi post reditum non amplius retinuerunt idola, nec coluerunt, memores exactæ captivitatis. Si vero hoc referas ad tempora Christi, evidentius est.

V. 22. SUPER TERRAM; &c. Vox est ad Cyrum, ubi describitur contritio Babylonica prolixe. Malleus terræ Babylon conteretur.

V. 38. SICCITAS SUPER AQUAS, &c. Designatur ars qua capta est Babylon: nam ex Herodoto Lib. I. Cyrus Euphratem fluvium, qui Babylonem intersecat, derivavit in alia loca, per apertas fossas, militemque exsiccato alveo immisit in Babylonios, qui sibi videbantur securi.

V. 39. PROPTEREA, &c. CUM FAUNIS FICARIIS. Hebr. ציים איים *tsim iim*. Pagninus vertit *feræ*, *&* *monstra* vel *spectra*: Vulg. *cum faunis ficariis*. Fauni sunt monstra ex nefando concubitu hominis & bestiæ nata; aut etiam dæmones instar hominum habitantes in desertis. Dicuntur vero ficarii, quia ficus comedunt; quas profert caprificus: talem belluam vidit in deserto S. Antonius. Dubitatum est an ficarii, an vero sicarii legendum. Romana correcta Biblia legunt ficarii, nec muto. Isido. Lib. VIII. Etym. cap. ult. faunos ficarios vocat sylvestres homines. Quod hic additur, fore ut non habitetur Babylon, longissimo scilicet tempore, hoc sub variis casibus urbis impletum est, & hodie adhuc vastitas stat.

V. 44. & 45. Hæc de superbia Iordanis, & partitula, NISI DETRAXERINT, explicata sunt cap. XLIX. 19.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 4. & 9. DE TERRA AQUILONIS. Persæ quidem & Medi sunt Babyloniis Orientales. Fere tamen quos adduxerat Darius & Cyrus ad bellum Babylonicum erant nationes Aquilonares ex Armenia, Hircania &c.

Vers. 11. HAEREDITATEM: Israelitas.

Vers. 12. MATER VESTRA: Babylon.

Vers. 17. ASSUR. Intelligi potest Sardanapalus rex ultimus.

Vers. 19. PASCETUR CARMELUM: occupabit. Notat montes nobiliores.

Vers. 15. NISI DETRAXERINT, detrahenti.

CA-



CAPUT LI.

Mala a regibus Medorum Babyloni imminentia prædicuntur.

1 HAEc dicit Dominus: Ecce ego suscitabo super Babylonem
& super habitatores eius; qui cor suum levaverunt contra
me, quasi ventum pestilentem. 2. Et mittam in Babylo-
nem ventilatores, & ventilabunt eam & demolientur terram
eius: quoniam venerunt super eam undique in die afflictionis
eius. 3. Non tendat qui tendit arcum suum, & non ascendat
loricatus, nolite parcere iuvenibus eius, interficite omnem
militiam eius. 4. Et cadent interfecti in terra Chaldæorum,
& vulnerati in regionibus eius. 5. Quoniam non fuit viduatus Israel & Iuda a
Deo suo Domino exercituum: terra autem eorum repleta est delicto a sancto
Israel. 6. Fugite de medio Babylonis, & salvet unusquisque animam suam:
nolite tacere super iniquitatem eius: * quoniam tempus ultionis est a Domino,
vicissitudinem ipse retribuet ei. 7. Calix aureus Babylon in manu Domini: ine-
brians omnem terram: de vino eius biberunt Gentes, & ideo commotæ sunt.
8. (a) Subito cecidit Babylon, & contrita est: ululate super eam, tollite re-
sinam ad dolorem eius, si forte sanetur. 9. Curavimus Babylonem, & non est
sanata, derelinquamus eam, & eamus unusquisque in terram suam: quoniam per-
venit usque ad cælos iudicium eius, & elevatum est usque ad nubes. 10. Protulit
Dominus iustitias nostras: venite, & narremus in Sion opus Domini Dei nostri.
11. Acuite sagittas, implete pharetras: suscitavit Dominus spiritum regum Medorum:
& contra Babylonem mens eius est ut perdat eam, quoniam ultio Domini est, ultio
templi sui. 12. Super muros Babylonis levate signum, augete custodiam: leva-
te custodes, præparate insidias, quia cogitavit Dominus, & fecit quæcumque
locutus est contra habitatores Babylonis. 13. Quæ habitas super aquas multas,
locuples in thesauris, venit finis tuus pedalis præcisionis tuæ. 14. (b) Iuravit
Dominus exercituum per animam suam: Quoniam replebo te hominibus quasi
brucho, & super te celeuma cantabitur. 15. (c) Qui fecit terram in fortitu-
dine sua, * præparavit orbem in sapientia sua, & prudentia sua extendit cæ-
los. 16. Dante eo vocem, multiplicantur aquæ in cælo: qui levat nubes ab ex-
tremo terræ, fulgura in pluviam fecit: & produxit ventum de thesauris suis.
17. Stultus factus est omnis homo a scientia: confusus est omnis conflator in
sculptili quia mendax est conflatio eorum; nec est spiritus in eis. 18. Vana sunt
opera, & risu digna, in tempore visitationis suæ peribunt. 19. Non sicut hæc,
pars Iacob: quia qui fecit omnia ipse est, & Israel sceptrum hereditatis eius:
Dominus exercituum nomen eius. 20. Collidis tu mihi vasa belli, & ego colli-
dam in te Gentes, & disperdam in te regna: 21. & collidam in te equum &
equitem eius: & collidam in te currum & ascensorem eius: 22. & collidam in
te virum & mulierem, & collidam in te senem & puerum: & collidam in te
iuvenem & virginem: 23. & collidam in te pastorem & gregem eius: & collidam
in te agricolam & iugales eius; & collidam in te duces & magistratus. 24. Et

reddam Babyloni, & cunctis habitatoribus Chaldææ, omne malum suum, quod fecerunt in Sion, in oculis vestris, ait Dominus. 25. Ecce ego ad te mons pestifer, ait Dominus, qui corrumpis universam terram: & extendam manum meam super te, & evolvam te de petris, & dabo te in montem combustionis. 26. Et non tollent de te lapidem in angulum, & lapidem in fundamenta, sed perditus in æternum eris, ait Dominus. 27. Levate signum in terra: *clangite buccina in Gentibus, sanctificate super eam Gentes: annuntiate contra illam regibus Ararat, Menni, & Asenez: numerate contra eam Taphsar, adducite equum quasi bruchum aculeatum. 28. Sanctificate contra eam Gentes, reges Mediæ, duces eius, & universos magistratus eius, cunctamque terram potestatis eius. 29. Et commovebitur terra, & conturbabitur: quia evigilabit contra Babylonem cogitatio Domini, ut ponat Terram Babylonis desertam & inhabitabilem. 30. Cessaverunt fortes Babylonis a prælio, habitaverunt in præsidiis: devoratum est robur eorum, & facti sunt quasi mulieres: incensa sunt tabernacula eius, contriti sunt vectes eius. 31. Currens obviam currenti veniet: & nuntius obvius nuntianti: ut annuntiet regi Babylonis, quia capta est civitas eius a summo usque ad summum: 32. & vada præoccupata sunt, & paludes incensæ sunt igni, & viri bellatores conturbati sunt. 33. Quia hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Filia Babylonis quasi area, tempus trituræ eius: adhuc modicum, & veniet tempus messionis eius. 34. Comedit me, devoravit me Nabuchodonosor rex Babylonis: reddidit me quasi vas inane; absorbuit me quasi draco, replevit ventrem suum teneritudine mea, & eiecit me. 35. Iniquitas adversum me, & caro mea super Babylonem, dicit habitatio Sion: & sanguis meus super habitatores Chaldææ, dicit Ierusalem. 36. Propterea hæc dicit Dominus: Ecce ego iudicabo causam tuam, & ulciscar ultionem tuam, & desertum faciam mare eius, & siccabo venam eius. 37. Et erit Babylon in tumulos, habitatio draconum, stupor, & sibilus, eo quod non sit habitator. 38. Simul ut leones rugient, excutient comas veluti catuli leonum. In calore eorum ponam potus eorum, & inebriabo eos, ut sopiantur, & dormiant somnum sempiternum, surgant, dicit Dominus. 40. Deducam eos quasi agnos ad victimam, & quasi arietes cum hœdis. 41. Quomodo capta est Sesach, & comprehensa est inclyta universæ terræ? quomodo facta est in stuporem Babylon inter Gentes? 42. Ascendit super Babylonem mare, multitudine fluctuum eius operta est. 43. Factæ sunt civitates eius in stuporem, terra inhabitabilis & deserta, terra in qua nullus habitet, nec transeat per eam filius hominis. 44. Et visitabo super Bel in Babylone, & eiiciam quod absorbuerat de ore eius, & non confluent ad eum ultra Gentes, siquidem & murus Babylonis corruet. 45. Egredimini de medio eius populus meus: ut salvet unusquisque animam suam ab ira furoris Domini. 46. Et ne forte mollescat cor vestrum, & timeatis auditum, qui audietur in terra: & veniet in anno auditio, & post hunc annum auditio; & iniquitas in terra, & dominator super dominatorem. 47. Propterea ecce dies veniunt, & visitabo super sculptilia Babylonis: & omnis terra eius confundetur, & universi interfecti eius cadent in medio eius. 48. Et laudabunt super Babylonem cæli & terra, & omnia quæ in eis sunt: quia ab Aquilone venient ei prædones, ait Dominus. 49. Et quomodo fecit Babylon ut caderent occisi in Israel: sic de Babylone cadent occisi in universa terra. 50. Qui fugistis gladium, venite, nolite stare: recordamini procul Domini, & Ierusalem ascendat super cor vestrum.

51. Cla-

51 Confusi sumus, quoniam audivimus opprobrium: operuit ignominia facies no-
stras: quia venerunt alieni super sanctificationem domus Domini. 52. Propterea
ecce dies veniunt, ait Dominus: * & visitabo super sculptilia eius, & in omni
terra eius mugiet vulneratus. 53. Si ascenderit Babylon in cælum, & firmave-
rit in excelso robur suum: a me venient vastatores eius, ait Dominus: 54. Vox
clamoris de Babylone, & contritio magna de Terra Chaldæorum: 55. quoniam
vastavit Dominus Babylonem, & perdidit ex ea vocem magnam: & sonabunt
fluctus eorum quasi aquæ multæ: dedit sonitum vox eorum: 56. Quia venit
super eam, id est super Babylonem, prædo, & apprehensi sunt fortes eius, &
emarcuit arcus eorum, quia fortis ultor Dominus reddens retribuet. 57. Et ine-
briabo principes eius, & sapientes eius, & duces eius, & magistratus eius, &
fortes eius: & dormient somnum sempiternum, & non expergiscentur, ait rex,
Dominus exercituum nomen eius. 58. Hæc dicit Dominus exercituum: * Murus
Babylonis ille latissimu suffossiones suffodietur, & portæ eius excelsæ igni combu-
rentur, & labores populorum ad nihilum, & gentium in ignem erunt, & disperi-
bunt. 59. Verbum, quod præcepit Ieremias propheta, Saraiæ filio Neriæ filii
Maasiæ, cum pergeret cum Sedecia rege in Babylonem, in anno quarto regni
eius. Saraias autem erat princeps prophetiæ. 60. Et scripsit Ieremias omne ma-
lum, quod venturum erat super Babylonem, in libro uno: omnia verba hæc,
quæ scripta sunt contra Babylonem. 61. Et dixit Ieremias ad Saraiam: Cum
veneris in Babylonem, & videris, & legeris omnia verba hæc, 62. dices: Do-
mine tu locutus es contra locum istum ut disperderes eum: ne sit qui in eo
habitet ab homine usque ad pecus, & ut sit perpetua solitudo: 63. Cumque
compleveris legere librum istum, ligabis ad eum lapidem, & proiicies illum in
medium Euphratem: 64. & dices: Sic submergetur Babylon, & non consurget
a facie afflictionis, quam ego adduco super eam, & dissolvetur. Hucusque ver-
ba Ieremiæ.

(a) Isai. xxi, 9. Apoc. xiv, 8. (b) Amos vi. 7. (c) Gen. 1, 1.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

Vers. 6. Quoniam tempus ultionis est a Domino. Nomini *ultionis* non addas pronomen *eius*.

Vers. 15. Præparavit orbem in sapientia sua: Non præponas his verbis *&* coniunctionem.

Vers. 27. Clangite buccina in gentibus. Pro *gentibus*, quod est, nationibus, nequaquam scribendum est *montibus*.

Vers. 52. Et visitabo super sculptilia eius. Pronomen eius non est commutandum cum nomine. *Babylonis*.

Vers. 58. Murus Babylonis ille latissimus: Non est *latissimus* quod est spatiosissimus, transpositis primis duabus litteris, commutandum cum *altissimus*, quod est excelsissimus.

Notationes.

Vers. 6. Q*uoniam tempus ultionis eius est a Domino*. Pronomen eius sustulerunt Castigatores Hentenius, Parisienses, & Dominicani, quod multis & emendatioribus codicibus non addatur, id quod certe in nostris deprehendimus. Hebraice quoque, & Chaldaice non legitur. Græce est, vel quod Interpretes pro נְקָמָה legerint נִקְמָה: vel quod ob sententiam adiecerint, ut nonnulli hodie Latini translatores. Omittunt insuper *a* præpositionem Moguntina, & Coloniensis editio, & manuscripta exemplaria pleraque, atque inter ea correctissima quæque cum Glossæ ordinariæ, & Richelii textibus: id quod bene convenit Hebraico לַיהוָה. Græce est *παρὰ κυρίου*, *a Domino*: sed non cum Græca

nostra commiscenda translatio est. Ergo huius loci vera est lectio: *Quoniam tempus ultionis est Domino*, quam Dominicani recepere, & Carensis secutus est.

Vers. 58. *Murus ille altissimus suffossione* (*suffusione o.*) *suffodietur*. Quatuor Parisiensium codices, scripsit duo Ge. pe. Di. o. impressi totidem B. Compl. & octo nostri, scripti quinque, impressi tres habent *latissimus*: ceteri nostri legunt *altissimus*. Lyranus in correctis libris dicit esse *latissimus*. Apud Richelium hoc; apud Rabanum, & Carensem alterum scriptum est. Castigatores Dominicani, Parisienses atque Hentenius *latissimus* in textum retulerunt. Id enim significat vox Hebraica רחבה, quam LXX. ἐπλατύνθη *dilatatus est* interpretati sunt. Ex emendatioribus nostris manuscriptis unum O notatum *latissimus* habet: reliqua Brug. Leod. Lob. Pl.. m. E. L.' Q. & primæ typographorum excusiones Mogunt. Nuren. Colon. *altissimus* servant. Ac potuit forte Interpres *altissimus* vertisse, si Hebraice רהבה legerit ה pro ח.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. **E**T SUPER HABITATORES. Heb. ואל ישבילב קמי, ad verbum *Et contra habitatores cordis surgentis contra me:* quod recte noster interpres explicavit, SUPER HABITATORES EIUS, QUI COR SUUM LEVAVERUNT CONTRA ME, id est qui se adversus populum meum extulerunt: quod enim populo factum est, sibi factum dicit, quia qui eos tangebat, tangebat pupillam oculi ipsius, Zach. XXVIII. sicut cap. XLVIII. 26. *Inebriate eum, quoniam contra Dominum erectus est:* & cap. L. 29. *Quia contra Dominum erecta est, adversum Sanctum Israel*. QUASI VENTUM PESTILENTEM: ventum pestilentem, aut משחית, *corrumpentem*, vehementem omniaque deiicientem, Aquilonem, vocat, qui magnas tempestates ciere solet; per Aquilonem autem, Medos, & Persas intelligit qui ab Aquilone venturi erant, ut dixit superiore cap. vers. 3. 9. 41. Chaldæos autem comparat areæ; quæ flante Aquilone ventilatur ut declarat versu sequenti.

V. 2. ET DEMOLIENTUR: ויבקקו, *qui evacuabunt eam;* id est, dispergent omnes habitatores eius, ita ut nemo in ea remaneat sicut paleæ, cum area ventilatur, vento extra aream deferuntur. QUONIAM VENERUNT SUPER EAM UNDIQUE: quia venient hostes, & undique eam obsidebunt.

V. 3. NON TENDAT QUI TENDIT. Hebr. nunc aliter legunt, אל ידרוך הדרך קשתו. Quod sic R. Salom. & R. David interpretantur, *Attendentem, qui tendit arcum* (subdicam) *& ad loricatum, qui gloriatur lorica sua, nolite parcere iuvenibus eius;* quasi dicat: Præcipiam militibus Medorum, & Persarum tam levioris, quam gravioris armaturæ, ut nequaquam parcant Chaldæis. Multo melius mihi videtur noster interpres legisse אל, *al*, *ne*, quod non differt nisi puncto. Quemadmodum Chaldæus etiam legit; sensusque est melior. Nam Hebræorum lectio violenta est. Quis enim vidit אל, *el*, articulum cum verbo futuri temporis iungi, ut si Latine diceres, *Adtendet tendens*, aut, *Adtendet tendentem*. Deinde necesse illis est duo verba subintelligere אשר, & אומר, ut sensum impleant: Negatio autem aptissime convenit, *Non tendet*, *qui tendit* (aut tensor) *arcum*, *& non ascendet loricatus;* ponitur enim imperativuus pro futuro apud nostrum interpretem. Sensus est: Manus ac pedes Chaldæorum ligabo, ut neque sagittarii arcum tendere, neque loricati fugere, aut movere se possint: trucidate ergo eos, nec parcatis illis. Iuvenes vocat milites, ut statim explicat, quem sæpe adnotavimus Hebræorum morem esse, ut cap. L. 30. & cap. LXIX. 26. & cap. XLVIII. 15.

V. 4. IN REGIONIBUS EIUS. Eodem sensu Sept. ἔξωθεν αὐτῆς, *Extra eam*. Heb. בחוצותיה, *In plateis eius*, ut vertit Paraphrastes Chaldæus; terram enim Chaldæorum vocaverat Babylonem, propterea dicit, *In plateis eius*.

V. 5. QUONIAM NON FUIT: non est, VIDUATUS; quasi dicat: Nondum Deus, qui maritus est Israelis, & Iuda, mortuus est; nam si mortuus esset, non haberent, qui eos liberaret. Nunc vero quia mortuus non est, ipse eos liberabit. TERRA AUTEM EORUM, id est Chaldæorum, ut exponunt R. Sal. & R. David. REPLETA EST DELICTO A SANCTO ISRAEL, id est contra Sanctum Israel, contra Deum; qui sanctificat Israel.

rael.

rael vel contra populum sanctum Israel. Sanctus Israel vocatur Deus, ut cap. praecedenti vers. 29. & Isa. LIV. 5. & LV. 5. DELICTO A SANCTO, dixit noster interpres, pro praevaricatione a Sancto. Sicut Hebraice אשם מקדוש. Sept. alio sensu, ἀπὸ τῶν ἁγίων Ἰσραὴλ, *a sanctis Israel*, id est contra filios Israel, qui sanctificati sunt Deo.

V. 6. FUGITE. R. David existimat haec verba dici alienigenis, qui negotiandi causa in Babylone erant. Melius Latini, & inter Hebraeos R. Sal. referunt ad Iudaeos, qui in Babylone erant; quasi dicat: Parate vos ad fugiendum ex Babylone, ne communi calamitate pereatis, ut infra versu 45. *Egredimini de medio eius populus meus, &c.* Possunt etiam dici ipsis Chaldaeis ad modum consilii, ut significetur tantam futuram stragem, ut si quis salvus esse velit, tempestive fugere debeat: sicut Moabitis dicitur cap. XLIII. 6. *Fugite, salvate animas vestras: & eritis quasi myrica in deserto*. Et Idumaeis cap. XLIX. 8. *Fugite, & terga vertite, descendite in voraginem habitatores Dedam*. Atque hic sensus mihi melior videtur, & quia cum aliis locis magis convenit; & quia Iudaei non fuga, sed publico Cyri regis edicto liberandi erant; & quia de aliis alienigenis minor cura erat Deo. NOLITE TACERE. Apostrophe ad hostes. Tacere significat hoc loco cessare, desistere, parcere. Hebraeorum phrasis ut Psal. XXVII. I. *Ne sileas a me*, id est ne desinas mihi opem ferre, & II. Reg. XIX. 10. *Usquequo siletis, & non reducitis regem?* lege quae adnotavimus, cap. XLVII. 6. Iniquitas autem significat hic iniquitatis poenam, ut Psal. XXXVII. 3. *Quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum, & sicut onus grave gravatae sunt super me*; id est, poenae iniquitatum mearum oppresserunt me. Et Psal. XXXIX. 13. *Comprehenderunt me iniquitates meae*. Eodem modo solent Hebraei sacrificium pro peccato, peccatum appellare. Hebr. לאתדמו בעונה, quod R. David interpretatur, *ne excidamini*, id est ne pereatis propter iniquitatem eius; quem eundem sensum Chald. Paraphr. & Sept. reddiderunt, Noster interpres legit תדמו, active, illi passive, quod non differt nisi puncto.

V. 7. CALIX AUREUS: putat R. David, calicem aureum appellari calicem plenum vini puri, sicut aurum purum est. Chaldaeus vero, calicem pretiosum. Uterque sensus convenit: nam Babylon fuit quasi calix plenus ira Dei, quo omnes gentes inebriatae sunt, id est, usque ad insaniam afflictae, ut dixit XXV. 15. calix autem aureus erat, quia dives & potens.

V. 8. SUBITO CECIDIT: persistit in metaphora calicis; quasi dicat: Postquam ex ea tamquam ex calice irae Dei omnes gentes biberunt deiecit Deus calicem ipsum in terram & confractus est. Ita Isai. XXI. 9. & Apoc. XIV. 8. *Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quae a vino irae fornicationis suae potavit omnes gentes*. TOLLITE RESINAM: צרי, *balsamum*; id est, adhibete illi balsamum ut experiamur, num sanetur. Ironice dictum; ac si diceret: Ita percutietur, ut ne balsamo quidem sanari possit, sicut supra de AEgypto dixit cap. XLVI. 11. *Ascende in Galaad, & tolle resinam virgo filia AEgypti; frustra multiplicas medicamina, sanitas non erit tibi*.

V. 9. CURAVIMUS. Dialogus est. Introducit enim homines, ad quos verba fecerat respondentes. CURAVIMUS BABYLONEM, ET NON EST SANATA: DERELINQUAMUS EAM, ET EAMUS UNUSQUISQUE IN TERRAM SUAM: haec dicunt externi milites, qui in Chaldaeorum auxilium venerant. Illis enim dixerat Deus superiori versu, *Tollite resinam;* id est, defendite illam si potestis, respondent non posse, QUONIAM PERVENIT USQUE AD CAELOS IUDICIUM EIUS; id est, quia non ab hominibus, sed a Deo caelitus oppugnatur; vel, ut interpretatur R. Salomon, *pervenit usque ad caelos*, id est magna est poena eius, ut Psalm. CVII. 5. *Quia magna est super caelos misericordia tua, & usque ad nubes veritas tua*.

V. 10. PROTULIT; id est, re ipsa ostendit Deus nos esse iustos, (dicunt Iudaei liberans nos a tyrannide Chaldaeorum; sicut reipsa ostendit Chaldaeos esse iniustos puniens eos. Non significat Iudaeos esse iustos, aut sine causa eos punivisse cum tam saepe dixerit supra propter ipsorum peccata in captivitatem ductos fuisse: sed docet eos esse iustos, & innocentes hoc sensu, quod cum Chaldaeis nullam intulissent iniuriam, crudeliter ab eis tractati fuerint. Deus enim iuste eos puniebat, quia contra eum peccaverant: Chaldaei autem iniuste, quia contra eos nihil peccaverant. OPUS DOMINI,

id

id est quomodo Chaldæos perdiderit, nos servaverit.

V. 11. Acuite sagittas : o vos Medi, & Persæ, ut pugnetis contra Babylonem ; quasi dicat : Præparate vos ; Deus enim missurus est vos, ut Babylonem expugnetis. Implete pharetras sagittis. Heb. מלאי השלטים, quod R. David interpretatur, *congregate clypeos*. Sensus nostri interpretis est multo melior, quo sensu etiam Chaldæus, & Septuaginta verterunt.

V. 12. Levate signum : o Medi, inferte signa bellica Babylonem, & super muros eius ponite. Primum captæ urbis argumentum est, si hostis super muros vexillum posuerit. Augete custodiam, id est summittite novos milites, qui fessis succedant. החזיקו המשמר, ad verbum, *fortificate custodiam*. Custodiam autem vocat eos milites, qui muros conscenderant, ibique signa collocaverant, quia solet custodia in muris esse. Levate custodes : וקימה שמרים, *excitate custodes*, id est, ponite novos custodes. Hoc enim verbum Hebraicum significat ; quasi dicat : Roborate priora præsidia, & constituite alia nova. Et fecit, faciet, quicquid cogitavit, ac prædixit.

V. 13. Quae habitas : Descriptio est Babylonis, quæ & aquis Euphratis alluebatur, & thesauris abundabat. Pedalis praecisionis tuae, id est ut funditus exscindatis. Loquitur de Babylone, metaphorice, tamquam de arbore, cuius pes, id est truncus præscindendus esset ; quasi dicat, *Iam securis ad radicem tuam posita est*, ut loquitur S. Ioannes Baptista Lucæ III. 9. Heb. בא קצך אמת בצעך, quod R. Salom. exponit : Venit finis tuus, mensura rapinæ, id est tempus, quo quemadmodum tu alias gentes spoliasti ; tu quoque ab aliis gentibus spolieris, ut apud Isai. XXXIII. 1. *Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? & qui spernis, nonne & ipse sperneris ? cum consummaveris deprædationem, deprædaberis*. R. David, *venit mensura oppressionis tuæ ;* id est, ut quemadmodum tu alias gentes oppressisti, tu etiam ab aliis gentibus opprimaris : qua enim mensura mensa es aliis, remetietur tibi.

V. 14. Replebo te hominibus. Prius locutus est de Babylone tamquam de arbore, nunc loquitur tamquam de vinea, & de Medis, & Persis tamquam de locustis eam depopulantibus ; & tamquam de vindemiatoribus cantantibus celeusma : ut se ad vindemiandi, calcandique laborem cohortentur : hunc locum explicavimus cap. XLVIII. 33.

V. 15. In fortitudine sua, potentia sua. Ideo agit de potentia sua Deus, ut ostendat posse se Babylonem evertere.

V. 16. Dante eo vocem. Vocem Dei appellat tonitrua, quæ pluvia consequi solet : significatque tonante Deo, cælum quodammodo disrumpi, ac pluviam decidere. Cetera, quæ sequuntur usque ad versum 20. explicata sunt a nobis cap. X. vers. 14. 15. 16.

V. 20. Collidis tu mihi vasa belli. Sensus nostræ versionis est : Tu mihi hactenus omnes bellicosas gentes confregisti, (has enim vocat *vasa belli*) sed ego te nunc confringam. Eodem sensu, quamvis non verbis iisdem Septuagint. verterunt, &, ut videtur, etiam Chaldæus Paraphastes. Hebræi vero sic : מפץ אתה לי, *Malleus tu mihi* (sub. hactenus fuisti) quo scilicet omnes gentes confregi, ac dissipavi. כלי מלחמה, & *vasa belli*, id est instrumentum, quo omnes debellavi : plurale pro singulari. Et ego collidam in te : possunt hæc omnia verba per præteritum verti, ego per te collisi omnes gentes. In te. בך, *per te*, tamquam per malleum : ב enim apud Hebræos instrumentum significat : ita etiam versus sequentes intelligendi ex sententia R. David, & R. Salom.

V. 23. Agricolam et iugales eius, id est boves, quibus iugatis arat. Describit bellicam devastationem. Duces et magistratus : סגנים ; *principes*.

V. 24. Et reddam Babyloni : postquam illa tamquam malleo ad contundendas omnes gentes usus fuero. In oculis vestris : o Iudæi ; id est, videntibus vobis Iudæis puniam eos propter eversionem templi, & Ierusalem ; vel ; puniam eos propter malum, quod vobis videntibus fecerunt in Sion.

V. 25. Ecce ego ad te mons pestifer : המשחית, *corrumpens*, sicut statim dicit. Qui corrumpis : idem verbum alter vertens. Babylonem vocat montem, ut ait R. David, non quod in monte sita esset, (erat enim in loco plano) sed quod esset fortis & munita, quales solent esse urbes, quæ in montibus sitæ sunt. Corrumpen-

pentem autem appellat quasi lacerantem, ac devorantem omnes gentes: quia sicut ex montibus exire solent bestiæ, quæ homines discerpunt, & vorant; ita ex Babylonis urbe milites erumpebant, qui omnes gentes tamquam feræ dilacerabant. ET EVOLVAM TE DE PETRIS; id est, extraham te ex mediis rupibus, in quibus habitas, ut capiaris ab hostibus, deiiciam munitiones tuas. Quemadmodum urbem vocavit montem; ita turres, ut ait R. David, rupes appellat, quia quod sunt rupes in monte, hoc sunt turres in urbe. ET DABO TE IN MONTEM COMBUSTIONIS; id est, faciam ut non sis deinceps mons corrumpens, habens feras corrumpentes; sed mons combustus: solent enim feræ combusto monte, ubi habitabant, huc illucque diffugere.

V. 26. NON TOLLENT DE TE: significat montem, de quo loquebatur, usque adeo conflagraturum, ut omnes eius lapides in cinerem redigantur. Solent autem in fundamentis, & in angulis maiores lapides poni, per quos Reges, & principes intelliguntur; quasi dicat: Non reperietur in te vir, qui possit esse rex, aut princeps quia omnes delebuntur, ut Chaldæus Paraphrastes, & R. David interpretantur. SED PERDITUS IN AETERNUM ERIS: כי שממות היהת פלוע: *sed eris in desolationes sempiternas*, id est non restauraberis ultra. Non quod urbs non fuerit reædificata, sed quod regnum non fuerit restitutum: non enim de lapidibus; sed de hominibus loquitur.

V. 27. LEVATE SIGNUM. Tollite signum bellicum ubique, hoc enim est, IN TERRA, id est per totam terram. Alloquitur Deus summus imperator omnes inferiores duces, qui apud omnes gentes sunt; iubetque milites contra Babylonem colligere. SANCTIFICATE; id est, publico præconio omnes gentes ad pugnandum contra eam invitate. Sæpe huiusmodi Hebraismos declaravimus ut supra cap. VI. 4. *Sanctificate super eam bellum*. Sicut sanctificare ieiunium, est publice ieiunium peragere, Ioel. I. 14. & II. 15. ANNUNCIATE CONTRA EAM, bellum: השמיעו, quod R. David exponit, *congregate contra eam regna Ararat*, id est maioris Armeniæ; & Menni, Armeniæ montosæ, & Ascanez, Gothiæ, vel, ut alii interpretantur, Germaniæ. NUMERATE; id est, conscribite contra eam milites Taphsar: quod noster interpres existimavit nomen proprium esse loci. Quamquam Nahum III. 17. idem nomen טפסריך, vertit *parvuli tui*. R. Salom. hoc loco putat exercitum; R. vero David ducem, ac principem significare, & interpretator פקדו עליה טפסר, *præficite contra eam principem*. Chaldæus ומנו עלה עממיא עבדי קרבא, *præparate contra eam populos bellatores*. Septuag. ἐπιστήσατε ἐπ' αὐτὴν βελοστάσεις, *Constituite adversus eam iaculationes, quasi bruchum aculeatum*, id est horridis pilis סמר. Equi non comparantur brucho propter fortitudinem, sed propter multitudinem. Potest autem סמר referri aut ad bruchum, aut quod magis mihi placet, ad equum, qui in bello erectis, & horrentibus crinibus esse solet.

V. 29. COMMOVEBITUR. Commoveatur, & conturbetur: futurum pro imperativo. QUIA EVIGILABIT: כי קמה, *quia excitabitur*; quasi dicat: Consilium Domini, quod contra Babylonem iamdiu cogitavit, videtur hactenus dormivisse, quia nondum factum est; sed nunc excitabitur, id est fiet. Phrasis Hebraica, ut Ezech. VII. 6. *Finis venit, venit finis, evigilavit adversum te*. Heb. iungitur nomen plurale cum verbo singulari, קמה מחשבות, *excitabitur cogitationes Domini*, id est unaquæque cogitationum, quidquid Dominus cogitavit.

V. 30. CESSAVERUNT, præ timore aut lassitudine. DEVORATUM EST, נשתה, *defecit* ROBUR EORUM; loquitur de re futura, ut de præterita, ut magis ponat ante oculos.

V. 31. CURRENS OBVIAM CURRENTI: tam multi cursores, tam multi nuntii ad regem mittentur, qui urbem captam esse dicant, ut alii euntes aliis redeuntibus in via occurrant. A SUMMO USQUE AD SUMMUM: מקצה, *ab extremo*, aut *a fine*, id est captam esse extremam partem urbis, hostes in urbem ingressos esse, ut interpretatur R. David & ut Septuag. verterunt. Alii dicunt captam fuisse urbem per angulum, qua Euphrates in urbem influebat, idque hoc loco significari: sed quia historia non constat, videntur mihi de suo divinare.

V. 32. VADA, Euphratis. ET PALUDES: אגמים, *arundines* quæ in locis palustribus nasci solent.

V. 33. TEMPUS TRITURAE EIUS, prope

pe est: trituram vocat attritionem, & afflictionem civium; messem autem spoliationem rerum omnium: quia in messe agri, qui segetibus vestiti erant, spoliantur.

V. 34. COMEDIT ME. Verba sunt Sionis, & populi Iudæorum, ut apparet ex versu sequenti. REDDIDIT ME; id est, fecit me quasi *vas* ריק, vacuum; id est, evacuavit me omnibus meis bonis. TENERITUDINE MEA: מעדני, *delitiis meis*: ventrem Nabuchodonosoris vocat thesaurum, aut ærarium eius, delitias autem suas, sua bona, quibus Nabuchodonosor thesauros suos implevit, ut Chaldæus interpretatur. ET EIECIT ME, id est evomuit; quasi dicat: Postquam omnes facultates meas devoravit, pepulit me ex patria mea, & in captivitatem misit.

V. 35. INIQUITAS ADVERSUM ME; id est, qua Babylon adversum me usa est; חמסי, *violentia mei*; passive, id est mihi a Babylone illata. ET CARO MEA, id est meorum civium, qui a Babyloniis interfecti sunt. SUPER BABYLONEM, id est contra Babylonem clamat sicut sanguis Abelis contra Cain Genes. IV. 10. aut super Babylonem veniet, ut Matth. XXIII. 35. *Ut veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram a sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Zachariæ*. Et Matt. XXVII. 25. *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.*

V. 36. IUDICABO CAUSAM TUAM; id est, defendendam suscipiam, ulciscar iniuriam tibi a Chaldæis factam o Ierusalem, sicut statim explicat dicens, ULCISCAR ULTIONEM TUAM; ET DESERTUM FACIAM, id est arefaciam, MARE EIUS, Babylonis. Mare vocat abundantiam bonorum, ut ait R. David, venam, vectigalia, quæ illi a multis gentibus solvebantur, aut negotiationem, unde illi quasi ex aliquo perenni fonte divitiæ manabant.

V. 37. Huius versus explanationem si quis desiderat, legat supra cap. XXV. 9. 18. & cap. XXIX. 18. & cap. XLIX. 17.

V. 38. UT LEONES RUGIENT. Adnotat R. David, posse hæc verba aut de Babyloniis aut de Medis intelligi: si de Babyloniis, sensum esse, fore ut præ dolore ita gemant ut rugire videantur, ut ait David, Psal. XXXVII. 9. *Afflictus sum, & humiliatus sum nimis, rugiebam a gemitu cordis mei*. Si de Medis, significari eorum ferocitatem, ut supra cap. XV. *super eum rugierunt leones, & dederunt vocem suam, posuerunt terram eius in solitudinem*: qui sensus magis mihi placet.

V. 39. IN CALORE. In calorem eorum; id est, efficiam, ut eorum convivia in perpetuam ebrietatem convertantur, ex qua numquam expergefiant. Hebræorum interpretes ut R. Salom. R. David, & R. Ionath, & ex nostris nonnulli referunt hoc ad convivium, quod celebravit Baltasar rex Babylonis, qua nocte capta est urbs Medorum rege Dario, quo convivio rex inebriatus fuisse dicitur; Danielis V. 12. & eadem nocte ab hostibus interfectus vers. 30. Hoc est quod Ieremias ait, UT SOPIANTUR, ET DORMIANT SOMNUM SEMPITERNUM, id est moriantur; mortem enim vocat sempiternum somnum.

V. 40. QUASI AGNOS, id est ebrios, ita ut non resistant. AD VICTIMA: לשבות, *ad macellum*, aut *ad occisionem*.

V. 41. QUOMODO CAPTA EST. Epiphonema est Prophetæ secum mirantis urbem captam, quæ insuperabilis videbatur. SESACH, id est Babylon, quæ Sesach appellatur per אתבש, id est per transmutationem litterarum alphabeti, ut exposuimus cap. XXV. 26. Propterea autem videtur hoc loco Propheta potius Sesac, quam Babylonem appellare, ut ipsa litterarum transmutatione, urbis eversionem significet. INCLYTA, תהלת כל הארץ, *laus & gloria, universæ terræ*. BABYLON INTER GENTES, id est in stuporem Gentium, vel, quæ prius in Gentibus dominabatur, ut exposuimus cap. præcedenti vers. 13.

V. 42. MARE: mare vocat Medorum exercitum, qui propter magnitudinem terram operiebat.

V. 44. VISITABO, id est exitium inducam super Bel nobilissimum Babyloniorum idolum. ET EIICIAM, QUOD ABSORBUERAT, id est faciam illud evomere quidquid diu comedit. Vocat cibum Belis, quem comedebat, dona, quæ illi honoris causa offerebantur, ut ait R. David: mihi autem videtur Ieremias alludere ad historiam Belis, quæ est apud Danielem XIV. 2. ubi scribitur opinionem fuisse Babyloniorum, idolum comedere, ideoque duodecim similæ artabas, & quadraginta oves & amphoras vini sex illi per dies singulos dari consuevisse.

Ita-

Itaque ex hoc Ieremiæ loco historia illa confirmari posse videtur.

V. 45. EGREDIMINI: ut supra vers. 6.

V. 46. ET VENIET IN ANNO. R. David sic interpretatur: Baltasar, inquit, regnavit tres annos, primo anno fama Babylonem pervenit Medos venturos esse, secundo anno venit fama, quod iam veniret, tertio, urbs ab illis expugnata est, & venit DOMINATOR SUPER DOMINATOREM; id est, Darius Medus regnavit pro Baltasare, Daniel, v. 31. Alii de Cyro interpretantur, qui Dario successit Daniel. VI. 28.

V. 48. ET LAUDABUNT: רננו, *exultabunt* CAELI, ET TERRA; id est, & Deus, & homines lætabuntur Babylonis expugnatione, quia & Deum, & homines graviter offenderat.

V. 50. QUI FUGISTIS GLADIUM. O vos Iudæi, qui in expugnatione Ierosolymitana gladium Nabuchodonosoris effugistis, & Babylonem captivi ducti estis, VENITE iterum Ierusalem, NOLITE STARE, id est, nolite tardare, nolite in Babylone diutius commorari; sed tandem RECORDAMINI PROCUL DOMINI, מרחק, *a longinquo*, id est longo post tempore, post septuaginta demum annos, quibus in captivitate fuistis, ut exponit R. David; quasi dicat, Videte ne longinquitas temporis memoriam vobis obliteret divini cultus, quem Ierosolymis exercebatis.

V. 51. CONFUSI SUMUS: pudore affecti sumus; respondent Iudæi propter opprobria, quæ a Chaldæis sæpe contra Dominum, & eius templum audivimus. OPERUIT IGNOMINIA, id est rubore suffusi sumus propter ignominiam. Repetitio est: idem enim valet, *Operuit ignominia* FACIES NOSTRAS, &, *confusi sumus*. QUIA VENERUNT ALIENI, id est homines profani, Chaldæi, & contaminaverunt SANCTIFICATIONEM DOMUS DOMINI, id est templum sanctum Domini. Hebr. על מקדשי, *super sancta*, sicut Sept. transtulerunt; quod R. David putat numero plurali dictum esse propter tres partes templi præcipuas, quarum unaquæque templum appellabatur: eæ autem erant, atrium, templum, & adytum.

V. 53. SI FIRMAVERIT IN EXCELSO ROBUR SUUM, id est si in cælo ipso præsidium suum posuerit; si in cælo, arcem sibi ædificaverit, qua sese muniat, mittam vastatores, qui eam inde detrahant. Significat non posse Babylonem manus Dei effugere: sicut supra dixit de Idumæa cap. XLIX. 16. & Abdias, versu 4. *Si exaltatus fueris ut aquila, etsi inter sydera posueris nidum tuum inde detraham te.* Simile illud apud Davidem Psal. CXXXVIII. 8. *Quo ibo a spiritu tuo? & quo a facie tua fugiam? si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum ades.*

V. 54. VOX CLAMORIS DE BABYLONE: audietur, ut cap. XLVIII. 3. *vox clamoris de Oronaim.*

V. 55. PERDIDIT EX EA VOCEM MAGNAM; id est, faciet (præteritum pro futuro) ut Babyloni, ubi nunc propter populi frequentiam, magnus strepitus, magnum murmur est, summum silentium sit, quia magna erit occisis habitatoribus solitudo. Sic interpretatur R. David. Quidam ex nostris *vocem magnam*, superbiam esse dicunt. Solent enim superbi magna loqui voce, ut Proverb. XIX. 1. *Melior est pauper, qui ambulat in simplicitate sua, quam dives torquens labia sua*, id est superbe loquens. ET SONABUNT FLUCTUS EORUM, Babyloniorum, cum occidentur, gemitus sonabunt, sicut fluctus aquarum multarum.

V. 56. APPREHENSI: capti sunt pugnatores eius. EMARCUIT, elanguit, remissus est: חתתה, *contritus est arcus eorum*, ut Chaldæus vertit. Septuag. ἐπτόηται τόξον αὐτῶν, *timuit arcus eorum*, quia חתה, id etiam significat. Sed ea significatio huic loco minus congruit.

V. 57. ET INEBRIABO: vino furoris mei, ET DORMIENT SOMNUM SEMPITERNUM, id est morientur. Solent enim ebrii dormire. Putat enim hoc loco R. David alludi ad historiam Danielis cap. V. 2. & 30. ut similis sententia, quam explicavimus vers. 39.

V. 58. MURUS ILLE LATISSIMUS: sic legendum, non autem altissimus, ut nonnulli codices habent, quia sic est Hebraice, & sic vertunt Sept. & Paraphrastes Chaldæus. SUFFUSIONE SUFFODIETUR: ערער התערער. Chaldæus Paraphrastes, & R. Salomon, sicut noster interpres, *suffosione suffodietur*. R. David, *confringetur*. ET LABORES POPULORUM AD NIHILUM. Hebr. ויגעו עמים בדי ריק: *& laborabunt gentes in vanum*, aut *ad nihilum*; quod quidam exponunt, frustra conabuntur ignem ex-

extinguere; non enim poterunt. Alii, ut refert R. David. *laborabunt populi, ut eripiant ex flammis substantiam suam, sed non poterunt*. Melius noster interpres sensum expressit: significat fore, ut muri Babylonis, qui vectigalibus multarum gentium labore collectis, ædificati fuerant, in nihilum redigantur. Hic sensus elicitur ex Habacuc, ubi eadem sententia clarius scribitur, cap. II. 13. *Laborabunt enim populi in multo igne, & gentes in vacuum, & deficient*. Sic etiam R. David interpretatur. ET GENTIUM (sub. labores) IN IGNEM ERUNT; id est, urbs, quæ multarum gentium labore ædificata fuerat, igne consumetur.

V. 59. VERBUM. Redit ad tempus præteritum, ad annum quartum Sedeciæ: quamquam fieri potest, ut superior prophetia adversus Babylonem eodem anno, aut etiam ante edita fuerit; non enim tempus notatum est. CUM PERGERET CUM SEDECIA. Chaldæus Paraphrastes interpretatur: *Cum in legationem pro Sedecia missus esset*; quasi ipse Sedecias tunc non iverit Babylonem, sed Saraiam legatum miserit. Eodem sensu Sept. verterunt: ὅτε ἐπορεύετο παρὰ Σεδεκίου *cum proficisceretur a Sedecia*. Verumtamen verba Hebraica non patiuntur hanc interpretationem, בלכתו את צדקיהו, *cum iret cum Sedecia*. Interpretantur autem Hebræi hunc locum ex auctore, סדר עולם, non de profectione Sedeciæ in captivitatem, sed de altera profectione, qua cum eo anno quarto regni sui Babylonem ivit visendi regis causa; quemadmodum locum alterum pene similem intelligunt, supra cap. XXVIII. I. SARAIAS AUTEM ERAT PRINCEPS PROPHETIAE, id est primus inter Levitas, qui prophetias solebant decantare, ut quidam nostrorum interpretantur aut princeps sacerdotum, ut vocatur cap. sequenti vers. 24. & IV. Reg. XXV. 18. Hebr. שר מנוחה, quod noster interpres vertit, *Princeps prophetiæ*, quamvis nomen Hebraicum quietem significet, quia per quietem Prophetæ afflari solent. Alii videntur legisse שר מנחה, *princeps munerum*, id est, qui excipiendis muneribus Regis præerat, ut interpretatur R. Salom. atque hoc sensu Chaldæus & Sept. transtulerunt. Alii, qui solebat regis munera ad alios reges deferre, ideoque ad regem Babylonis cum muneribus missum esse. Alii, ex R. David, *princeps quietis*, id est recreationis regis, quo cum Rex solebat recreandi animi causa confabulari. Alii, *princeps quietis*, id est cubiculi Regis; quasi dicat, Primus Regis cubicularius.

V. 64. ET NON CONSURGET. R. David, & alii eum secuti exponunt, *Non poterunt resistere Babylonii hostibus, quos ego contra illos adducam*. Ego sic: *Ita peribit Babylon propter afflictionem, quam ego illi inducam; ut numquam amplius restauretur*; quod non de ædificiis, sed de regno, & potestate intelligendum est, ut dixit superiori cap. vers. 39. *Non habitabitur ultra usque in sempiternum, nec extruetur usque ad generationem, & generationem*. Loquitur autem hoc loco Saraias in persona Dei; propterea dicit, QUAM EGO ADDUCO SUPER EAM. HUCUSQUE VERBA IEREMIAE, contra Babylonem. Non enim significat non esse verba Ieremiæ quæ sequuntur; sed est epilogus prophetiæ contra Babylonem titulo respondens, cap. L. vers. I. Quem epilogum idcirco addidit, quia prophetia longa fuerat, ut ait R. David; quemadmodum in prophetia contra Moab. cap. XLVIII. vers. 47. dixit, *Hucusque iudicia Moab*. Aut quia quæ sequuntur non tam Ieremiæ, quam auctoris Lib. IV. Regum verba sunt, cap. XXIV. & XXV.

S A.

Vers. I. VENTILATORES, &c. Chald. *direptores, qui diripiant eam*. VENERUNT; pro, venient.

V. 3. NON TENDAT, &c. quasi dicat, frustra quis conabitur defendere.

V. 4. REGIONIBUS. Hebr. *plateis*. Chald. *vicis*.

V. 5. VIDUATUS, id est desertus. Chald. *derelictus*. TERRA AUTEM; pro, quamquam terra; quasi dicat, Etsi graviter peccarint. A SANCTO, scilicet recedendo; vel pro, contra sanctum.

V. 6. TACERE, id est dissimulare, vel cessare, scilicet a fuga. Chald. *occidi*.

V. 7. AUREUS, id est excellens, scilicet gravitate supplicii, quod per Babylonios exercuit. COMMOTAE. Chald. *conturbatæ*.

V. 9. CURAVIMUS. &c. vox Angelorum custodum, vel Prophetarum: vel sensus est. Actum est de ea, nemo potest defendere, iu-

IUDICIUM, id est punitio iuste inflicta, vel meritum peccatorum. NUBES; quasi dicat, Altissime: repetitio. Chald. *cælos cælorum*. LXX. *astra*.

V. 10. PROTULIT. Chald. *revelavit*. IUSTITIAS, &c. quasi dicat: Defendit causam nostram, & liberavit nos.

V. 11. TEMPLI SUI, scilicet incensi a Chaldæis.

V. 12. LEVATE, scilicet o Persæ & Medi. SIGNUM, id est vexillum in signum victoriæ. LEVATE. Chald. *suscitate*. LXX *præficite*.

V. 13. SUPER, id est iuxta. AQUAS; scilicet Euphratis. PEDALIS, id est determinatus more mensuræ. PRAECISIONIS, id est interitus.

V. 14. ANIMAM, id est vitam; quasi dicat, Per seipsum. HOMINIBUS. Chald. *exercitibus*. BRUCHO. LXX. *locustis*. CELEUMA, id est vox hostium se invicem ab bellum hortantium, seu exultantium.

V. 15. PRAEPARAVIT. Hebr. *firmavit*. Chald. *fundavit*.

V. 16. DANTE, &c. id est iubente: PLUVIAM; pro, pluvia; quasi dicat, Tempore pluviæ.

V. 17. A SCIENTIA, id est præ scientia, scilicet Dei, vel pro, in scientia, scilicet sua.

V. 19. SICUT HAEC. Chald. & LXX. *talis* scilicet ut idola. PARS, id est hereditas. SCEPTRUM; Hebr. *virga*. Chald. *portio*. EIUS, scilicet Dei. Nempe fideles sint velut hereditas Dei, & Deus ipsorum hereditas.

V. 20. TU, scilicet o Babylon. MIHI, id est contra me. VASA, id est instrumenta.

V. 23. IUGALES, id est boves. Chald. *par boum*.

V. 25. AD TE, id est contra te scilicet agam. MONS: sic dicitur ob superbiam. Chald. *civitas*. CORRUMPIS, id est perdis. PETRIS: quasi dicat, Munitionibus tuis: perstat enim in metaphora montis.

V. 26. NON TOLLENT, &c. quasi dicat: Perdam te prorsus, & reddam inutilem: LAPIDEM; &c. Chald. *Regem in Regnum, & Principem in Principatum*.

V. 27. SANCTIFICATE SUPER EAM: Chald. *præparate contra eam*: sic & inf. ARARAT, id est Armeniæ maioris. MENNI, id est Armeniæ inferioris. ASCENEZ, id est Scythiæ. TAPHSAR. Chald. *populos bellatores*. LXX. *iaculationes*. BRUCHUM. Genus est locustæ. LXX. *locustam*, ACULEATUM: Chald. *inflammatum*.

V. 30. QUASI MULIERES, scilicet infirmi, seu debiles.

V. 31. CURRENS, &c. quasi dicat, Concurrent simul multi nuntii. SUMMO, id est extremo.

V. 32. PALUDES, scilicet carecta, seu arundines Euphratis.

V. 33. TRITURAE, id est oppressionis.

V. 34. TENERITUDINE MEA. LXX. *deliciis meis*. EIECIT, id est expulit e regione mea.

V. 34. INIQUITAS, scilicet Babylonis. CARO MEA, id est mei cives, oppressi. SUPER, id est contra, scilicet queritur. SANGUIS, id est effusus ab illis.

V. 36. MARE, scilicet Euphratem, vel abundantiam.

V. 37. TUMULOS, scilicet lapidum.

V. 38. RUGIENT, scilicet Chaldæi præ ira, aut dolore.

V. 39. IN CALORE, id est dum vino incaluerint. Vide Dan. v. PONAM, &c. quasi dicat, Potabo calice punitionis.

V. 41. SESACH, id est Babylon. Vide sup. cap. XXV. IN STUPOREM; scilicet videbatur non posse umquam expugnari.

V. 42. MARE, id est grandis exercitus.

V. 44. ABSORBUERAT, id est rapuerat, scilicet de Ierusalem.

V. 46. IN TERRA, scilicet Chaldæa. ANNO, scilicet primo. AUDITIO, id est rumor belli. POST HUNC ANNUM, id est anno secundo. INIQUITAS, id est violentia, scilicet anno tertio Baltasar capta Babylon. ET DOMINATOR, &c. quasi dicat, Rex Regem superabit.

V. 48. LAUDABUNT, scilicet Deum. LXX. *exultabunt*.

V. 49. TERRA, scilicet Chaldææ.

V. 50. PROCUL, scilicet ex Chaldæa, quæ procul a Ierusalem. DOMINI; pro, templi, vel cultus Domini, scilicet qui in Ierusalem fieri solebat.

V. 51. CONFUSI, &c. vox Iudæorum.

V. 52. MUGIET, id est gemet; scilicet moriens. Chald. *proiicietur*. LXX. *cadet*.

V. 53. SI ASCENDERIT, &c. id est si altissimas turres & muros ædificet. A ME, scilicet missi.

V. 55. MAGNAM, scilicet multorum civium, quia occidentur omnes. EORUM, scilicet hostium, vel Chaldæorum; quasi dicat, Qui olim sonabant & fluctus, &c.

V. 57. INEBRIABO, scilicet calice iræ meæ, seu punitionis. DORMIENT, &c. Chald. *morientur morte secunda*.

V. 58. POPULORUM, scilicet Chaldæorum se defendere conantium. AD NIHILUM, scilicet proderit. GENTIUM, scilicet labores. Repetitio.

V. 59. CUM SEDECIA, scilicet invisente Nabuchodonosor. Chald. *in legatione Sedeciæ*. LXX. *a Sedecia* scilicet missus. PROPHETIAE, id est interpretationis; quasi dicat, Legationis, vel eius prophetiæ quam ei Ieremias commendavit. Chald. & LXX. *munerum*, scilicet quæ ferebat.

V. 64. VERBA. Chald. *prophetia verborum*.

ESTII.

Vers. 6. FUGITE DE MEDIO BABYLONIS, ET SALVET UNUSQUISQUE ANIMAM SUAM. Et rursum vers. 45. EGREDIEMINI DE MEDIO EIUS POPULUS MEUS, UT SALVET UNUSQUISQUE ANIMAM SUAM. Notandum, quod prophetia, quæ hoc & præcedenti cap. contra Babylonem describitur, ita a propheta dirigitur contra Babylonem terrenam, ut tamen aliquoties respiciat ad Babylonem spiritualem; quæ in Apocalypsi describitur, id est societatem impiorum; cuius caput est Diabolus. Quod enim ait propheta; *Fugite de medio Babylonis, & salvet unusquisque animam suam*, id de spirituali Babylone Ioannes repetit his verbis: *Exite de illa popule meus, ne sitis participes delictorum eius*. Et quod Ieremias ait: *Omnia que fecit, facite illi*, id Ioannes his verbis exprimit: *Reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis*. Et quod Ieremias ait: *Laudabunt super Babylonem cæli & terra, & omnia quæ in eis sunt*, sic reddit Ioannes: *Exultate super eam cæli, & sancti Apostoli, & prophetæ, quoniam iudicavit Deus iudicium vestrum de illa*. Et sicut Ieremias iussit mitti lapidem in Euphratem in fine cap. in signum perpetuæ destructionis Babylonis, sic Ioannes vidit angelum mittentem lapidem grandem in mare & dicenem: *Hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna, & ultra non invenietur*.

V. 25. & 26. ET DABO TE IN MONTEM COMBUSTIONIS. ET NON TOLLENT DE TE LAPIDEM, SED PERDITUS IN AETERNUM ERIS. Et vers. 29. COGITATIO DOMINI, UT PONAT TERRAM BABYLONIS DESERTAM ET INHABITABILEM. Hæ sententiæ satis declarant longe plenius hæc de Babylone spirituali dici, quam de terrena. Nam Babylon terrena non multo post eversionem hic prædictam, a Persarum regibus instaurata fuit, & habitata. Qui tamen hæc etiam ad litteram terrenæ Babyloni accommodare voluerit, dicere poterit, quod fuit deserta & inhabitabilis; scilicet quia numquam fuit postea tam populosa, quam fuerat tempore Monarchiæ Chaldæorum, immo magna parte fuit deserta. Item sic poterit dici, quod non extruetur; scilicet, sicut antea fuit extructa. Et quia magna parte desolata remansit, ideo quoque aliquo modo verum, quod habitabunt ibi dracones, & struthiones: & maxime quia Babylon non fuit reædificata suo loco. Vide Hieron. & Isaiæ XIII.

MARIANAE.

Vers. 1. SUPER HABITATORES EIUS, QUI COR SUUM LEVAVERUNT CONTRA ME. Hebr. sic verto: *Super habitatores (eius qui) cor levant contra me*. Hoc ipsum secutus est Hieronymus, qui melius ceteris locum vertit. Quod si Hebraica verba inversa videantur, scire oportet, illis quinque litteris לב קמי *leb kamai, cor levantes in me*, Chaldæos significari, כשדים per בתבש modum litteris permutatis per notas scribendi: Sic sentiunt omnes Hebræi. D. Kimhi Lib. Radicum, radice קום *kum*. Sed & Sept. vertentes *super habitantes Chaldæos*, & Chald. *super habitatores terræ Chaldæorum*. Ita pro illis verbis, *Qui cor suum levaverunt contra me*, illis omissis, *Chaldæos* posuerunt: Quod si constructio perturbata videtur Hebr. mirari nemo debet; propheta enim verba ita posuit, ut notis deservirent. Quod si quis roget, cur per notas Chaldæos nominavit? Ne scilicet rerum dominos irritaret, si eorum nomen toties exprimeret, in quos vaticinabatur. De his.

his notis plura cap. XXV. 26. QUASI VENTUM PESTILENTEM? Hebr. *ventum corrumpentem*, ſcilicet Aquilonem, qui omnia ſubvertit; ſcilicet Medos & Perſas ſuſcitabo contra Chaldæos.

V. 2. VENTILATORES. Vento flantes ventilantur areæ. ET DEMOLIENTUR. Hebr. *evacuabunt terram*, ſcilicet habitatoribus, quos in area diſpergent ut paleas. QUONIAM VENERUNT. Hebr. *fuerunt ſuper eam ex circuitu*, id eſt UNDIQUE, ut Noſter dixit.

V. 3. NON TENDAT; pro, non tendet ſagittarius arcum, ſcilicet Chaldæi non reſiſtent. ET NON ASCENDAT, non aſcendet loricatus. Hebr. pro כל *al*, id eſt *non*: ut Chald. & Hieronymus legerunt, habent אל *al*, id eſt *ad tendentem* (dico) *tendat arcum*, *&* *ad* (eum qui) *aſcendit loricatus*, *&* *non parcat iuvenibus*. Conſtructio eſt valde implicata, planior verſio noſtra. MILITIAM EIUS, id eſt interficite milites; quaſi dicat, Populo parcite.

V. 4. ET VULNERATI cadent. Hebr. *&* *confoſſi*. IN REGIONIBUS EIUS. Hebr. *in plateis eius*, ſcilicet Babylonis, aut terræ Chaldæorum.

V. 5. QUONIAM NON FUIT VIDUATUS ISRAEL. Deus maritus Iſrael non eſt mortuus, non penitus deſtituit eum. TERRA AUTEM. Sic verto כי *chi*, *Quando terra eorum* (Iudæa) *repleta eſt delicto*. A SANCTO ISRAEL, id eſt contra Sanctum Iſrael, contra Deum. Non eſt ergo mirum, ſi tunc Iudæos, & punit nunc oppreſſores Iſrael. Aut ſic, *a Sancto Iſrael*, ſupple, receſſerunt. Hoc fuit delictum, quo terra eſt repleta.

V. 6. FUGITE. Aut Chaldæis loquitur, aut Iſraelitis, ut de communi incendio fuga ſe eripiant. NOLITE TACERE; id eſt ne ceſſetis a fuga, ne diſſimuletis. SUPER INIQUITATEM EIUS: propter iniquitatem eius fugite. Hebr. *ne excidamini in iniquitate eius*, id eſt ſimul cum illis pereatis. Sic Sept. & Chald. דמם *damam* & *tacere* ſignificat & *exſcindere*. VICISSITUDINEM, retributionem Deus retribuit.

V. 7. CALIX AUREUS. Sic Babylon vocatur, ſive propter divitias, ſive quia vinum purum auro eſt ſimile. Ergo Babylon erat ut calix plenus ira Dei, de quo gentes biberunt, & inebriatæ ſunt, multis modis afflictæ. COMMOTAE SUNT. Hebr. *inſanierunt*, ut ſolent ebrii.

V. 8. SUBITO CECIDIT; ſcilicet & ipſa ſuo vino ebria, & quoniam ex caſu vulnus accepit. TOLLITE RESINAM. Ironice dictum: etiamſi tollatis, non ſanabitur: quod de AEgypto dixit. cap. XLVI. 11.

V. 9. CURAVIMUS. Reſpondent ii, quibus dixerat, *tollite reſinam*. Ii ſunt milites auxiliares, quibus ut eam defenderent commendarat. Curavimus, fecimus quod potuimus; revertamur in patriam, quando ſpes nulla eſt. QUONIAM PERVENIT USQUE AD CAELOS IUDICIUM EIUS, id eſt punitio eius. Cælitus a Deo impugnatur, cui reſiſtere non poſſumus]. USQUE AD NUBES. Sept. *uſque ad aſtra*. Chald. *uſque ad cælos cælorum*, ut ſit repetitio, שחקים & *nubes* & *æthera* ſignificat.

V. 10. PROTULIT DOMINUS, id eſt oſtendit iniuſte nos a Chaldæis oppimi. Iudæi loquuntur. Quos Deus iuſte Chaldæis tradidit, illi abuſi ſunt conceſſa poteſtate, eos opprimentes plus iuſto. OPUS DOMINI: narremus Babylonem everſam.

V. 11. ACUITE, aut *tergite*, o Medi, ſagittas. IMPLETE PHARETRAS. Sic Sept. & Chald. alii vertunt *ſcuta*. Sed, quid eſt *implere ſcuta*? Credo שלטים *ſcelatim* hoc loco *pharetras* ſignificare, ut maxime Dictionaria ſileant. MENS EIUS, cogitatio eius eſt, ut perdat eam urbem.

V. 12. SUPER MUROS, id eſt contra muros levate vexillum, ut milites ad illud conveniant. AUGETE CUSTODIAM. Hebr. *roborate cuſtodiam*, ne quis ex obſeſſis evadat, aut ne repente vos aggrediantur. LEVATE CUSTODES. Hebr. *ſtatuite cuſtodes*. Repetitio eſt. ET FECIT; pro, & faciet quæ locutus eſt Dominus.

V. 13. QUAE HABITAS SUPER AQUAS MULTAS. Euphratis aquis alluebatur Babylon. VENIT FINIS TUUS PEDALIS PRAECISIONIS TUAE. Hebr. *venit finis cubitus oppreſſionis tuæ*. *Cubitus* pro menſura. Ergo venit menſura, id eſt tempus a Deo deſcriptum, quo opprimi debeas. Hieronymus per *pedalem præciſionem* idem ſignificare voluit.

V. 14. PER ANIMAM SUAM, id eſt iuravit Deus per ſeipſum. QUONIAM. Heb. *niſi*. Eſtque forma iurandi, qua ſupplendum eſt aliquid. REPLEBO TE HOMINIBUS,

BUS, id est hostibus. CELEUMA. Sicut torcularia calcantes, se hostes mutuo contra te incitabunt.

V. 15. QUI FECIT TERRAM IN FORTITUDINE SUA. *Fortitudine sua*, sua potentia; quasi dicat: Qui hæc fecit terram & orbem, Babylonem utique evertere poterit.

V. 16. DANTE EO VOCEM. Post tonitrua sequitur pluvia. IN CAELO, in aere. Quæ sequuntur usque ad vers. 20. repetitio sunt eorum quæ dixit cap. XX. 14. 15. 16.

V. 20. COLLIDIS TU MIHI VASA BELLI; quasi dicat: Ut tu alias gentes, confregisti, quæ *vasa belli* vocat, ita ego gentes quæ in te sunt, o Babylon, confringam, & tua Regna disperdam. Hebr. *Malleus tu mihi, vasa belli; & confregi per te gentes, & corrupi per te regna*, scilicet mutando Reges, & destituendo eos.

V. 21. ET COLLIDAM IN TE, aut *confregi per te*. Hic versus, & duo sequentes, aut de strage quam Chaldæi ante fecerunt, intelligi possunt, & sic per præteritum legi debent, ut est in Hebr. & illud *in te*, id est per te: aut de strage quam ipsi Babylonii passi sunt; & hoc modo præterita pro futuris sumantur, ut fere Interpretes vertunt, & illud *in te*, ut sonat. Qui sensus commodior est.

V. 23. ET IUGALES EIUS. Hebr. *iugum*, aut *iuga eius*, id est par boum, quibus arat agricola; una cum eo collidam. Sic Iob 1. 3. eadem voce usus dixit, *quingenta iuga boum*.

V. 23. ET REDDAM, postquam per eos contundero Iudæos, de iis etiam debitas pœnas sumam. Eæ sunt rerum vicissitudines. IN OCULIS VESTRIS: vobis videntibus, o Iudæi.

V. 25. MONS PESTIFER. Hebr. *corrumpens*. Vocat montem, quia Babylon erat munita ut mons, alioqui Babylon in plano erat. QUI CORRUMPIS, omnia subvertis. EVOLVAM TE DE PETRIS. Turres vocat rupes, quoniam ut rupibus mons munitur, sic turribus urbs. Ergo inde te deducam. ET DABO TE IN MONTEM COMBUSTIONIS, id est comburam te, ut solent comburi montes.

V. 26. ET NON TOLLENT. Ita comburentur lapides, ut nulli supersint, quibus aut angulus vinciatur, aut fundamenta ponantur. Qui lapides maiores esse solent; & per eos lapides Principes intelligi possunt. SED PERDITUS IN AETERNUM ERIS. Heb. *quia desolationes sæculi* (id est perpetuæ) *eris*.

V. 27. LEVATE SIGNUM IN TERRA, id est, ubique vexilla explicate ad convocandum milites. SANCTIFICATE SUPER EAM GENTES, id est contra eam destinate, aut *præparate populos*, ut ponit Chald. Sanctificandi significatio multiplex est. REGIBUS ARARAT nuntiate. Hebr. *regnis Ararat*, id est Armeniæ. MENNI, pars Armeniæ. ET ASCENEZ, Germaniæ. Sic modo Germanos vocant Hebræi. TAPHSAR. Hebr. *Principes, duces*. Hieronymus credit esse proprium nomen alicuius gentis. ADDUCITE. Hebr. *ascendere facite*: sic Sept. & Chald. ADDUCITE EQUUM QUASI BRUCHUM ACULEATUM. Hebr. *horripilantem, equum horripilantem*, id est sorrem, & multum instar bruchi.

V. 28. SANCTIFICATE, destinate, præparate. POTESTATIS EIUS, imperii eius: Mediæ scilicet gentes sanctificate contra Babylonem.

V. 28. ET COMMOVEBITUR TERRA, ET CONTURBABITUR. Hebr. *contremiscet, & dolebit*. QUIA EVIGILABIT: Hebr. *stabilita est cogitationes Domini*; pro, stabilitæ sunt, ut ponat eam DESERTAM ET INHABITABILEM. Hebr. *in desolationem, sine habitatore*.

V. 30. HABITAVEVUNT IN PRAESIDIIS, id est hosti obviam prodire non audent. DEVORATUM. Hebr. *elanguit robur eorum*. INCENSA SUNT. Hebr. *incenderunt*, ipsi præ desperatione, aut hostes tabernacula incenderunt.

V. 31. CURRENS OBVIAM CURRENTI VENIET, id est cursor post cursorem, & nuntius post nuntium; id est, frequentes nuntii ibunt ad Regem nuntiatum urbem esse captam. A SUMMO USQUE AD SUMMUM, scilicet totam. Hebr. *a fine*, id est extremam partem esse captam. Sic Sept. Rex intra urbem erat. Homines dispositi, qui nuntiarent quæ fiebant.

V. 32. ET PALUDES INCENSAE, id est arundines, quæ ad paludes crescunt: אגמים *Aghamim* & *paludes* significat, & *iuncos*, seu *arundines*. Verum quid id nuntiabant, quasi magna iactura esset. R. Ionah per eam vocem *munitiones*, arces intelligit

quo-

quoniam in lingua Arabica, quæ filia est Hebraicæ, *munitio* vocatur אגם *Agam*. CONTURBATI SUNT. Sic Chald. aut *territi sunt*.

V. 33. FILIA BABYLONIS. Babylon. TEMPUS TRITURAE EIUS venit. *Trituram* & *messionem* vocat eius urbis excidium.

V. 34. DEVORAVIT ME. Hebr. *contrivit*, seu *consumpsit me*. Verba sunt populi Iudaici. QUASI VAS INANE, quia omnes meas copias diripuit. VENTREM SUUM TENERITUDINE MEA implevit. Hebr. *deliciis meis*, id est domum & thesauros implevit rebus meis pretiosis. ET EIECIT ME: in captivitatem expulit.

V. 35. INIQUITAS ADVERSUM ME, id est qua Babylon contra me est usa. Heb. *violentia mea*, *mihi illata*. ET CARO MEA, id est meorum civium sanguis clamat. SUPER BABYLONEM, contra Babylonem.

V. 36. IUDICABO CAUSAM TUAM ego Deus. Hebr. *litigabo litem tuam*, o Sion, id est patrocinabor tibi. MARE EIUS. Sic vocat bonorum copiam. *Venam* vocat vectigalia, quæ multis imperabat. Et mare & venam siccabo.

V. 37. Hic versus sæpe superius est positus cap. XXV. 9. & 18. cap. XXIX. vers. 18. & cap. XLIX. vers. 17.

V. 38 UT LEONES RUGIENT: aut Chaldæi præ dolore, aut Medi præ ferocia. EXCUTIENT COMAS. Hebr. *rugient*. Chald. *attollent vocem suam*.

V. 39. IN CALORE EORUM PONAM POTUS EORUM. Hebr. *convivia eorum*; id est, faciam ut incalescant vino usque ad ebrietatem. UT SOPIANTUR. Hebr. *exultent*; sic solent ebrii. ET DORMIANT: sic ebrii solent dormire. Verum sic ebrios occidet hostis, & somnus erit perpetuus. ET DORMIANT SOMNUM SEMPITERNUM, ET NON CONSURGANT. Hebr. *non evigilent*. Hoc quidam referunt ad Baltassaris convivium. Dan. v. 1. nam & cives exemplo Regis funereis epulis se largius invitasse credi debet.

V. 40. AD VICTIMAM, ad macellum, seu occisionem ducam eos. CUM HOEDIS. Hebr. *cum hircis*, ut illæ animantes nesciunt quo eant, sic Chaldæos ebrios opprimet hostis.

V. 41. QUOMODO CAPTA EST SESACH, id est Babel. De hac nota cap. XXV. vers. 26. INCLYTA UNIVERSAE TERRAE? Heb. *laus universæ terræ*. Sept. *gloria*. Chald. *Deus*. Prophetæ hæc sunt verba.

V. 42. MARE ascendit. Sic vocat Medorum copias, ob multitudinem:

V. 43. TERRA INHABITABILIS ET DESERTA. Hebr. *arida & desolata facta est*.

V. 44. ET VISITABO, exscindam BEL præcipuum Babylonis idolum. ET EICIAM QUOD ABSORBUERAT. Hebr. *producam*, scilicet dona quæ illi obtulerant. SI QUIDEM. Hebr. *etiam murus Babylonis cadet*. Nulla est causæ redditio, illud tantum significat, & idolum & murum casura. Aut reddatur causa cur gentes non veniant ad idolum, quia murus & urbs evertentur.

V. 46. ET NE FORTE MOLLESCAT. Ne vos Israelitæ rumores conturbent, qui varii venient, & singulis annis novi. IN ANNO, id est anno primo veniet AUDITIO, id est rumor belli. ET POST HUNC ANNUM AUDITIO, id est anno secundo. Hoc est, nuntii alii super alios venient belli, quod contra Babylonem paratur, ne his nuntiis terreamini. Chald. pro, *auditione*, *nuntium* vertit. ET INIQUITAS IN TERRA. Hebr. *rapina*. Chald. *raptores*. Sept. *miseria & iniustitia*. Post rumores scilicet diripietur Babylon. *Iniquitas* in Vulg. pro, pœna iniquitatis. ET DOMINATOR SUPER DOMINATOREM. *Super*, pro, contra. Rex Medus contra Babylonium veniet.

V. 47. PROPTEREA, scilicet ob iniustitiam & iniquitatem. ET VISITABO SUPER SCULPTILIA. Quid sculptilia meruerunt? Verum ex prava religione omnia alia vitia oriuntur. CONFUNDETUR. Babylon pudore afficietur. Victa ab hostibus ignominiose.

V. 48. ET LAUDABUNT .... CAELI ET TERRA. Hebr. *exultabunt*, lætabuntur omnes Babylonis ruina, omnes offenderat. PRAEDONES, seu *vastatores*. Medi scilicet & Persæ gentes Aquilonares venient.

V. 49. ET QUOMODO FECIT BABYLON. Hebr. *etiam Babel* (fecit) *ut caderent occisi Israel*, etiam propter Babel ceciderunt occisi universæ terræ. Itaque non est mirum, si cuncti lætantur de clade eius, quæ cunctos vastavit. Hieronymi comparatio perspicua est: ut Babel occidit Israelitas, sic fore, ut per universas Provincias, ad quas captivi ibunt, Babylonii occidantur.

V. 50.

V. 50. Qui fugistis gladium. O Israelitæ, quibus gladius Nabuchodonosor pepercit, redite in patriam. Recordamini procul. Hebr. *à longinquo*, id est post longum tempus, post septuaginta annos. Domini, et Ierusalem, ut eum colere in suo templo, & redire in vestram urbem cupiatis.

V. 51. Confusi sumus, pudore affecti. Iudæorum responsio est. Quoniam audivimus opprobrium Chaldæorum, scilicet contra Deum, & eius templum. Operuit ignominia. Repetitio. Super sanctificationem. Hebr. *super sanctuaria*; pro, super sanctuarium. Nimirum templum profanarunt. Respondet Deus.

V. 52. Mugiet. Hebr. *gemet*, scilicet Babylon.

V. 53. Et firmaverit in excelso, id est etiamsi in cælo arcem extruat. A me, id est meo iussu, me auctore venient, qui eam vastent, scilicet Babylonem.

V. 54. Vox clamoris, scilicet audietur de Babylone.

V. 55. Et perdidit ex ea vocem magnam Deus; id est, magnum strepitum sperdidit, qualis est in frequenti populo: ea desolata nullus strepitus erit. Fluctus eorum, id est gemitus sonabunt, cum Babylonii occidentur.

V. 56. Praedo. Hebr. *vastator venit contra eam*. Et apprehensi. Capti sunt fortes eius, id est milites. Et emarcuit. Hebr *confractus est arcus*. Quia fortis. Hebr. *quia Deus retributionum Dominus reddendo reddet*. אל *AEl*, *Deum* & *fortem* significat. Chald. & Sept. *Deus* aut *Dominus* dixere, Hieronymus *fortis*.

V. 57. Et inebriabo Principes vino furoris mei, ut quasi ebrii nesciant quid facto opus sit.

V. 58. Suffossione suffodietur murus: sic Chald. & Sept. Hebr. *confringendo confringetur*. Et labores populorum ad nihilum. Sic tyranni solent sumptu & labore subditorum munire arces. Ergo labores populorum ipsos muros vocat. Et gentium, scilicet labores igne peribunt. Repetitio. Hebr. *& laborabunt populi in vanum*, scilicet volentes ignem extinguere. Et gentes in igne (scilicet extinguendo & lassabuntur, scilicet in vanum, nihil efficient.

V. 59. Saraiae. Fuit summus sacerdos, IV. Regum XXV. 18. & Ierem. LII. 24. Illi Propheta loquitur. Cum pergeret cum Sedecia. Sedecias quarto anno Regni sui ivit Babylonem, ut salutaret eum Regem Saraia comite. Sept. *quando ivit a Sedecia*. Chald. *quando pergeret in legatione Sedeciæ*, quasi Rex non iverit, sed pro se miserit Saraiam. Verum Hebraica repugnant, ubi dicitur, *cum iret cum Sedecia*. Tum Seder Holam Regem ivisse ait. Saraias autem erat Princeps prophetiae. Hebr. *Princeps quietis*. Sed quoniam per quietem Deus loquebatur Prophetis, pro *quietis*, posuit *prophetiæ*. Alii volunt significari, esse Regis intimum, in quo Rex acquiescebat, & qui cum Rege ibat, quoties laxaret animum. Alii, *Princeps cubiculi*, in quo Rex quiescebat. Quid si dicamus pro מנוחה *menuhah*, id est *quiete*, legendum כהונה *chehunah*, id est *sacerdotii*? Nam olim codices variasse ex Sept. & Chald. colligitur, qui vertunt, *Princeps donorum*, qui scilicet munera Regi allata accipiebat, aut per quem regia munera mittebantur, argumento eos pro מנוחה *menuhah* legisse מנחה *minhah*, id est *domum*. Quod ego non referrem ad dona regia, sed ad oblationes templi; quasi diceret: Princeps oblationum & sacrificiorum, id est summus sacerdos.

V. 62. Et ut sit perpetua solitudo. Chald. *ut perpetua sit vastitas*. Hebr. *quia solitudines perpectua erit*, scilicet Babylon.

V. 64. Et non consurget, id est non reædificabitur, ut non restituetur in pristinam dignitatem. A pacie afflictionis, id est propter afflictionem. Hebr. *a facie mali*, quod ego adduco super eam, id est a malo, a clade non resurget. Et dissolvetur. Hebr. *& deficient*, scilicet Babilonii acumerit de illis, sic Chal. & Sept. Hucusque verba Ieremiae, scilicet de Babylone. Fuit longa prophetia, ideo concludit eam his verbis, quæ titulo eius respondent posito cap. L. 1. sic etiam cap. XLVIII. 47. dixit: *Hucusque iudicia Moab*.

MALVENDAE.

Vers. 1. Et super habitatores eius, qui cor suum levaverunt contra me. Nostra Translatio verba ipsa Hebraica reddidit: (*& ad habitantes cordis surgentes meos*.) Alii varie:

rie : I. *& contra cor inimicorum meorum*, *qui habitant* terram Chaldæorum, vel *adversus habitatores terræ Chaldæorum*, seu *contra habitatores Chaldææ*. Notant Hebræi, לב קמי *leb kamai*, *cor insurgentium meorum*, positum pro כשדים *chasdim*, pro ארץ כשדים *eretz chasdim*, terræ Chaldæorum, iuxta eam litterarum alphabeti permutationem, quæ Ethbas dicitur cum א in ת & כ in ש vel contra, & sic deinceps eodem ordine reliquæ inter se litteræ commutantur, ut supra cap. XXIV. 26. volunt *Sesac* positum pro *Babel*, Babylonia. II. *& contra habitatores, qui corde insurgunt in me*. III. *& adversus habitatores eius*, *& contra cor hostium meorum*. IV. *& contra eos, qui inhabitant cor*, seu *meditullium insurgentium in me*. Exornatio præcedentium dictorum, ut diximus supra vers. 41. per similitudinem venti & ventilatorum. *Meditullium*, periphrasis Babylonis tamquam reginæ sedentis in medio inimicorum Dei Iudæam infestantium. Quia enim *cor* est in medio corporis, hinc passim sumitur pro *medio*, *meditullio*, *intimo*, ut Psalm. XLV. 3. Ionæ II. 4. Matth. XII. 30. Vide Lexica Hebraica, & Phrases Villavicentii, vel potius Westhameri. QUASI VENTUM PESTILENTEM. Alii: *ventum corrumpentem*, seu *vastantem*, aut *interficientem*. Elegans allegoria: pro eo quod est: Quemadmodum venti quidam noxii & Typhones adurunt segetes; ita iudicio meo tamquam vento Babylonios infirmaturus atque eversurus sum: prout dixerat, futuros velut feminas, supra cap. L. 37. ex quo alterum iudicium consequitur, quod ventilatores ipsos perdituri sint, versu sequente.

V. 2. ET MITTAM IN BABYLONIAM VENTILATORES, &c. Alii ex Heb. hunc versum reddunt: I. *Deinde mittam in Babylonem dispersores, qui eam dispergent*, *& terram eius vastabunt*, vel *exinanient*; id est, reddent eam inanem & vacuam incolis: *quoniam erunt contra eam per circuitum in die afflictionis*; id est, oppugnabunt eam undique die tribulationis. II. *Et immissurus sum contra Babylonem ventilatores, qui ventilabunt eam*, id est Persas & Medos, qui exponent eam vento vehementissimo malorum: *& exhaurient terram eius: cum fuerint contra eam circumquaque die mali*.

V. 3. NON TENDAT, QUI TENDIT ARCUM SUUM. אל ידרך ידרך הדרך קשתו *el idroch haddorech kaschto*. Ex verbo, *Adtendet, tendet tendentem arcum suum*. Varie exponunt: I. *ad tendentem, qui tendit arcum suum*; id est, ad sagittarios, qui in bello utuntur arcu; quasi dicat, Ad milites levis armaturæ. II. *Ad eum, qui tendendo tendit*, seu *qui constanter tendit arcum suum*. Notant geminationem futuri augere significatum. Hebræi alterum futurum superfluere volunt, & scribi quidem, sed non legi: ac traiectionem esse verborum. III. *Contra eum, qui tendit, tendat tendens arcum suum*, vel *tendat sagittarius arcum suum*. Aiunt esse expositionem præcedentis allegoriæ, qua Deus aperte mandat fieri iudicatum suum, ut pronuntiaverat supra cap. L. 9. *contra eum, qui tendit*. Periphrasis Babylonii, omnibus gentibus infesti, quasi contra omnes tenderet arcum suum: *tendat sagittarius arcum suum*, id est Persa: nam Persas fuisse sagittarios, ex magnis auctoribus docet Brissonius Lib. III. de Regno Persarum, pag. 366. Et Xenophon Lib. VII. Cyropædiæ, de hac Cyri in Babyloniam expeditione refert: *Babylonem permagno cum equitatu, per quam multis cum sagittariis & iaculatoribus venit*. ET NON ASCENDAT LORICATUS. Alii, I. *& insolescit in lorica sua, dicam*. II. *& ad extollentem se*, sive *ad illum, qui extollit se in lorica sua*, nempe Persam, *dicturus sum*. Persas usos loricis, ex multis auctoribus ostendit Brissonius Lib. III. Persicorum pag. 361. III. *& contra eum, qui extollit se lorica sua*, scilicet Babylonium. INTERFICITE OMNEM MILITIAM EIUS. Alii ex Heb. I. *exscindite funditus omnem exercitum eius*. II. *internecioni devovetote totum exercitum eius*. De ritu devovendi exercitus apud antiquos, vide in Numer. XXVII. 29.

V. 5. QUONIAM NON EST VIDUATUS, &c. Alii hunc versum ex Heb. convertunt: I. *Quia non relinquetur Israel & Iuda orbi a Deo suo, Iehova exercituum, a Sancto Israelis, etiamsi delicti impleverunt terram*. II. *Quoniam non viduatus est Israel & Iuda Deo suo, hoc est, Iehova exercituum: quia terram eorum*, nempe Chaldæorum, *repleta est delicto propter Sanctum Israelis*, hoc est ob iniuriam illatam Sancto Israelis; id est, ob populum eius indignissime afflictum a Babyloniis: nam Deus iniuriam illatam populo suo suam reputabat. III.

Quia non viduatus est Israel & Iehudah Deo suo, Iehova exercituum; quia terra istorum plena est reatu a Sancto Israelis. Ergasia finis prioris, qui positus est supra cap. L. 34. & qua conficitur hortatio, sequente versu. *Non viduatus est Israel, &c.* id est, non desertus est plane, sed Deus tamquam coniux ad tempus visus est discedere, qua occasione isti criminum multorum rei effecti sunt, insolescentes in sponsam Dei, ac proinde in ipsum peccantes gravissime. Est autem hæc ergasia prioris membri, hysteron proteron, quod diximus supra cap. L. 34. in qua Ecclesia de præsidio Dei confirmata admonetur sui officii, usque ad vers. II. deinde illuditur Babyloniæ, tribus versibus: *quia terra istorum plena est reatu, &c.* contra quam dixerant supra cap. L. 7.

V. 6. FUGITE DE MEDIO BABYLONIS, &c. Propositio consilii duo continet: primum, ut Ecclesia Deum vocantem sequatur, & sibi caveat ne particeps fit malorum inevitabilium & eventurorum Babyloniæ, tribus versibus: alterum, ut in eo iudicio agnoscat vindicias sui, & prædicet beneficium Dei, vers. 9. & 10. ET SALVET UNUSQUISQUE ANIMAM SUAM. Alii: *& eripite quisque seipsum*, vel *servet quisque vitam suam*. NOLITE TACERE, SUPER INIQUITATEM EIUS. Alii, I. *ne extirpemini in iniquitate eius*. II. *ne exscindamini in iniquitate eius*. Prohibentis verba, pro eo quod est, Ne committatis ut exscindamini. Proprie reddes: *ne in silentium redigamini, ne dispereatis, ne actum sit de vobis*, si innexi fueritis iniquitati eius. Forsterus reddit: *ut sileatis in iniquitate eius*, hoc est, *ne acquiescatis, ne consentiatis*, aut *implicemini, impietatibus eius*. עון *ghavon*, hoc loco & possit esse culpæ, & pœnæ: *ne exscindamini supplicio eius*. QUONIAM TEMPUS ULTIONIS EST, &c. Alii, I. *quoniam tempus est ultionis Iehovæ, vices enim ei ille rependet*. II. *cum tempus ultionis erit Iehovæ, retributionem, præmium, ipse rependet ei*.

V. 7. CALIX AUREUS BABYLON IN MANU DOMINI, INEBRIANS OMNEM TERRAM. Alii, *Poculum aureum Babylonia*: vide supra cap XXV. 15. *manu Iehovæ*, id est, œconomia & dispensatione eius, *inebriavit totam terram*. ET IDEO COMMOTAE SUNT. Heb. *insanire sese facient, immoderate, supra modum, & decorum insanient*: vide supra cap. XXV. 16.

V. 8. SUBITO CECIDIT BABYLON, ET CONTRITA EST. Alii per futurum: *Repente cadet Babylon & perfringetur*: vide Isai. XXI. 9. Apoc. XIV. 8. ULULATE SUPER EAM, TOLLITE RESINAM, &c. Alii: *Eiulate apud eam, sumentes adhibete opobalsamum contra dolorem eius, si forte posset curari*. Elegans concessio ad quoscumque homines per hypothesin adynati sive impossibilis, ut demonstratur versu sequente. Alii notant esse ironiam.

V. 9. CURAVIMUS BABYLONEM, ET NON EST SANATA, &c. Alii hunc versum ex Hebr. exponunt: *Quamvis curaremus Babylonem, inquietis, tamen non esset curata; derelinquite eam, & abeamus quisque in terram suam*, seu *regionem suam*: nam pertingit ad cælos iudicium eius, & elatum est usque ad superiores nubes; id est, summum est: metaphora: vel a cælo, seu Deo venit.

V. 10. PROTULIT DOMINUS IUSTITIAS NOSTRAS: id est, vindicias. Quidam hunc versum reddunt: I. *Eduxit Iehova iustitias nostras*, vel *emisit in lucem*; quasi dicat: Babylonios pœna maxima afficiet: contra, sua sententia nos tamquam iustos absolvet, & restituet nos in libertatem pristinam, Opponit iudicio in Babylonios, iustitiam Iudæorum, id est iustam liberationem, & absolutionem a pœnis: *adeste igitur*: invitant se mutuo Iudæi ad laudes Dei liberatoris: *& memoremus in Tzione opus Iehovæ Dei nostri*; quomodo scilicet Babylonios punierit, & nos restituerit. Alii: *Protulit Iehova totam iustitiam nostram; agitedum, enarremus Tzione opus Iehovæ Dei nostri*.

V. 11. ACUITE SAGITTAS. Alii: *purgate, extergite, exacuite sagittas*, &c. Apostrophe ironica ad Babylonios, ut diximus in vers. 5. Alii apostrophem esse volunt ad Medos & Persas, ut se armis præparent in Babylonios. Sed prior sensus est aptior. IMPLETE PHARETRAS. Alii, I. *implete clypeos*. Enallage, pro, *tegite vos clypeis*. II. *congregate*, vel *cogite umbones*: metonymia, pro utentes umbonibus. Recte annotatum est a quibusdam, quando verbum *implendi*, de arcu, aut de armis dicitur in Scriptura, significare apprehendere manu, seu implere manum arcu aut scuto: *implete umbones*, pro, implete manum umbonibus, arripite clypeos: hypallage. ULTIO TEMPLI EIUS: ut supra cap. L. 28.

V. 12.

V. 12. SUPER MUROS BABYLONIS LEVATE VEXILLUM, &c. Hunc versum alii ex Heb. reddunt: I. *Corripite*, seu, *erigite vexillum super muros Babylonis*. Verba Dei, aut prophetæ: Date operam, o Medi & Persæ, ut vexilla vestra collocetis super mœnia Babylonis: quod fieri solet statim prima hostium in muros scansione: *augete excubias*, *constituite custodes*, *struite insidias*: *quoniam*, *quod proposuit Iehova & locutus est contra habitatores Babelis*, *hoc perficiet*. II. *In muris Babylonis attollite vexillum*, o vos Babylonii, *confirmate custodiam*, *statuite vigiles*, *comparate insidiatores*: Ironia, quasi dicat, Nihil proficietis, *nam & cogitavit Iehova*, *& facturus est*, *quod dixit contra habitatores Babylonis*; id est, quia contra Babyloniam effecturus est quæcumque decrevit.

V. 13. QUAE HABITAS SUPER AQUAS MULTAS. שוכנתי *schochanthei*, observant esse anomale positum, & componi ex præterito & participio *Kal*: vel esse præteritum *Pohel*: vide simile supra cap. XXII. 23. Quidam exponunt: *Habitans tu*, vel *quæ habitas*, aut *o quæ habitas secundum aquas multas*; id est, munitissima Babylon situ: nam Babylonem perlui Euphrate, fossis amplissimis circumductam fuisse, testantur veteres Scriptores. Herodotus Lib. I. Num. 180. *Babylonis duæ sunt plagæ*, seu *portiones*; aut *partes*, *quas interfluit fluvius nomine Euphrates*, *qui magnus*, *& altius & celer*, *ex Armenus in rubrum mare decurrit*. Diodorus Siculus Lib. II. Numer. 68. *Cumque mediam Euphrates Babylonem secet*: Plinius Lib. VI. cap. XXVI. *Interfluo Euphrate*. Rursus Herodotus num. 178. *Iam primum fossa ambit alta atque lata aquæ plena*: Qui mira addit Num. 185. de palude quadringentorum viginti stadiorum a Nitocri regina effossa. Diodorus Num. 68. *Cum enim multis in locis urbis paludibus sit circumfusa*. Et Num. 69. de Semiramide: *In humillimo Babylonis loco lacum quadratum effodit*, *cuius unumquodque latus ex latere cocto*, *& bitumine constans trecenta stadia longum*, *pedesque triginta quinque latum erat*. Vide singulariter Strabonem Lib. XVI. pag. 740. LOCUPLES IN THESAURIS. Heb. *multa thesaurorum*: Alii: *o ampla thesauris*, seu, *o dives thesaurorum*. PEDALIS PRAECISIONIS TUAE. Varie alii ex Heb. I. Kimchi, Forsterus, Mercerus, Marinus, Lyranus, Schindlerus: *cubitus*, seu *mensura*, *avaritiæ tuæ*, seu *rapinæ tuæ*; id est, tu vicissim rapieris, eadem mensura remetietur tibi. II. Kimchi, Vatablus: *finis oppressionis tuæ*; id est, finalis oppressio tua. III. Leo Iudæ: *modus avaritiæ tuæ*. IV. Tremellius, & Iunius: *pro cubito*, seu, *mensura quæstus*, vel, *lucri tui*; id est, quantum fuit lucrum, tantum erit dispendium. V. Montanus ex Kimchio: *cubitus appetentiæ tuæ*, seu *desiderii tui*.

V. 14. IURAVIT DOMINUS EXERCITUUM PER ANIMAM SUAM: Alii: *Iurat Iehova exercituum per animam suam*, sive *per semetipsum*. Secundus locus confirmationis, ut diximus supra in vers. 3. in quo primum exornatur iuramentum a magnifica descriptione maiestatis Dei, usque ad vers. 20. deinde narrationis argumentum (quod hic iuramento sancitur) amplificatur pluribus usque ad vers. 41. QUONIAM REPLEBO TE HOMINIBUS QUASI BRUCHO. Alii ex Heb. I. *Nisi replevero te hominibus veluti bruchis*; quasi dicat, Non habear posthac pro summo Deo, nisi implevero te militibus, qui te consumant. II. *Quod implebit te hominibus sicut locustis*. III. *Mentiar*, *nisi te impleam hominibus quasi melolanthis*, id est, hostium Medorum, Persarumque copiis. De hac formula iurandi vide in Genes. XIV. 23. de voce ילק *ielik*, quam *bruchum* vertimus, vide in Psalm. CIV. 34. ET SUPER TE CELEUSMA CANTABITUR. Alii, I. *qui mutuo se exhortabuntur celeusmate*, ad te perdendum, ut tempore vindemiæ se mutuo hortari solent calcatores ad uvas exprimendas. II. *qui canant de te celeusma*, id est epinicium, devictis & proculcatis Babyloniis, ut supra cap. XXV. 30.

V. 15. QUI FECIT TERRAM IN FORTITUDINE SUA, &c. Alii hunc versum reddunt: *Iurat*, *qui fecit terram virtute sua*, *stabiliit orbem habitabilem sapientia sua*; *& prudentia sua extendit cælos*.

V. 16. DANTE EO VOCEM, MULTIPLICANTUR AQUAE, &c. Alii hunc versum ex Heb. transferunt: I. *Qui voce sua dat multitudinem aquarum in cælis*, *posteaquam ascendere fecerit nubes ab extremo terræ*, *fulgura cum pluvia fecit*, *& eduxit ventum de thesauris suis*. II. *Ad vocem qua ponit multitudinem aquarum*, *in cælis*, *posteaquam ascendere fecit nubes*, &c. quasi dicat, Ad tonitru, quo resonante Deus ponit aquas

in aere, educendo nubes e mari (quod suppetit materiam nubium) ad tonitru, inquam, illud fulgura in pluviam vertit, &c. Tonat Deus, deinde cogit nubes, postea fulgurat, postremo pluit; vel, eodem imperio Deus iubet esse nubes, in quibus creat ignem, quas postea in pluviam convertit: quod est mirabile. III. *Cum dat vocem, multitudo aquarum in cælis coit, evocat nubes a finibus terræ, fulgura in pluviam mutat, & educit ventum de loculis*, seu *reconditoriis suis*. IV. *Quo vocem suam edente fremitus aquarum est in cælis, & qui effert vapores ab extremitate terræ, fulgura cum ipsa pluvia facit, & profert ventum e thesauris suis*: vide Psalm. CXXXIV. 7. Ceterum hunc, & quatuor versus sequentes totidem verbis habes supra cap. X. 12. 13. 14. 15. 16.

V. 19. ET ISRAEL SCEPTRUM HEREDITATIS EIUS. Vox *Israel* non est in Hebræo: sed est supra cap. X. 16. Quidam hic reddunt: *& ille*, scilicet Iahakob, est *tribus possessionis eius*.

V. 20. COLLIDIS TU MIHI VASA BELLI. Heb. *Malleus dispergens*, seu *dissipans*, *tu mihi vasa*, seu *instrumenta* aut *arma bellica*. Alii: *Ut malleus tu mihi es, & ut instrumentum bellicum*. מפץ *mappetz*, aiunt esse nomen participiale, id est dispensor: quo appellant malleum, quod eo concutiendo dispergantur res. Tremellius, Iunius, Buxtorfius: *Cestra fuisti mihi, instrumenta bellica*. Amplificatio hæc primum universe quid sit, quod iuramento confirmat Deus, nimirum Babylonium non fuisse auctorem iudiciorum, sed instrumentum Dei, ut dixerat supra vers. 7. & quid Babylonio effecturus sit, docet vers. 24. deinde minutatim exornat narrationis partes. Est autem *cestra* apud Iulium Pollucem non quivis malleus, ut fere solet accipi, sed malleus verutus, & res obvias penetrando perfringens, quo equites fere ad pertundenda inimicorum arma uti solent. Nam hanc esse propriam Hebrææ vocis significationem, sequentia commonstrant, & ipsum etymon: quemadmodum in Græca dictione quam adhibuimus Latinitatis inopia, cum Cestron, Cestumque similiter Græci & Latini vocent, veruculum, quo encaustum faciunt artifices, tesseraque, & aliud id genus: unde etiam Livius cestrosphendonas nominavit. De *cestra* Pollux Lib. X. Onomastici, cap. XXXVI. *Cestra quoque mallei cuiusdam ferrei species, ut in AEgide Sophoclis: Cestra ferrea latera simul & dorsum attrivit feriens*. Vide eumdem cap. XLVII. Hadrianus Iunius in Nomenclatore. *Cestra, malleus ferreus, sive, ut volunt, armatura lunata, qua in perfringendis hostium armis, utebantur equites; atque hanc esse proprie Amazonicam securim volunt nonnulli, quo Cataphracti equites utuntur*. *Cestron*, vel *cestrosphendon* novum teli genus in bello Persei Macedonis cum Romanis inventum, accurate descriptum habes apud Livium Lib. XLII. cap. LXV. & Suidam, quod forte non valde diversum fuisse videtur a *cestra*. ET COLLIDAM IN TE GENTES. Alii ex Heb. *& conteram*, vel *contundam per te gentes*. Nonnulli: *ut dissiparem per te gentes*: sic in sequentibus. Deus interdum impiorum & idololatrarum opera utitur ad exercendum sua iudicia in alios.

V. 25. ECCE EGO AD TE. Alii: *En me tibi*, vel *ecce me contra te*, *&c.* Hypotyposis, qua Deus venit ad amplificationem prænuntiati iudicii, duobus versibus; cuius deinde instrumenta convocat Deus, duobus alteris; formamque explicat accuratissime, vers. 29. & tribus sequentibus: ac postremo dialogistice Ecclesiam expostulantem consolatur, severissimi iudicii huius prophetia, usque ad vers. 41. MONS PESTIFER. Alii: *mons perniciose*, vel *corrumpens*. Nonnulli: *o mons perditor*, id est Babylon, instar montis assurgens vastitate murorum & amplitudine: nam muri in crassitudinem quinquaginta, in altitudinem ducentos cubitos regios capiebant: testes Herodotus Lib. I. Num. 178. Diodorus Siculus Lib. II. Num. 68. & 69. Strabo Lib. XVI. pag. 738. Curtius Lib. V. cap. 1. Plinius Lib. VI. cap. XXVI. vel *montem* appellat propter turrem illam immanis altitudinis, de qua Genes. XI. 4. ET DABO TE IN MONTEM COMBUSTIONIS. Alii I. *reddamque te montem exustum*. II. *& disponam te in montem incendii*, seu *in montem ruderum ex incendio*.

V. 26. ET NON TOLLENT DE TE LAPIDEM IN ANGULUM, ET LAPIDEM IN FUNDAMENTA. Quidam: *Neque accipient ex te lapidem in angulum*, aut *lapidem ad fundamenta*; id est, numquam repararis ex opere redivivo, ut sequentia verba docent. SED PERDITUS IN AETERNUM ERIS. Heb.

quia

quia afflationes, afflatus, afflandæ, seu *stupendæ desolationes sæculi eris*. Numerus pluralis auget significatum; unde reddunt: *nam desolatissimus in sæculum eris*. Alii: *sed eris perpetua solitudo*.

V. 27. LEVATE SIGNUM IN TERRA, &c. Alii: *Attollite vexillum in terra, clangite buccina in gentibus, comparate contra istam gentes, &c.* Apostrophe ad hostes, tamquam administros iudiciorum Dei. SANCTIFICATE SUPER EAM, vel CONTRA EAM, GENTES: id est, præparate gentes ad sacrum bellum contra Babylonem: vide supra cap. III. 4. sic infra vers. 28. ANNUNTIATE CONTRA ILLAM REGIBUS. Alii ex Heb. I. *accersite contra eam regna*. II. *promulgantes convocate contra istam regna*. ARARAT. Exponunt: Id est Armeniæ maioris, ut Genes. VIII. 4. MENNI. Heb. *Minni*. Exponunt: Id est, Armeniæ minoris, quæ nomen suum habet compositum ex Aram, id est Syria, & antiqua hac ipsius appellatione Minni. Nam Armeniam olim Syria fuisse comprehensam, testis est Plinius Lib. V. cap. XII. Huius regionis meminisse videtur Nicolaus Damascenus apud Iosephum I. Antiquit. IV. cum ait: *Est super regionem Minyarum magnus mons in Armenia, nomine Baris, in quo multos profugos diluvii tempore servatos ferunt, &c.* ET ASCENEZ. Heb. *Aschenez*. Hebræi hic Scythiam, seu Gothiam, aut Germaniam accipiunt. Sed nulla harum regionum huic loco convenit, quæ nihil hoc tempore ad Cyrum pertinebant. Aptius alii Asiam interpretantur: vide in Genes. X. 3. Has autem regiones omnes, id est utramque Armeniam, & minorem Asiam, synecdochice notatam Aschenazi nomine, ante suisse occupatas quam Babylonem invaderet, testantur omnes historiæ. Vide Herodotum Lib. I. NUMERATE CONTRA EAM TAPHSAR. טפסר *tiphsar*, inquit Forsterus, *quidam volunt vocem esse compositam ex* טף *taph, quod parvulos collective significat; &* סר *sar, princeps seu dux, quasi dicat, Princeps seu dux parvulorum, & imbellis vulgi. Opinor autem vocem esse peregrinam; qua dux vocatur.* Tremellius & Iunius reddunt: *Præficite contra istam imperatorem: videlicet exercitus, qui imperator in exercitum imperium habeat, & Cyri mandata ad exercitum perferat. Vox enim est composita perinde sonans atque si dixeris, instillationis & interpretationis principem: sic Nahum* III. 17. Hæc illi: composuerunt ex נטף *nataph*, *stillavit*, & סר *sar*, *princeps*, nimia subtilitate. Proprie quidam, *parvum principem* exponunt, id est minorem imperatorem, Legatum, vicarium Imperatoris, seu Cyri. Forte fuerit, quod Hispanice dicimus, *Maestro di campo general*. ADDUCITE EQUUM QUASI BRUCHUM ACULEATUM. סמר *samar*, cum *Samech*: Quidam verbum faciunt: *adducite equum, qui ut bruchus inhorruit, horripilavit*. Alii nomen esse volunt. Forsterus: *adducite equos tamquam bruchum horridum*, id est hispidum & aculeatum. Reperiuntur enim bruchi pilosi & hispidi; Vel si mavis, ad strepitum alarum referas horrisonum: sicut Apocalys. IX. 9 de quodam locustarum genere scriptum est: *Quarum vox alarum sicut vox curruum, equis multis currentibus ad bellum, &c.* Tremellius & Iunius: *adducite equos pares melolonthis hispidis*; videlicet numero, ut supra vers. 14. Leo Iudæ: *adducite equos sicut locustarum agmen horridum*. Heb. סוס *sus*, *equum* collective, pro *equos*.

V. 28. REGES MEDIAE. At tunc in Media solus Cyrus regnabat, depulso Astyage. Quidam exponunt, Eos qui parent Medo, id est Cyro: nam is in Media natus. Sed ut Media pro Persia, & Medis pro Persa passim auctoribus usurpentur, quod finitimæ regiones essent, & hisce temporibus sub uno imperio continerentur, nimis est pervulgatum: & nuper pluribus observatum a Ioanne Rualdo Annotat. L. in Plutarchum. Aptius est, regulos & dynastas Mediæ, Cyro subiectos. Quidam hunc versum reddunt: *Destinate contra eam gentes, nempe reges Mediæ, duces eius, & omnes satrapas eius, totam denique terram, quæ paret eius imperio*. Alii: *Comparate contra istam gentes, reges Mediæ, & principes eius, omnesque antistites eius; denique totam terram dominatus eius*. Nos particulam את *eth*, pro præpositione *ad* accepimus, & eum sensum expressimus, quasi sit hortatio, ut ad Cyrum & ministros eius adiungantur variæ gentes ad oppugnandam Babylonem.

V. 29. ET COMMOVEBITUR, &c. Alii hunc versum ex Heb. transferunt: I. *Commota est terra, & contremuit*, vel *dolore affecta est instar parturientis, cum exurgerent cogitationes Iehovæ ad redigendum terram Babylonis in solitudinem, ut nemo in ea ha-*

ea habitet. II. *Et commota terra indolescet, cum præstabitur contra Babyloniam unaquæque cogitationum Iehovæ, redigendo terram Babyloniæ in desolationem, quam nemo inhabitet*. Enarratio formæ qua iudicia sua præstiturus est Deus, ut diximus in vers. 25.

V. 30. Cessaverunt fortes Babyloniae a praelio. Alii I. *Cessaverunt robusti Babylonis a pugnando*. II. *Desinent potentes Babyloniæ pugnare*. Postquam primo prælio fusi fuerint, in urbem compulsi, ut annotavimus cap. L. 21. & 37. Habitaverunt in praesidiis. Alii: *desiderunt*, vel *desidebunt in munitionibus*; id est, continuerunt sese, vel continebunt sese intra munitiones; quasi dicat, Non audebunt Babylonii egredi urbem ad conferendum manus cum Persis: sed abunde commeatibus instructi obsidionem nihili facient: vide cap. L. 37. Devoratum est robur eorum. Alii: I. Sanctes: *elanguit, recessit, defecit, fortitudo eorum*. II. Forsterus: *obruta, seu oppressa est præpotentia, seu prævalescentia, eorum*. III. Leo Iudæ: *luxatum est robur eorum*: nimirum ex significatione גיד הנשה *ghid hannascheh, nervi luxati*, Genes. xxxii. 32. vide Thesaurum Sanctis, colum. 1709. IV. Vatablus: *periit fortitudo eorum*. V. Tremellius & Iunius: *oblivioni erit*, vel *tradetur potentia eorum*, quam nunc plenis buccis iactant. נשה *nascheh*, & נשת *naschath*, affines radices, & fere eiusdem notionis. Et facti sunt quasi mulieres. Vide cap. L. 37. Incensa sunt tabernacula eius. Quidam reddunt: *ascendent hostes habitacula eius*, videlicet cum intra oppidum perruperint. Contriti sunt vectes eius. Alii: *confringentur vectes eius*; id est, cum singularium habitaculorum, quæ modo nominavit vectes; tum portarum minorum, quibus maceria aggeri ad Euphratem intus coniuncta de nocte occlusa erat: nam ita fuisse extructam Babylonem docet Herodotus Lib. I. Numero 180. 185. 186. 191. & ita postulat narrationis series. Sed Herodotus haud obscure indicat, apertis portulis, quæ ad flumen ferunt negligentia Babyloniorum Persas ingressos. Aptius ergo intelligemus, vectes portarum urbis, quæ centum erant æreæ cum cardinibus postibusque auctore Herodoto Lib. I. Num. 175. item vectes publicarum privatarumque ædium, ac templorum.

V. 31. Currens obviam currenti veniet, &c. Alii versum reddunt: I. *Occurret cursor cursori, & nuntius nuntio ad nuntiandum regi Babylonis captam esse urbem eius*; id est, plurimi cursores & nuntii convolabunt, ut se passim protrudant & incurrant ad nuntiandum regi, &c. *ab extremitate*, vel *ab angulo uno*, qui pertinet ad Euphratem: nam illa ingressi sunt Persæ. II. *Cursor obviam cursori curres, & index obviam indici ad indicandum regi Babylonis captam esse civitatem eius, ab extremitate*. Utraque videlicet, qua in oppidum influit, & effluit Euphrates in utrumque oppidum: ut narrat Herodotus Lib. I. Numer. 191. Nonnulli id referunt ad magnitudinem Babylonis, ut cum in uno extremo capta esset, in altero ignoraretur: vide supra cap. L. 25. Sed ille sensus est aptior, ab extremitate una ad alteram; id est, totam ab omni parte: quod Noster dixit, *a summo usque ad summum*.

V. 32. Et vada praeoccupata sunt. Dilucidam huius loci explanationem habet Herodotus Lib. I. Num. 91. quam descripsimus supra cap. L. 38. Alii: I. *Et ingressus fluminis occupatos*, ab utraque parte oppidi: nam ab utraque ingressi sunt Persæ per vadum Euphratis. II. *Et ipsos angustos aditus occupatos esse*, id est accessus intimos, quibus ibatur a ripa Euphratis per portulas in utrumque oppidum; ut factum fuisse perspicue docet Herodotus ibidem. Et paludes incensae sunt igni. Alii ex Heb. I. *& stagna arserunt igne*, id est iunci, arundines, carecta palustra, quibus exustis facilior & expeditior esset via exercitui Persarum ad invadendam urbem: nam & circa Euphratem, & in locis illis palustribus multa eiusmodi nascuntur. Vide Strabonem Lib. XVI. pag. 740. II. *etiam stagna hostes combusisse igne*; id est, non tantum ipsum Euphratis alveum tamquam igne arefactum esse, sed etiam stagnantes rivos ex eo ductos intra oppidum: quibus æque ac muri interioris portulis Medi & Persæ introvenerunt. Forte intelligit fossam illam ingentem circum muros ductam, quæ ex Euphrate implebatur, de qua supra vers. 13.

V. 33. Quia haec dicit Dominus, &c. Hunc versum alii ex Heb. convertunt: *Nam sic ait Iehova exercituum Deus Israelis, qui filiam ipsam Babyloniæ sicut*

aream

aream tempore calcat, seu *tempestive solidat*; *adhuc paululum, tum adveniet tempus messis ei*. Transitio ætiologica ad dialogismum de quo supra vers. 25. Hæc, inquit propheta, quæ modo dixi, effatus est Deus, & iamque res omnes ad hæc præstanda comparat, ut peritus agricola tempestive arcam solidat ad triturationem: *tempus messis ei*; id est, quo messis, quæ intro comportata est, nempe opes immensæ, per administros Dei triturabitur; id est, potientur ea Persæ. Alii simpliciter accipiunt, Babylonem nunc esse veluti aream plenam frugibus triturandis, hoc est opulentam multis divitiis: sed mox triturandam, & calcandam, seu opprimendam a Persis, qui eam spoliabunt, & cunctas eius messes, seu opes asportabunt.

V. 34. COMEDIT ME, DEVORAVIT ME, &c. Hunc versum quidam ex Heb. convertunt: *Exedit me, quatit me Nebuchadretzar rex Babyloniæ, statuit me ut vas inutile*; id est, ut testam, ex qua marmoratum structores faciunt ad incrustandum & solidandum areæ solum. Hic autem versus & sequens continet expostulationem Ecclesiæ; cuius exempla apud Danielem & Zechariam extant: *deglutit me ut draco, implet ingluviem suam deliciis meis*. COMEDIT ME. Omnia verba huius versus constructa cum affixo, Heb. scribuntur cum affixo singulari. *Comedit nos*, Iudæos; vel *me*, Ecclesiam, eodem sensu: sic de reliquis. DEVORAVIT ME. Heb. *conturbavit, conquassavit*, velut sonitu aut strepitu *confusit, contrivit*: vide Exod. XIV. 24. 23. 27. REDDIDIT ME QUASI VAS INANE. Heb. *statuit, collocavit, constituit me, tamquam vas vacuum*; id est, evacuavit me, exhausit omnibus bonis: quia Nebuchadnetzar omnia exportavit Ierusalaimis. Alii: tamquam vas; seu instrumentum inutile, nulli usui aptum. REPLEVIT VENTREM SUUM TENERITUDINE MEA. Heb. *implevit ventrem, alvum, ingluviem suam ex deliciis meis*, id est rebus delicatissimis & pretiosissimis meis.

Vers. 35. INIQUITAS ADVERSUM ME, ET CARO MEA, &c. Alii hunc versum ex Hebr. exponunt: I. *Violentia mea & caro mea in Babylonia*, id est, rapina opum mearum, & caro interfectorum meorum, sive consanguinei mei occisi debent imputari Babyloni, *dicet habitatrix Ziioniis: & sanguis meus apud habitatores Chaldæorum*; id est, Sanguis civium meorum, qui in me effusus est, adscribi debet Chaldæis, *dicet Ierusalaim*. II. *Iniuria mei & carnis meæ super Babylonem*: vel *iniuria, quæ fit mihi & carni meæ, in Babyloniam recidat*: ut Genes. XVI. 5. *dixit habitatrix Tziionis; & sanguis meus in habitatores terræ Chaldæorum, dicunt Ieruschalaima*. Caro hic pro consanguineis & propinquis accipitur, ut Levitici XVIII. 6. & 12.

V. 36. PROPTEREA HAEC DICIT DOMINUS, &c. Quidam hunc versum ita ex Heb. explanant: *Idcirco sic ait Iehova: Ecce ego confecturus sum causam tuam*: responsum Domini ad antegressam expostulationem: *& ulturus ultionem tuam: ideo exsiccabo mare illius*, id est maximas aquas, ut Genes. I. 10. vide supra vers. 31. & 32. erat enim Babyloniæ regio maxime palustris, & Euphratis fossis & rivis cum primis abundans: *tamquam si arefecissem scaturiginem illius*. Hoc ad Euphratem per Cyrum aversum pertinere videtur; vel quod Babylon ad summam desolationem & vastitatem sit redigenda: ut sequentia commonstrant.

V. 37. ET ERIT BABYLON IN TUMULOS, &c. Hunc versum alii reddunt: *Et abibit Babylon in acervos, in habitaculum draconum, stuporem & sibilum, adeo ut nemo inhabitet*.

V. 38. SIMUL UT LEONES RUGIENT. Alii: *pariter ut iuvenes leones rugient*, videlicet Babylonii, celebrantes festum insolentissime, quo die capti sunt: *Nam quod forte dies festus eis esset, exercendis choreis, atque oblectationibus operam dabant*, inquit Herodotus Lib. I. Numer. 191. EXCUTIENT COMAS VELUTI CATULI LEONUM: hoc iactationi, quæ fit in choreis, optime convenit. Alii: *rudent*, seu *vociferabuntur*, aut *rudebant ut catuli leonum*. Forsterus intransitive: *excutientur ut catuli leænarum*. Avenarius: *excusserunt vocem ut catuli leænarum*. Montanus, Sehindlerus, ex significato Arabico: *fremuerunt, rugierunt, ut catuli leænarum*.

V. 39. IN CALORE EORUM, &c. Hunc versum alii convertunt. I. *Dum ipsi vino incaluerint, ego disponam compotationes eorum, & inebriabo eos, ut exultent, & dormiant somnum sempiternum, a quo non evigilabunt, dicit Iehova*. II. *Incalescentibus illis, disponam potiones eorum, & inebriabo eos*

eos ut exultent; sed dormiens somno saeculi, seu *perpetuo*, id est dormitione mortis, ut Psaltes nominat Psalm. XIII. 4. *neque expergiscentur, dictum Iehovae*. Haec plerique referunt ad convivium Belsatzaris, quod describitur Daniel. V. existimantes illud fuisse supremum Chaldaeis. Sed rectius accipiatur de festo illo, quod Babylonii celebrabant, quo die Cyrus Babylonem cepit, sub Labynito successore Belsatzaris, ultimo Babyloniae rege, uti antea ex Herodoto observabamus: vide Daniel. V. vers. ultimo: vide infra vers. 57.

V. 41. QUOMODO CAPTA EST SESACH, ET COMPREHENSA EST INCLYTA UNIVERSAE TERRAE! Alii: *Quomodo caperetur Schescach & occuparetur laus totius terrae? &c.* Quarta pars prophetiae, confutatio, ut diximus supra cap. L. 1. cuius loci sunt duo, unus, quo confutat fiduciam Babyloniorum versibus quatuor: alter, quo refellit metum & diffidentiam piorum, eosque confirmat promissionibus, usque ad vers. 50. De Sesach vide supra cap. XXV. 26.

V. 42. ASCENDIT SUPER BABYLONEM, &c. Hunc versum quidam reddunt: *Quasi ascendat contra Babylonem ipsum mare, fremitu fluctuum eius operiatur*. Responsio ad obiectionem praecedentis versus; quasi dicat: Evertetur Babylon, ac si Euphrates ipse inde a mari Persico remeans in Babyloniam exundaret, quamvis illi confidant tantopere; ut supra vers. 36. Alii: *Intumuit super*, vel *contra Babylonem mare*, id est immensus exercitus Persarum ac Medorum exundas: *quae a fluctuum eius multitudine obruta est*.

V. 43. TERRA IN QUA NULLUS HABITET, NEC TRANSEAT PER EAM FILIUS HOMINIS. Nostra translatio fideliter verba ipsa Hebraica expressit: (*terra non habitabit in eis omnis vir, & non transibit in eis filius Adami*.) Alii: *terra, in cuius oppidis non habitabit ullus vir, neque transibit per ea filius hominis*.

V. 44. ET VISITABO SUPER BEL BABYLONE. Alii: *Animadvertam etiam contra Bellum Babylone*. De *Bel* vide supra cap. L. 2. ET EIICIAM QUOD ABSORBUERAT DE ORE EIUS. Aliis: I. *& eripiam bolum eius ex ore eius*. II. *& extraham deglutionem*, seu *deglutitum ipsius*, vel *quod deglutit ex ore eius*, id est innumeras illas, immanesque oblationes, quibus colitur, abripiam a templo ipsius: vide Daniel. XIV. 2. Alii illud referunt ad anathemata & donaria aurea ingentia, quae erant in templo Beli, de quibus Herodotus Lib. I. Numer. 181. 182. 183. Diodorus Siculus Lib. II. Numer. 69. & 70.

V. 45. EGREDIMINI DE MEDIO EIUS POPULUS MEUS, &c. Quidam reddunt, *Exite e medio eius, popule mi, & eripite quisque animam suam ab aestu irae Iehovae*. Alter locus confutationis, ut diximus in vers. 41. per apostrophem ad populum Dei.

V. 46. ET NE FORTE MOLLESCAT COR VESTRUM. Alii: *Et ego dico vobis*, vel *& videte, ne mollescat animus vester*. Eclipsis: de qua Genes. III. 22. ET TIMEATIS AUDITUM, QUI AUDIETUR IN TERRA, &c. Reliquum versum alii ex Hebr. explanant: I. *& paveatis ad quemvis rumorem, qui audietur in terra* Chaldaea: *veniet in anno rumor, & post eum in anno rumor*; id est, alio atque alio anno veniet rumor; vel rumorem belli subsequetur alius maior rumor expugnationis Babylonis: *& fiet rapina in terra*; id est, diripietur Babylon, *& dominator* Cyrus *super dominatorem*; regem Babyloniae *veniet*; hoc est, transferet ad se regnum Chaldaeorum. Aiunt obscure hic indicari tempus expugnandae Babylonis, quod accidit tertio anno Belsatzaris, qui tribus annis regnavit. Primo, belli rumor sparsus est: Secundo, advenerunt Persae: tertio, expugnata fuit Babylon. Sed sunt istae nugae Hebraeorum: & alioqui verosimilius est, non sub Belsatzare, seu sub Labynito eius successore captam urbem a Cyro. II. *& timentis propter rumorem, qui audietur in terra* Chaldaeorum: *alius enim rumor veniet alio atque alio anno, alia item atque alia violentia in terra, imperiaque alia super alia*, nempe Persarum, super Babylonica. III. *& timeatis propter rumorem, qui audietur in ea terra, cum advenerit anno uno rumor ille*, id est, eo anno, quo nuntius allatus est de instituta & suscepta expeditione Cyri: nam priore anno coepta expeditione, Cyrus in Assyria moratus est, importunitate vadorum, maxime ad Gyndem fluvium, ut scribit Herodotus Lib. I. Numer. 189. *& postea anno altero*, nimirum cum alterum ver illuxit, quo ineunte Cyrus perrexit in Babyloniam, ut diserte Herodotus ait Lib. I. Numer. 190. *idem rumor*

mor violentiaque in terra: hoc est, Cyrus omnem strepitum vimque belli adhibuit contra Babyloniam: *denique dominator super dominatorem*, scilicet Belsatzarem, qui eadem nocte trucidatus est, qua fuit occupata Babylon, Daniel. v. 30. Sed potius Labynitum Belsatzaris successorem, uti in Notis Daniel. v. vers. 31. ostendemus.

V. 48. ET LAUDABUNT SUPER BABYLONEM CAELI ET TERRA. Alii: I. *Et iubilabunt, ovabunt, praeconia dicent super Babylone, &c.* II. *Et cantabunt in Babylonia caeli & terra.* Hyperbole, qua significatur omnes creaturas caelestes & terrestres vehementer gavisuras de exitio Babylonis.

V. 49. ET QUOMODO FECIT BABYLON, &c. Hunc versum Nostra translatio verbatim ex Hebr. transfudit: (*etiam Babel ad cadere violatos Israelis: etiam Babeli ceciderunt violati omnis terrae.*) Alii: I. *Siquidem Babylon fuit causa, ut caderent interfecti Israelis: etiam propter Babelem ceciderunt occisi universae terrae.* II. *Ut Babylon stravit desideratos Israelis; sic Babylonis desiderati sternentur per universam terram.* III. *Et Babyloni cadendum est, o confossi Iisraelis: & cum Babylone casuri sunt confossi totius terrae illius.*

V. 50. QUI FUGISTIS GLADIUM, &c. Quidam hunc versum ex Hebr. reddunt: I. *Qui evasistis gladium, ite, & ne steteritis, memores interim vel de longinquo*, id est post longum tempus, nempe 70. annos, *Iehovae, & Ierusalaim vobis in mentem veniat.* II. *O qui evasistis a gladio, abite, ne consistatis: recordamini e longinquo Iehova, & Ieruschalaima veniant in animum vestrum dicendo: Erubescimus, &c.* Conclusio prophetiae, ut diximus cap. L. I. quae Deus primum suos hortatur ad fidem & obsequium, duobus versibus: deinde iudicium in Babylonios eventurum summatim repetit, usque ad vers. 59. Hortatur reliquias deportationis hoc versu, ut Iehovae memores, postliminio Ierusalem cogitent, & in eam reverti ex animo curent.

V. 51. CONFUSI SUMUS, &c. Alii hunc versum ex Hebr. exponunt: *Erubescimus, quod audiamus opprobrium: operit ignominia faciem nostram, quod ingrediantur extranei in sanctuaria Iehovae.* Verba sunt reliquiarum, seu Ecclesiae; quasi dicat: Pudeat vos, Ecclesiam Dei incultam & desertam esse, a vobis adeo negligi, & ab exteris propter peccata vestra, & ignaviam vestram proculcari; ac proinde poenitentiam vestram coram Deo & Ecclesia his verbis testatam facite, Ecclesiamque sanctitate doctrinae & vitae a maledictis & malefactis adversariorum vindicate.

V. 53. SI ASCENDERIT BABYLON IN CAELUM, &c. Alii ex Heb. hunc versum explanant: *Etiam si ascenderet Babylon in caelum, etiam si muniret altitudinem roboris sui*, sive *altissimum robur suum:* hypallage; id est, muros & munitiones suas amplius confirmaret, vide suppra vers. 25. *a me venturi sunt vastatores in eam, dictum Iehovae.* ET FIRMAVERIT IN EXCELSO ROBUR SUUM. Alii, I. *& si munierit excelsum roboris sui.* II. *& cum roboraverit altitudinem fortitudinis suae;* id est, cinxerit se muris crassissimis & altissimis. III. *& robur suum sublimitate muniat.* IV. *aut si munieris in excelsum potentiam eius*, vel regnum, sive imperium obsfirmatum potentia & opibus. תבצר *tebatztzer*, futuri & tertia persona feminea, & secunda masculea esse potest.

V. 55. QUONIAM VASTAVIT DOMINUS BABYLONEM, &c. Alii versum illum ex Hebr. convertunt: I. *Quoniam vastat Iehova Babylonem, & perdit ex ea strepitum magnum: sonuerunt enim fluctus eorum*, id est turmae, seu turbae eorum, *instar aquarum ingentium, editus est tumultus voce eorum*, vel *edetur sonitus vocis eorum;* id est intentissima & fortissima erit vox eorum. II. *Nam vastaturus est Iehova Babylonem, & perditurus ex ea robur cum voce magna: etiamsi fremant fluctus illorum, ut aquae multae, edatur strepitus vocis illorum;* id est, etiamsi sit ingens populus, & veluti procellis agitetur.

*V.*56. QUIA FORTIS ULTOR DOMINUS REDDENS RETRIBUET. Alii I. *quia Deus fortis retributionem Iehova rependendo rependet*, seu *omnino rependet*, II. *quoniam Deus repensionum*, seu *retributionum, abunde rependet.* Heb. *integrando integrabit*, vel *retribuendo retribuet.*

V. 58. MURUS BABYLONIS ILLE LATISSIMUS. Heb. est discordia numeri: *Muri Babylonis latus.* Quidam: *Murus uterque Babylonis latissimus.* Nam cum interfluus Euphrates duplex oppidum efficiat, duplex quoque murus erat. Sed & Herodotus distincte Lib. I. Num. 181: (*Et hic quidem* mu-

murus loriea est: alius vero intus non multo quam hic debilior, sed exilior, &c. LATISSIMUS: vide supra vers. 25. Forsterus tamen apte exponit: *Muri Babylonis latæ* nam urbs fuit latissima. Herodotus Lib. I. Numero 178. *Oppidum situm est in planitie ingenti, forma quadrata, magnitudine quoquo versus centenum vicenum stadiorum, in summa quadringentorum octoginta circuitu quatuor laterum urbis*.) Similia alii. SUFFOSSIONE SUFFODIETUR. Alii: I. *diruendo diruetur*. II. *confringendo confringetur*. III. *destruendo destruetur*. IV. *Murus Babylonis late diruendo faciet se dirueri*; id, est omnes eius muri ut unus murus diruentur. V. Marinus: *Murorum quilibet Babylonis latissimæ excitando excitabit se*, id est, dissiliet, concitando confringetur. VI. Forsterus: *demoliendo demolietur* Passive, id est solo æquabitur. VII. Tremellius & Iunius; *nudando nudabitur*, vel *plane nudabitur*. Futurum Hithpahel intendit significatum: quasi dicat, Omnino, funditus, a fundamentis diruetur. ET PORTAE EIUS EXCELSAE IGNE COMBURENTUR. Alii: *& portæ eius altissimæ igne succendentur*; videlicet, proportioni latitudinis & altitudinis murorum respondentes. Hoc autem quando effectum fit, attigimus supra cap. L. 13. De portis Babylonis Herodotus Lib. I. Numer. 189. *Eius per ambitum centum portæ stabant, æreæ omnes, cum cardinibus itidem postibusque*. ET LABORES POPULORUM AD NIHILUM, &c. Alii ex Hebr. I. *fatigabuntur populi, plebs item in extinguendo igne, & lassabuntur*; id est, non poterunt extinguere ignem, quo flagrabit Babylon. II. *& quod gentes ac populi labore & fatigatione operati sunt, in vanum in & ignem abibunt*. III. *ita laboraverint populi pro inanitate, & nationes pro igne, ac defatigatæ fuerint*; videlicet, quicumque ædificationi, munimento, & exornationi Babylonis operam dederint: nam hæc tandem ad summam vastitatem redacta fuit: ut supra ostendimus cap. L. 13. AD NIHILUM. Hebr. *in sufficientia vanitatis*, seu *vacuitatis*; id est satis superque inaniter, hoc est vanissime, inanissime: sic statim: *in sufficientia ignis*, id est sufficientissime ad ignem; id est, ut penitus opera eorum ignis absumat.

V. 59. VERBUM, QUOD PRAECEPIT IEREMIAS PROPHAETA SARAIAE, &c. Iam sequitur pars ultima prophetiæ, nimirum typus adhibitus ad confirmationem præcedentis vaticinii de excidio Babylonis, ut diximus supra cap. L. 1. SARAIAS AUTEM ERAT PRINCEPS PROPHETIAE. Alii reddunt, i. *erat autem Seraiæ præfectus quietis*, seu *recreationis*; id est, cuius commercio rex uti solebat, quoties animum remittere volebat & recreare. Sive, qui regi erat a remissione animi, eique aderat, cum a seriis negotiis respirare volebat. II. *princeps residentiæ*, id est eorum, qui circa regem residebant, eique assistebant: forte præfectus prætorianis cohortibus, vel custodiæ principis. III. Tremellius, & Iunius מנוחה *menuchah*, hic pro nomine proprio accipiunt exponuntque: *Erat autem Seraia princeps Menuchæ*: qui tractus est in confinio Iehudæ & Danis, alibi Manaehath dictus: aut etiam (quia tractus divisus erat inter Iehudam & Danem) plurali numero Menuchothæ: vide I. Chronicor. II. 52. Forte fuit locus ille Menuchah de quo Iudic. xx. 43 vide ibi, & I. Paralipom. II. 52

V. 61. ET DIXIT IEREMIAS AD SARAIAM, &c. Alii hunc versum clarius ex Heb. reddunt: I. *Deinde dixit Irmeia ad Seraiam: Cum pervenies Babylonem, vide legas omnes sermones istos*. II. *Iirmeia Seraiæ: cum veneris ad Babylonem, tum aspiciens leges omnia verba hæc*. Videtur Iirmeia librum clusum & obsignatum tradidisse Seraiæ, referandum Babylone, ac legendum publice fortasse Iudæis deportationum Iehoiakimi, & Iechoniæ ad solamen. DICES: DOMINE, &c. Alii hunc versum ex Hebr. afferunt: *Ac dices: O Iehova, tu elocutus es contra locum hunc, te excisurum eum, adeo ut non sit in eo habitator tam ex hominibus, quam ex iumentis; sed desolatissimum in sæculum fore*. Oratio ad typum adiecta, qua accedente ex verbo Dei typus vere sacramentalis est.

V. 64. ET NON CONSURGET A FACIE AFFLICTIONIS. Quidam exponunt, Non poterit se eripere ab exitio ingruente: vel non poterit resistere hostibus, quin exsceindatur. Alii, numquam deinceps vel ipsa, vel regnum restitui aut instaurari poterit. ET DISSOLVETUR. Hebr. pluraliter: *& defatigabuntur*. Quidam: *quamvis debatigentur*; id est, quantumcumque laborem ad recolligendum se, instaurandumque consumpserint. Alii, *& lassabuntur*; id est, penitus defetiscentur cives Babylonis tot malis

lis oppressi. HUCUSQUE VERBA IEREMIAE: subaudiunt, de Babylonis excidio: nam aiunt hæc verba non esse finem libri, sed huius singularis prophetiæ hoc & superiore capite contentæ, cui quod longior fuerit, apposita sit hæc clausula: ut supra cap. XLVIII. 47. *Hucusque iudicia Moabi*. Tremellius, & Iunius exponunt: *Hactenus verba Iirmeiæ*, nimirum perscripta a Iirmeia: nam sequens caput a Iirmeia minime fuisse scriptum vel ex eo colligimus, quod pertexit historiam usque ad regnum Evilmerodaci, totumque tempus, quo rex Iehoiachin, vel Iechonias supervixit: ac proinde statuimus, ab aliquo viro Dei, aut Ecclesiæ consilio fuisse additum hoc sequens caput ad Iirmeiæ scripta: ut scriptis Moschis factum est Deuteron. XXXIV.

MENOCHII.

Vers. I. VENTUM PESTILENTEM: Persas, & Medos, qui Babyloniis, quasi ventus pestilens, mortem afferent.

V. 2. VENTILATORES: Cyrum, & Darium reges, cum exercitu suo. DEMOLIENTUR TERRAM EIUS: evertent urbem, cives interficient. In Hebræo est, *Qui evacuabunt eam*; pergit enim in allegoria ventilatorum, & areæ, in qua ventilatur triticum, & paleæ, & aceres separantur, & proiiciuntur; quasi dicat: Dispergent omnes habitatores eius, ita ut nemo in ea remaneat, sicut paleæ cum area ventilatur, viventi extra aream deferuntur. VENERUNT SUPER EAM; hostes eius. IN DIE AFFLICTIONIS EIUS: cum scilicet affligenda est, & ab hostibus capienda.

V. 3. NON TENDAT QUI TENDIT ARCUM; quasi dicat: Non erit opus in expugnanda Babylone, ut sagittarius arcum intendat, aut loricatus cominus cum hoste digladietur; ego enim Chaldæus epulis, & mero soporabo, atque ita quasi ligabo manus eorum, ac pedes, ut neque sagittarii arcum tendere, neque loricati fugere, aut movere se possint. Trucidate ergo eos intrepide, & animose, ne parcatis illis.

V. 5. VIDUATUS, destitutus. TERRA EORUM: scilicet Chaldæorum. REPLETA EST DELICTO, &c. delicto contra sanctum Deum Israel, & populum eius commisso.

V. 6. FUGITE: Iudæi, & gentes quæcumque. DE MEDIO BABYLONIS: mox excindendæ, ne cum ea pereatis. NOLITE TACERE SUPER INIQUITATEM EIUS; id est, ne quiescatis in iniquitate eius, ut discatis, & sequamini eius pravos mores, & cum ea pereatis.

V. 7. CALIX AUREUS BABYLON. Putant aliqui calicem aureum appellari calicem vini puri, & sicut aurum in vitro flavescentis. Alii calicem pretiosum. Uterque sensus aptus est, nam Babylon fuit quasi calix plenus ira Dei, quo omnes gentes inebriatæ sunt, id est usque ad insaniam afflictæ, ut dixit cap. XXV. 15. calix etiam aureus erat, quia dives, & potens. COMMOTAE SUNT. In Hebræo est, *Insanient gentes*.

V. 8. SUBITO CECIDIT. Persistit in metaphora calicis; quasi dicat: Postquam ex ea tamquam ex calice iræ Dei omnes gentes biberunt, deiecit Deus calicem ipsum in terram, & confractus est: ita Isa. XXI. 9. Apoc. XIV. 8. *Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quæ a vino iræ fornicationis suæ potavit omnes gentes*. TALLITE RESINAM. In Hebræo est, צרי *thori*, id est, *balsamum*. Adhibete illi balsamum; ut experiamur num sanetur. Ironice dictum, ac si diceret; Ita percutietur, ut ne balsamo quidem sanari possit, similis phrasis, & figura habetur supra XLVI. II.

V. 9. CURAVIMUS, &c. Dialogus est; introducit enim homines ad quos verba fecerat respondentes, curavimus eam, &c. DERELINQUAMUS EAM, &c. Hæc dicunt externi milites, qui in Chald. auxilium venerant; illis enim dixerat Deus superiori versu: *Tollite resinam*, id est defendite illam si potestis: PERVENIT USQUE AD CAELOS IUDICIUM EIUS: scelera magna, & enormia sunt, ut etiam eorum pœna: simili phrasi dicitur Psalm. XX. 7. 5. *Quia magna est super cælos misericordia tua, & usque ad nubes veritas tua*.

V. 10. RETULIT DOMINUS IUSTITIAS NOSTRAS. Iustos appellant se Iudæi, non quod Deo peccassent, sed quod cum Chaldæis nullam intulissent iniuriam, crudeliter ab eis tractati fuerat. OPUS DOMINI, id est quomodo Chaldæos perdiderit, nos vero servaverit.

V. 11. ACUITE SAGITTAS, &c. Aliqui putant orationem dirigi ad Persas; alii, & fortasse melius, ad Babylonios; quasi dicat:

cat: Expedite arma, acuite sagittas, &c. frustra laboratis, quia Dominus suas, & templi sui a vobis diruti, iniurias, per Persas ulcisci statuit.

V. 12. LEVATE SIGNUM. Quæ hoc versiculo habentur videntur dici Persis; quasi dicat: Inserte signa bellica Babylonem versus, & super muros eius figite. AUGETE CUSTODIAM: submissis novis militibus, qui fessis succedant. Numerum militum urbem obsidentium augete. LEVATE CUSTODES. Hebr. *excitate*; quasi dicat: Novos vigiles, & milites submittite; qui urbem cingant, & stringant. FECIT, id est faciet quidquid cogitavit, & prædixit: præteritum, pro futuro.

V. 13. QUAE HABITAS SUPER AQUAS, &c. Descriptio est Babylonis, quæ & aquis Euphratis alluebatur, & thesauris abundabat. PEDALIS PRAECISIONIS TUAE, id est ut funditus exscindaris; loquitur de Babylone metaphorice, tamquam de arbore, cuius pes, id est truncus præscinditur.

V. 14. PER ANIMAM SUAM: per se ipsum, per vitam suam; sic sæpe habemus in sacris litteris, *Vivo ego, dicit Dominus*. REPLEBO HOMINIBUS: multitudine hostium. QUASI BRUCHO. Comparat Persas, & Medos bruchis, qui magno numero vineas depascuntur. BRUCHO. Quid sit bruchus dixi Levit. II. 22. SUPER TE CELEUMA CANTABITUR. Hostes sui more vindemiatorum se mutuo excitabunt, & adhortabuntur, ut te populentur, & pessundent. Quid sit celeuma dixi cap. XLVIII. 33.

V. 15. IN FORTITUDINE SUA, id est in potentia sua. PRAEPARAVIT. Hebr. *firmavit*, vel *fundavit*.

V. 16. DANTE EO VOCEM: Deo tonante. MULTIPLICANTUR AQUAE, id est copiosus imber descendit. QUI LEVAT NUBES AB EXTREMO TERRAE. Sumptum est hoc e Psalmo CXXXIV. *Educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviam fecit. Qui producit ventos de thesauris suis*, &c. vide ibi dicta.

V. 17. STULTUS FACTUS EST, &c. Repetita sunt hæc ex cap. X. 14. 15. 16. ubi ea explicavimus.

V. 20. COLLIDIS TU MIHI VASA BELLI. Sensus est: Tu mihi o Babylon, hactenus omnes bellicosas gentes confregisti; has enim vocat *vasa belli*. EGO COLLIDAM IN TE, &c. Possunt hæc omnia futura ex proprietate Hebraicæ dialecti verti per præteritum, *Collisi per te*: frequenter enim in hac lingua præteritum pro futuro ponitur, & futurum pro præterito. IN TE: per te, tamquam per malleum. DISPERDAM: disperdidi, & sic de aliis futuris, quæ sequuntur.

V. 23. AGRICOLAM, ET IUGALES EIUS, id est boves, quibus iugalis erat.

V. 24. ET REDDAM BABYLONI: postquam illa, tamquam malleo, ad contundendas omnes gentes usus fuero. IN OCULIS VESTRIS, o Iudæi; id est, videntibus vobis Iudæis puniam eos, propter eversionem templi, & Ierusalem. Vel, puniam eos propter malum, quod vobis videntibus fecerunt in Sion.

V. 25. ECCE EGO AD TE MONS, &c. Babylonem vocat montem, non quod in monte sita esset (erat enim in loco plano) sed quod esset fortis, & munita, quales esse solent urbes quæ in montibus sitæ sunt; ob gloriam etiam & fastum imperii, & ob celsa palatia, & muros, quibus ambiebatur. PESTIFER. In Hebr. est משחת *maschit*, id est *vastans*, quia omnes gentes in suam potestatem, & impietatem adducebat; & quia sicut ex montibus exire solent bestiæ, quæ homines discerpunt, & vorant: ita ex Babylonis urbe milites erumpebant, qui omnes gentes, tamquam feræ dilacerabant. EVOLVAM TE DE PETRIS, id est, extraham te ex mediis rupibus, in quibus habitas, ut capiaris ab hostibus. Quemadmodum urbem vocavit montem, ita turres rupes appellat, quia quod sunt rupes in monte, hoc sunt turres in urbe. DABO TE IN MONTEM COMBUSTIONIS, id est combustum: solent autem feræ combusto monte in quo habitabant, huc illucque diffugere.

V. 26. NON TOLLENT DE TE LAPIDEM IN ANGULUM. Non supererit ex te lapis paulo grandior, qui collocari possit in angulo, ubi maiores lapides poni solent: ita enim conflagrabis, ut omnia in cineres solvantur. PERDITUS IN AETERNUM ERIS. In Hebræo est, *Eris in desolationes sempiternas*, id est non restauraberis ultra: non quod urbs non fuerit reædificata, sed quod regnum non fuerit restitutum, non enim de lapidibus, sed de hominibus loquitur.

V. 27. LEVATE SIGNUM, id est tollite ubique signum bellicum. Alloquitur Deus su-

summmus imperator omnes inferiores duces, quid apud omnes gentes sunt, iubetque milites contra Babylonem colligere. IN TERRA: ubique, per totam terram. SANCTIFICATE SUPER EAM GENTES. Convocate gentes ad sacrum bellum gerendum contra Babylonem, solemni, & publico ritu bellum contra illam indicite. ANNUNCIATE, indicite bellum. ARARAT, Armeniæ. MENNI. Videtur esse regio Minyarum in Armenia, de qua Ioseph. I. Antiq. cap. IV. ASCENEZ: gens Armeniæ vicina. Alii aliter interpretantur, sed nihil certi haberi potest. NUMERATE, &c. id est, conscribite contra eam milites Taphsar. TAPHSAR. Noster interpres existimavit esse nomen loci. LXX. verterunt, *constituite super eam*, vel adversus eam *βελοςάσεις*, *machinas*, vel *iaculationes*. Alii vertunt *nobilitatem*, alii *parvos duces*, vel principes, nam תף *taph*, *parvum*, שר *sar principem* significat. QUASI BRUCHUM ACULEATUM: qui in bello erectos, & horrentes attolunt crines, & hirsutas, & hispidas iubas, quasi aculeos bruchorum, id est locustarum, quæ aculeum habent in cauda, pedibus, & ore.

V. 28. SANCTIFICATE, &c. Vide num. superiori. REGES MEDIAE: est accusativus non vocativus, ut patet ex interpretatione LXX. virorum, & ex textu Hebraico את מלכי מדי, *eth malche Madai*.

V. 29. COMMOVEBITUR: commoveatur, conturbetur. Futurum pro imperativo. QUIA EVIGILABIT; consilium enim Domini quod contra Babylonem iam diu cogitavit videtur hactenus dormivisse, quia nondum factum est; sed nunc excitabitur, & evigilabit, id est fiet.

V. 30. CESSAVERUNT: præ timore, aut lassitudine. HABITAVERUNT IN PRAESIDIIS: ex arcibus, & locis munitis progredi non sunt ausi. DEVORATUM EST: defecit, vel deficiet, præteritum pro futuro. CURRENS OBVIAM CURRENTI CURRET: tam multi cursores, tam multi nuncii ad regem mittentur, qui urbem captam esse dicant, ut alii euntes aliis redeuntibus in via occurrant. A SUMMO USQUE AD SUMMUM, ab extremitate una ad aliam.

V. 32. VADA, Euphratis. PALUDES INCENSAE SUNT, id est arundines quæ in locis palustribus, & uliginosis nasci solent. CONTURBATI SUNT; timore perculsi.

V. 33. FILIA BABYLONIS, id est Babylon. QUASI AREA: in qua quasi in theatro conterendi erant, & capite bonisque mulctandi, atterendi, & triturandi Chaldæi, ad publicum gentium spectaculum, terrorem, & exemplum. VENIET TEMPUS MESSIONIS. Est hysteron proteron, & ordo inversus; prius enim est messis, deinde tritura. Per messem intelligit spoliationem bonorum, & civium cædem, ut enim falx segetes, sic gladius Persarum Chaldæos demetet.

V. 34. COMEDIT ME. Verba sunt Sionis, & populi Iudæorum, ut apparet ex versu sequenti. QUASI VAS INANE: exhauriens me omnibus bonis. QUASI DRACO: quasi draco marinus; id est, balena, quæ magna corpora ingenti oris hiatu absorbet. TENERITUDINE MEA. Heb. *Delitiis meis*, id est rebus pretiosis, & delicatis meis. EIECIT ME, id est evomuit; quasi dicat: Postquam omnes facultates meas devoravit, pepulit me ex patria mea, & in captivitatem misit.

V. 35. INIQUITAS ADVERSUM ME, &c. violentia, & clades mihi Sioni, & Iudææ inique a Babylone illata est. CARO MEA, id est meorum civium qui a Babyloniis interfecti sunt. SUPER BABYLONEM; id est, contra Babylonem clamat, aut super Babylonem veniet.

V. 36. IUDICABO CAUSAM TUAM, &c. id est, defendam, suscipiam, & ulciscar tibi a Chaldæis illatam. DESERTUM FACIAM, arefaciam. MARE EIUS, scilicet Babylonis: mare vocat bonorum, & divitiarum Babylonicarum abundantiam. SICCABO VENAM EIUS. Venas vocat vias per quas divitiæ Babyloni proveniebant, cuiusmodi sunt civium negotiationes, & vectigalia, quæ inde colliguntur.

V. 37. ET ERIT BABYLON, &c. His similia habes supra cap. XXV. 9 18. & cap. XLIX. 17. vide ibi dicta.

V. 38. UT LEONES RUGIENT. Intelligi possunt hæc verba vel de Persis, & Medis victoribus præ ferocitate quodammodo rugientibus; vel de Babyloniis præ dolore ita gementibus, ut rugire videantur: prior sensus videtur aptior.

V. 39. IN CALORE, &c. est hypallage; id est, in compotationibus Balsasaris, & Chaldæorum ponam calorem eorum, id est permittam eos genio indulgere, largiter bibe-

bere, vino incalescere, ex quo sequatur ebrietas, & somnus sempiternus mortis; nam cum Baltasar in convivio nocturno inebriatus esset, eadem nocte Babylon capta, & ipse interfectus est: vide cap. v. Danielis.

V. 40. QUASI AGNOS: nam ebrii non resistent; ut agni occidentibus non resistent. AD VICTIMAM: ad macellum, ad occisionem.

V. 41. SESACH, id est Babylon: vide dicta cap. XXV. 26. IN STUPOREM: omnes enim qui eam videbunt stupebunt videntes illam destructam, & eversam.

V. 42. MARE: Mare vocat Medorum, & Persarum exercitum, qui militum suorum multitudine terram operiebat.

V. 43. IN STUPOREM. Vide dicta num. 41.

V. 44. VISITABO SUPER BEL; id est, exitium inducam super Bel nobilissimum Babyloniorum Idolum. EIICIAM QUOD ABSORBUERAT: faciam ut Bel, & eius cultores evomant quæ absorbuerat, bona scilicet Iudæorum & aliarum Gentium. Videtur alludere ad historiam huius idoli, quæ habetur Dan. XIV. & ad errorem Babyloniorum existimantium idolum illud multum cibi absumere.

V. 45. EGREDIMINI, &c. Repetit quæ dixit supra num. 6.

V. 46. NE MOLESCAT COR VESTRUM, id est ne timore solvatur. AUDITUM: famam, & rumorem belli, quod parant Persæ contra Babylonem. VENIET IN ANNO AUDITIO: veniet toto anno, & sequenti etiam, crebra, & iterata auditio, & fama belli ingruentis. INIQUITAS IN TERRA; id est, propter famam belli imminentis existent in Babylone iniquitates, seditiones, factiones, &c. ET DOMINATOR SUPER DOMINATOREM; id est, & Darius Medus regnabit pro Balsasare, Dan. v. 31. Alii de Cyro interpretantur, qui Dario successit Dan. VI. 28.

V. 48. LAUDABUNT CAELI, &c. id est exultabunt cæli, & terra, id est Deus, Angeli, & homines, propter iustam Dei vindictam, quam sumpsit de Babylone; vel, sensus est, quasi dicat: Nova erit mundi facies, ut cæli, & terra præ gaudio exilire videantur, ob eversam Babylonem. PRAEDONES: hostilis exercitus prædator.

V. 50. QUI FUGISTIS GLADIUM. O vos Iudæi, qui in expugnatione Ierosolymitana gladium Nabuchodonosoris effugistis, & captivi venistis Babylonem. VENITE: in Ierusalem; redite in patriam. NOLITE STARE, moras nectere. RECORDAMINI PROCUL DOMINI; scilicet ex Chaldæa, quæ longe distat a Ierusalem. DOMINI; pro templi, vel cultus Domini, scilicet qui in Ierusalem exerceri solebat. ASCENDAT SUPER COR VESTRUM, id est recordamini: veniat vobis in mentem.

V. 51. CONFUSI SUMUS, &c. Est responsio Iudæorum. Pudore afficimur, cum recordamur Ierusalem, & opprobriorum, quæ a Chaldæis sæpe contra Dominum, & eius templum audivimus. OPERUIT IGNOMINIA: est repetitio. Rubore suffusi sumus propter ignominiam. ALIENI: prophani Chaldæi, qui contaminaverunt sanctum templum Domini.

V. 52. MUGIET: gemet vulneratus præ dolore.

V. 53. FIRMAVERINT IN EXCELSO ROBUR SUUM: etiamsi in ipso cælo arcem sibi ædificaverit, qua sese muniat, & tutam reddat: significat, non posse Babylonem ultrices Dei manus effugere. VASTATORES: *Prædatores*, ut est in Hebræo.

V. 54. VOX CLAMORIS DE BABYLONE, scilicet audietur.

V. 55. PERDIDIT EX EA VOCEM MAGNAM, id est ingentem strepitum, & murmur populi frequentissimæ urbis, quæ redigetur in solitudinem. Vel, vox magna superbiam significat, ut enim humiles demissa, sic superbi elata voce, & alta loqui solent. SONABUNT FLUCTUS EORUM, id est, Babyloniorum, cum occidentur, gemitus sonabunt sicut fluctus aquarum multarum.

V. 56. EMARCUIT, elanguit. REDDENS RETRIBUET: pœnam malefactorum exiget.

V. 57. INEBRIABO: vino furoris mei. SOMNUM SEMPITERNUM, mortis.

V. 58. MURUS ILLE LATISSIMUS: erant enim muri Babylonis lati 50. cubitos, & alti ducentos, ex Herodoto, Diodoro, Solino, & aliis. PORTAE EIUS EXCELSAE: portæ turritæ, quæ centum fuisse perhibentur. LABORES POPULORUM AD NIHILUM; redigentur. Vel, frustra populi conabuntur ignem extinguere, quo flagrabit Babylon, IN IGNEM ERUNT: igne consumentur.

V. 59. VERBUM, &c. Redit propheta

ad

ad tempus Sedeciæ, hoc eſt ad annum eius quartum, ut hoc verſiculo dicitur. CUM PERGERET, ſcilicet Saraias. IN BABYLONEM: ut ſalutaret Nabuchodonoſor, munera offerret, & ſibi regnoque ſuo propitium redderet. PRINCEPS PROPHETIAE, id eſt orationis, & legationis, & dux verbi. Vel ſenſus eſt, fuiſſe primum inter Levitas, qui Prophetias & Pſalmos canere ſolebant. Vel, ſignificatur Saraiæ commendatum fuiſſe a Ieremia prophetiam, quæ ſtatim ſubiicitur, ut ipſam Babylone evulgaret. OMNIA VERBA HAEC: quæ ſupra de Babylonis excidio habita ſunt.

V. 61. VIDERIS, ET LEGERIS, id eſt videndo percurreris, & recitaveris.

V. 63. PROIICIES: ad conſolationem Iudæorum, & monitionem Chaldæorum.

V. 64. SIC SUBMERGETUR: non tam in Euphratem, quam in mare excidii, & calamitatum plurimarum. ET NON CONSURGET; non emerget ex his malis, nec amplius reſtaurabitur. HUCUSQUE VERBA IEREMIAE, ſcilicet contra Babylonem; non enim ſignificatur quæ ſequuntur verba non eſſe Ieremiæ.

TIRINI.

Verſ. 1. SUSCITABO VENTUM PESTILENTEM, qui ſegetes adurat & homines. Sic vocat bellicum turbinem per Medos & Perſas in Chaldæam invectum.

V. 3. NON TENDAT QUI TENDIT ARCUM; quaſi dicat: Non opus eſt, arcum intendat ſagittarius, aut loricatus cominus digladietur cum hoſte: ego enim Chaldæos epulis & mero ſoporatos dabo in manus veſtras: trucidate ſponte obvios & incurrentes in haſtas & enſes veſtros: ita Maldonatus & Sanchez.

V. 5. NON FUIT VIDUATUS ISRAEL ET IUDA A DEO; id eſt, Iſrael & Iuda non eſt quaſi vidua, deſtituta marito vel ſponſo ſuo; ſed vivit adhuc ſponſus eius *Deus*, qui curam illius, utpote clariſſimæ ſponſæ geret, vindicabitque illatas ipſi iniurias a Chaldæis, *quorum* TERRA REPLETA EST omni genere ſcelerum, ſed præcipue DELICTO A SANCTO, ſeu in ſanctum, ISRAEL admiſſo, cum templum, cum urbem ſanctam, cum populum Dei omnem tot iniuriis affecerunt: ita Hugo, Lyranus, Vatablus & Maldonatus.

V. 6. FUGITE; o Iudæi, o gentes aliæ, DE MEDIO BABYLONIS mox exſcindendæ: NOLITE TACERE SUPER INIQUITATEM EIUS, id eſt, nolite *diutius quieſcere in iniquitate eius*, ut habent Hebræa, id eſt in urbe, in populo tam iniquo & perverſo.

V. 7. CALIX AUREUS: fuit hucuſque BABYLON, id eſt regnum dives, ſplendidum, potens. Sed hic calix plenus fuit felle & abſinthio calamitatum, cladium, excidiorum, quibus inebriata fuit *omnis terra*, invaſione a ſtrage Chaldæorum pene ad inſaniam adacta. Et fuit hic calix IN MANU DOMINI: quia Deus crudelitate & tyrannide Chaldæorum utebatur quaſi pro flagello aliarum gentium: ita Origenes, Chaldæus, Theodoretus, & Rabanus. Sed iam

V. 8. SUBITO e manu Dei deiectus hic calix CECIDIT humi, & *contritus* eſt ac peſſumdatus. TOLLITE RESINAM, id eſt adhibete medicinam, pharmaca, emplaſtra; quaſi dicat: O gentes Chaldæis ſubiectæ vel confœderatæ medelam afferte ruinæ Babylonis. Sed re deſperata reſpondent hi medici:

V. 9. CURAVIMUS BABYLONEM, ET NON EST SANATA: ita Theodoretus, Hugo & Vatablus. Alii, ut Origenes, Rabanus & Lyranus, volunt has eſſe voces angelorum tutelarium Babylonis: quales etiam poſtea exauditas Ieroſolymis ſub Tito, teſtis eſt Ioſephus *a*. PERVENIT USQUE AD CAELOS IUDICIUM EIUS; id eſt, ſcelera Babylonis enormia inclamant iudicium & vindictam divinam: it clamor cælo. Hinc deſperata eſt eius curatio, inquit a Lapide. Porro per hoc Chaldæorum excidium, inquiunt Iudæi,

V. 10. PROTULIT, Deus in lucem IUSTITIAS NOSTRAS; id eſt, probatum orbi fecit, iuſtam eſſe cauſam noſtram, qua querimur nos iniuſte ab ipſis opprimi, nulla eis illata iniuria. NARREMUS ergo IN SION, id eſt Ieroſolymis, in Eccleſia Dei, hoc ſingulare OPUS DOMINI; quo Chaldæos contrivit in noſtri vindictam & liberationem.

V. 13. VENIT FINIS TUUS PEDALIS PRAECISIONIS TUAE: pedalem enim (brevem, certam ac definitam) menſuram tibi tuoque imperio duplicem præſtituit Deus; primam *opum* & *gloriæ*, æque ac *ſcelerum*: ſecundam *temporis*, ut nimirum teneas imperium per 70. annos. Utramque menſuram

ram nunc implesti; unde instar finis tibi, & tempus PRAECISIONIS atque excidii tui. Pulchre hæc cuivis alteri regno, & multo magis cuivis homini adaptat S. Augustinus *b*, sed sensu morali.

V. 14. REPLEBO TE HOMINIBUS, tibi adversariis, puta Medis & Persis, qui QUASI BRUCHI turmatim involabunt in germina, frutices, vineas tuas, stirpitus omnia depascentes; & communi voce, quasi *celeumate* se invicem ad te exscindendam cohortantes.

V. 16. DANTE DEO VOCEM, id est tonante, MULTIPLICANTUR AQUAE IN CAELO, id est copiosæ pluviæ delabuntur. Hinc usque ad vers. 20. quæ alibi *c* explicui, describit potentiam, sapientiam ac beneficentiam divinam; ut ostendat, quam facili negotio possit succurrere populo suo, & hostes eius omnes exscindere.

V. 20. TU MIHI, o Babylon; malleus es adamantinus, quo COLLIDIS & conteris VASA, id est instrumenta, *bellica*, quarumcumque nationum: & vero IN TE, id est per te quasi meum malleum, COLLIDAM & conteram (durantibus adhuc 70. annis imperio tuo præfixis) omnes GENTES ET REGNA VICINA, etiam Iudæam. Sed tandem etiam te collidam malleo Persico:

V. 24. ET REDDAM tibi in caput tuum OMNE MALUM QUOD *fecisti* IN SION, & in alias gentes.

V. 25. MONS vocatur Babylon; etsi humili loco sita, in campo *Sennaar d*, primo, ob excelsam gloriam & fastum impii: secundo, ob celsa palatia: tertio, ob murorum altitudinem, qui ad 200. cubitos attollebantur, testibus Herodoto, Strabone, Plinio, Diodoro Siculo & Orosio *e*. PESTIFER vocatur, vel, ut est in Hebræo, *vastans*, quia, sicut prodire solent e montibus feræ quæ homines & armenta dilaniant; ita e Babylone prodibant milites, qui gentes alias evertebant, inquit Maldonatus. Sed EGO vicissim EVOLVAM TE PETRIS; id est, eiiciam e turribus, mœnibus, propugnaculis tuis; quibus tamquam rupibus confidis; ET DABO TE IN MONTEM COMBUSTIONIS, id est combustum, adeo ut omnes lapides tui vel in cineres, vel saltem in minuta fragmenta dissiliant.

V. 26. ET NON possit *ex te attolli lapis* iustæ molis aut magnitudinis, qui in *angulis* vel *fundamentis* aliarum domorum collocetur: sed in acervum & rudera redactus, non restauraberis in æternum, ut supra *f* dixi. Sed videtur hic Propheta non de sola materiali excisione loqui, sed etiam de morali, nempe de abolitione & excidio monarchiæ Babylonicæ. Unde Chaldæus vertit, *Non tollam deinceps ex te regem in regnum, neque principem in principatum, quia omnes delebuntur*: ita Theodoretus, Hugo, Vatablus & Maldonatus.

V. 27. LEVATE SIGNUM; id est, attollite vexillum militare, vos o Persæ & Medi, SANCTIFICATE *g* SUPER, id est contra *Babylonem* GENTES; quasi dicat: Convocate quotquot potestis populos ad sacrum bellum gerendum contra Chaldæos. Evocate *reges* ARARAT ex Armenia inferiore, inquit S. Hieronymus *h*, & MENNI, seu Minyarum ex eadem Armenia: ET ASCENEZ regione vicina Armeniæ, sic dicta ab *Ascenez i* pronepote Noe. Ex quibus Asianis *Ascaniis* videntur exorti & in Europam transmisisse nostri Occidentales Ascanii, id est Tuiscones sive Germani, ut ait Torniellus k. NUMERATE & conscribite CONTRA EAM TAPHSAR, id est parvos duces, seu minores principes, ut Noster aliti *l* vertit: ita Pagninus & Vatablus. ADDUCITE EQUUM numerosum ac ferocem QUASI BRUCHUM ACULEATUM. Equos Persarum denotat, qui in bello erectas & horrentes attollunt iubas, quasi aculeus bruchorum, neque egent calcaribus, sat ipsa natura sua exstimulati ad cursum & pugnam, inquit Oppianus, & ex eo Sanchez.

V. 29. COGITATIO DOMINI; id est, quidquid Dominus cogitavit & decrevit circa punitionem Babylonis, iam EVIGILABIT, id est suscitabitur & executioni dabitur.

V. 32. VADA Euphraris PRAEOCCUPATA SUNT a Persis, ut ante *m* dixi. PALUDES; id est, iunci & arundines, quæ in paludosis locis Nili & Euphratis crescunt in arborum altitudinem, igni *succendi* debant, ut militibus expeditior per alveum via esset in urbem: ita Vatablus & Pagninus.

V. 34. COMEDIT ME NABUCHODONOSOR, inquit Iudæa: REDDIDIT ME QUASI VAS INANE, exhaustis omnibus incolis: ABSORBUIT ME totam QUASI DRACO *n* marinus, id est balæna absorbet integras naves: VENTREM, id est ærarium SUUM RE-

REPLEVIT TENERITUDINE MEA, id est opibus meis, spoliis, & pretiosis monilibus quæ tenerrime diligebam: ita Chaldæus & Theodoretus: *&* crapulans nimiis epulis, EIECIT evomuit, ME in Babylonem: quæ sane insignis fuit.

V. 35. INIQUITAS & iniustitia ADVERSUM ME. Unde ET CARO ET SANGUIS MEUS, seu meorum interfectorum, erit clamans vindictam, & deposcens ultionem SUPER BABYLONEM, ut tyrannidis suæ dignas pœnas exsolvat.

V. 36. DESERTUM FACIAM MARE EIUS, id est, exsiccabo Euphraten, urbem mediam interluentem: aquis perpetuo turgidum instar maris, inquit Lyranus. Sed Theodoretus & Vatablus per *mare* abundantiam intelligunt hominum & opum, quæ tanta erat, ut instar maris videretur exhauriri non posse. ET SICCABO VENAM EIUS, id est rivos omnes in Euphraten vel ex Euphrate delabentes. Metaphorice, vectigalia & mercimonia, e quibus quasi ex venis manabant perpetuæ Babylonis opes.

V. 38. SIMUL UT LEONES RUGIENT Chaldæi præ ira & indignatione, cum cernent Persas Babylonem ingressos: ita Lyranus, Hugo & Castrius, & patet ex sequentibus.

V. 39. IN CALORE PONAM POTUS EORUM. Est hypallage *o*; quasi dicat: Efficiam ut potus Chaldæorum sit egregie calidus, quo facile ipsi incalescant, inebrientur, sopiantur sopore *sempiterno*. Idem prædixit olim Isaias XXI. 5. & factum narrat Daniel. V. 4. & 30.

V. 41. QUOMODO possibile est, *ut* CAPTA *sit* SESACH, id est Babylon, ut ante *p* exposui. Babylon, inquam, cui de rebus omnibus ad tolerandam obsidionem necessariis abunde prospectum erat in annos viginti, inquit Xenophon *q*.

V. 42. MARE ASCENDIT SUPER BABYLONEM, & ita capta est; quasi dicat: Via fluminis iam exsiccati inundavit in urbem innumerabilis exercitus Persarum & Medorum, quibus obruta fuit.

V. 44. VISITABO SUPER BEL, qui quotidie devorare fingitur plurimas victimas sibi in epulum propositas, Daniel. XIV. 2. Hos bolos EIICIAM DE ORE EIUS, cogamque revomere quæ absorpsit: ita Vatablus & Theodoretus.

V. 46. NE FORTE, o Iudæi productiore Chaldæorum tyrannide MOLLESCAT & deficiat COR VESTRUM, scitote, non diu protractum iri: nam IN ANNO uno, nempe primo Balthassaris, VENIET AUDITIO, id est rumor imminentis belli Persici; ET POST HUNC ANNUM, nempe secundo anno Balthassaris, erit etiam AUDITIO, sed præsentis iam belli, ET INIQUITAS IN TERRA, id est iniqua & violenta oppressio terræ Babylonicæ; ET DOMINATOR SUPER DOMINATOREM adveniet, nempe Darius post Cyrum; cum tot aliis minorum gentium regibus. Qui non ante recedent, quam Babylone potiti fuerint: quod contigit sub finem tertii anni, monarchiæ Balthassaris *r*; ita fere R. David & Vatablus. Vos ergo Iudæi,

V. 50. QUI in vastatione Babylonis FUGISTIS GLADIUM, id est effugistis mortem, NOLITE diutius istic *perstare*, sed VENITE & redite in patriam vestram, potestate redeundi facta omnibus per *Cyrum s* RECORDAMINI DOMINI PROCUL; id est, in memoriam revocate pristinum cultum Ierosolymis exhiberi solitum ante tot annos: ita Rabanus, Theodoretus & Lyranus. Respondent Iudæi:

V. 51. CONFUSI SUMUS, seu confundimur, quando recordamur *opprobrii*, quo affecti sunt patres nostri in excidio Ierosolymæ: ALIENI isti Chaldæi & aliæ barbaræ gentes destruxerunt SANCTIFICATIONEM DOMUS DOMINI, id est templum. Sed iam vicissim

V. 55. VASTAVIT DOMINUS BABYLONEM, ET PERDIDIT EX EA VOCEM MAGNAM, id est superbam iactantiam Babyloniorum: ET SONABUNT FLUCTUS EORUM; id est, eiulatus occumbentium resonabunt sicut fluctus aquarum multarum, inquit Maldonatus.

V. 57. INEBRIABO calice iræ meæ PRINCIPES EIUS: ut supra *t*.

V. 58. MURUS BABYLONIS ILLE LATISSIMUS, 50. cubitorum in latum, 200. in altum, 450. stadiorum in ambitum porrectus, teste Herodoto, Diodoro, Solino & aliis, SUFFOSSIONE SUFFODIETUR, ET PORTAE EIUS EXCELSAE centum, IGNI COMBURENTUR *u* a Persis. LABORES POPULORUM totius pene Asiæ tot annis, tantis sumptibus erecti, momento redigentur in fa-

ſavillam, inquit Chaldæus, & Lyranus. Porro prophetiam hanc contra Babylonem ſcripto tradidit Ieremias deferendam in Babylonem.

V. 59. SARAIAE non ſummo pontifici, (quia is non erat *filius* NERIAE FILII MAASIAE, verum filius Azariæ *x* filii Helciæ) ſed *principi* PROPHETIAE, id eſt præfecto cantus & muſicæ regiæ, inquit a Caſtro: Cornelius a Lapide dicit fuiſſe fratrem *Baruch*, ut colligere eſt ex iiſdem utriuſque parentibus, hic & Baruch verſ. 1. recenſitis, *cum perget legatus a Sedecia rege*, ut vertunt Chaldæus & LXX. ad regem Nabuchodonoſorem; vel, ut Noſter vertit, CUM REGE SEDECIA, anno 44. regni eius, cum alta adhuc pax eſſet inter Iudæos, inquiunt Hebræi in Seder-olam. cap. x. Iuſſitque palam prælegi omnia captivis iſtic Iudæis, & etiam Chaldæis ad audiendum concurrentibus. Prælecta iubet verſ. 63. *proiici* IN MEDIUM EUPHRATEN; ut ſic realis quoque typus daretur demerſionis Babyloniorum in flumen calamitatum & pœnarum ſupra prædictarum. Ad hoc caput Ieremiæ alludit ſæpe S. Ioannes Apocal. XVIII. ubi novæ Babylonis, id eſt Romæ ad gentiliſmum ſub finem mundi relapſæ, excidium deſcribit, ut Alcazar & a Lapide exponunt.

(a) Ioſeph. Lib. VII. Belli cap. XII.
(b) Auguſt. Lib. de Vita Chriſtiana cap. III. & IV. tom. IX.
(c) Ierem. X. 14. 15. 16.
(d) Geneſ. XI. verſ. 2.
(e) Oroſius Lib. II. cap. VI.
(f) Ierem. L. 39.
(g) Ierem. VI. 4.
(h) Hieron. in cap. XXXVII. Iſaiæ.
(i) Geneſ. X. verſ. 3.
(k) Torniell. anno mundi 1931. num. XXI.
(l) Nahum. III. 17.
(m) Ierem. L. 38.
(n) Ezech. XXIX. verſ. 1.
(o) Proleg. de Idiotiſmis Hebr. num. 42.
(p) Ierem. XXV. 26.
(q) Xenoph. Lib. VII. Cyropæd.
(r) Chron. cap. XXXIV. & XXXV.
(ſ) Eſdr. I. 1.
(t) Hic verſ. 39. & cap. L. 39.
(u) Ibid. cap. L.
(x) Chronici cap. XLII.

GORDONI.

Verſ. 1. & 5. SUſcitabuntur Medi & Perſæ in Babylonios: nemo conetur arcu ſuo tueri Babylonem. Sit vidua Babylon, (verſ. 5.) in quo gravius punietur quam Iſrael, qui non eſt viduatus, nam vivit eius ſponſus Deus.

V. 7. CALIX AUREUS BABYLON, &c. Inebriat, inquit, terram: de eius vino bibent gentes. Sane calix iſte plenus felle eſt; aureus quidem eſt propter opes Babylonicas, ſed abſinthio amarior, ob eas quas continet, & propinavit gentibus ſtrages & calamitates. Eſt vero IN MANU *DOMINI*, ut flagellum ad calamitatem gentium, quas invaſione inebriavit, ET IDEO COMMOTAE, inquit, SUNT. Si ſenſum quæras moralem, calix hic aureus ad varia referri poteſt. Ex Orig. hic hom. 2. eſt ſermo aures demulcens, ſed auditoribus prava inſtillans; tales ſunt voces hæreticorum, item adulatorum aut meretricum. Gregorio eſt gloria mundi calix iſte aureus: XXIV. Mor. 8.

V. 8. & 9. TOLLITE RESINAM AD DOLOREM EIUS, &c. Dialogiſmus eſt inter Ieremiam & gentes. Medelam afferte ironia eſt. Reſpondetur, CURAVIMUS ET NON EST SANATA, deſperata ſalus, recedamus. Alii docent reſponſum hoc eſſe Angelorum cuſtodum Babylonis.

V. 13. QUAE HABITAS IUXTA AQUAS, &c. Euphratem intellige per Babylonis plateas varias fluentem. FINIS PEDALIS PRAECISIONIS; hoc eſt finis determinatus ad modum menſuræ. Præciſio eſt interitus. Certe menſura opum & gloriæ eſt pedalis, hoc eſt perexigua: punctum eſt, & puncto minus quod colimus.

V. 14. IURAVIT DOMINUS, &c. Magna oſtenditur Dei potentia, & qua facile everti poſſunt opes Babylonicæ: nihil ſunt mortalia cum Deo compoſita.

V. 27. LEVATE, &c. En iam ut invitentur gentes ad cladem Babyloniceam. ARARAT eſt Armenia, præſertim campeſtris. MENNI ET ASCENES, gentes ibidem, aut vicinæ.

V. 34. COMEDIT ME, &c. Dat cauſam huius excidii, commemorans mala quæ fecit Babylon. Loquitur Iſrael, & queritur ſanguis Iſrael contra Babylonem.

V. 41. QUOMODO CAPTA EST SESACH. Exclamatio eſt Ieremiæ admirantis everſam tantam potentiam. Seſach eſt Babylon, ut cap. XXV. verſ. 26.

V. 45.

V. 45. EGREDIMINI IN MEDIO EIUS, &c. Invitat Iudaeos, ut egrediantur, quia instat ruina Babyloniae. Non est reiicienda interpretatio, quae hic notat designari per triennium, quo Baltazar regnavit, apparatum ac minas belli contra Babylonem, quasi primo anno designetur apparatus: altero accessio maior, & demum anno 3. excidium. Iniquitas de terra, hoc est violentia, & dominator super dominatorem, Cyrus cum Dario contra Baltazarem.

V. 50. QUI FUGISTIS GLADIUM, &c. Alloquitur Iudaeos, & solatur eos. Mox vers. 52. persequitur, sermonem inchoatum de modo excidii.

V. 59. VERBUM QUOD PRAECEPIT IEREMIAS, &c. Res haec de missa in Babylonem prophetia est clara; notanda est hic ratio temporis. Incidit legatio haec in annum 4. Sedeciae, quando ductus est in Babylonem. SARAIAS, inquit, PRINCEPS PROPHETIAE, hoc est legationis qua missa est prophetia ad Rempub. captivorum. Σαραίας ἄρχων δώρων.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 3. NON TENDAT. Chaldaeus, non resistat.

Vers. 6. A SANCTO ISRAEL: contra sanctum Israelem bellando.

Vers. 8. Resina sedat dolorem.

Vers. 9. CURAVIMUS BABYLONEM. Respondent defensores Babyloniae ad illam ironiam versiculi octavi, ubi iubentur hi afferre resinam: respondent, inquam, rem esse desperatam.

Vers. 13. AQUAS. Babylon Euphrate alluitur.

Vers. 27. LEVATE, vexilla. SANCTIFICATE, destinate.

Vers. 31. Rex quidem intra urbem; sed nuntii currebant a parte urbis primum occupata.

Vers. 32. PALUDES INCENSAE, combustis ibi arundinibus.

Vers. 34. COMEDIT ME: loquitur Iuda. INIQUITAS, Babylon.

Vers. 41. & 42. SESACH, Babylon. MARE, exercitus Chaldaeorum.





CAPUT LII.

Praecedentium repetitio, nempe quod Ierusalem a Nabuchodonosor obsessa post biennium capitur, & Sedecias rex Iuda fugiens reducitur: filiisque eius coram ipso trucidatis una cum Principibus Iuda, exoculatus ac vinctus ducitur in Babylonem: & incenso templo & palatio ceterisque domibus, transferuntur omnes in Babylonem praeter paucos vinitores & agricolas: similiter & vasa templi; inter quae describuntur duae areae columnae: & numerus Iudaeorum in Babylonem diversis temporibus translatorum, ubi Rex Ioachin post 37. annos de carcere eductus exaltatur.

1. Filius vinginti & unius anni erat (*a*) Sedecias cum regnare
cœpisset: & undecim annis regnavit in Ierusalem, & no-
men matris eius Amital, filia Ieremiæ de Lobna. 2. Et fecit
malum in oculis Domini, iuxta omnia quæ fecerat Ioa-
kim. 3. Quoniam furor Domini erat in Ierusalem & in
Iuda, usquequo proiiceret eos a facie sua: & recessit Se-
decias a rege Babylonis. 4. (*b*) Factum est autem in an-
no nono regni eius, in mense decimo, decima mensis:
Venit Nabuchodonosor rex Babylonis, ipse & omnis exercitus eius, adversus
Ierusalem, & obsederunt eam, & ædificaverunt contra eam munitiones in cir-
cuitu. 5. Et fuit civitas obsessa usque ad undecimum annum regis Sedeciæ. 6.
Mense autem quarto, nona mensis, obtinuit fames civitatem: & non erant ali-
menta populo terræ. 7. Et dirupta est civitas, & omnes viri bellatores eius
fugerunt, exieruntque de civitate nocte, per viam portæ, quæ est inter duros
muros, & ducit ad hortum regis (Chaldæis obsidentibus urbem in gyro) &
abierunt per viam, quæ ducit in eremum. 8. Persecutus est autem Chaldæorum
exercitus regem: & apprehenderunt Sedeciam in deserto, quod est iuxta Ieri-
cho: & omnis comitatus eius diffugit ab eo. 9. Cumque comprehendissent re-
gem, adduxerunt eum ad regem Babylonis in Reblatha, quæ est in terra Ema-
th: & locutus est ad eum iudicia. 10. Et iugulavit rex Babylonis filios Sede-
ciæ in oculis eius: sed & omnes principes Iuda occidit in Reblatha. 11. Et ocu-
los Sedeciæ eruit, & vinxit eum compedibus, & adduxit eum rex Babylonis in
Babylonem, & posuit eum in domo carceris usque ad diem mortis eius. 12.
In mense autem quinto, decima mensis, ipse est annus nonusdecimus Nabucho-
donosor regis Babylonis: venit Nabuzardan princeps militiæ, qui stabat coram
rege Babylonis in Ierusalem. 13. Et incendit domum Domini, & domum re-
gis, & omnes domos Ierusalem, & omnem domum magnam igni combussit.
14. Et totum murum Ierusalem per circuitum destruxit, cunctus exercitus
Chaldæorum, qui erat cum magistro militiæ. 15. De pauperibus autem popu-
li, & reliquo vulgo, quod remanserat in civitate, & de perfugis, qui transfu-
gerant ad regem Babylonis, & ceteros de multitudine, transtulit Nabuzardan
princeps militiæ. 16. De pauperibus vero terræ reliquit Nabuzardan princeps
militiæ vinitores, & agricolas. 17. Columnas quoque æreas, quæ erant in do-
mo Domini, & bases, & mare æneum, quod erat in domo Domini, confre-

gerunt

gerunt Chaldæi, & tulerunt omne æs eorum in Babylonem. 18. Et lebetes, & creagras, & psalteria, & Phialas, & mortariola, & omnia vasa ærea, quæ in ministerio fuerant, tulerunt: & 19. hydrias, & thymiamateria, & urceos, & pelves & candelabra, & mortaria, & cyathos: quotquot aurea, aurea; & quotquot argentea, argentea, tulit magister militiæ: 20. & columnas duas, & mare unum, * & vitulos duodecim æreos, qui erant sub basibus, quas fecerat rex Salomon in domo Domini: non erat pondus æris omnium horum vasorum. 21. De columnis autem, decem & octo cubiti altitudinis erant in columna una, & funiculus duodecim cubitorum circuibat eam: porro grossitudo eius quattuor digitorum, & intrinsecus cava erat. 22. * Et capitella super utramque ærea: altitudo capitelli unius quinque cubitorum: & retiacula, & malogranata super coronam in circuitu, omnia ærea. Similiter columnæ secundæ, & malogranata. 23. Et fuerunt malogranata nonaginta sex dependentia: & omnia malogranata centum; retiaculis circumdabantur. 24. Et tulit magister militiæ Saraiam sacerdotem primum, & Sophoniam sacerdotem secundum, & tres custodes vestibuli. 25. Et de civitate tulit eunuchum unum, qui erat præpositus super viros bellatores: & septem viros de his, qui videbant faciem regis, qui inventi sunt in civitate: & scribam principem militum, qui probabat tyrones: & sexaginta viros de populo terræ, qui inventi sunt in medio civitatis. 26. Tulit autem eos Nabuzardan magister militiæ, & duxit eos ad regem Bebylonis in Reblatha. 27. Et percussit eos rex Babylonis, & interfecit eos in Reblatha in terra Emath: & translatus est Iuda de terra sua. 28. Iste est populus, quem transtulit Nabuchodonosor: In anno septimo; Iudæos tria millia, & viginti tres: 29. In anno octavodecimo Nabuchodonosor, de Ierusalem animas octingentas triginta duas: 30. In anno vigesimotertio Nabuchodonosor, transtulit Nabuzardan magister militiæ animas Iudæorum septingentas quadraginta quinque. omnes ergo animæ, quatuor millia sexcentæ. 31. Et factum est in trigesimoseptimo anno transmigrationis Ioachin regis Iuda, duodecimo mense, vigesimaquinta mensis, elevavit Evilmerodach rex Babylonis ipso anno regni sui, caput Ioachin regis Iuda, & eduxit eum de domo carceris. 32. Et locutus est cum eo bona, & posuit thronum eius super thronos regum, qui erant post se in Babylone. 33. Et mutavit vestimenta carceris eius, & comedebat panem coram eo semper cunctis diebus vitæ suæ. 34. & cibaria eius, cibaria perpetua dabantur ei a rege Babylonis, statuta per singulos dies, usque ad diem mortis suæ, cunctis diebus vitæ eius.

(a) IV. Reg. xxiv. 18. II. Par. xxxvi. 13. (b) Sup. xxx. 1, IV. Reg. xxv. 1.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 20. *Et vitulos duodecim æreos*. Non est omittenda coniunctio &.

Vers. 22. *Et capitella super utramque ærea*. Non facile mutandus est accusativus *utramque* in ablativum *utraque*

Ibidem. *Similiter columnæ secundæ & malogranata*. Hæc verba Romani Correctores post alios addiderunt, quæ e multis libris omittuntur, de quibus legere licet Notationes nostras.

No-

NOTATIO.

Verf. 2. ET *capitella fuper* (*fuper capitella* o.) *utramque* (*utrumque* o.) *aerea*. Antiqui Epanorthotae codices legunt *utraque*: quibus concinunt ex noftris Brugenfis, Leodienfis, E, Q, Tril; Atr; S., & Complutenfis editio. Quod dicitur *utraque*; inquit Epanorthotes, eft cafus ablativi; unde minus ornate fed evidentius ponunt novi, *fuper utramque*.

Sequitur: *Altitudo capitelli unius quinque cubitorum & retiacula, & malogranata* (*malagranata* MS. multa) *fuper coronam in circuitu*, (*circuitum* 2. MS.) *omnia aerea*. (*aenea* Compl.) *Et fuerunt malogranata nonaginta fex dependentia*: *& omnia malogranata centum retiaculis circumdabantur*: haec Moguntinae, Complutenfis, &. aliarum. quatuor, quas vidimus, typographicarum editionum lectio eft: cui adiecerunt caftigatores Hentenius & Parifienfes ex codicibus nonnullis, *Similiter columnae fecundae & malogranata*, adiecerunt, inquam, poft illud *omnia aerea*: id enim Hebraice eft, Chaldaice, ac Graece. Hebraice fic locus ifte legitur: *Et capitellum fupeream aereum, & altitudo capitelli unius quinque cubitorum: & retiaculum, & malogranata fuper capitellum circum, omne aes: & ficut haec, in columna fecunda, & malogranata. Et fuerunt malogranata nonaginta & fex ad latus: omnia malogranata centum fuper retiaculum per circuitum*. Porro Epanorthotes, fuperfluum id quod Hentenius, & Parifienfes addiderunt Latinis noftrae editionis libris cenfet: quod facile mihi perfuadeo; maxime enim varie variis exemplaribus legitur. Quaedam habent: *Similiter erat columna fecunda & malogranata*; quaedam: *fimiliter columnae alterius*, nec addunt *malogranata*: quaedam duos legendi modos connectunt, fed interiecta pericope quadam, de qua dicturi ftatim fumus, hoc modo: *Similiter erat columna fecunda & malogranata; & erant fuper capitellum in circuitu omnia aerea fimiliter columnae alterius*. Sed quaerat aliquis, cur id omififfet Interpres, quod eft aperte in Hebraico fonte? Refpendet Epanorthotes, Interpretem in iis quae praecedunt de utraque fimul columna locutum, atque hinc pro eo quod Hebraice eft, *Et capitellum fuper eam aeream, vertiffe*: *Et capitella fuper utraque aerea*; ideoque non feorfum alterius; feu fecundae columnae mentionem feciffe. Quemadmodum quod, Exodi xxv. capite verf. 35. Hebraice legitur: *Et fphaerula fub duobus calamis ex ipfo, & fphaerula fub duobus calamis ex ipfo, & fphaerula fub duobus calamis ex ipfo*, ter inquam repetitum; non feorfum Interpres ter extulit, fed in unum hoc pacto contraxit: *Sphaerulae fub duobus calamis per tria loca*.

Ceterum non hoc tantum, *Similiter erat columna fecunda & malogranata*, & quae eius loco in aliis exemplaribus reperiuntur, fuperflua Epanorthotes iudicat; verum etiam id quod praecedit, *Super coronam in circuitu omnia aerea*: tametfi & hoc Hebraice legatur, ficut etiam Chaldaice, ac Graece. Id autem probat cum ex antiquorum codicum fide, tum ex eo quod interpretationis modus ab eo qui noftri Interpretis eft, diverfus fit. Nam כֹּתֶרֶת quod nofter Interpres, tertii Regum feptimo, quarti, Regum ultimo, & hoc Ieremiae capite, confuevit *capitellum* reddere; hic *corona* redditum eft. Verum legunt ex noftris codicibus quidam illius loco: *Super capitellum in circuitu omnia aerea*, qui fere omittunt *retiacula & malogranata*, quae antecedunt. Forte ab alio id verfum eft, qui lacunam, quam putabat, cautius, ita ut animadverti nequaquam poffet, opplere voluerit. Multi libri utramque verfionem hoc modo coniungunt: *Et altitudo capitelli unius quinque cubitorum & retiacula & malogranata, fuper coronam in circuitu; totum erat aeneum. Similiter erat columna fecunda & malogranata: & erant fuper capitellum in circuitu omnia aerea, fimiliter columnae alterius*. Ubi obferva & alterius particulae aliam translationem, *Totum erat aeneum*. Dominicani hunc legendi modum probarunt fublata pofteriori parte, *Et erant fuper capitellum &c.* Atqui pofteriorem partem, excepto illo *& erant*, priori fublata ab his verbis: *Et retiacula, & malogranata fuper* in melioribus longe antigraphis nos comperimus, Lob. E. L. Pl. m. & aliis. Porro ideo & iftud *fuper coronam*, feu *capitellum in circuitu, totum erat aeneum*, quamvis Hebraice legatur, Interpres, iuxta Epanorthotae verofimilem fententiam, omiferit, quod aliis hinc inde circumftantibus verbis fatis fignificetur.

Haec igitur eft quam genuinam pronunciat Epanorthotes Interpretis fcriptura. *Et capitella, fuper utraque aerea; altitudo capitelli unius quinque cubitorum; & retiacula, & malagranata nonaginta & fex dependentia: & omnia malagranata centum, retiaculis circumdabantur*; quam docet in antiquis & approbatis effe libris. Nos eam in duobus Hunnaei lectiffimis codicibus litteris O, & Q, fignatis, & tertio non contemnendo A notato vidimus; infuper in Plantini angufto, ac longo, & Atrebatenfis Collegii fericato, quamquam non hi omnes *utraque* legant. Brugenfis D. Dona-

tia-

tiani codex hoc tantum ab illis discrepat, quod repetat, eo loco quo superiora adduntur, nulla veri specie. *Et retiacula &, malagranata centum retiaculis circumdabant.* (*circumdabantur* Tril.) quod idem in Collegii Trilinguis manuscripto deprehendimus.

C O M M E N T A R I A

M A L D O N A T I.

Vers. 1. FILIUS. Hebraismus passim in libris Regum occurrens pro eo, quod Latini dicunt, Viginti unum annos natus erat Sedecias, cum regnare coepit. FILIA IEREMIAE, non prophetae, sed alterius eiusdem nominis sacerdotis. Nam Lobna civitas sacerdotum erat. Quae ex IV. Lib. Regum sunt, illic sunt a nobis explicata; illic videat, qui explanationem desiderat: hoc loco ea tantum explicabimus, quae illic non leguntur.

V. 21. ET FUNICULUS: חוט, *filum*, DUODECIM CUBITORUM, id est peripheria, quam filo metiri solemus, habebat duodecim cubitos.

V. 23. DEPENDENTIA, id est ad latus. Heb. רוחה, *ad latus unum*, ut Chald. vertit. Similiter Septuagint. τῷ ἑν μέρος, *una ex parte*.

V. 28. IN ANNO SEPTIMO. Lib. IV. Reg. XXIV. 12. dicitur fuisse annus octavus regni Nabuchodonosoris. Nulla mihi responsio melior videtur, quam reddit R. Salom. in comm. in hunc, & in illum locum, fuisse tempus illud finem septimi anni, & initium octavi: propterea hic septimum, illic octavum annum dici. Alii ut R. David respondent illic numerari annos, quibus Nabuchodonosor in Chaldaea regnaverat; hic vero annos, quibus capto Ioachin in Iudaea etiam regnaverat.

V. 30. IN ANNO VICESIMO TERTIO Lib. IV. Reg. XXV. 8. dicitur hic fuisse annus decimus nonus. Respondent Hebraei ex libro סדר עולם, illic notari annum, quo primum Nabuzardam templum evertit, & incendit urbem, captivosque duxit eos quos Ierosolymis invenerat: hic autem annum quo Nabuchodonosor vicina regna Ammonitarum, & Moabitarum occupavit, & Iudaeos, qui eo confugerant, Babylonem traduxit, qui annus quartus fuit ab eo quo templum eversum fuerat.

V. 31. VICESIMA QUINTA MENSIS. Lib. IV. Reg. XX. 27. dicitur id factum esse die vicesima septima mensis. Respondet R. David, die vicesima quinta mortuum fuisse Nabuchodonosorem, die vicesima sexta sepultum, & Evilmerodach ex carcere eductum, quo tenebatur; quia, ut dicunt Hebraei, regnum affectabat; die vero vicesima septima rex constitutus est, & Ioachin ex carcere eductum honorifice tractavit: quod ideo fecisse tradunt Hebraei, quod eo, cum in carcere teneretur, familiariter usus esset.

S. A.

Vers. 1. CAput hoc quidam dicunt a Baruch additum, & quidem a Ieremia haec eadem scripta supra cap. XXXIX.

V. 2. IN OCULIS. Chald. *coram*; quasi dicat, Deo vidente, & improbante.

V. 3 QUONIAM. Chald. *& ideo*.

V. 7. DIRUPTA, scilicet a Chaldaeis. VIAM PORTAE. Quidam cuniculum putant significari. DUOS MUROS. LXX. *murum, & antemurale*.

V. 9. REBLATHA, quae postea dicta Antiochia, secundum Hieronymum. LOCUTUS, &c. id est obiurgavit graviter reddita causa.

V. 11. COMPEDIBUS. Chald. *catenis aereis*.

V. 12. STABAT, id est stare solebat.

V. 16. RELIQUIT, scilicet aliquos.

V. 18. CREAGRAS, id est foci instrumenta, seu coquinae, scilicet dum coquebantur carnes sacrificiorum. MORTARIOLA. Chald. *cochlearia*.

V. 19. QUOTQUOT, &c. id est tam aurea, quam argentea.

V. 20. NON ERAT; pro, immensum erat.

V. 21. DE; pro, in.

V. 23. DEPENDENTIA. Chald. *in latere uno*. LXX. *una pars*, scilicet omnia. Erant plura, nempe centum, sed latebant aliqua aspicientes columnam; scilicet quae retro erant.

erant. CENTUM, scilicet in uno ordine: erant autem ordines duo. Vide III. Reg. VII.

V. 24. PRIMUM, id est summum. SECUNDUM, scilicet vicarium summi.

V. 25. VIDEBANT FACIEM. id est erant familiares.

V. 28. SEPTIMO. Quidam putant esse errorem in numeris, & legendum pro *septimo*, *primo*, pro 18. 8. pro 23. 19. ut patet ex IV. Reg. XXIV. & XXV. & II. Paral. XXXVI. Ego id non ausim dicere, potius dicerem de aliis hic translationibus agi quam IV. Reg.

V. 30. QUATUOR MILLIA, &c. Aliter IV. Reg. XXIV. sed illic etiam vulgus numeratur, hic solum principes viri.

V. 31. VIGESIMAQUINTA, scilicet decrevit, fecit vero 27. ut dicitur IV. Reg. XXV. ELEVAVIT; quasi dicat, Honoravit, scilicet calamitosi sunt capite demisso. ANNO, scilicet primo.

V. 32. BONA; quasi dicat: Consolatus est eum amice collocutus. REGUM, scilicet captivorum.

V. 33. CORAM EO, id est in eius aula.

ESTII.

Vers. 28. ISTE EST POPULUS QUEM TRANSTULIT NABUCHODONOSOR: IN ANNO SEPTIMO, IUDAEOS TRIA MILLIA, ET VIGINTI TRES, &c. Quæstio est, quomodo dicat Ieremias anno septimo Nabuchodonosor abducta in captivitatem Iudæos tria millia & viginti tres, cum legamus IV. Reg. XXIV. eodem illo tempore, id est simul cum Iechonia rege, qui regnavit ante Sedeciam in captivitatem translata fuisse decem millia? Resp. Ieremias signanter dicit Iudæos. Itaque comprehendit tantum eos qui erant de tribu Iuda, quorum numerus ad tria millia ascendebat. In quarto autem libro Regum, captivi recensentur ex universa regione, in qua adhuc multi e decem tribubus iam olim abductis, residui remanserant. Quorum omnium numerus, comprehensa etiam tribu Iuda, perveniebat ad summam decem millium. Hanc solutionem quoque indicat nobis ipse locus IV. Reg. XXIV. Cum enim dictum esset decem millia abducta, paulo post tantum septem millium fit mentio, subductis videlicet a priori numero his tribus millibus ex Iuda, qui per se suo numero censebantur. Itaque hæc duo loca mutua collatione hoc pacto elucescunt.

V. 29. IN ANNO OCTAVODECIMO NABUCHODONOSOR, DE IERUSALEM ANIMAS OCTINGENTAS TRIGINTA DUAS. Quæritur, quomodo verum sit quod Nabuchodonosor, capta civitate sub Sedecia, tantum abduxerit octingentas triginta duas animas, cum superius dictum sit universam multitudinem populi, exceptis pauperibus terræ, translatam esse; & constat civitatem Ierusalem fuisse populosissimam, excepto præterea populo, qui in aliis oppidis, & vicis morabantur. Ad hoc respondendum totius multitudinis, quæ abducta fuit non facile potuisse summam iniri, neque id scriptoribus curæ fuisse, sed hoc loco, (quemadmodum etiam IV. Reg. XXIV.) tantum eos recenseri, qui erant in toto populo illustriores, id quod etiam IV. Reg. XXIV. significatur cum dicitur: *Transtulit Nabuchodonosor omnem Ierusalem, & universos principes, & omnes fortes exercitus decem millia in captivitatem*. Ubi illud *decem millia*, non refertur ad illud *omnem Ierusalem*, quæ complectitur etiam vulgus innumerabile, sed ad id quod sequitur, *& universos principes, & omnes fortes exercitus.*

V. 31. ELEVAVIT EVILMERODACH REX BABYLONIS, IPSO ANNO REGNI SUI, CAPUT IOACHIN REGIS IUDAE, ET EDUXIT EUM DE DOMO CARCERIS. Fuit is annus transmigrationis eiusdem Ioachin, ut præcedit, trigesimus septimus. Hoc autem ideo referri videtur a propheta, ut intelligat Lector, quod discrimen Deus esse voluerit inter Sedeciam, qui violavit fœdus & iuramentum, nec voluit audire Ieremiam, ut sponte se traderet in manus Nabuchodonosor, & inter Ioachin regem, qui etiam vocatur Iechonias, qui non legitur fœdus violasse, sed sponte se tradidit captivum in manus Nabuchodonosor. Et hic est qui vocatur Iechonias in genealogia Salvatoris Matth. I. Confer quæ sunt IV. Reg. ult. cap.

MARIANAE.

HOc capite nulla Prophetia continetur, sed repetitur totidem ferme verbis finis libri quarti Regum: ex eo loco petatur huius explicatio.

V. 1. FILIUS VIGINTI ET UNIUS ANNI ERAT

ERAT SEDECIAS. Sic Hebræi dicunt, quod nos, *natus viginti & unum annos erat*. FILIA IEREMIAE, non Prophetæ, sed alterius filia erat mater Sedeciæ. DE LOBNA. Civitas sacerdotum erat, Iof. XXI. 13. unde Sedeciæ mater.

V. 6. ET NON ERANT ALIMENTA. Heb. *panis*: sic etiam IV. Reg. XXV. 3. sed *panis* pro *alimentis*.

V. 7. ET DIRUPTA EST CIVITAS, rupto muro, aditu patefacto. DUCIT IN EREMUM. In Lib. Reg. *ad campestria solitudinis*. Hebraica utroque loco eodem modo, & utroque modo verti possunt ערבה *Harabah*. Per eam viam Rex & milites fugerunt.

V. 8. IN DESERTO. In Lib. Reg. *in planitie*. Vox eadem Hebr. *planitiem & desertum* significat, uti iam dixi.

V. 10. SED ET OMNES PRINCIPES IUDA OCCIDIT. Hoc non est in Lib. Regum.

V. 11. COMPEDIBUS. In Lib. Reg. *catenis*. Varietas in versione est: vox Hebr. utrobique eadem *nehustaim*. ET POSUIT EUM IN DOMO CARCERIS, scilicet Sedeciam. Hoc non est in Lib. Regum.

V. 12. QUI STABAT. Sic Hebr. id est *servus Regis erat*, ut est in Lib. Regum, etiam Hebr. scilicet Nabuzardan. Is venit Ierusalem, & incendit eam.

V. 13. DOMUM MAGNAM, id est palatiis etiam non pepercit Nabuzardan.

V. 15. TRANSTULIT. Hebr. *egit in captivitatem* vulgus Iudæorum.

V. 20. ET VITULOS DUODECIM. Hoc non est in Libro Regum. Porro de singulis vasorum nominibus non oportet laborare.

V. 21. ET FUNICULUS DUODECIM CUBITORUM, id est peripheria seu crassities columnarum erat ea mensura, quam funiculus duodecim cubitorum complectebatur. Aut potius *funiculum* vocat columnæ extremum, limbum, quod instar funiculi prominebat, *el borde*, ut III. Reg. VII. 41.

V. 23. MALOGRANATA NONAGINTASEX DEPENDENTIA. Hebr. *ad ventum*, id est ad latus. In singulis columnis erant ducenta malogranata ad duo latera, III. Reg. VII. 41. ex iis centum nonaginta sex visebantur; ideo ea prius commemorat, quatuor latebant.

V. 24. ET TRES CUSTODES VESTIBULI. In Lib. Reg. *tres ianitores*: alii *liminis custodes*, alii *vasorum*, Hebr. ait, vocem סף *saph*, significare omnia vasa templi.

V. 25. ET SCRIBAM. In Lib. Reg. *Sopher*, quasi esset nomen viri, aut officii. Eius scribæ erat, numerum militum & sumptus militares describere. QUI PROBABAT TYRONES. Hebr. *populum terræ*. Eos in cohortes & turmas dividebat, eosque militiam docebat. Eum cum aliis deduxit Nabuzardan in Reblatha.

V. 28. IN ANNO SEPTIMO, IUDAEOS TRIA MILLIA. Hæc fuit secunda captivitas. Alia captivitas præcessit; de qua IV. Reg. XXIV. 2. II. Paral. XXXVI. 6. Daniel. I. 1. verum de ea non meminit, quia brevi Ioakim Rex, qui captus erat, in Regnum rediit.

V. 31. IPSO ANNO REGNI SUI. Adde, primo (ex IV. Reg. XXV. 17.) anno quo regnare cœpit Evilmerodach, Ioachin Regem eduxit e carcere.

V. 32. QUI ERANT POST SE. Hebr. *cum eo*: sic Sept. & Chald. sic etiam in Lib. Reg. Hieronym. pro אתו *itho*, *cum eo*, videtur hic legisse אחרו *atharo*, *post eum*.

Quæ hic supersunt explicanda, ex Lib. Regum petantur. Finis Lib. IV. Regum & hoc caput mire consentiunt; argumento, libros Regum tertium, & quartum, auctorem habere Ieremiam, quod cum aliis R. Isaac Harama affirmat Præfatione in Canticum canticorum.

MALVENDAE.

Vers. 1. FILIUS VIGINTI ET UNIUS ANNI ERAT, &c. Ab hoc versu ad 28. vide II. Reg. XXIV. a vers. 18 usque ad 22. cap. XXV. nam omnia inde sunt accepta totidem fere verbis, paucis exceptis, quæ hic observabimus: inde desumendæ Notæ.

V. 9. ET LOCUTUS EST AD EUM IUDICIA: vel, *cum eo*. Alii: *ubi tulit de eo sententias*, & de domesticis eius, per synecdochen, quam sequentia explicant.

V. 11. ET POSUIT EUM IN DOMO CARCERIS USQUE AD DIEM MORTIS EIUS. Hebr. *& dedit eum in domo visitationum usque ad diem mortis eius*. Aliqui: *& posuit eum in loco aliquo præfecturarum usque ad diem mortis eius*; id est, in certa aliqua custodia: nam certis præfectis pro ratione criminum, custodiæ committi solent, ut apparet ex ipsa Iirmeiæ historia su-

supra cap. XXXVII & XXXVIII. Forte demandatus fuit in aliquam præfecturam aut satrapiam Babyloniæ, tamquam in honorarium carcerem, vel ei impositus. Sed erat excæcatus.

V. 12. IN MENSE AUTEM QUINTO, &c. Quidam hunc versum ex Hebræo ita accipiunt: *Deinde mense quinto, decimo die mensis; ipso decimonono anno regis Nebuchadretzaris regis Babyloniæ, postquam venisset Nebuzaradan princeps satellitum, qui ministrabat regi Babyloniæ, Ierusalaima.* Nam ingressus est die septimo Ierusalaima, II. Reg. XXV. 8. deinde vero comparatis per biduum rebus, decimo die incœpit mandata exequi. Possit posterius hemistychium exponi: *veniens Nebuzaradan princeps militum, stetit ad facies regis Babyloniæ in Ierusalaim;* id est, stetit pro rege Babyloniæ Ierusalaimis, hoc est, ut vulgo dicitur, repræsentavit personam regis Babyloniæ in Ierusalaimis; id est, fuit eius prorex, vicarius generalis, curator, administrator rerum pro rege Babyloniæ. Plerique tamen illud, *in Ierusalem*, coniungunt cum verbo *venit in Ierusalaima*: & illud, *qui stabat coram rege Babylonis*, per parenthesin per se sumunt: *qui stabat coram facie*, id est, qui ministrabat, vel ministrare solebat regi Babyloniæ. Vide interpretationem huius locutionis Deuteron. X. 8. & II. Reg. XXV. 8.

V. 20. QUAS FECERAT REX SALOMON IN DOMO DOMINI. Alii: *quæ paraverat rex Schelomo pro domo Iehovæ*, id est, quæ omnia vasa, & instrumenta hactenus enumerata, & multa alia fecerat rex Selomoh: ut late describitur I. Reg. VI. & VII. capitibus.

V. 21. ET FUNICULUS DUODECIM CUBITORUM CIRCUIBAT EAM. Istud omittitur II. Reg. XXV. 17. Sed exprimitur I. Reg. VII. 15. ibi vide. PORRO GROSSITUDO EIUS QUATUOR DIGITORUM, ET INTRINSECUS CAVA ERAT. Alii: *densitas autem eius quatuor digitorum, cava erat.* Relativum pronomen *eius*, referri potest & ad columnam, & ad filum, vel funem. Ad columnam Noster referre videtur: alii ad funem ambientem. Interpres Hispanicus: *y una cuerda de doze cobdos la cercava de quatro dedos de gruesso de vaziadizo;* id est, *fundida con la mesma columna* Hæc pericopes omissa fuit I. Reg. VII. 17. & II. Reg. XXV. 17.

V. 22. QUINQUE CUBITORUM. II. Reg. XXV. 17. *trium cubitorum* scribitur: conciliationem vide in I. Reg. VII. 16. SIMILITER COLUMNAE SECUNDAE, ET MALOGRANATA. Alii: *& similia erant columnæ secundæ cum malogranatis;* id est, eadem omnino habebat columna secunda, quasi dicat, Omnino pares & similes erant duæ columnæ, eisdem ornamentis excultæ.

V. 23. ET FUERUNT MALOGRANATA NONAGINTA SEX DEPENDENTIA. Alii I. *Fuerunt autem malorum Punicorum nonaginta sex ad omnem ventum*, vel *ad unum latus*, seu *ordinem*; quasi dicat: Videbantur tantummodo nonaginta sex malogranata, quatuor autem reliqua latebant visum: nam corpus sphæricum aspici undique non potest uno obtutu: loquitur igitur de visis. Omnia autem mala Punica erant centum, intellige in uno ordine: nam duo erant ordines malorum granatorum: in quoque ordine erant centum, nempe in totum ducenta: vide I. Reg. VII. 20. II. *Erantque malogranata nonaginta sex in plagam quamque.* Exceptis angularibus quatuor: quæ si comprehendantur, efficientur centena singulis ordinibus, I. Reg. VII. 20. & II. Paralip. IV. 13. ut verbis sequentibus ostenditur. DEPENDENTIA. Hebr. *ad ventum*. Recte Noster, quasi dicamus Hispanice, *ab buelo*, quasi non essent affixa operi columnarum, sed dependentia ad ventum, Alii: *in plagam quamque*, seu *in latus*, *angulum*, *ordinem quemque*, *ut* רוח *ruach*, *spiritus*; sumatur pro *plaga*, notum est: vide Lexicon Forsteri, pagina. 773.

V. 25. ET SEPTEM VIROS. II. Reg. XXV. 19. *quinque viros*. Conciliant, *septem viros*, incluso eunucho seu Aulico, & scriba; de quibus hoc versu: *quinque viros*, præter Aulicum & scribam.

V. 28. IN ANNO SEPTIMO: completo, & octavo inchoato II. Reg. XXIV. 12. videlicet regni Nabuchadretsaris, quo deportatus est Iechoiachin, sive Iechonia: vide II. Reg. XXIV. 16. IUDAEOS: præcise ex tribu Iehudæ. Vide ibidem.

V. 29. IN ANNO OCTAVO DECIMO: completo, & decimo nono inchoato; cum expugnata sunt Ierusalaima & captus Tzidkiia II. Reg. XXV.

V. 30. IN ANNO VIGESIMO TERTIO; id est, quinto post anno: quam urbs capta fuerat: nam occisionem novam Iudæi attulerunt suis illis motibus, quos Iirmeia enarravit, cap. XL. XLI. XLII. & XLIII.

V. 31. ET FACTUM EST IN TRIGESIMO SEPTIMO ANNO, &c. Hi quatuor postremi

versus

versus iidem omnino sunt cum aliis quatuor ultimis II. Reg. cap. xxv. & iisdem ferme verbis concepti. VIGESIMA QUINTA MENSIS: II. Reg. xxv. 27. Scribitur, *vigesima septima mensis*. Conciliant: die vigesima quinta initum consilium, &, decretum factum de ornando & augendo Iechonia; & res ad id comparatas: at tertio post die plene effectum esse, id. est vigesimo septimo.

Valentiæ 27. Novembris, 1627. ætatis meæ 61. cum tamen spatio 16. dierum opus intermissum fuerit.

MENOCHII.

Vers. 1. FILIUS VIGINTI, &c. Hebraismus passim in libris Regum occurrens pro eo quod Latini dicunt, viginti unum annos natus erat Sedecias, &c. FILIA IEREMIAE, non prophetæ, sed alterius eiusdem nominis sacerdotis: nam Lobna civitas sacerdotum erat.

V. 9. QUAE EST IN TERRA EMATH: in tribu scilicet Nephtali, ad montem Libanum, iuxta fluvii Iordanis initia.

V. 14. DECIMA MENSIS. IV. Reg. xxv. 8. dicitur septima die venisse Nabuzardan: conciliabimus hæc loca si dicamus septima die discessisse ex Reblatha, in qua degebat Nabuchodonosor; & decima die (tridui enim est iter) pervenisse in Ierusalem.

V. 18. CREAGRAS: creagra est fuscinula ad expiscandas, & extrahendas carnes ex lebete.

V. 21. DECEM ET OCTO CUBITI, &c. Vide dicta III. Reg. VII. 15. FUNICULUS; quasi dicat, Circumferentia columnarum, quam funiculo, aut, ut est in Hebræo *filo* dimetiri solemus, erat duodecim cubitorum:

V. 23. MALOGRANATA NONAGINTA SEX. At III. Reg VII. 20. dicitur: *malogranatorum autem ducenti ordines*, hoc est, malogranata ducenta suis ordinibus disposita, ita ut centum essent malogranata in quaque columna. Respondeo vel fuisse tantum 96. & III Reg. dici centum, quia sæpe solemus numerum rotundum ponere pro numero paulo maiore, aut minore: sic dicimus septuaginta Interpretes, cum tamen fuerint septuaginta duo. Vel malogranata erant centum, sed tantum nonaginta sex videbantur; corpus enim sphæricum uno obtutu solum videri non potest, quatuor ergo latebant: ita Vatablus, Lyran. & alii.

V. 24. ET TULIT, &c. Hæc explicata sunt IV. Reg. xxv. 13. & sequentibus.

V. 25. ET SCRIBAM. IV. Reg. xxv. 19. Interpres retinuit Hebræam vocem *Sopher*, quasi esset nomen proprium. Vide quæ ibi diximus.

V. 28. IN ANNO SEPTIMO. At IV. Reg. xxiv. 12. dicitur fuisse annus octavus regni Nabuchodonosor. Dicendum fuisse tempus illud finem septimi anni, & initium octavi, & ideo utrumque verum esse.

V. 30. IN ANNO VIGESIMO TERTIO. At IV. Reg. xxv. 8. dicitur hic fuisse annus decimus nonus. Respondeo loco illo IV. Regum notari annum quo primum Nabuzardan templum evertit, & incendit urbem, & captivos duxit eos quos Ierosolymis invenerat: hic autem annum quo Nabuchodonosor vicina regna Ammonitarum, & Moabitarum occupavit, & Iudæos, qui eo confugerant, Babylonem traduxit, [qui annus quartus fuit ab eo, quo templum eversum fuerat.

V. 31. ET FACTUM EST, &c. Explicavimus hæc IV. Reg. xxv. 27. & deinceps: ubi tamen dicitur hæc facta fuisse non vigesima quinta die mensis, sed vigesima septima: respondendum Evilmerodach id statuisse, & effectum dare cœpisse die vigesimaquinta; absolvisse autem die vigesima septima.

TIRINI.

Vers. 12. DECIMA die MENSIS ingressus est Nabuzardan Ierosolymam cum triduo ante, nempe septima die eiusdem *mensis* (ut dicitur IV. Reg. ult. vers. 8.) excessisset e Reblatha.

V. 21. DE COLUMNIS vide quæ dixi III. Regum VII. 15. FUNICULUS hic significat circumferentiam columnæ, quam] fune circummetiri solemus.

Nota, inter spolia templi per Nabuzardan Ierosolymis evecta, quæ hic sigillatim ac minutim recensentur, nullam mentionem fieri arcæ testamenti, neque altaris thymiamatis: item nec candelabri, nec mensæ panum propositionis. Nempe Ieremias cum venia Chaldæorum, illa sibi desumpserat, ac transtulerat in montem Nebo, ut dicitur II. Machab. II. 4.

V. 28. Recensetur hic a propheta multiplex Iudæorum deportatio in Chaldæam. Prima cœpit anno 4. Ioakimi, qui erat primus annus regni Nabuchodonosoris quando Daniel *a* & pauculi alii deportati sunt: completa vero fuit anno 8. Nabuchodonosoris, qui fuit undecimus Ioakimi, quando Ezechiel Propheta, & Iechonias rex cum omni sua aula & aliis tribus millibus eo demigrarunt. Secunda fuit anno 18. Nabuchodonosoris, id est Sedeciæ regis 11. Tertia fuit quinquennio post, quando subactis Ammonitis, Moabitis, aliisque vicinis gentibus, Iudæos qui partim eo transfugerant, partim in vicina Iudæa superstites hæserant, captivos secum traxit numero 745. inquit Lyranus & Dionysius. Quarta adiici potest, quæ anno 35. Nabuchodonosoris contigit, quando expugnata AEgypto, reliquias Iudæorum, qui eo confugerant, inde secum in Chaldæam captivas abduxit, ut *b* alibi vidimus.

V. 31. EVILMERODACH, seu Balthassarum regem quid moverit, cur Iechoniam Iudæorum regem vinculis eximeret, & aliis regibus Babylone detentis præponeret, dicam in fine cap. 4. Danielis.

Reliqua huius capitis exposui IV. Regum ult. & Ierem. XXXIX. & II. Paralip. ult.

(a) Dan. 1. 1.
(b) Ierem. XLII. XLIII. XLIV. & XLVI.

GORDONI.

Vers. 1. SI Ieremias scripsit quartum librum Regum, videtur hoc caput esse Ieremiæ. Nam hoc caput idem habet, quod caput ult. Libri IV. Reg. Transtulit vero in hunc locum scriba Baruch, ut aditum pararet ad libellum insequentem Lamentationum. Addidit etiam Baruch ex se exaltationem Iechoniæ, quæ contigit post mortem, tum Ieremiæ, tum ipsius Nabuchodonosori, ut patet hic ex notatione temporis, vers. 31. Hoc ipsum de Iechonia notavi ad annum orbis 3419. in opere Chronologico.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 20. VITULOS DUODECIM. De his actum, ut monui in IV. Reg. tamen nihil ibi de his duodecim vitulis.

Vers. 21. Funiculus hic est extremum illud columnæ, quod instar funiculi prominebat.

Vers. 23. Malogranata omnino erant ducenta in singulis columnis ad duo latera, III. Reg. VII. 41. Ex his apparebant centum nonaginta sex, & primo loco hic numerantur: quatuor reliqua latebant.

Vers. 25. Hic scriba notabat numerum militum, & sumptum militarem.

Vers. 28. IN ANNO SEPTIMO. De triplici captivitate dixi in Chronologia. Quidam hic pro septimo legunt, primo. Prima quidem captivitas incidit in annum primum Nabuchodonosoris: quæ ergo hic notatur transmigratio, est quæ fuit anno septimo vel octavo: itaque quæ hic notatur, est secunda captivitas. At unde tot transmigrationes, & cum varietate numeri? Sane tres erant insigniores; unde tripliciter explicatur captivitas. Aliæ potuerunt esse Iudæorum transmigrationes minores, & vario numero, prout numerabant nunc vulgus, nunc viri principes, & nobiliora capita. Sic alius est hic numerus vers. 30. qui est Principum; alius vero IV. Reg. XXV.

TRHE-



THRENI,

ID EST

LAMENTATIONES IEREMIAE PROPHETAE.

HIERONYMUS has Lamentationes ante alias Prophetias editas esse in obitu Iosiæ existimat: carmine scriptus est liber, non certis numeris pedum, & temporum, ut Græce & Latine, sed certo numero syllabarum, & ordine Alphabeti servato, ut in Psalmo 118. *& in aliis quibusdam factum est. Argumentum est urbis & templi eversio & Iosiæ obitus, & utriusque planctus*, ex Lib. II. Paral. xxxv.

THRENI,
ID EST
LAMENTATIONES IEREMIAE PROPHETAE.

* Et factum est, postquam in captivitatem redactus est Israel, & Ierusalem deserta est, sedit Ieremias propheta flens, & planxit lamentatione hac in Ierusalem, & amaro animo suspirans, & eiulans dixit.

CAPUT PRIMUM.

ALEPH.

1. QUOMODO sedet sola civitas plena populo: facta est quasi vidua domina Gentium: princeps provinciarum facta est sub tributo.

BETH.

2. (a) Plorans ploravit in nocte, & lacrymæ eius in maxillis eius: non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius: omnes amici eius spreverunt eam, & facti sunt ei inimici.

GHIMEL.

3. Migravit Iudas propter afflictionem, & multitudinem servitutis: habitavit inter gentes, nec invenit requiem: omnes persecutores eius apprehenderunt eam inter angustias.

DALETH.

4. Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad sollemnitatem: omnes portæ eius destructæ: sacerdotes eius gementes: virgines eius squalidæ, & ipsa oppressa amaritudine.

HE.

5. Facti sunt hostes eius in capite, inimici eius locupletati sunt: quia Dominus locutus est super eam propter multitudinem iniquitatum eius: parvuli eius ducti sunt in captivitatem ante faciem tribulantis.

VAU.

6. Et egressus est a filia Sion omnis decor eius: facti sunt principes eius velut arietes non invenientes pascua: & abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.

ZAIN.

7. Recordata est Ierusalem dierum afflictionis suæ, & prævaricationis omnium

mnium desiderabilium suorum, quæ habuerat a diebus antiquis, cum caderet populus eius in manu hostili, & non esset auxiliator: viderunt eam hostes, & deriserunt sabbata eius.

HETH.

8. Peccatum peccavit Ierusalem, propterea instabilis facta est: omnes, qui glorificabant eam, spreverunt illam, quia viderunt ignominiam eius: ipsa autem gemens conversa est retrorsum.

TETH.

9. Sordes eius in pedibus eius, nec recordata est finis sui: deposita est vehementer, non habens consolatorem: vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus.

IOD.

10. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius: quia vidit Gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus præceperas ne intrarent in ecclesiam tuam.

CAPH.

11. Omnis populus eius gemens, & quærens panem: dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam: vide Domine & considera, quoniam facta sum vilis.

LAMED.

12. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus: quoniam vindemiavit me ut locutus est Dominus in die iræ furoris sui.

MEM.

13. De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudivit me: expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsum: posuit me desolatam, tota die mœrore confectam.

NUN.

14. Vigilavit iugum iniquitatum mearum: in manu eius convolutæ sunt, & impositæ collo meo: infirmata est virtus mea: dedit me Dominus in manu, de qua non potero surgere.

SAMECH.

15. Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei: vocavit adversum me tempus, ut contereret electos meos: torcular calcavit Dominus virgini filiæ Iuda.

AIN.

16. (*b*) Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas: quia longe factus est a me consolator, convertens animam meam: facti sunt filii mei perditi, quoniam invaluit inimicus.

PHE.

17. Expandit Sion manus suas, non est qui consoletur eam: mandavit Dominus adversum Iacob in circuitu eius hostes eius: facta est Ierusalem quasi polluta menstruis inter eos.

SADE.

18. Iustus est Dominus, quia os eius ad iracundiam provocavi: audite

obsecro

obsecro universi populi, & videte dolorem meum: virgines meæ: & iuvenes mei abierunt in captivitatem.

COPH.

19. Vocavi amicos meos, & ipsi deceperunt me: sacerdotes mei, & senes mei in urbe consumpti sunt: quia quæsierunt cibum sibi ut refocillarent animam suam.

RES.

20. Vide Domine quoniam tribulor, conturbatus est venter meus: subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum: foris interficit gladius, & domi mors similis est.

SIN.

21. Audierunt quia ingemisco ego, & non est qui consoletur me: omnes inimici mei audierunt malum meum, lætati sunt, quoniam tu fecisti: adduxisti diem consolationis, & fient similes mei.

THAU.

22. Ingrediatur omne malum eorum coram te: & vindemia eos, sicut vindemiasti me propter omnes iniquitates meas: multi enim gemitus mei, & cor meum mœrens.

(a) Ier. xxxi. 1. (b) Ier. xiv. 17.

BRUGENSIS

Romanae Correctio.

Et factum est postquam in captivitatem redactus est Israel, &c. Hanc præfatiunculam Patres iudicarunt non esse omittendam, tametsi a quibusdam libris omittatur.

Notatio.

Præfatiuncula, quæ Threnis Ieremiæ in plerisque Latinis libris præmittitur: *Et factum est, postquam in captivitatem redactus* (*auctus* 16. MS.) *est Israel, & Ierusalem deserta* (*destructa* 26. MS.) *est, sedit Ieremias Propheta flens, & (a) planxit lamentatione hac* (*lamentationem hanc* 16. MS.) *in* (*super* 1.) *Ierusalem, & amaro animo suspirans & eiulans dixit*. Hebraice non extat; sed in Græcis codicibus legitur. Latinorum exemplarium, quædam superioris libri fini coniungunt, quædam huius principio connectunt, quædam medio inter utrumque loco constituunt; optime hæc: neque enim prophetæ ipsius, sed Græcorum vel Interpretum vel Tractatorum sunt verba, quibus ostendere voluerunt, quomodo hic lamentationum libellus cum superioris libri historia cohæreat. Quæ verba an Interpres noster suæ editioni ex Græco adiecerit, multum dubito. Ex nostris aureus D. Donatiani Brugensis codex non legit. Lyranus in correctis libris haud esse testatur. Enarratores Rabanus, & Paschasius non attingunt, ut nec Richelius. Castigatores Dominicani non agnoscunt. Denique Epanorthotes noster, & alii quidam redundare pronunciant.

(a) *Plangens desolationem populi sui, & subversionem civitatis dicens:* 1. MS.

COM-

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. QUOMODO. Admirantis verbum est, & obstupentis ob tantæ urbis eversionem; sicut dixerat cap. XVIII. 16. *Ut fieret terra eorum in desolationem, & in sibilum sempiternum: omnis qui præterierit per eam, obstupescet, & movebit caput suum*; & cap. XIX. 8. *Ponam civitatem hanc in stuporem, & in sibilum; omnis qui præterierit per eam, obstupescet, & sibilabit super universa plaga eius*. SEDET, id est *habitat*, ישבה; ut XXXVII. 15. *Et sedit ibi Ieremias diebus multis*, id est, habitavit & cap. XLI. 17. *Et abierunt, & sederunt peregrinantes in Chanaam*: aut, *Sedet*, id est iacet, prostrata est, quæ prius stabat. Sicut de Dibon dictum est, cap. XLVIII. 18. *Descende de gloria, & sede in siti habitatio filiæ Dibon*. SOLA, id est orbata liberis, deserta a civibus suis, sicut mulier sine filiis: ut statim declaratur, cum dicitur, PLENA POPULO; quasi dicat; Quomodo deserta est civitas, quæ paulo ante plena erat frequentissimis habitatoribus? Sicut dixit de Dibon, *Sede in siti*; id est in loco solo, deserto, sitibundo; *habitatio filiæ Dibon*, id est Dibon, quæ nunc frequentissime habitatis: vel, *sola*, id est sine rege, quasi mulier sine marito, sicut continuo sequitur, FACTA EST QUASI VIDUA, ita R. Salom. *Facta est quasi vidua*, id est sine rege & civibus; cives enim per metaphoram nunc filios, nunc maritos civitatis appellat. DOMINA GENTIUM. Idem est, quod *plena populo*, nam eodem verbo utitur, רבתי. Et Gentes populorum concursum, & frequentiam appellat. Iam enim aliis locis adnotavimus, Gentes non solum alienas nationes, sed etiam Iudæorum frequentes populos aliquando vocari, ut Isai. I. 4. *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis*: & Psalm. II. 1. *Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati sunt inania?* Utroque enim loco de Iudæis agitur. Itaque sensus est: Viduata est, & orbata civibus, quæ populorum frequentia omnibus orbis terrarum civitatibus antecellebat. Hoc etiam sensu Sept. verterunt. ἐγενήθη ὡς χήρα πεπληθυμμένη ἐν ἔθνεσι: *Facta est ut vidua, quæ in gentibus plena erat*. PRINCEPS PROVINCIARUM, id est, quæ aliis provinciis tamquam princeps tributa solebat imperare, nunc aliis provinciis, id est regi Chaldæorum tributa solvit, ut Chaldæus interpretatur.

V. 2. PLORANS PLORAVIT, id est uberrime & copiosissime flevit: frequens Hebraismus, quem R. Salom. ad mysterium detorquet: putat enim hac verbi geminatione duplicem fletum significari, alterum ob templi, alterum ob urbis eversionem. Sed nimis Rabbinicum hoc est. IN NOCTE. R. Salom. putat propterea dicere *in nocte*, quod templum noctu incensum fuerit, aut quod noctu silentes maxime flere soleant. Liberius etiam Chaldæus Paraphrastes fabulatur, cum Moses exploratores in terram promissionis misisset; iique renuntiassent, terram esse aditu difficilem, Iudæos ea nocte præ tristitia plorasse, quibus Deus iratus præceperit, ut ea nocte futuram templi vastationem deflerent. Hæc Iudæorum commenta sunt. Ego ideo arbitror Prophetam dixisse, *in nocte*, ut alluderet ad metaphoram viduæ, qua versu præcedenti usus fuerat. Solet enim mulier vidua noctu maxime mariti societatem desiderare, suamque viduitatem experiri, ac deflere, ut ait sponsa in Cant. cap. VII. 1. *In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea: quæsivi illum, & non inveni*. ET LACRYMAE EIUS, repetitio est. EX OMNIBUS CHARIS EIUS, ex omnibus amatoribus, quos habebat, antequam vidua esset. Amatores autem vocat AEgyptios, & ceteras sibi confœderatas gentes, quarum auxilio confidebat, aut falsos deos, quos colebat; sicut dixerat, cap. IV. 30. *Contempserunt te amatores tui, animam tuam quærent*. Et cap. XXII. 20. *Ascende Libanum & clama, & in Basan da vocem tuam, & clama ad transeuntes, quia contriti sunt omnes amatores tui*, & cap. XXX. 14. *Omnes amatores tui obliti sunt tui, teque non quærent*. SPREVERUNT EAM: בגדו בה, *fefellerunt eam*; id est, cum illi auxilium promisissent, non præstiterunt.

V. 3. MIGRAVIT IUDAS PROPTER AFFLICTIONEM. R. Salom. sic interpretatur: Iu-

Iudas propterea in captivitatem abiit, quod a Chaldæis nimis dura servitute affligeretur.

Sed hæc interpretatio non videtur mihi historiæ convenire. Nam antequam Iudæi in captivitatem ducerentur, non serviebant Chaldæis; sed potius ut eis servirent, ducti sunt. Chaldæus paulo melius: Propterea Iudas in captivitatem ivit quia nimia servitute servos suos Israelitas, & viduas & pupillos afflixit. Ac videtur hoc cum Ieremiæ prophetia consentire, cap. XXXIV. 13. ubi propterea Deus Iudæis captivitatem comminatur, quod cum ex Dei præcepto Sedeciæ edicto renovato, suos quisque servos liberos dimisisset, eos iterum revocarunt. Sed dura mihi videtur interpretatio. Ego igitur de illis Iudæis hoc loco Ieremiam loqui arbitror, qui videntes ceteros Iudæos a Chaldæis affligi, & in servitutem redigi, in AEgyptum, & ad alias gentes transfugerunt, ubi existimantes se tutos esse, postea ab iisdem Chaldæis capti sunt, ut Ieremias multis supra locis prædixit, cap. XLIII. & cap. XLIV. & 46. Atque hoc est quod dicit, migravit, id est, fugit in AEgyptum, & in alia loca videns afflictionem, sub. populi sui, ET MULTITUDINEM SERVITUTIS, id est nimiam eius servitutem, Hebraismus. HABITAVIT INTER GENTES, apud AEgyptios: NEC INVENIT REQUIEM, id est locum tutum; nam ibi postea a Chaldæis capti sunt. APPREHENDERUNT EAM INTER ANGUSTIAS, id est, in loco, undique periculis septo, ut effugere non possent, quemadmodum qui capitur inter duos parietes, aut inter duas agrorum, aut vinearum macerias, ut explicat R. Salom. Nam מצרים, *macerias*, & sepes agrorum, ac vinearum significare dicit. Sic erant Iudæi in AEgypto, nam neque in Iudæam fugere poterant, quia a Chaldæis tenebatur, neque ibi manere, quia vastabatur ab illis AEgyptus.

V. 4. VIAE SION LUGENT. Vias lugere Hebraici sermonis proprietate, est desertas esse, ac solas, & a viatoribus, non frequentari; sicut terram lugere, est non coli, aut non habitari, ut Isai. XXIV. 4. *Luxit & defluxit terra, & infirmata est*, & Isai. XXXIII. 9. *Luxit, & elanguit terra, confusus est Libanus, & obsurduit, & factus est Saron, sicut desertum*. Et portas urbis lugere est, neminem per eas transire: Isai. III. 26. *Mœrebunt atque lugebunt portes eius & desolata in terra sedebit*. Id explicatur, cum dicitur, EO QUOD NON SINT, QUI VENIANT AD SOLEMNITATEM. Cum enim adhuc starent Ierosolyma, magnus undique concursus ad ea religionis, festorumque celebrandorum causa fiebat. R. Aben Ezra, מועד, non solemnitatem, sed sanctuarium interpretatur.

V. 5. FACTI SUNT HOSTES EIUS IN CAPITE: לראש, *in caput*; id est, principes, ac Domini illius facti sunt, ut Ionathas exponit; princeps enim caput est populi: sicut Daniel II. 38. per caput aureum statuæ Nabuchodonoserem significari dixit, quia omnium regum locupletissimus erat. Sic illud intelligimus, Psal. XVII. 44. *Eripies me de contradictionibus populi, constitues me in caput Gentium;* & quod hunc locum magis illustrat, illud Psal. LXV. 11. *Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro; imposuisti homines super capita nostra*. INIMICI EIUS LOCUPLETATI SUNT, eius spoliis, Heb. שלו, *prospere egerunt*, felicem contra eam successum habuerunt. Septuagint. εὐθήνουν, *eodem sensu*. QUIA DOMINUS LOCUTUS EST, id est decreverat eam punire aut cominatus illi fuerat per Prophetas huiuscemodi calamitatem. Heb. הוגה, quod noster interpres videtur legisse הוה. *Locutus est*. Hebræi & Septuagint. legunt הוגה, *afflixit eam:* idem verbum quod vers. 5. propter afflictionem. PARVULUS EIUS: filii eius, id est cives; non quod parvuli essent, sed quod tamquam parvuli filii dilecti. ANTE FACIEM TRIBULANTIS, id est ante hostem sequente eos hoste, ut versu sequenti: *Ante faciem subsequentis*.

V. 6. ET EGRESSUS EST; id est, Rex, & principes, qui Ierosolymitanam civitatem decorabant, in captivitatem abierunt, ut statim explicat dicens: FACTI SUNT PRINCIPES EIUS VELUT ARIETES; id est, huc illuc errantes, nusquam locum totum reperientes; sicut arietes, cum pastum non inveniunt, oberrare solent. Chaldæus אילים *cervos* exponit; quasi dicat: Facti sunt similes cervis, qui non invenientes pascua non habent vires ad fugiendum; itaque facile a venatoribus capiuntur; sic enim Sedecias, & principes eius, cum effugere conarentur, capti sunt: IV. Reg. XXV. 5. & Ier. XXXIX. 5. & LII. 8. fame prius pene

con-

confecti, Ier. xxxvii. 20. & xxxviii. 9. & IV. Reg. xxv. 3.

V. 7. RECORDATA EST IERUSALEM DIERUM AFFLICTIONIS SUAE : posset etiam verti ימיעניה, *In diebus afflictionis suæ*, ut intelligatur ב, sensusque magis cohærebit ; quasi dicat: In diebus afflictionis suæ, recordata est antiquæ prosperitatis suæ, auxitque illi dolorem recordatio, ut Ps. cxxxvi. 1. *Super flumina Babylonis, illic sedimus, & flevimus, dum recordaremur tui Sion.* ET PRAEVARICATIONIS, id est peccatorum suorum, quorum causa in captivitatem venerat, aut, si intelligamus ב, *In diebus* מרודיה, *paupertatum suarum*, ut exponit Aben Ezra, vel, *humiliationis suæ*, ut Septuaginta vertunt, & R. Salom. interpretatur; in illis, inquam, diebus *recordata est* OMNIUM DESIDERABILIUM, id est prosperarum rerum, quibus tempore Salomonis, cum in summa pace viveret usa fuerat. CUM CADEREM. Declarat, qui fuerint dies illi afflictionis, & humiliationis, nempe, *cum caderet* POPULUS EIUS IN MANU HOSTILI, nec esset qui auxilium ferret, cumque viderent eam hostes, & riderent sabbatha eius; id est, cum Chaldæi Iudæos in captivitatem viderent septimum quemque hebdomadis diem celebrantes, & eos irriderent, ut explicat R. Salom. Alii משבתה, interpretantur, *Cessationis eius*, id est quod omnia eius bona cessassent; ita Chaldæus. VIDERUNT EAM HOSTES in captivitatem euntem, ET DERISERUNT SABBATA EIUS, ob bona eius, quæ de medio eius cessaverant. Septuaginta, ἐγέλασαν ἐπὶ τῇ μετοικεσίᾳ αὐτῆς, *riserunt propter transmigrationem eius*. Interpretatio R. Salom. est vera.

V. 8. PECCATUM PECCAVIT, id est quia multum peccavit : nota est phrasis Hebraica. INSTABILIS FACTA EST, id est vaga, huc illuc captiva discurrens : nullam certam sedem habens : לנידה, *in commotionem:* sicut prædixerat Ieremias, xxxiv. 17 *Dabo vos in commotionem cunctis regnis terræ*. Et Deuteronom. xxviii. 25. *ut dispergaris per omnia regna terræ*. Ita Septuagint. ita Chaldæus, & R. Salom. interpretantur; verusque sensus hic est. Alii tamen, ut Aben Ezra, exponunt active, *In commotionem*, id est ut omnes gentes videns Iudæos moveant caput, irridentium more, ut Psalm. xliii. 15. *Posuisti nos in similitudinem Gentibus, commotionem capitis in populis*. Ita cap. sequenti xv. *plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam : sibilaverunt, & moverunt caput suum super filiam Ierusalem*. OMNES, QUI GLORIFICABANT, omnes gentes prius illam in magno pretio habebant, cum viderent ignominiam eius, id est miserum statum, contempserunt eam. ET CONVERSA EST RETRORSUM; id est, fugit gemens conspectum hominum propter ignominiam; sicut fugere solent, qui ex magnis divitiis in magnam paupertatem; ex magnis honoribus in magnum contemptum devenerunt.

V. 9. SORDES EIUS IN PEDIBUS EIUS: בשוליה. Sept. *pedes* vertunt, ut noster interpres Hebr. שולים, *fimbrias vestis* significare dicunt. Itaque R. Aben Ezra, & Ionathas sic exponunt, ut loquatur de Ierusalem tamquam de muliere menstruata, cuius sanguis usque ad oram vestis defluit, apparetque eius turpitudo; quasi dicat: Tanta est eius iniquitas & idololatria ut quodammodo redundet: hanc enim paulo ante vocavit ignominiam. Eundem sensum versio Septuag.& nostri interpretis habere potest. NEC RECORDATA EST FINIS SUI, id est, quid futurum sibi esset, quod puniendа esset, postquam iniquitates suas, sicut Sodoma, & Gomorra complevisset; quasi dicat: Ita peccavit, ut videretur non recordari esse Deum, qui eam denique puniturus esset: ut illi, qui dixerunt, *Quomodo scit Deus? & si est scientia in excelso?* Psal. lxxii. 11. DEPOSITA EST VEHEMENTER; id est cecidit gravissima ruina de sua illa pristina gloria. Hebr. ותרד פלאים, *& cecidit in mirabilibus*, id est admirabili casu, ut interpretatur Aben Ezra, subito, magno, insperato: quis enim existimasset tantam, tamque florentem civitatem perituram? VIDE DOMINE. Apostrophe Ieremiæ ad Deum nomine civitatis. QUONIAM ERECTUS EST, id est, quia hostis meus sævit in me, הגדיל, *effert sese*, insolenter agit contra me, magnificat se ad verbum, ut Psalm. ix. 19. *Iudicare pupillo, & humili, ut non apponat ultra magnificare se homo super terram*, id est, nequis audeat deinceps insolenter contra eum agere; vel; הגדיל, *magnificavit se inimicus meus;* id est, locupletavit sese meis spoliis, ut statim videtur explicare, *manum suam misit hostis ad*

omnia desiderabilia eius. Ita etiam supra cap. v. 27. *Ideo magnificati sunt & ditati*.

V. 10. Manum suam misit; id est, spoliavit hostis, quicquid illic pretiosum erat. Hoc de totius civitatis, maxime vero de templi spoliatione intelligendum est. Per hostem autem R. Aben Ezra intelligit Ammonitas, & Moabitas, quos ait libros legis, quorum verba auro pretiosiora erant, concremasse, quod in illis Deuter. xxiii. 3. scriptum esset, *Ammonitæ, & Moabitæ etiam post decimam generationem, non intrabunt in Ecclesiam Domini in æternum*. Hoc Rabbinicum est. Melius Latini de Chaldæis interpretantur, qui templi vasa diripuerunt, Ier. lii. 17. & IV. Reg. xxv. 13. 14. Quia vidit. Aliqui Hebraizantes interpretantur כי, pro, גם. *Et vidit Gentes*. Alii, *quin etiam vidit Gentes*. Septuaginta εἶδεν γάρ, *vidit enim*. Ego causalem esse puto, ut noster interpres, & Septuag. verterunt, sensumque esse, propterea Deum permisisse, ut Chaldæi templum spoliarent, quia Iudæis videntibus, & consentientibus Ammonitæ, & Moabitæ contra Dei præceptum in templum ingressi fuerant ut illis exprobratur per Ezechiel. cap. xliv. 6. 7. *Sufficiant vobis omnia scelera vestra domus Israel. Eo quod inducitis filios alienos incircumcisos corde, & incircumcisos carne, ut sint in sanctuario meo, & polluant domum meam:* sicut permisit etiam Deus, ut Babylonii omnes Ezechiæ thesauros deprædarentur, quia eorum legatos Ezechias induxerat in penetralia domus suæ, Isai. xxxix. 2. 4. 5. 6. & IV. Reg. xx. 13. 14. 15. 17.

V. 12. O vos omnes. Inducit civitatem miserias suas deplorantem, & per comparationem cum aliis exaggerantem. Noster interpres videtur legisse, הוי, quæ vocandi dictio est; eodemque sensu Chaldæus vertere videtur. Hebræi autem legunt, לא, *non*, & interpretantur ad hunc modum, לא אליכם, *non ad vos*, sub. perveniat malum, quod ad me pervenit; ne vobis contingat, quod mihi contigit. Attendite enim & considerate, num sit ullus dolor similis meo. Ita R. Salom. & R. Aben Ezra. Septuag. partim ut noster interpres, partim ut Hebræi. Οἱ πρὸς ὑμᾶς πάντες παραπορευόμενοι ὁδόν: *O ad vos omnes, qui per viam præteritis!* Credo enim ω disiuncte pronuntiasse, sicut Hebraice הוי. Quoniam vindemiavit me hostis, aut Deus; id est, spoliavit me penitus, ita ut nihil in me relinqueret, sicut vindemiatores nihil in vinea relinquunt, nisi quod inutile est; sicut comminatus fuerat Deus Idumææ, Ierem. xlix. 9. & Abdiæ, vers. 5. *Si vindemiatores venissent super te, non reliquissent racemum*. Hebraicum verbum עולל, significat *racemare*, id est, post vindemiam racemos, qui reliqui fuerant colligere: ita enim civitas, & templum prius fuit quasi vindemiatum tempore Ioachim, cum Nabuchodonosor protulit inde omnes thesauros. IV. Regum xxiv. 13. postea vero quasi racematum, cum Nabuzardam dux Nabuchodonosoris tempore Sedeciæ iterum illud spoliavit, & omnia quæ reliqua fuerant Babylonem comportavit IV. Regum xxv. 13. & Ierem. lii. 17. Atque hic mihi videtur esse verus sensus huius loci, quem noster interpres exprimere voluit, ut infra versu 22. *Vindemia eos, sicut vindemiasti me propter iniquitates meas*. Et cap. ii. 20. *Vide Domine & considera, quem vindemiaveris ita:* quamvis Hebræi ut R. Abraham, & R. Salom. aliter exponant, לי אשר עולל, *qui factus est mihi*, sicut etiam Septuaginta transtulerunt. Chaldæus vero, *Quoniam occasionem quæsivit contra me, ut confringeret me Dominus in die furoris iræ suæ;* qui sensus melior etiam est, quam ille Hebræorum. Ut locutus est Dominus. Deus enim illi prædixerat, ut spoliaretur, ut supra multis locis vidimus. Noster interpres legit הגה, ut supra versu 5. Nunc Hebræi legunt הוגה, *afflixit* (me.)

V. 13. De excelso misit ignem. Ignem quo Chaldæi urbem, templumque inflammaverunt, *de excelso*, id est, de cælo missum esse dicit, quia divino consilio per Chaldæos missus fuerat. Ossa autem per metaphoram significant templum, & regiam & turres urbis, quæ quasi ossa, & robur civitatis erant, & Ionathas interpretatur. Et erudivit me, id est castigavit, excoxit igne illo misso, sicut adulterinum aurum. Videtur noster interpres legisse ירדנה, *erudivit*. Hebræi nunc ירדנה, *dominatus est illi*, id est unicuique eorum; quasi dicat, Contrivit, & in cinerem redegit omnia ossa mea, vel evacuavit omnem medullam ossium meorum, id est spoliavit templum, & urbem & postea incendit ea: utroque modo videtur R. Abraham explicare. Hanc

ego.

ego interpretationem non reprobo, sed huic aliam non minus fortasse probabilem adiungo ut civitas de se tamquam de femina aliqua loquatur. Solet autem ingens dolor significari, cum dicitur ossa ipsa conterere: & solet dolor ignis per metaphoram appellari, ut Ierem. xx. 9. *Et factus est in corde meo, quasi ignis exaestuans, claususque in ossibus meis*. Septuaginta videntur legisse a verbo ירד; verterunt enim ἐν κατήγαγεν αὐτὸ, *& deduxit illud*, id est unumquodque illorum. CONVERTIT ME RETRORSUM, id est irretivit me, & fecit cadere, ut ab hostibus caperer.

V. 14. VIGILAVIT IUGUM, id est acceleratum est, cito venit: solent enim vigilare, qui cito aliquem in locum ire volunt, ut Ierem. I. 11. 12. *Virgam vigilantem ego video. Bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo, ut faciam illud*. Eodem sensu R. Abraham interpretatur & eodem modo Septuaginta transtulerunt, sensusque bene convenit: vocat autem iugum iniquitatum, poenam iniquitatum, quia gravis esse solet, sicut iugum, ut Psal. XXXVII. 5. *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me*. Noster interpres, & Septuag. legerunt a verbo שָׁקַד, non a שָׂקַד, quæ non differunt nisi positu puncti. Nam puncto in dextro cornu posito vigilare significat, in sinistro vero ligare, aut contingere. Nostrum vero interpretem, & Septuag. cum puncto in dextro cornu melius legisse, quam nunc Hebræi legant in sinistro, argumento est, & quod sensus sit melior, & quod ipsi Hebræi confiteantur nusquam alias hoc verbum nisi cum puncto in sinistro cornu legi, nisi hoc loco. Ergo R. Sal. sic explicat; iugum iniquitatum mearum quasi punctis quibusdam notatum est, id est, numeratæ sunt, & signatæ iniquitates meæ in manu Dei. Hæc interpretatio mihi non placet: si enim ipsæ iniquitates punctis notatæ esse dicerentur, sensus esset accommodatus; at iugum esse notatum punctis quis dicat? Melius Chaldæus אתיקר, *aggravatum est*. IN MANU EIUS. Hæc verba iungunt Hebræi, & Chald. cum præcedentibus, quod mihi non videtur bene quadrare; nisi vertant, sicut noster interpres, *vigilavit*, aut *acceleravit*, ut R. Abrah. recte enim dicitur accelerari in manu, id est cito manu Domini adduci. Sed aggravatum esse in manu Domini, non bene dicitur. Sept. sicut noster interpres cum sequentibus nectunt χερί μου, *in manibus meis*, legentes, pro, ו CONVOLUTAE SUNT, id est, implexæ, implicatæ, ut me non queam ex illis extricare; quasi dicat, Iniquitatibus meis quasi loris collum meum illigatum ad iugum grave suppliciorum, quibus afficior, si legamus Hebræorum more: aut iniquitates meæ, quasi vincula manu Dei implicata, iniectæ sunt in collum meum; id est, captivum me ligato collo deduxerunt, si legamus, ut noster interpres, ut ego legendum esse puto. Chald. *convolutæ sunt quasi propagines vitis*. INFIRMATA EST VIRTUS MEA, gravi illo iugo. Hebr. הכשיל, *deiecit, prostravit* (iugum illud) *vires meas*; aut, Deus prostravit imposito iugo. DE QUA NON POTERO SURGERE, id est liberare me; non enim de manu surgimus, sed liberamur. Hebr. בידי, *In manus*, (eorum) *a quibus me non potero liberare*, id est in manus Chaldæorum.

V. 15. ABSTULIT OMNES MAGNIFICOS MEOS: id est, vindemiavit quasi racemos principes meos, aut אבירי, *fortes viros meos*. Sic ego interpretor convenienter metaphoræ torcularis, qua utitur Propheta. Eodem sensu Chald. כנש, *collegit*, & Sept. ἐξῆρε, *decerpsit*. Heb. סלה, quod Hebræi interpretantur, *conculcavit*. VOCAVIT ADVERSUM ME TEMPUS; id est, venire fecit tempus maturitatis, & vindemiæ, ut me calcaret. Hoc significat מועד. Gallice, *la saison*, sicut Chald. & Sept. transtulerunt: qui sensus melior mihi videtur esse, quam ille, quem Hebræi esse putant. Interpretatur enim, *cætum* (hostium) *vocavit Dominus adversum me, ut me vindemiarent*. TORCULAR CALCAVIT DOMINUS VIRGINI FILIAE IUDA; id est, Adduxit Chaldæos vindemiatores, qui illi torcular calcent. Dativus ille hanc vim habet, ut utilitatem significet; quasi dicat, Nullos sumptus facit in calcando suo torculari; Deus enim adduxit illi vindemiatores, qui gratis & sponte sua illud calcaverunt; loquitur de summo damno, tamquam de summo beneficio, irrisorie. Alii per accusativum vertunt, torcular, id est, tamquam torcular calcavit Dominus virginem filiam Iuda. Hoc est, quod dixerat de Moab, cap. XLVIII. 33. *Nequaquam calcator uvæ solitum celeusma cantabit*, ut illic explicabimus, & cap. XXV. 30. *Celeusma quasi calcan-*

cantium concinetur adversus omnes habitatores terræ.

V. 16. ET OCULUS MEUS. Hebraice, עיני עיני, *oculus meus*, *oculus meus* DEDUCENS AQUAS, id est perpetuo oculi mei lacrimis manant. Hanc enim vim habet nominis geminatio, ut R. Salom. adnotavit. CONVERTENS ANIMAM MEAM, id est quiescere faciens, tranquillans, משיב, sicut noster interpres vertit vers. 11. *ad refocillandam animam*.

V. 17. EXPANDIT SION MANUS; id est, quæsivit, imploravitque auxilium, & non invenit; solent enim qui auxilium implorant, precabundi manus extendere, ut Ierem. IV. 32. *Vox filiæ Sion intermorientes, expandentesque manus suas: Væ mihi, quia defecit anima mea propter interfectos*; & Ps. LXXXVII. 10. *Clamavi ad te Domine tota die; expandi ad te manus meas*; & Psal. CXLII. 6. *Expandi manus meas ad te, anima mea sicut terra sine aqua tibi*. Hæc interpretatio nostri est interpretis, & Chald. Paraphrast. & Septuag. qui eodem modo reddiderunt; magisque mihi probatur, quam illa, quam adhibent nonnulli Hebraizantes, *fregit Sion manibus suis*; id est, fregit sibi ipsa panem, cum non haberet qui illi frangeret; id est, qui eam consolaretur; solemus enim mœrentibus panem frangere. Violentum hoc est, & coactum: nam neque verbum פרש, cum puncto in sinistro cornu id significat, nisi fortasse raro, & ב quæ est in nomine בידי quæque eos movet, ut sic interpretentur; R. Abraham adnotavit redundare. MANDAVIT DOMINUS; id, præcepit hostibus eius, ut essent in circuitu eius, id est ut eum obsiderent. QUASI POLLUTA MENSTRUIS, id est execrabilis, vel separata est, & segregata ex terra sua in captivitatem; sicut mulier menstrua separabatur, Luvit. XX. 19. Sic etiam Chaldæus, & Sept. nonnulli etiam Hebræi interpretantur. Possemus etiam aliter exponere לנדה, *in commotionem*: nam & verbum id significat, & sensus est aliis Scripturæ locis consentaneus ut supra vers. 8. *Peccatum peccavit Ierusalem, propterea instabilis facta est*, & Ierem. XXXIV. 17. *Dabo vos in commotionem cunctis regnis terræ*. Ab hac interpretatione R. Salom. non longe abest.

V. 18. QUIA OS EIUS; id est, faciendo contra præceptum, quod ore suo mihi dederat, eum ad iracundiam provocari: פיהו מריתי, *os eius transgressus sum*, id est præceptum eius. Ionathas Chaldæus putat hæc verba a Ieremia dicta persona Iosiæ regis, qui monitus a Deo ne contra regem AEgypti pugnaret, parere noluit; itaque in bello occisus est, IV. Reg. XXIII. 29. 30. & II. Paral. XXXV. 21. 22. 23. Hanc enim existimat esse Ieremiæ lamentationem, quæ II. Paral. XXXV. 25. in morte Iosiæ decantata fuisse dicitur. Sed ex verbis sequentibus manifestum est hæc esse verba Ierusalem; ait enim, VIRGINES MEAE, ET IUVENES MEI ABIERUNT IN CAPTIVITATEM.

V. 19. VOCAVI AMICOS MEOS, id est, quos mihi amicos esse credebam; vel, qui se amicos meos esse profitebantur, vel, qui amici mihi esse debebant. Hoc est, quod dixit vers. 2. *Omnes amici eius spreverunt eam, & facti sunt ei inimici*: & cap. IV. 30. Prophetiæ: *Contempserunt te amatores tui, animam tuam quærent*: & cap. XXII. 20. *Ascende Libanum, & clama: & in Basan da vocem tuam, & clama ad transeuntes, quia contriti sunt omnes amatores tui*, & cap. XXX. 14. *omnes amatores tui obliti sunt tui, teque non quærent*. Per amicos autem hoc loco alii Israelitas intelligunt, qui ex eodem erant genere procreati, ut R. Salo. Alii Moabitas, & Ammonitas, qui propter generis coniunctionem, amici Iudæorum esse debebant. Alii Romanos, qui cum Iudæis amici essent, facti sunt inimici, & Tito ac Vespasiano ducibus Ierusalem iterum expugnarunt, quemadmodum Ionathas Chaldæus interpretatur. Ego simplicius AEgyptios intelligo, qui Iudæis confœderati erant Ierem. II. 18. & XXXVII. 4. IPSI DECEPERUNT ME: frustrati sunt spem meam, quam in illis collocaveram, ut vers. 2. בגדו בה, *fefellerunt eam*. CONSUMPTI SUNT. Verbum גוע, ut ait R. David, significat *sensim emori*. Itaque hoc loco significat paulatim fame confici. QUIA QUAESIERUNT CIBUM SIBI; intelligitur, & non invenerunt.

V. 20. VIDE; id est, opem fer, respice calamitatem & miseriam meam. VENTER MEUS: מעי חמרמרו, *viscera mea turbata sunt præ dolore*. SUBVERSUM: נהפך, *perturbatum*; repetitio enim est eiusdem sententiæ. AMARITUDINE PLENA SUM: מרו מריתי. Eodem modo, aut eodem certe sensu quo noster interpres Septuag. verterunt, quasi legerint מרר מרות, similibus litteris.

Ile-

Hebræi nunc legunt מרן מריתי, *quia prævaricando prævaricata sum* (contra te) ut Chaldæus reddidit. ET DOMI MORS SIMILIS EST, כמות, *sicut mors*, id est fames, quæ aliud genus est mortis.

V. 21. AUDIERUNT: amici mei; quasi dicat: Amici mei in mea calamitate non sunt consolati me, & inimici gavisi sunt. QUONIAM TU FECISTI, id est, videntes me abs te puniri. ADDUXISTI: Adduc, vel, Adduces DIEM CONSOLATIONIS, meæ, quo die eos punias, sicut me punivisti, *lætabitur* enim *iustus*, *cum viderit vindictam*, *manus suas lavabit in sanguine peccatoris*: Psalm. LVII. 11. Videtur noster interpres legisse קראת, *occursus mei*, id est diem quo mihi occurrat, & opem ferat. Et quidem ita legendum esse magnum indicium est, quod קראת coniunctionem non habeat, quam, si verbum esset, ut Hebræi habere debuissent, & quod cum dictione præcedente per *mataph* copuletur. Hebræi tamen legunt קראת; eodemque modo Chaldæum Paraphrastem, & Septuaginta interpretes legisse constat; quod R. Sal. & Ionathas sic explicant, *Adduces* (sub. super eos,) *diem*, (convocationis, id est, quo convocabis contra eos Gentes) *quem vocasti* (sub. super me) *& erunt similes mihi*. Hæc omnia subintelligunt. Alii: *Induces*, vel, *Induedein* (super eos) (quem) *vocasti*, id est, quem te per Prophetas tuos inducturum prædixisti, ut Ierem. L. 15. & LI. 49. *Et quomodo fecit Babylon ut caderent occisi in Israel, sic de Babylone cadent occisi in universa terra*. Et Abd. versu 15. *Sicut fecistis fiet tibi; retributionem tuam convertet in caput tuum*. Sept. ἐπήγαγες ἡμέραν, ἐκάλεσα καιρὸν, *Induxisti diem*, *vocasti tempus*.

V. 22. INGREDIATUR OMNE MALUM EORUM CORAM TE: לפניך, *in conspectum tuum*; id est, considera, animadverte omne malum eorum, ut eos punias, sicut me propter iniquitates meas punivisti. Hebraismus, qualis ille Psal. LXXVIII. 11. *Introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum*, id est considera gemitus vinctorum compedibus. VINDEMIA EOS; id est, spolia, conculca, sicut conculcasti me in torculari, vers. 15. עולל, noster interpres, & Sept. vertunt, *Vindemia*. Sicut supra vers. 12. & infra cap. II. vers. 20. Hebræi vero: *Fac illis, sicut fecisti mihi*. Melius noster interpres, ut vers. 22. probavimus: *Multi enim* (sunt) *gemitus mei*, *quot sunt dies servi tui*: *quando facies de persequentibus me iudicium*: Psalm. CXVIII. 84.

S A.

THRENI, id est *Lamentationes*. LXX. addunt, post captivitatem Israelis & desolationem Ierusalem planxisse Ieremiam, & dixisse quod sequitur.

V. 1. PLENA, scilicet olim. VIDUA; quasi dicat, desolata. DOMINA GENTIUM, scilicet scilicet multarum, quæ ei tributa pendebant, ut Ammonitæ, Moabitæ. LXX. *multiplicata in Gentibus*, scilicet antea.

V. 2. CHARIS EIUS. LXX. *diligentibus eam*. AMICI, id est qui amici videbantur, scilicet fœderati populi.

V. 3. AFFLICTIONEM, &c. quasi dicat, Quia affligebat innocentes, & servire faciebat; vel quasi dicat, Cum magna afflictione & servitute migravit. Quidam tamen afflictionis & servitutis nomine peccatum intelligunt, scilicet quod afflictionem animæ afferat, & servitutem: sic interdum etiam amaritudo vocatur.

V. 4. LUGENT, id est videntur lugere, scilicet desertæ prorsus. SOLEMNITATEM, id est festa celebranda in templo.

V. 5. IN CAPITE, id est domini, seu superiores. SUPER, id est contra, scilicet afflixit eam, ut est Hebr. & in LXX.

V. 6. FILIA SION, id est Ierusalem, quæ arci Sion subiecta. Chald. *cœtus Sion*. SUBSEQUENTIS, id est, abducentis. Hebr. & Chald. & LXX. *persequentis*.

V. 7. AFFLICTIONIS, scilicet quam patiebatur propter prævaricationes suas. PRAEVARICACTIONIS, id est peccatorum, vel punitionis ob prævaricationem; sic solet Scriptura *iniquitatem* vocare *pœnam iniquitatis*. CUM CADERET: iunge cum *recordata est*. SABBATA, id est festa, scilicet Dei cultum. Chald. *cessationem bonorum*. LXX. *transmigrationem*.

V. 8. PECCATUM Chald. *peccatum grande*. INSTABILIS. LXX. *in commotionem*, scilicet mota loco per captivitatem. RETRORSUM, scilicet præ pudore; quasi dicat, Erubuit: solent erubescentes faciem avertere.

V. 9. SORDES. Chald. *immunditia menstrui*, *a qua non est mundata*, scilicet peccata. IN PEDIBUS; pro, ante pedes. Heb. *in fimbriis*. LXX. *ad pedes*; quasi dicat: Ap-

Apparent eias peccata, plane ut celare non possit. NEC RECORDATA, &c. quasi dicat: Cum ante oculos haberet peccata, non tamen cogitavit, quid sibi tandem ob ea eventurum esset. DEPOSITA, id est deiecta. ERECTUS, id est elatus superbia. LXX. *praevaluit*.

V. 10. QUIA; pro, etenim. GENTES, scilicet Ammonitas & Moabitas. ECCLESIAM, id est congregationem, scilicet ne affinitatem contraherent, aut civitatis iura.

V. 11. PRETIOSA. Hebr. est idem verbum, quod supra vertit *desiderabilia*.

V. 12. VINDEMIAVIT, id est abstulit cives meos, scilicet hostis, vel Deus.

V. 13. IGNEM, id est punitionem consumentem. ERUDIVIT, id est castigavit. RETRORSUM; quasi dicat, A felicitate in calamitatem: vel, fecit ut terga verterem hostibus.

V. 14. VIGILAVIT, scilicet Deus. IUGUM; pro, super, iugum; quasi dicat, Ut puniret iniquitates, quibus me subieceram. CONVOLUTAE, scilicet iniquitates, id est iniquitatis supplicium.

V. 15. MAGNIFICOS, id est praecipuos. Chald. & LXX. *fortes*. TEMPUS, scilicet destinatum punitioni. TORCULAR, scilicet tribulationum. VIRGINI, id est Regno, quod more virginis custodiri solet. FILIAE, id est populi, seu populo: ut sit appositio. IUDA: nomine *Iuda* intelligitur etiam Beniamin.

V. 16. CONVERTENS, id est reducens, scilicet ad statum laetitiae. Chald. *sustentans*.

V. 17. MANUS, scilicet ut solent, qui opem petunt. Chald. *manus prae angustia, more parturientis*. QUASI POLLUTA, &c. quasi dicat, Abominabilis.

V. 18. OS, id est faciem.

V. 19. VOCAVI, scilicet in auxilium. AMICOS, scilicet AEgyptios, quos putabam amice adiuturos. CIBUM, scilicet & non invenerunt.

V. 20. VENTER, id est mens, seu interiora. SIMILIS EST, id est similiter interficit: *mortem* autem Chald. *famem* intelligit.

V. 21. AUDIERUNT. Chald. *audierunt nationes*. FECISTIS, id est puniisti. CONSOLATIONIS, scilicet ipsorum. Chald. *ultionis*. [FI]ENT; pro, & tamen fient. Complut. [fi]*ant*.

V. 22. VINDEMIASTI. LXX. *vindemiaverunt*.

ESTII.

Vers. 5. FACTI SUNT HOSTES EIUS IN CAPITE, INIMICI EIUS LOCUPLETATI SUNT. Phrasis Hebraica est, pro eo quod diceretur: Hostes eius facti sunt superiores, & praevaluerunt: ita Deut. XXVIII. inter promissiones veteri illi populo factas: *Constituet te Dominus in caput, & non in caudam*. Quod explicans addit: *Et eris semper supra, & non subter*; quasi dicat: Semper superior eris hostibus tuis, si legem servaveris. Quod ad praesentem versum attinet, fabulantur Hebraei, hunc librum Threnorum scriptum esse ab Ieremia multo ante excidium urbis, tempore Ioakim regis; & hunc esse librum, quem Ioakim rex Iuda coram se legi praecepit Ierem. XXXVI. Cum inquiunt, ventum esset ad hunc versum: *Facti sunt hostes eius*, &c. Regem gravi iracundia inflammatum, nihil ultra audire voluisse, sed libellum mox conscidisse, & in ignem coniecisse. Haec nominatim commemorat Rabbi Salom. Sed haec fabula est Iudaica: primum, quia eodem illo cap. XXXVI. dicitur in illo volumine scriptum fuisse; *Festinus veniet rex Babylonis, & vastabit terram*: quae sententia hic non reperitur. Deinde toto hoc libro, non quid futurum sit, sed quid factum sit, scribitur, & totus stylus declarat non prophetiam esse futurorum, sed deplorationem rerum factarum.

V. 8. PECCATUM PECCAVIT IERUSALEM, PROPTEREA INSTABILIS FACTA EST. Dupliciter intelligi potest, quod ait; *peccatum peccavit*: vel ut sit phrasis Hebraica, qua per eiusdem vocis geminationem significatur studium, assiduitas, & perseverantia in peccato; ut sensus sit: Graviter, assidue, & perseveranter peccavit Ierusalem, quae phrasis est frequentissima: ut *Expectans expectavi*, id est magna cum patientia expectavi; *Desiderio desideravi*, id est vehementer & ardenter desideravi: vel intelligi potest, per antonomasiam certum quoddam enorme peccatum; illud nimirum, de quo Dominus in evangelio Ioan. XV. *Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent*. Neque enim fuissent sine omni peccato, sed grave illud infidelitatis pecca-

tum

tum non habuissent, quo veritati etiam manifestatæ resistebant. Addit autem; *propterea instabilis facta est*, id est eiecta, & translata de loco, & terra possessionis suæ, in alienam terram, in exilium & captivitatem.

MARIANAE.



UCTOR huius libri Ieremias. Titulus Hebraice quidem איכה *AEcha*, a prima libri voce, sicut & quinque libri Moysis a prima singuli voce vocantur. Apud Rabbinos vulgo קינות *Kinoth*, id est. *Lamentationes* vacatur, ut a Græcis Θρῆνοι, *Planctus*, a Latinis *Lamentationes*. De argumento non una opinio est. Iosiæ Regis mortem deplorari quidam putant. Iosephus Lib. X. cap. VI. *Ieremias etiam Propheta epicedium ei* (Iosiæ) *scripsit, quod nunc quoque extat*. Hieronymus hoc sequitur Zachar. XII. 11. tum Sixtus Senensis Lib. II. Biblioth. in Ieremia hoc sentit. Nec dubium est, Ieremiam in Iosiæ morte lugubre carmen scripsisse, ex II. Paralip. cap. XXXV. 25. Verum, an id carmen sit quod Lamentationibus continetur, non satis constat. Plerique tum Græci tum Latini putant, Ierusalem urbis excidium, & gentis captivitatem hoc libro defleri. Quod verum esse, Procemium huius libri declarat, ex Sept. quidem sumptum, sed positum in omnibus Vulgatæ codicibus: *Et factum est, postquam in captivitatem redactus est Israel*, & quæ sequuntur. Mihi præ ceteris placet Hieronymi sententia in Procemio ad Comment. has Lamentationes de excidio urbis esse, sed & de Iosiæ morte. Quod dictum sic intelligo: Ieremiam monodiam de Iosiæ morte prius scripsisse; deinde ad excisam urbem eam vertisse, multis denuo carminibus locupletatam. Sane multa hic dicuntur, quæ utrique malo conveniunt, ut locis quibusdam indicabimus. Verum quæ proprie de Iosia dicantur, divinare non licet, cum vetus illa monodia novæ inserta sit, & in illa inclusa. Ratio scribendi carmine est per Alphabeti Hebr. litteras quod a Græcis ἀκροστιχὶς vocatur. Quatuor Alphabeta sunt. Duo priora carmine Sapphico constant, tertium trimetris, quartum Sapphico: sic Hieronymus in hoc Procemio, & ex eo Isidorus Lib. VI. Etymol. cap. II. In quo non exactam rationem eorum carminum requiras, nec quantitatem, ac ne numerum quidem syllabarum, sed imaginem quamdam. Ita hic liber, ut alii quidam ex Sacris, carmine constat. De carminis lege divinare non est opus, antiquitas oculis quasi velum quoddam opponitur.

Vers. 1. QUOMODO. Vox admirantis & dolentis. SEDET SOLA, sine habitatoribus. PLENA POPULO, scilicet paulo ante frequentissima. FACTA EST QUASI VIDUA. *Quasi* non similitudinem dicit, sed veritatem, ut aliis locis. Ergo vidua fuit suo populo destituta, qui mariti instar erat. DOMINA GENTIUM, id est *magnifica inter Gentes*, ut Chald. Id hoc loco significat vox רבתי *Rabbathi*, non ut priori loco posita, quæ *plena* ibi significat: sic Heb. Quomodo vitatur repetitio, quæ alioqui esset, si verteremus pro *domina gentium*, *plena in gentibus*, ut est Hebr. id est civibus plena, quos gentes vocari hic quidam volunt. PRINCEPS PROVINCIARUM, id est quæ aliis provinciis imperabat. FACTA EST SUB TRIBUTO. Hebr. *in tributum*, id est tributaria, Chaldæis. Eæ sunt rerum vices: sic locus intelligitur, si de excidio explicatur; sic de Iosiæ casu, paulo aliter. SEDET SOLA, quia sublato marito uxor sola manet, ut maxime habitet in frequentissima domo; sic Ierusalem, quamvis plena populo esset, mortuo Iosia sola manet. Facta est vidua inclyta inter gentes. Quod in maiori felicitete, eo gravior casus. Princeps inter provincias facta est tributaria. Quod III. Reg. XXIII. 35. factum est, cum Ioakim Rex aurum & argentum a populis exegit, quod Pharao imperarat.

V. 2. PLORANS PLORAVIT IN NOCTE. Sic solent viduæ per noctem magis sentire suam solitudinem, eamque copiosius deflere. EX OMNIBUS CHARIS EIUS, id est confœderatis, nullus illi adest:

Cum fueris felix, multos numerabis amicos.

SPREVERUNT EAM omnes amici: sic Sept. alii *deceperunt*. Non satis fuit illis eam non consolari, deceperunt eam, non implentes quæ promiserant, & in hostes versi sunt.

Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Hæc de Iosia & de excidio urbis peræque possunt intelligi.

V. 3. MIGRAVIT IUDAS. Iudæi ante urbis eversionem abierant ad gentes finitimas a suis Regibus dura servitute oppressi, & tri-

tributis fessi, quæ, ut in exigua provincia, gravissima imponebantur: sed ibi eam male habuerunt, haud minora passi mala: sic inter angustias sunt comprehensi, nescientes quo irent. Ubique timor & mala. Erant ut qui in semita angusta inter sepes comprehenduntur, fugæ facultate sublata. Id significat מצרים mezarim, *loca septa & arcta*, seu *macerias*, quæ noster ANGUSTIAS vocavit.

V. 4. VIAE SION LUGENT. Quæcumque ornamento suo carent, lugere videntur. Porro viarum ornamentum, commeantium multitudo est. Iosia mortuo, metu AEgyptiorum, urbe capta, Chaldæorum metu plerosque formidasse ire Ierusalem credam. Eam viarum infrequentiam, præsertim quo tempore festa recurrebant: & præceptum templum invisendi, Propheta deplorat. VIRGINES EIUS SQUALIDAE. Hebr. *dolentes*, seu *afflictæ*.

V. 5. HOSTES EIUS IN CAPITE. Sept. *in caput*: Chald. *in Principes*. Servitus omnis turpis, sed hosti servire gravissimum. LOCUPLETATI SUNT, scilicet urbis spoliis. Hebr. *prosperati sunt inimici eius*. QUIA DOMINUS LOCUTUS EST, decrevit. Hebr. *afflixit eam*: הוגה *hogah*, a יגה *iagbah* deducunt, id est *affligere*, non a הגה *hagah*, id est *loqui*, ut Hieronymus deduxit. PARVULI EIUS, nulla ætatis misericordia, ut pecudes pedibus ibant, subsequente a tergo hostes. Id significat, ANTE FACIEM TRIBULANTIS.

V. 6. OMNIS DECOR EIUS: ii sunt cives, ac proceres præsertim. VELUT ARIETES, איל *Aial* pro ratione punctorum *arietem* & *cervum* significat. Sept *arietes* dixerunt, Chald. *cervi*, atque id significat ea vox, ut nunc Hebr. est punctata. Utroque modo idem sensus, ut *cervi*, aut *aries*. NON INVENIENTES PASCUA, id est fame confecti, sine viribus sunt cervi, nec possunt fugere: sic Principes fugere non potuerunt, cum Sedecia Rege capti, & retracti ut pecudes, hoste pone subsequente.

V. 7. RECORDATA EST. In mentem revocavit tum adversa tempora, tum prospera, ut ea comparatione patienter calamitatem præsentem toleraret. Aut sic: RECORDATA EST IERUSALEM DIERUM, pro, in diebus afflictionis. ET PRAEVARICATIONIS. Hebr. *& paupertatis*. Recordata inquam est temporum antiquorum, quibus ad votum cuncta fluebant; qua memoria calamitas gravior apparebat. Grave miseris infortunii genus, fuisse aliquando felices. CUM CADERET. Qui erant ii dies afflictionis? cum scilicet caderet populus hostis gladio. ET DERISERUNT SABBATA EIUS. In captivitate videntes Iudæos septimam temporis partem feriari, ridebant. Quod inter Romanos fecit Seneca, teste Augustino, quasi septimam temporis partem inepte perderent Sabbati observatione. Aut per *sabbata* omnem Legem intellige, quam gentes irridebant.

V. 8. INSTABILIS FACTA EST. Hebr. *in commotionem fuit*, aut quoniam in diversa Regna dispersa, aut quoniam Gentes aliæ movebant capita super Iudæos ex contemptu, aut admiratione tantæ cladis. QUIA VIDERUNT IGNOMINIAM EIUS: sic Sept. Hebr. *turpitudinem*, aut *nuditatem eius*; quasi si feminæ nudæ muliebria viderent; id vox Hebr. proprie significat. Ipsa præ pudore CONVERSA EST RETRORSUM.

V. 9. SORDES EIUS IN PEDIBUS EIUS; pro, ad pedes eius. Hebr. *in fimbriis eius*; quasi dicat: Tanta erat turpitudo, ut ad fimbrias menstrua caderent. NEC RECORDATA EST FINIS SUI: numquam fore putavit, ut tanta eius ignominia esset. DEPOSITA EST VEHEMENTER. Hebr. *descendit* (in) *mirabilibus*, id est mirabiliter, subito, præter opinionem. VIDE DOMINE. Apostrophe Iudaicæ gentis ad Deum. ERECTUS EST. Hebr. *magnificavit se hostis*, spoliis meis locupletatus est.

V. 10. MANUM SUAM, spoliis meis se magnificavit. QUIA VIDIT GENTES. *Quia*, pro, sane Gentes irruperunt in templum, ut illud diriperent. Aut sic: Quare Deus permisit, ut Gentes diriperent urbem; quia ipsa vidente contra Dei præceptum Gentes variæ ingressæ fuerant in sanctuarium.

V. 11. DEDERUNT PRETIOSA QUAEQUE. Hebr. *desiderabilia sua*. Non urbis & templi direptio satis fuit; misit etiam hostis manum ad omnia desiderabilia, sed & cives sponte ea cibis mutarunt ob famis sævitiam. VIDE DOMINE ET CONSIDERA, QUONIAM FACTA SUM VILIS. Nimirum rebus omnibus pretiosis spoliata.

V. 12. O VOS OMNES. Hebr. *non vobis*, scilicet hæc contingant. Ita liberi sitis ab his malis: forma adiurandi. Chald. *Adiuro vos omnes transeuntes per viam, declinate.*

nate: Hieronymus verbis mutatis sententiam expressit. ATTENDITE, ET VIDETE. Hebr. *aspicite & videte*. VINDEMIAVIT ME, scilicet Deus: nullum ornamentum reliquit, ut vindemiator omnes racemos aufert. Heb. *si est dolor sicut dolor meus, qui factus est mihi*. Sept. *sicut dolor meus qui factus est mihi*. Hieronymus putavit עלל *halal* significare *vindemiare*, neque ab re, cum עוללות *holeloth racemos* significet. Dictionaria silent, ac id verbum in significatione *faciendi* ponunt, quod Sept. & Hebræi sequuntur, pro, *vindemiavit me*, ponentes *qui factus est mihi*; scilicet dolor. UT LOCUTUS EST DOMINUS. Hebr. *quoniam afflixit me Dominus*. Hieronymus vocem *hoghah* deduxit a *haghah*, quam alii a *iaghah* deducunt, de quo vers. 5. dictum est.

V. 13. DE EXCELSO, id est de cælo, ex divino decreto. MISIT, Deus scilicet IGNEM IN OSSIBUS MEIS. *Ossa* vocat templum, arces, mœnia, quibus ut ossibus urbs fulciebatur. ET ERUDIVIT ME, scilicet malis. Sept. *& deduxit illum*, scilicet ignem. Hebr. *& dominatus est ei*, scilicet quodque ossium consumpsit. Vocem ירדנה *iirdenah* non uno modo legerunt Interpretes. Hieronymus a ירה *iarah*, deduxit, id est *docere*. Sept. a ירד *iarad*, id est *descendere*. Hebræi a רדה *radah*, id est *dominari*: CONVERTIT ME RETRORSUM, scilicet captam reti fecit, ut hostes me a fuga retraherent, & unde fugerem, eo redirem.

V. 14. VIGILAVIT, id est cito venit, festinavit. IUGUM INIQUITATUM, id est pœnæ debitæ iugi ad instar graves. IN MANU EIUS, id est in manu Dei convolutæ sunt seu implexæ, scilicet iniquitates, quas iugi funiculis comparat. Ipse Deus iugum composuit, & meæ cervici imposuit. Hebr. *ligatum est iugum in manu eius*, id est manu eius, Deus ipse iugum aptavit manu sua. Implexæ sunt; scilicet iniquitates ascenderunt super collum. INFIRMATA EST VIRTUS MEA. Hebr. active, *corruere fecit* (scilicet iugum suo pondere) *fortitudinem meam*, sustinere non potui. DEDIT ME DOMINUS IN MANU, &c. Hebr. *in manus* (scilicet hostium) *non potero surgere*, id est ab aliis liberari.

V. 15. ABSTULIT, &c. Hebr. *calcavit fortes meos*. Ut vindemiator uvas. DE MEDIO MEI. Sic Sept. Hebr. *in medio mei*: in plateis urbis. VOCAVIT ADVERSUM ME TEMPUS. Hebr. *vocavit*, pro, indixit contra me festum: sic מועד *mohed* hoc loco interpretor: Quasi in die festo, & magna celebritate, & frequentia contrivit, calcavit ELECTOS MEOS, seu *iuvenes meos*, milites meos. TORCULAR CALCAVIT, cum scilicet meos iuvenes occidit, quasi in torculari racemos premeret.

V. 16. ET OCULUS MEUS. Hebr. *oculus meus, oculus meus*, lacrymis scilicet manat. Geminatio exaggerat. QUIA LONGE FACTUS EST A ME CONSOLATOR, CONVERTENS, seu *refocillans* (ut vers. 11. vertit idem verbum *mesib*) ANIMAM MEAM: solebat Deus me refocillare. FILII MEI PERDITI. Hebr. *desolati*, id est perierunt.

V. 17. EXPANDIT SION MANUS SUAS. Sic fit in magno dolore. IN CIRCUITU EIUS HOSTES EIUS, scilicet essent in circuitu eius, mandavit Deus ut eam obsiderent. QUASI POLLUTA MENSTRUIS facta est Ierusalem: sic Sept. & Chald. per abominabilem aut eiectam, ut est in Hebr. menstruatam intellexerunt, quam scilicet omnes aversantur.

V. 18. QUIA OS EIUS AD IRACUNDIAM PROVOCAVI. Hebr. *ori eius rebellavi*, non obedivi iis quæ mandavit. Chald. hæc Iosiæ Regis verba putat, qui Deo non obedivit vetanti, ne contra AEgyptios pugnaret. Sed verius est, verba Ierusalem esse propter id quod addit, *Virgines meæ, & iuvenes mei abierunt in captivitatem*.

V. 19. CONSUMPTI SUNT, seu *expirarunt* fame scilicet. QUIA QUAESIERUNT CIBUM: supple, neque invenerunt, quo reficerent animam, id est, vitam sustentarent.

V. 20. VIDE DOMINE, opem fer. CONTURBATUS EST VENTER MEUS, viscera mea. QUONIAM AMARITUDINE PLENA SUM. Sept. *amaricans amaricavi*. Hebr. *rebellando rebellavi*: sic Chald. FORIS INTERFICIT GLADIUS. Hebr. *orbat gladius*. ET DOMI MORS SIMILIS EST. Hebr. *domi sicut mors*, id est vita morte est peior: tot mala undique nos premunt. Itaque neque egredi domo licet neque manere intra eam.

V. 21. Omnes inimici mei audierunt; id est, amici non me consolantur, inimici casu meo lætantur: Quoniam tu fecisti. Videntes me abs te puniri. Adduxisti diem consolationis. Hebr. *adduxisti* (pro, adduces) *diem* (quem) *vocasti* (id est designasti) *& erunt ut ego*. Nimirum, tempora & vices mutabuntur, pro lætitia mœror erit & angustia hostibus. Et fient similes mei. Regia, *fiant*.

V. 22. Omne malum, id est peccatorum quæ fecere recordare, ut ea punias. Vindemia eos. Hebr. *fac eis ut fecisti mihi*. De hac re & verbo עלל *halal* plura vers. 12. Multi enim; quasi dicat: Iustum est ut hoc impetrem, quoniam gemitus mei multi sunt.

MALVENDAE.

Vers. 1. QUomodo sedet sola civitas, &c. Hunc librum Hebræi suo more appellant איכה *echah*, a prima nimirum dictione eius; sic enim incipit: echah, *Quomodo*. In commentariis vero passim vocant kinoth, id est *Lamentationes*. LXX. & Greci *Threnos*, quod etiam *Lamentationes* seu *Fletus* significat: quam etiam appellationem Latini frequentius usurpant. Etsi, inquiunt, hic Lamentationum liber non unam tantum calamitatem Iudæorum deflet, sed multiplices, quæ inde a Ioschiiæ temporibus coortæ sunt subinde usque ad excidium totius regni, ac ferme populi: non dubium est tamen (ut auctor est Hezra II. Chronicor. xxxv. 25. & Iosephus diserte affirmat X. Antiquit. vi.) quin occasione mortis Ioschiiæ a Propheta fuerit conscriptus, & Ecclesiæ traditus. Nam cum vidit Propheta (qui prius prophetias de excidio regni audiverat, & ipse prophetaverat per revelationes Dei) Ioschiiam a Nechone AEgyptiorum rege interfectum, ac proinde regnum delabi in fiduciam Regis AEgyptiorum, ut historia sacra ostendit, ex istis malorum gravissimorum primordiis lamentum conscripsit, quo eum res præsentes, tum etiam successuras alias comprehendit: ut præmonita Ecclesia tunc resipisceret, aut saltem futuræ Ecclesiæ reliquiæ post ictum, & flagella, in fide & veritate Dei, magis confirmarentur; peccata confiterentur, sibi renuntiarent, Deum caste accederent, iustitiam eius prædicarent, & misericordiam implorarent ex fœdere. Sunt autem huius capitis (quod Alphabetico ordine conscriptum est, ut sequentia tria, iis de causis, quas proposuimus in Psalm. xxiv. 1.) summæ partes sane duæ: una est, propositio malorum, quibus Ecclesia obruta est, versibus undecim: altera est, contestatio adversus hostes Ecclesiæ, usque ad finem. Propositionis autem loci sunt tres, primus est, quæstio ex præsentibus & impendentibus Ecclesiæ Iudæorum calamitatibus, versibus quatuor: secundus est hypophora sive responsio, qua Ecclesia confitetur, & statuit malorum suorum causam in peccatis suis, quatuor alteris: tertius est, precatio, tribus versibus. Ergo hunc primum versum dilucidius alii ex Hebr. reddunt: I. *Quomodo sedet sola, illa urbs quondam populosissima? quæ erat magna inter gentes, viduæ similis facta est? domina in provinciis, vectigalis facta est?* II. *Quomodo desidet solitaria, civitas amplissima populo, similis est viduæ?* id est, exhausta plurimum civibus amisso rege optimo Ioschiia, qui regni quasi maritus est, & popularium quasi pater: *amplissima inter gentes, princeps inter provincias, quomodo est in tributum*, seu *tributaria?* videlicet Regi AEgypti Necho, per quem Ioachaz deportatus est, multa imperata, canon indictus, Ioakim rex fiduciarius sive beneficiarius institutus, II. Reg. xxiii. & xxiv. & II. Paral. xxxvi. Sola בדד *badad*, est hic femineum, *sola*, *solitaria*. Quidam abstracte sumunt *solitudo*, seu *in solitudinem*; quasi dicat, Sedet nedum sola, sed ipsa solitudo. Forsterus notat, *badad* non tantum significare *solum*, seu *solitarium* in loco, verum etiam desertum & viduum consolatione, ut hic. Plena populo, רבתי *rabbathi*, cum *Iod* paragogico, quod auget significatum; *multa populi*, seu *populo*; quasi dicat, Amplissima & copiosissima populo. Forsterus, id est, gloriosa & celebris multitudine populi. Domina gentium: idem רבתי *rabbathi*; id est, amplissima, magnificentissima inter gentes. Princeps provinciarum. שרתי *sarathi*, cum *Iod* paragogico etiam, *princeps*, *principissa*, *domina*, *principalis*; ac si dicas, Principalissima inter provincias. Forsterus, abstracte cum affixo.

affixo exponit: *principatus meus in provinciis factus est in tributum*; quod non probo. FACTA EST SUB TRIBUTO? Alii: *fuit in dissolutionem?* id est, liquefacta, dissipata.

V. 2. PLORANS PLORAVIT IN NOCTE, &c. Alii: I. *Uberrime plorabit noctu, & lacrymæ eius defluunt in maxillas eius*. II. *Quomodo plane flet noctu, & lacrymæ eius descendunt in maxillas eius:* id est, tam acerba est calamitas, ut ne ipsum quidem tempus quietis in quiete possit transigere. Est autem pathetica gradatio hoc versu, eum hic tum etiam in sequentibus pluribus observanda. SPREVERUNT EAM. Hebr. *vi & iniuria incurrerunt in eam*. Alii: I. *perfide agunt contra eam*. II. *perfide deficiunt ab ea*. III. *prævaricantur, transgrediuntur, peccant in eam*.

V. 3. MIGRAVIT IUDAS PROPTER AFFLICTIONEM ET MULTITUTINEM SERVITUTIS. Quidam: *Quomodo migrat Iehudah præ afflictione, & præ amplitudine servitutis:* id est, eives & incolæ regni sponte diffugiunt, pertæsi calamitatum & servitutis durissimæ, qua regnum totum opprimitur ab AEgyptio. OMNES PERSECUTORES EIUS APPREHENDERUNT EAM INTER ANGUSTIAS. Alii: *quicumque persequebantur eam*, id est, finitimi, qui semper fuerut Iudæis hostes infensissimi, pessundant eam, *inter angustias*, videlicet, quasi domesticas in regno, & exteras apud finitimos. Aliqui Hebræorum exponunt: *Inter angustias*, id est, inter loca arcta & angusta, quasi inter duas macerias, unde effugere aut elabi non possit: septa undique periculis. VIAE SION LUGENT, EO QUOD NON SINT QUI VENIANT AD SOLEMNITATEM. Alii: *Quomodo viæ Tziioniis lugent, quod nulli veniant ad stationem*, seu *statas ferias? &c.* id est, cultus Dei desertus est, & omnia luctifica: prosopopæia.

V. 5. FACTI SUNT HOSTES EIUS IN CAPITE. Exponunt: *In caput*; id est, superiores evaserunt, dominati sunt ei. Quidam: *Effecti sunt hostes eius in caput*. Responsio ad quæstionem præcedentem lugubrem, ut diximus in vers. 1 De hoc autem dicendi genere vide Deuteronom. XXVIII. 13. & 44. & Isai. IX. 14. & 15. LOCUPLETATI SUNT. Alii: I. *habitaverunt in pace: pacifici fuerunt: feliciter habuerunt: prospere egerunt*. II. Forsterus: *fortunati erant*. III Avenarius: *vacarunt*; id est, positi sunt incolumitate & otio. IV. Tremellius & Iunius: *tranquille agunt*; id est, commode & nullo negotio Iudæam vexant. INIQUITATUM EIUS. Hebr. *transgressionum, defectionum, rebellionum eius*. PARVULI EIUS ABIERUNT IN CAPTIVITATEM ANTE FACIEM TRIBULANTIS. Alii: I. *infantes eius captivi ante hostem abacti sunt*. II. *parvuli eius abeunt in captivitatem coram hoste*; id est, nemini parcitur plane, aut ætatis causa, aut sexus.

V. 6. SICUT ARIETES NON INVENIENTES PASCUA. Hebr. *sicut cervi non invenerunt pascuum*; id est, huc illuc oberrantes præ fame, & ob id captu faciles a venatoribus, defecti videlicet viribus ad currendum.

V. 7. RECORDATA EST IERUSALEM DIERUM AFFLICTIONIS SUAE, ET PRAEVARICUTIONIS OMNIUM DESIDERABILIUM SUORUM, QUAE HABUERAT A DIEBUS ANTIQUIS. Alii ex Hebr. I. *Recordata est Ierusalaim dierum paupertatis suæ & indigentiarum suarum*, vel *vagationum, demigrationum suarum, omnium desiderabilium suorum, quæ fuerunt a diebus antiquis*. II. *Veniunt Ierusalaim in mentem cum dies afflictionis suæ, & rebellionum suarum, tum omnia expetibilia sua, quibus usa est retro temporibus*. Expetibilia vocat, pacem, sacerdotium, regnum, benedictiones, fructus, prophetias, victorias, & reliqua bona. III. *Recordata est Ierusalaim dierum afflictionis suæ, & exiliorum suorum, omnium expetibilium suorum quæ fuerunt a diebus originis*, vel *anterioritatis, antiquitatis*. IV. *Recordatur urbs Ieruschalaimorum diebus afflictionis suæ, & ploratuum suorum, omnes res suas desiderabiles, quæ adfuerunt a diebus priscis:* id est, in adversis posita recordatur bonorum, quibus olim circumfluebat: quod novæ calamitatis genus est. ET PRAEVARICATIONIS. מרודים *merudim*, pletique cum Nostro a מרד *marad*, deducunt forma participii passivi, aut nominis participialis, ut Isai. LVIII. 7. quod tamen hic substantive accipiunt, *defectiones, apostasias, rebelliones:* seu *exilia*, vel *indigentias*. Alii a רוד *rud*, *ploratus, planctus*. ET DERISERUNT SABBATA EIUS. Alii: *irrident cessationes eius*; id est, irrident cessare totum decorem illum, qui nominatus

est

est ante, nempe principes & omnes res desiderabiles. Quidam: *viserunt super otio eius*. Nonnulli: *viserunt cessationes eius*, id est otia, ferias: totum cultum: synecdochice. Hebr. legi potest singulariter & pluraliter, *cessationem*, vel *cessationes*.

V. 8. PECCATUM PECCAVIT IERUSALEM. Alii: I. *Peccatum patravit urbs Ieruschalaimorum*. II. *Perpetuo peccavit Ierusalaim*, seu *gravissime peccavit*. PROPTEREA INSTABILIS FACTA EST. Varie alii ex Heb. I. Sanctes & Vatablus: *propterea in commotionem capitis*, vel *in derisionem*. II. Sanctes in Thesauro, Vatablus, Leo Iudæ: *propterea in commotionem, divagationem, transmigrationem fuit*; id est loco dimota, vaga, varie iactata, in captivitatem abducta. III. Forsterus, Avenarius, Schindlerus: *ideo in remotionem facta est*, vel *in reiectamentum*: id est, tamquam res, quæ propter immunditiam est reiicienda, removenda, abominanda. IV. Tremellius, Iunius, Buxtorfius: *propterea est in separatam propter immunditiam menstruam*, vel *propterea tamquam ex immunditia separata est*; id est, quia peccavit in Deum spiritualem suum coniugem, Deus abiecit illam & separavit a se, ex cæremonia legis, Levit. XII. & XV. Hæc enim omnia dicuntur allegorice per comparationem mulieris impuræ. Sic infra vers. 17. נידה *nidah*, plerique deducunt a ניד *nud*, & sic est *divagatio*: alii נדה *nadah*, & sic est *remotio ob immunditiam*: vide in Levit. XII. 2. sed sunt cognatæ radices. SPREVERUNT ILLAM. Heb. *vilem habuerunt eam*. Alii: *fluere fecerunt eam*, id est lacrymas emittere, a נזל *nazal*. Vide Thesaurum Sanctis colum. 567. & Dictionarium Forsteri pag. 209. IPSA AUTEM GEMENS CONVERSA EST RETRORSUM. Alii: I. *quin ipsa quoque gemuit, & retrocessit*. II. *etiam ipsa gemit, & avertit se retrorsum*, repulsam passa, & separata a Deo. Quidam exponunt: *avertit se*, & fugit conspectum hominum ob pudorem ignominiæ & fœditatis suæ.

V. 9. SORDES EIUS IN PEDIBUS EIUS, &c. Alii hunc versum ex Heb. convertunt: I. *Immunditiæ eius in fimbriis eius*; id est, sine ulla verecundia peccavit, similis facta impudenti mulieri quæ non veretur menstruum sanguinem in fimbriis circumferre: vel tota oppleta est impuritatibus ad extremas usque vestium oras: *non fuit memor novissimi sui: & mirabiliter* seu *miraculose descendit*: ex verbo, *miraculis* seu *admirationibus descendit*; id est, multi admirati sunt lamentabilem casum tam florentis urbis & regni: *non est consolator ei: vide, Iehova, afflictionem meam, quoniam magnificavit se*, iactavit se *hostis*, quasi hoc sua virtute factum esset: vel *quoniam superior factus est hostis*. II. *Immunditiæ suæ in fimbriis suis, finem*, vel *mercedem esse nondum recordata*; id est, haud memor Deum repensurum ei iustam scelerum pœnam. Tertius locus propositionis, quo Ecclesia piorum primum agnoscit iustitiam Dei perstantis in iudiciis suis propter pervicaciam populi non advertentis ad immunditiam suam; deinde precatur cum ab afflictione sua, tum ab insolentia hostium, tum denique a gloria Dei, his tribus versibus: *descendit miraculis*, seu *mirabiliter*; id est decrescit, mirum in modum, & tamquam deiicitur, de arce decoris sui: nam viginti duobus annis a morte Ioschiiæ regnum Iehudæ totum labefactatum fuit: *nemine consolante ipsam: respice, Iehova, afflictionem meam, quod magnificet se inimicus*; id est, roboret se ac prævaleat contra eam.

V. 10. MANUM SUAM MISIT HOSTIS, &c. Alii hunc versum ex Heb. transferunt: I. *Manum suam pandat hostis ad omnes res desiderabiles ipsius: quod videat gentes ingredi sanctuarium suum ipsa*, id est, terram sanctam suam: ut Exod. XV. 17. *cui præcipisti, ne adveniunto in congregationem tibi*. Sensus est: Videt eos potiri rerum omnium, quibus vel minimam administrationem in populo tuo non permiseras lege, Deuteronom. XXIII. 3. & sequentibus. II. *Manum suam expandit hostis ad omnia expetibilia eius, etenim ipsa videre coacta est gentes ingredi sanctuarium suum, de quibus interdixeras ne ingrederentur in congregationem tuam*.

V. 11. AD REFOCILLANDAM ANIMAM. Heb. *ad reverti faciendum, ad reducendum animam*. Alii: I. *ad restituendum animam*, sive *ad reficiendum se*. Sic vers. 16. & 19. II. *ad manere faciendum*, sive *ad retinendum animam*. Infinitivus השיב *haschib*; quidam a שוב *schub*, *reverti*; alii a ישב *iaschab*, *sedere*, *manere*, derivant. VIDE DOMINE, ET CONSIDERA QUONIAM FACTA SUM VILIS. Leo Iudæ reddit: *Vide*, *Ie-*

Iehova, *& intuere ut sim epulatrix:* id est, provide ne cibo destituar. Alii: *Respice Iehova & intuere*, seu *circumspice*, *me vilipendi*, esse vilem, contemptam & abiectam.

V. 12. O VOS OMNES, QUI TRANSITIS PER VIAM. Alii ex Heb. I. *Ne ad vos omnes, qui præteritis viam*, subaudi, eveniat quod accidit mihi; quasi dicat: Absit ut talia vobis contingant qualia mihi. Forma deprecantis malum. *Quod a vobis Deus avertat, o vos omnes, qui transitis, &c.* Verba sunt Iehudææ querentis suam calamitatem, cui nulla par sit. II. *Nihil ad vos, o viatores omnes.* Secunda hæc pars capitis, qua Ecclesia gentes contestata se committit Deo, duos locos summatim continet: unus est contestationis, & pathos, ad permovendum gentes, flectendumque ad misericordiam, octo versibus: alter est precationis, ut Deus gentes immisericordes, Ecclesiæ misertus vicissim puniat, tribus ultimis. Prioris autem loci summa argumenta sunt duo; unum est, non esse a gentibus, sed a Deo ipso calamitates Iudæorum: ac proinde non posse illas iure sibi in hac causa quidquam assumere, versibus quatuor: alterum, potius debuisse gentes misereri afflictorum, conscientia iudiciorum Dei æque sibi impendentium, quam miserias accumulare implorantibus misericordiam, quatuor alteris: quæ duo summatim in principio huius versus proponuntur; quasi dicat: Statuitis quidem cum animis vestris hæc nihil ad vos attinere, sed tamen, si sapitis, attendite penitus & animadvertite exemplo meo rem longe aliter habere quam existimatis. ATTENDITE ET VIDETE, SI EST DOLOR SICUT DOLOR MEUS. Alii: *intuemini & videte, an sit dolor par dolori meo*; quasi dicat: Ex infinitate mali mei expendite non humanum esse opus, sed flagellum Dei; ut exponunt tres sequentes versus allegorice. QUONIAM VINDEMIAVIT ME. Varie alii ex Heb. I. *qui factus est mihi*. II. Forsterus: *qui iniuria, iniuste, perverse inflictus est mihi*. Apte reddes: *quo*, vel *quod*, *quia dehonestatum, incommodatum, defraudatum, deracematum, vindemiatum est*, vel *iniuria inflicta est mihi*. Vide de notione verbi עולל *gholel*, cuius præteritum *Puhal* hic ponitur, in Levit. XIX. 10. & Deut. XXIV. 21.

V. 13. DE EXCELSO MISIT IGNEM IN OSSIBUS MEIS. Alii: *E sublimi, ex alto immittit ignem in ossa mea*; id est, acerrimam vim malorum alte penetrantem. ET ERUDIVIT ME. Heb. *& dominatus est ei*, id est unicuique ossium, scilicet Deus. Alii verbum masculeum referunt ad ignem, qui interdum Heb. est feminei generis, interdum masculei: *& ipse ignis dominatus est, desævit, in ea ossa* Tremellius & Iunius: *cui dominatur*; id est, cuius Iehudæ dominus est & moderator Deus, ac non homines ulli, quod vobis ipsi tribuitis. Itaque flagella, quæ patitur, non hominum sunt, sed Dei opus. CONVERTIT ME RETRORSUM. Alii: I. *avertit me retrorsum*; id est, depellit me, & deiicit a se in terram, ut dicitur infra cap. II. 1. II. *supinum dedit me retrorsum:* qui casus magis pudendus est, & periculosus, ut Ioann. XVIII. 6.

V. 14. VIGILAVIT IUGUM INIQUITATUM MEARUM. Verbum ex Niphal. נשׂקד *nisked* cum *Scin* sinistro, nullibi alibi in Scriptura invenitur: unde fit ut sit obscuræ notionis & varie reddatur. I. *Impressum est*. II. *Tractum est*: *acceleratum est*. III. *Punctum est*; id est, quasi stigma seu punctum carni impressum, signatum, punctatum, signo memoriali notatum ne in oblivionem veniat. IV. *Coniunctum est: adhæsit*. Italice, *è attaccato*. V. *Ligatum, compactum, colligatum, constrictum est*. Forsterus ait: *Porro si Chaldaicæ Translationis antiquitatem non venerarer, putarem hæc verba depravata, & sic esse legendum: Advigilavit super iniquitatibus meis, manu sua implicatæ sunt, &c.* At neque Chaldaica Translatio adeo antiqua est, nec admodum veneratione digna: ut ostendit gravis & prudens Hispanici Indicis Expurgatorii Nota: legit Forsterus; נשקד *nischkad*, cum puncto dextro, & על *ghal*, pro עול *ghol*. Equidem LXX. & Noster cum *Scin* dextro proculdubio legerunt, quam nos lectionem ut securiorem secuti sumus. Hunc versum alii ex Heb. reddunt. I. *Impressum est iugum prævaricationum mearum manu eius*; id est, sua manu Deus impressit valide mihi lora & flagella sceleribus meis: vel *punctis quibusdam designatum est iugum rebellionum mearum in manu eius*; quasi dicat: Deus quibusdam notis peccata mea in manibus suis designavit, ut illorum recordaretur: *implexæ ascenderunt super collum meum*;

meum; id est, involutæ & implexæ crescunt, ut ramusculi arborum implicati: *deiecit robur meum, tradidit me Dominus in manibus, e quibus non potero surgere*. II. *Compactum est iugum defectionum mearum manu eius, quibus contortis & ascendentibus super collum meum, labefactat virtutem meam: tradit me Dominus in manu eorum, a quibus non possum exurgere*. Secunda allegoria a comparatione iumenti subiugis: defectiones meæ (inquit) sunt tamquam lora & vimina: hanc materiam assumit Deus, compingit, contorquet tamquam vieta vimina, & imponit cervicibus meis illarum iugum, tam grave, ut infirmet vires meas. Nos exposuimus: *Amygdalatum est iugum transgressionum mearum in manu eius*; id est, maturatum, festinatum, acceleratum, quasi dicas, advigilatum, intentum fuit: ut Ierem. I. 12. quasi dicat: Cito incubuit pœna transgressionum mearum manu Dei.

V. 15. ABSTULIT OMNES MAGNIFICOS MEOS. Alii: I. *Prostravit omnes fortes meos*. II. *Conculcat omnes robustos, validos meos*. De voce אברים *abarim*, *robustissimi*, vide in Genes. XLIX. 24. *pennigeros*, *pennipotentes*, nos diximus. VOCAVIT ADVERSUM ME TEMPUS. Alii: I. *indixit in me tempus statutum*. II. *convocat contra me conventum*, hostium, seu *congregationem* inimicorum. III. Forsterus: *vocavit super me festivitatem*: quod ego non capio, nisi sit, festum egit de meis calamitatibus. TORCULAR CALCAVIT DOMINUS VIRGINI FILIAE IUDA. Tertia allegoria, cui similis est Isai. LXIII. 3. Quidam exponunt: *Tradidit Dominus populum suum hosti, ut interficiat eum, torqueat & conculcet, haud secus quam uvæ torquentur & exprimuntur in torculari*. Aliqui reddunt: *tamquam torculari pressit Dominus virginem filiam Iehudæ*; id est, expressit eius sanguinem. Hispanicus Interpres: *Lagar ha pisado el Senor a la virgen hiia de Iudæa*, id est, *fiesta de vendimia a hecho Dios de Iudæa a sus enemigos*.

V. 16. IDCIRCO EGO PLORANS, &c. Alii hunc versum ex Heb. reddunt: I. *Horum causa ego ploro, oculus meus, oculus, inquam, meus defluit aquas: quoniam longe est a me consolator, qui restituat animam meam: filii mei desolati sunt, quia prævaluit hostis*. II. *Propter hæc ego fleo, oculus meus, oculos meus descendit aquis*, pro ex oculo meo ex oculo meo descendit aqua: hypallage emphatica: *quia longe abest a me consolator, qui reficiat me: sunt filii mei desolati, quia invalescit inimicus*. DEDUCENS AQUAS. Heb. *descendens aquas*, vel *aquis*; hoc est, *defluens aquas*, seu *descendere faciens aquas*: vide de hac locutione Ierem. XIII. 18.

V. 17. EXPANDIT SION MANUS SUAS, NON EST QUI CONSOLETUR EAM. פרש *paras*, cum *scin* sinistro accipiunt nonnulli pro פרס *paras* cum *Samech*, quod hæ litteræ æquivaleant, exponuntque: *Percussit*, *fregit*, *scilit*, *disrupit*, *laceravit*, *dispersit Tziion manus suas*, scilicet more lugentium. Leo Iudæ: *Spargit Tziion manus suas*. Forsterus: *Quum expanderet Tziion manus suas, non est consolator eam*. Tendimus manus supplices, & opis implorandæ causa. MANDAVIT DOMINUS ADVERSUM IACOB IN CIRCUITU EIUS HOSTES EIUS. Alii ex Heb. I. *mandavit Iehova super Iahakobo per circuitum eius hostibus eius*; id est, ut undequaque eum opprimerent. II. *mandato convocavit Iehova contra Iahakobum, ut essent in circuitu eius hostis eius*. III. *præcepit Iehova de Iahakobo, qui circumstant ipsum, hostes ipsius esse*; quasi dicat, Idque iusto iudicio Dei, qui solus bene utitur malis. QUASI POLLUTA MENSTRUIS INTER EOS. Alii: I. *ad commotionem*, seu *in abominationem inter illos*. II. *ut separata propter immunditiam inter illos*; id est, abiecta ab omnibus, prout a Deo abiecta est supra vers. 8.

V. 18. IUSTUS EST DOMINUS, QUIA OS EIUS AD IRACUNDIAM PROVOCAVI. Alii: I. *Iustus est Iehova, quia ori eius rebellavi, immorigea fui, non obtemperavi*. II. *quia os eius exacerbavi, amaricavi*. III. *eo quod contra præstitutum eius rebellavi*.

V. 19. VOCAVI AMICOS MEOS. Alii: *Me inclamantem amantes meos*, id est eos, quibus amor mei, & cura a Deo fuerat commissa: atque hi statim per epexegesin nominantur. ET IPSI DECEPERUNT ME. Quidam: *ipsi fefellerunt me*; id est, non præstiterunt expectationem meam: nam tantum abfuit ut mihi possent prospicere, ut ne sibi quidem ab exitio caverint. SACERDOTES MEI ET SENES MEI IN URBE CONSUMPTI SUNT. Alii iungunt cum superioribus. I. *at illi fefellerunt me, &*

sa-

sacerdotes meos & seniores meos, at ii in urbe expirarunt. II. *sacerdotes mei & senes mei in urbe perierunt languore*. III. *sacerdotes mei & seniores mei in ipsa civitate expirarunt*; id est, curatores rei ecclesiasticæ apud Deum, atque politicæ apud homines, quorum consiliis oportet stare Rempublicam. QUIA QUAESIERUNT CIBUM SIBI, UT REFOCILLARENT ANIMAM SUAM. Alii: I. *Quum cibum sibi quærerent, ut retinerent animam suam*, seu *vitam suam*. II. *quærerent escam sibi, quæ reficerent se ipsos*. Heb. *& reduxerunt, restituerunt animam suam*: ut supra vers. 11. 16.

V. 20. VIDE, DOMINE, QUONIAM TRIBULOR. Alii: *Aspice, Iehova, nam angustia est mihi*, &c. Oratio bimembris, ut diximus in vers. 12. pro salute Ecclesiæ, & adversariorum excidio. CONTURBATUS EST VENTER MEUS. Alii: I. *Viscera mea tracta sunt*. II. *viscera mea conturbata sunt*, seu *intumuerunt*. III. *viscera mea lutulenta-facta sunt*; id est, ut mare procellosum æstuant, fluctuantque tamquam si vehementissimis fluctibus lutum excitarent: synecdoche allegorica elegantissima, cui similem, etsi vario sensu, vide Isai. LVII. 20. Hoc enim amplius est quam si dicerent, fluctuant, ut alibi in Scriptura legitur: sic infra cap. II. 11. IV. *Viscera mea efferbuerunt*, vel *effervescunt*, quasi igne ardentissimæ febris. Verbum geminatum חמרמרו *chomarmaru* significatum intendit. Vide in Iob XVI. 16. SUBVERSUM EST COR MEUM IN MEMETIPSA. Alii I. *versat se cor meum in medio mei*. II. *inversum est cor meum in interiore, intraneo meo*. QUONIAM AMARITUDINE PLENA SUM. Heb. *mutando mutavi*. Alii: I. *quia omnino rebellavi*. II. *quia contumaciter rebellavi*. III. *quia vehementer exacerbavi*, vel *amaricavi*. FORIS INTERFICIT GLADIUS, ET DOMI MORS SIMILIS EST. Alii: I. *foris orbat me*, marito & filiis, *gladius, instar mortis habet*, vel *domi est aliquid tamquam mors*, nempe fames. II. *foris orbat gladius, intus est secundum mortem*, vel plane mors.

V. 21. AUDIERUNT QUIA INGEMISCO EGO, &c. Hunc versum alii reddunt: *Audientium me in gemitu esse, nemo consolatur me, omnes inimici mei audito malo gaudent te id facere: adduces diem, quem promulgasti, ut sint pares mihi*. Exponunt, *diem, quem promulgasti*, nimirum prædictionibus prophetarum adversus gentes, cuiusmodi apud Isaiam, & Ieremiam habentur multa; quasi dicat: Adduces tempus, quo eas punias, sicut me punivisti.

V. 22. INGREDIATUR OMNE MALUM EORUM CORAM TE. Alii: I. *Veniat omne malum eorum*, vel *omnis afflictio eorum*, qua scilicet illi me affligunt, *in conspectum tuum*; quasi dicat: Intuere obsecro ac dispice quam atrociter mecum agunt. II. *Veniat tota malitia eorum in conspectum tuum*; id est, Pone tibi ob oculos infanda istorum scelera. ET VINDEMIA EOS, SICUT VINDEMIASTI ME PROPTER OMNES INIQUITATES MEAS. Alii ex Heb. *& fac eis, quemadmodum fecisti mihi propter omnes rebelliones meas*. II. *& confice eis, quemadmodum confecisti mihi propter omnes defectiones meas*. III. *& incommoda eis quemadmodum incommodasti mihi, super omnibus transgressionibus meis*. MULTI ENIM GEMITUS MEI, ET COR MEUM MOERENS. Alii: *nam amplissimi sunt gemitus mei, & cor meum languidissimum*.

MENOCHII.

Vers. 1. QUOMODO: admirantis est, & stupentis ob tam inclytæ urbis eversionem. SEDET: qui habitus est mœrentis, & dolentis; loquitur enim de Ierusalem quasi de nobili muliere iniuriis affecta. Vel *sedet*, idem est quod iacet, prostrata est, quæ prius stabat. SOLA: infrequens, orbata liberis, deserta a civibus suis. PLENA POPULO: quæ prius erat frequentissima: Isai XXII. 2. *Vocatur clamoris plena, urbs frequens, civitas exaltans*. QUASI VIDUA: orbata rege, pontifice, magistratibus, & principibus viris, & a Deo derelicta. DOMINA GENTIUM, &c. quæ aliquando Syris, Ammonitis, Moabitis, Idumæis, & Philistæis usque ad AEgyptum domitis, dominabatur. SUB TRIBUTO. Tributum vocatur Heb. מס *mas*, a radice מסס *masas*, quod est liquefacere; significat ergo מס *mas*, non tantum censum e facultatibus, sed omnem contributionem, & omne onus personale, quo tributarius in servitute alicuius constitutus, se suaque omnia insumit, liquefacit, & exhaurit.

V. 2. PLORANS PLORAVIT, id est uberrime, & copiosissime flevit. IN NOCTE: quia nox ob silentium, solitudinem, vacatio-

tionem a labore aptior est lacrymis. ET LACRYMAE EIUS. Repetitio eiusdem sententiæ. EX OMNIBUS CHARIS EIUS, &c. Aliqui sacerdotes, & prophetas intelligunt; alii idola, quæ coluerant Iudæi, & in quæ speraverunt; alii amicos aut propinquos: hi enim cum eadem calamitate premerentur qua ceteri, consolationem mœrentibus afferre non poterant, qua ipsi indigebant; alii vicinas nationes, quæ interpretatio verior videtur, ut patet ex sequentibus. OMNES AMICI, &c. Vicinas nationes intelligit, a quibus spreta, & neglecta est Ierusalem in rebus adversis.

V. 3. MIGRAVIT IUDAS PROPTER AFFLICTIONEM, &c. De Iudæis illis loquitur Ieremias, qui videntes ceteros Iudæos a Chaldæis affligi, & in servitutem redigi, in AEgyptum, & ad alias gentes transferunt, ubi existimantes se tutos esse, postea ab iisdem Chaldæis capti sunt, ut Ieremias supra multis locis prædixit cap. scilicet XLIII. & cap. XLIV. & XLVI. MULTITUDINEM SERVITUTIS: grave pondus duræ servitutis. PERSECUTORES EIUS, Chaldæi. INTER ANGUSTIAS: nam nec redire poterant in patriam, nec in ea bene habere: in AEgypto vero iisdem cladibus cum AEgyptiis atterebantur.

V. 4. LUGENT: desertæ, solitariæ, infrequentes.

V. 5. FACTI SUNT HOSTES EIUS IN CAPITE, id est in caput, principes scilicet; & domini illius facti sunt. LOCUPLETATI SUNT: urbis spoliis. DOMINUS LOCUTUS EST, &c. id est, decreverat eam punire. Vel, comminatus illi fuerat per prophetas huiuscemodi calamitatem. ANTE FACIEM TRIBULANTIS: ante hostem Chaldæorum cos quasi pecora agentem, & minantem in Chaldæam.

V. 6. EGRESSUS EST: ablatus est. DECOR: regnum, Sacerdotum, & omnis ornatus magistratuum & principum, domorum etiam magnificarum, pretiosa supellectilis, &c. VELUT ARIETES, &c. id est, huc illuc errantes, & nusquam tutum locum invenientes. ABSQUE FORTITUDINE: resistendi vim non habentes, animi & corporis viribus destituti. SUBSEQUENTIS: Chaldæi victoris, eos in captivitatem præ se agentis.

V. 7. DIERUM AFFLICTIONIS SUAE, id est proximæ cladis a Chaldæis acceptæ. ET PRAEVARICATIONIS; id est, simul recordata est causæ tantæ calamitatis suæ, nimirum prævaricationis, & peccati. OMNIUM DESIDERABILIUM: est etiam recordata omnium desiderabilium ornamentorum suorum, templi scilicet, & ipsius urbis, quibus nunc caret. CUM CADERET, &c. tunc horum subit memoria cum a Chaldæis oppressa est. DERISERUNT SABBATA EIUS; Chaldæi scilicet & alii Iudæorum hostes, cum viderent eos septimum quemque diem sacro otio colentes, riserunt hanc observationem festi diei, & alios ritus religionis eorum.

V. 8. PECCATUM PECCAVIT: multum peccavit. INSTABILIS FACTA EST: vaga, & huc illucque captiva, & nullam certam sedem habens, varie iactata est. QUI GLORIFICABANT EAM; qui eam in magno pretio habebant. VIDERUNT IGNOMINIAM EIUS, id est nuditatem, & turpitudinem eius. Loquitur tamquam de honesta matrona oculis circumstantium detractis vestibus exposita. CONVERSA EST RETRORSUM: præ pudore non sustinens conspectum notorum, & vultum & corpus ab eis reflectens in partem aliam.

V. 9. SORDES EIUS IN PEDIBUS EIUS. Loquitur de Ierusalem, tamquam de muliere menstruata, cuius sanguis usque ad pedes, & oram vestis defluit, appareteque eius turpitudo; quasi dicat: Tanta est eius iniquitas, ut quodammodo redundet, & omnium oculis pateat. NEC RECORDATA EST FINIS SUI; id est, quid sibi futurum esset non cogitavit, & quam graviter esset puniendа. DEPOSITA EST VEHEMENTER; id est, cecidit gravissima ruina de sua illa pristina gloria. VIDE DOMINE, &c. Apostrophe Ieremiæ ad Dominum nomine Civitatis. ERECTUS EST INIMICUS: effert se hostis meus, & sævit in me. QUIA VIDIT GENTES, &c. Sensus est, propterea Dominum permisisse, ut Chaldæi templum spoliarent, quia Iudæis videntibus, & consentientibus, Ammonitæ, & Moabitæ, contra Dei præceptum, in templum ingressi fuerant; ut illis exprobrat Ezech. cap. XLIV. 6. 7. *Sufficiant*, inquit, *vobis omnia scelera vestra domus Israel, eo quod inducitis filios alienos incircumcisos corde, & incircumcisos carne, ut sint in sanctuario meo, & polluant domum meam.* QUIBUS PRAECEPERAS NE INTRARENT, &c. quasi dicat, Deuteronom. XXIII. 3. Vetat

tatur ne Moabitæ, & Ammonitæ ad ungantur ecclesiæ, & cœtui populi Hebraici; at vos, quod indignius est, etiam in ipsum templum sanctum eos ingredi passi estis. Accipit templum prout ab atriis distinguitur, in quod solis sacerdotibus aditus patebat.

V. 12. O vos omnes, &c. sunt verba plebis Ierosolymis relictæ, sive pauperum terræ, qui suam calamitatem, & dolorem detegunt, transeuntibus per viam. Vindemiavit me; id est, penitus me spoliavit, ita ut nihil residuum fecerit. Locutus est: sæpe prædixit per prophetas.

V. 13. De excelso, &c. Ignem, quo Chaldæi urbem, templumque inflammarunt, de excelso, id est de cælo missum esse dicit; quia divino consilio per Chaldæos missus fuerat. In ossibus meis: Templum intelligit, Regiam, & turres urbis, quæ quasi ossa, & robur civitatis erant. Erudivit me, id est castigavit, & igne illo excoxit. Expandit rete pedibus meis. Rete vocat insidias, quas Chaldæi, quasi venatores in omnibus viis Iudæis retenderant, ut nullum eis pateret effugium. Convertit me retrorsum: scilicet ex fuga, reduxit me, id est fugitivos meos ad Nabuchodonosor. Posuit me desolatam, &c. abductis civibus desolavit, & mœrore implevit.

V. 14. Vigilavit, id est accelleratum est, cito venit: solent enim vigilare, qui cito aliquo pervenire volunt: sic cap. I. Ierem. vers. 11. & 12. legimus: *Virgam vigilantem ego video. Bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo, ut faciam illud.* Iugum iniquitatum: iugum supplicii mihi infligendi ob iniquitates meas. In manu eius convolutae sunt; quasi dicat: Fecit Deus ex pœnis iniquitatum mearum quasi catenam, aut sertum spinarum. illudque iniecit collo meo. Infirmata est virtus mea, gravi illo iugo. De qua non potero surgere: quo iugo depressa iacebo, nec illud excutere potero.

V. 15. Abstulit. Heb. סלה *sillah*; id est calcavit, protrivit. LXX. ἐξῆρε, *abstulit*, *decerpsit*, ut fit in vindemia. Magnificos meos. Heb. אבירי, *abbirai*, *validos meos*, duces scilicet, & milites meos quos vindemiavit, & calcavit, ut in torculari. Vocavit adversum me tempus; id est, venire fecit tempus maturitatis, & vindemiæ, ut me calcaret. Italice diceremus, *Fece venir la stagione di vindemiarmi*. Torcular calcavit Dominus virgini filiae Iuda; quasi dicat: Ierusalem nullos sumptus fecit in calcando suo torculari, quia Deus adduxit illi vindemiatores, qui gratis, & sponte illud calcarunt. Loquitur de summo damno quasi de beneficio, irrisorie. Virgini filiae Iuda. Notum est in sacra Scriptura quemvis populum vocari filiam, & virginem, idcirco, ut aliqui volunt, quod regnum soleat more virginis custodiri. Oculus meus deducens aquas; id est, oculi mei perpetuo lacrymis manant. Convertens animam meam: qui scilicet animam quasi abeuntem e corpore propter tristitiam revocet, & recreet. Perditi: pars absumpti peste, fame, bello; pars in captivitatem abducti.

V. 17. Expandit Sion manus suas: ut solent qui alicuius auxilium implorant: Mandavit Dominus: præcepit hostibus eius, ut essent in circuitu eius; hoc est, ut illam obsiderent. Adversus Iacob, Israelitas, Iudæos. Quasi polluta menstruis; id est, execrabilis; vel separata, & segregata ex terra sua, in captivitatem eiecta, sicut mulier menstruata separabatur, Levit. xv. 19.

V. 18. Os eius, &c. id est faciendo contra præceptum, quod ore suo mihi dederat, eum ad iracundiam provocavi.

V. 19. Vocavi amicos meos, id est, AEgyptios mihi fœderatos. Vide Ierem. II. 18. & xxxvii. 4. Deceperunt me: frustrati sunt spem meam, quam in illis collocaveram. Consumpti sunt, fame, ut ostendunt sequentia.

V. 20. Vide Domine; id est, opem fer, respice calamitatem, & miseriam meam. Venter meus: viscera mea. Subversum: dolore perturbatum, & obrutum. Foris: in plateis. Et domi morssimilis est: quia ibi mei cives, & filii fame moriuntur.

V. 21. Audierunt: scilicet ficti amici mei AEgyptii, Idumæi, Ammonitæ, &c. Quoniam tu fecisti; quasi dicat: quoniam ipsi vident te fecisse, & immisisse in me hanc plagam. Adduxisti diem consolationis; id est, adduces diem consolationis meæ, quo die eos punies sicut me punivisti, & mihi similes reddens, hoc est, miseros, & infelices: tunc enim ut est in Psal. lvii. 11. *Letabitur iustus cum viderit vindictam, manus suas lavabit in san-*

sanguine peccatoris. Fortassis etiam sensus esse possit: Amici mei aversantur me, & fugiunt, cum ærumnis. premor: si vero mihi diem consolationis adduxeris, fient similes mihi, id est, ad lætitiam simulandam se component, & consolationis meæ participes esse mentientur. Ut totum hoc pertineat ad ostendendum fictos fuisse amicos, qui mores mutant cum amici fortuna mutatur.

V. 22. INGREDIATUR, &c. Recordare Domine, considera: & animadverte eorum in me malitiam, & iniurias, ut eos puniás, sicut me punivisti. VINDEMIA, spolia, conculca, &c. Male illis optat, non ex affectu vindictæ, sed ex zelo iustitiæ. Vel, prophetice quid futurum sit, prædicit. MULTI ENIM GEMITUS MEI, &c. quasi dicat: Graviter vexata sum, ideoque par est ut iustitiæ tuæ vindicis gladium exeras.

TIRINI.

Vers. 1. QUOMODO; quasi dicat: Quo tanto scelere hominum: qua tanta indignatione Dei fieri potuit, ut CIVITAS Ierosolymitana nuper PLENA POPULO, plena divitiis, plena deliciis, iam a Chaldæis vastata, excisa, exusta, *sedeat*, immo humi iaceat, SOLA, civibus suis, omnibusque aliis ornamentis spoliata? DOMINA GENTIUM, Syriæ emporium, paradisus Asiæ, ocellus Orientis, gemma mundi, tot regnorum princeps, iam FACTA EST QUASI VIDUA, orbata suo rege, pontifice, templo, principibus & magistratibus; & quæ tot imperitabat provinciis ac regnis, iam ipsamet FACTA EST SUB TRIBUTO, mancipata servitio barbarorum & infidelium Chaldæorum.

V. 2. PLORANS PLORAVIT, id est, effuse & continuo ploravit Ierosolyma, IN NOCTE *b*, quæ ob tenebras, solitudinem, vacationem a labore, collectionem & contradictionem animi, aptior est compunctioni & lacrymis, inquit Origenes, Isidorus & alii. OMNES AMICI EIUS *& chari*, nempe vicini populi, Idumæi, AEgyptii, & alii ante Iudæis amici, nunc hostes, SPREVERUNT, immo una cum Chaldæis vastarunt, EAM: ita S. Bonaventura, Hugo, Lyranus & Dionysius.

V 3. IUDAS; id est, magna pars Iudæorum, PROPTER imminentem a Chaldæis capiti suo AFFLICTIONEM, ET MULTAM ac diram *servitutem*, fugit & MIGRAVIT ad vicinas gentes, Ammonitas, Moabitas, AEgyptios: sed NEC ibi REQUIEM INVENIT, Chaldæis ubique illam persequentibus *c*: ita Rabanus, Hugo, Dionysius & Isidorus.

V. 5 HOSTES EIUS Chaldæi FACTI SUNT IN CAPITE, id est evaserunt superiores, & dominantur Iudæis. Hi vero, nuper rerum domini, nunc *facti sunt in caudam*, id est subditi, servi & mancipia Chaldæorum.

V. 6. PRINCIPES EIUS, Iechonias, Sedecias, omnesque proceres, FACTI SUNT VELUT ARIETES NON INVENIENTES PASCUA, nempe fame, siti, macie, lassitudine confecti, sine viribus, sine animis, in Chaldæam abacti ANTE FACIEM SUBSEQUENTIS Chaldæi stimulatoris, festinare compellentis: ita Origines, Hugo, Lyranus & Dionysius.

V. 7. RECORDATA EST, primo, nuperorum DIERUM AFFLICTIONIS, excidii, & captivitatis SUAE. Secundo, recordata est causæ tantæ calamitatis, videlicet PRAEVARICATIONIS suæ contra Deum & leges divinas. Tertio, recordata est OMNIUM DESIDERABILIUM SUORUM, quibus antea in urbe, in templo, in omni ditione sua gaudebat & exultabat. Cogita nunc quam tristis sit & afflicta, cum se videt omnibus nudatam! ita Paschasius, Lyranus, Dionysius. HOSTES eius Chaldæi, inquit Hugo & Dionysius; vel, ut a Castro, Idumæi, Moabitæ, Ammonitæ, DERISERUNT SABBATA EIUS; id est, omnia festa, omnem cultum ac religionem Iudaicam, v. g. circumcisionem, baptismata calicum, &c. Quin & proprie rideri solitos a Gentilibus Iudæos, quod septimam quamque diem, & consequenter septimam vitæ partem otiando transigerent, unde & Sabbatarii vocabantur, patet ex Satyra V. Iuvenalis. Heb. & Græci. τὰ *sabbata* accipiunt appellative, ut idem sit quod *cessationes*, nempe a commerciis, a negotiis, a nundinis; uti illis olim minatus fuerat *d* Dominus.

V. 8. PECCATUM PECCAVIT: id est, graviter & *e* assidue peccavit peccato idololatriæ, quasi spirituali fornicatione. PROPTEREA INSTABILIS FACTA EST. Vatablus, *propterea varie iactata est*; quasi dicat: Ideo loco mota est Synagoga, & captiva in Chaldæam abducta; nempe divulsum a funda-

damento ædificium propellent fluctus in certam ruinam. Et hoc ei minatus nuper fuerat Ieremias, & olim Moyses *f*. IGNOMINIAM, id est turpitudinem, partium EIUS verendarum VIDERUNT hostes, ipsa contra niti non valente, sed cum rubore ac gemitu faciem suam RETRORSUM *convertente*, & ita vultum quasi abscondente.

V. 9. SORDES EIUS menstrua adhuc IN PEDIBUS; Hebraice, *in fimbriis*, EIUS quæ circa pedes sunt, hærent; quasi dicat: Etiam sub extremam hanc Ierosolymæ cladem publice ipsa fornicabatur & colebat idola: NEC RECORDATA EST tristis FINIS SUI, nempe pœnæ tantis sceleribus decretæ & iam infligi cœptæ: ita Chaldæus, Hugo, Bonaventura, Pagninus, Brixianus & alii. DEPOSITA EST VEHEMENTER. Hebræa, Chaldæus & LXX *descendit mirabiliter*, seu *corruit cum admirationibus*; id est, corruit admirabili casu, stupentibus omnibus ad tantam florentissimæ urbis ruinam.

V. 10. VIDIT, ah quanto mœrore! GENTES, Ammonitas & Moabitas, DE QUIBUS PRAECEPERAS, NE umquam INTRARENT *g* IN ECCLESIAM TUAM; vidit, inquam, has impias & impuras Gentes libere & audacter INGRESSAS SANCTUARIUM TUUM, id est templum & adyta templi: ita Chaldæus, Olympiodorus, Lyranus, Vatablus, Isidorus.

V. 11. FACTA SUM VILIS, vilitate quam hucusque planxi. Arabicus vertit, *facta sum quasi prostituta omnibus transeuntibus*, id est, quasi vilis serva, qua omnes ad libidinem abutuntur.

V. 12. O vos OMNES hospites, advenæ, accolæ, qui spectatis non iam urbem, sed excisæ urbis informe bustum, VIDETE, & expendite an quis alius habeat graviorem dolendi materiam. Hoc, inquit Sanchez, epitaphium iubet Ierosolyma sibi in suo busto statui. Allegorice, multi hæc adaptant Christo peccata nostra in cruce luenti: & B. Virgini matri filio sub cruce compatienti: & animæ in Purgatorio reliquum pœnarum suarum exsolventi. VINDEMIAVIT ME Chaldæus, vel Dominus per Chaldæum, spoliavit me bonis omnibus, ut solet vinea in vindemia spoliari omnibus uvis. UT LOCUTUS mihique minatus EST DOMINUS: Ieremiæ VI. 9. & alibi.

V. 13. DE EXCELSO armamentario suo MISIT Deus IGNEM, id est acerrimum cruciatum, IN OSSIBUS MEIS, id est in omnia interiora & viscera mea. Quo sane peregregie ERUDIVIT & docuit ME, non amplius fornicari cum idolis. Et vero post carceres Babylonicos non amplius coluerunt Iudæi idola, ut ante: ita Sanchez. EXPANDIT RETE PEDIBUS MEIS, insidias per Chaldæos ubique mihi tendens, iisdemque me involvens & capiens. Sed hac via, molesta quidem, ac felici, CONVERTIT ME RETRORSUM a sceleribus ad virtutem.

V. 14. IUGUM INIQUITATUM; id est, iugum, seu mensura vel pondus supplicii mihi decreti ob meas iniquitates, me dormiente, nec attendente, EVIGILAVIT ut me corriperet, mihique incumberet. Hoc iugum per prosopopœiam vigilans, non est aliud quam *virga* illa *vigilans* Ieremiæ I. 11. nempe divina vindicta & pœna ad fores peccatoris excubans, instar prætoris fures & latrones persequentis. IN MANU Domini CONVOLUTAE SUNT iniquitates meæ, seu potius pœnæ iniquitatum mearum: & ex hoc convolvulo contexta est catena vel corona spinea, quam iniecit COLLO MEO, ita gravem, ut me totam deprimat, ET VIRTUS omnis MEA *infirmetur*: tradiditque ME *manui* & potestati hostium meorum, ex qua numquam meis viribus me extricare potero, neque ex fovea in quam proiectus sum, exsurgere.

V. 15. VOCAVIT; id est, vocando, seu iubendo adduxit ADVERSUM ME TEMPUS, a se præstitutum & condictum punitioni meæ, puta annum, mensem, diem, momentum excidio meo præstitutum: de quo Ezech. XXI. *Venit dies in tempore iniquitatis præfinita*. TORCULAR CALCAVIT DOMINUS VIRGINI FILIAE IUDA; id est, peccata Iudæorum calcavit Dominus in torculari divinæ iustitiæ & iudicii sui, exprimens inde vindictam & pœnas, nempe vinum amarissimum ex uva fellis & botro amarissimo, quo Iudæos ad ebrietatem & insaniam implevit: ita Origenes & Olympiodorus.

V. 16. LONGE FACTUS EST A ME CONSOLATOR, qui ANIMAM MEAM præ tristitia quasi e corpore exeuntem, *convertat*, & in corpus reducat.

V. 17. SION, instar parturientis vel morientis, EXPANDIT *h* MANUS SUAS, partim precabunda, auxilium astantium, vel victoris misericordiam implorans: partim de-

deliquium patiendo virium & ſpirituum vitalium. Omnibus FACTA abominabilis, QUASI mulier POLLUTA MENSTRUIS, inquit Theodoretus & Lyranus.

V. 18. Os & faciem DOMINI AD IRACUNDIAM PROVOCAVI, contemnens eius leges, minas, monita, Prophetas; Hebraice, *ori eius rebellavi*.

V. 19. AMICOS MEOS AEgyptios in auxilium *evocavi i*, ſed IPSI copiis & robore Chaldæorum territi, in AEgyptum refugerunt, ET ME DECEPERUNT. O quam miſere decipiet, mundus, caro, & quidquid in mundo earum habuit peccator cum in morte implorabit eorum auxilium! Vide Damaſcenum in Vita Barlam, & Ioſaphat.

V. 20. VENTER; id eſt, viſcera mea, dolore, gemitu, ſingultu inſtar aquæ bullientis *conturbata ſunt*: & COR MEUM SUBVERSUM EST, obrutum doloribus, & quaſi examinatum. FORIS in plateis & in agro INTERFICIT Chaldæorum GLADIUS filios meos: ET DOMI MORS SIMILIS EST, quia ibi fame k extinguuntur, inquit Chaldæus, Olympiodorus, Hugo & Vatablus.

V. 21. AUDIERUNT amici, ſed hi ſubducunt ſe: AUDIERUNT ET INIMICI, & illi gaudent & irrident me; QUONIAM TU FECISTI & immiſiſti in me hanc plagam. Sed in horum vicem ADDUXISTI æterno decreto tuo, & adduces præfixo tempore, DIEM CONSOLATIONIS mihi, & diem afflictionis hoſtibus meis; & tunc FIENT SIMILES MEI in miſeriis, vaſtatione, excidio. Dies hic eſt expugnatæ *l* Babylonis per Cyrum & Darium.

V. 22. INGREDIATUR CORAM TE; id eſt, recordare, expende, appende, OMNE MALUM EORUM in me, in te admiſſum, ET VINDEMIA EOS, id eſt decerpas & abducas e patrio ſolo, in captivitatem, in mortem: ſubiice eos torculari *m* iræ tuæ & iuſtitiæ divinæ. Licet enim ex zelo iuſtitiæ depoſcere, ut iuſtam vindictam exerceat Deus, & ſuperbos humiliter, infideles corripiat, ſi forte reſipiſcant: ſin nolint, pro meritis puniantur.

(a) Proleg. de Idiotiſmis Hebr. num. xlix.
(b Cantic. iii. 1.
(c) Ierem. xlii. 11.
(d) Levit. xxvi. 33.
(e) Prolegom. ſup.
(f) Ierem. xxxiv. 17. Deut. xxviii. 25.
(g) Deut. xxiii. 3.
(h) Ierem. iv. 31.
(i) Ierem. xxxvii. 6.
(k) Thren. i. 19. & Ierem. xiv. 18.
(l) Ierem. l. & li.
(m) Hic ſup. xv.

GORDONI.

QUOMODO SEDET SOLA CIVITAS PLENA POPULO, &c. Admirantis vox eſt cum antitheſi in tanta rerum inclinatione: en quo perducunt peccata.

V. 5. & 6. FACTI SUNT HOSTES IN CAPITE; hoc eſt, domini facti ſunt & ſuperiores Chaldæi: filiam Sionis intellige Ieruſalem, quæ in valle ſtabat nuper, ſub tutela Arcis & montis Sion.

V. 12. O VOS OMNES QUI TRANSITIS, &c. Loquentem hic facit Ieruſalem, deplorantem mala ſua & ſimilitudine vindemiæ explicata.

V. 14. VIGILAVIT IUGUM INIQUITATUM MEARUM, &c. Per Proſopopœiam, datur iugo vigilia: nam peccata noſtra vigilare videntur dum inſtanter urgent Deum ad vindictam: hæc eſt virga vigilans de qua cap. i. 11. quæ germinat aſſigationem.

V. 15. TORCULAR CALCAVIT DOMINUS VIRGINI FILIAE IUDA; hoc eſt, Deus velut in torculari calcat peccata virginis filiæ Sion, & calcando exprimit pœnas, & vindictam. At cur *virgini* in dandi caſu? quia huic virgini gratis acquiſita eſt amari vini expreſſio. Deus laborat & exprimit, ironia aliqua eſt.

V. 21. AUDIERUNT, &c. ADDUXISTI DIEM CONSOLATIONIS; hoc eſt adduces exacta captivitate 70. annorum, quando vaſtabuntur Chaldæi & erunt mei ſimiles, & ruinas experientur ſuas.

V. 22. INGREDIATUR OMNE MALUM, &c. Eſt finis primi Alphabeti & capitis. Imprecatur hic Ieruſalem hoſtibus ex zelo iuſtitiæ, petitque ut Deus iuxta rationem eos humiliet puniatque pro meritis. Vel etiam poteſt hoc accipi pro prædictione. Pereute, hoc eſt, percuties eos: ergo vel iuſtitia, vel prædatio.

Ex Eiusdem Auctario.

Verſ. 1. DOMINA GENTIUM. Magna & multis titulis clara habita inter gentes, quæque gentes etiam pleraſque domuit, ſed:

sed ex principe facta est tributaria.

Vers. 5. HOSTIS IN CAPITE. Durum est servire ulli, sed hosti acerbum.

Vers. 6. Sion tandem ob oculos habens suam calamitatem, recordatur se felicem fuisse, quod in malis acerbum est. Hæc occurrebat recordatio bonorum omnium, cum videret mala populi sui. Irridebant sabbata Chaldæi quod viderent Iudæos septimam partem temporis feriari: aliqui etiam per sabbata intelligunt totam legem Iudaicam.

Vers. 8. PECCATUM. Chald. *Peccatum grande.*


Vers. 13. Ossa igne consumpta sunt, muri, urbs, & templum. ERUDIVIT: castigavit.

Vers. 19. VOCAVI AMICOS, AEgyptios.



CAPUT II.

ALEPH.



1 QUomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion: proiecit de cælo in terram inclytam Israel, & non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui.

BETH.

2. Præcipitavit Dominus, nec pepercit, omnia speciosa Iacob: destruxit in furore suo munitiones virginis Iuda & deiecit in terram: polluit regnum, & principes eius.

GHIMEL.

3. Confregit in ira furoris sui omne cornu Israel: avertit retrorsum dexteram suam a facie inimici: & succendit in Iacob quasi ignem flammæ devorantis in gyro.

DALETH.

4. Tetendit arcum suum quasi inimicus, firmavit dexteram suam quasi hostis: & occidit omne quod pulchrum erat visu in tabernaculo filiæ Sion, effudit quasi ignem indignationem suam.

HE.

5. Factus est Dominus velut inimicus: præcipitavit Israel, præcipitavit omnia mœnia eius: dissipavit munitiones eius, & replevit in filia Iuda humiliatum & humiliatam.

VAU.

6. Et dissipavit quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum: oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem, & sabbatum; & in opprobrium, & in indignationem furoris sui, regem, & sacerdotem.

ZAIN.

7. Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ: tradidit in manu inimici muros turrium eius: vocem dederunt in domo Domini, sicut in die sollemni.

HETH.

8. Cogitavit Dominus dissipare murum filiæ Sion: tetendit funiculum suum, & non avertit manum suam a perditione: luxitque antemurale, & murus pariter dissipatus est.

TETH.

TETH.

9. Defixæ ſunt in terra portæ eius: perdidit, & contrivit vectes eius; regem eius & principes eius in Gentibus: non eſt lex, & prophetæ eius non invenerunt viſionem a Domino.

IOD.

10. Sederunt in terra, conticuerunt ſenes filiæ Sion: conſperſerunt cinere capita ſua, accincti ſunt ciliciis, abiecerunt in terram capita ſua virgines Ieruſalem.

CAPH.

11. Defecerunt præ lacrymis oculi mei, conturbata ſunt viſcera mea: effuſum eſt in terra iecur meum ſuper contritione filiæ populi mei, cum deficeret parvulus & lactens in plateis oppidi.

LAMED.

12. Matribus ſuis dixerunt: Ubi eſt triticum & vinum? cum deficerent quaſi vulnerati in plateis civitatis: cum exhalarent animas ſuas in ſinum matrum ſuarum.

MEM.

13. Cui comparabo te? vel cui aſſimilabo te, filia Ieruſalem? cui exæquabo te, & conſolabor te, virgo filia Sion? magna eſt enim velut mare contritio tua: quis medebitur tibi?

NUN.

14. Prophetæ tui viderunt tibi falſa, & ſtulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent: viderunt autem tibi aſſumptiones falſas, & eiectiones.

SAMECH.

15. Plauſerunt ſuper te manibus omnes tranſeuntes per viam: ſibilaverunt, & moverunt caput ſuum ſuper filiam Ieruſalem: Hæccine eſt urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium univerſæ terræ?

PHE.

16. Aperuerunt ſuper te os ſuum omnes inimici tui: ſibilaverunt, & fremuerunt dentibus, & dixerunt: Devorabimus: en iſta eſt dies, quam expectabamus: invenimus, vidimus.

AIN.

17. (a) Fecit Dominus quæ cogitavit, complevit ſermonem ſuum, quem præceperat a diebus antiquis: deſtruxit, & non pepercit, & lætificavit ſuper te inimicum, & exaltavit cornu hoſtium tuorum.

SADE.

18. Clamavit cor eorum ad Dominum ſuper muros filiæ Sion: (b) Deduc quaſi torrentem lacrymas, per diem & noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.

COPH.

19. Conſurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum: effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini: leva ad eum manus tuas pro anima parvulorum tuorum, qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum:

RES.

RES.

20. Vide Domine, & considera quem vindemiaveris ita: ergone comedent mulieres fructum suum, parvulos ad mensuram palmæ? si occiditur in sanctuario Domini sacerdos, & propheta?

SIN.

21. Iacuerunt in terra foris puer & senex: virgines meæ, & iuvenes mei ceciderunt in gladio: interfecisti in die furoris tui: percussisti, nec misertus es.

THAU.

22. Vocasti quasi ad diem sollemnem, qui terrerent me de circuitu: & non fuit in die furoris Domini qui effugeret, & relinqueretur: quos educavi, & enutrivi, inimicus meus consumpsit eos.

(a) Leut. xxvi. 16. Deut. xxviii. 25. Ier. xiv. 17. (b) Sup. i. 16.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. QUOMODO OBTEXIT; id est, quomodo Dominus obscuravit splendorem illum pristinum Sionis; sicut statim sequitur, תפארת ישראל. Eodem etiam modo Hebræi intetpretantur, ut R. Salo. & alii. Nonnulli vero, ut R. Abrah. exponunt: *Quomodo extulit Dominus usque ad nubes filiam Sion, & postea in terram deiecit*: verbum enim יעיב a עב, nube ductum est. Sensus non male congruit; quasi dicat: Quomodo elevans allisit eam, ut de se dicit David Psalm. CI. I. DE CAELO; hyperbole, id est de altissimo dignitatis gradu, in infamem servituris conditionem. SCABELLI PEDUM SUORUM, id est saltem templi sui, quod erat scabellum pedum eius, ut Ionath. & R. Salom. interpretantur, ut ait Salom. I. Paral. XXVIII. 2. *Cogitavi ut ædificarem domum, in qua requiesceret arca fœderis Domini, & scabellum pedum Dei nostri*, & Psal. XCVIII. 5. *Adorate scabellum pedum eius*.

V. 2. PRAECIPITAVIT NEC PEPERCIT, id est sine misericordia præcipitavit: בלע, *demolitus est*. OMNIA SPECIOSA IACOB, id est omnia pulchra ædificia Israel: כל נאות, *omnes domus* exponunt Hebræi. Chaldæus *omne ornamentum*. VIRGINIS IUDA, בת־יהודה, *filiæ Iuda*: POLLUIT REGNUM, id est tradidit profanis gentibus polluendum, quod prius sanctum erat. Ps. LXXIII. 7. *Incenderunt igni sanctuarium tuum: in terra polluerunt tabernaculum nominis tui*, & Psal. LXXVIII. 1. *Deus venerunt Gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam*. Alii, *Polluit*, id est pollutum esse ostendit.

V. 3. OMNE CORNU, id est, omne robur, omnes vires. Solet robur ab Hebræis cornu vocari, quia tauris omne robur in cornibus est. Metaphora nota est. Alii, per omne cornu, utrumque regnum Israel, & Iuda intelligi putant. Chaldæus, כל יברה, *omnem splendorem, & gloriam*. AVERTIT RETRORSUM; id est, fugit Israel hostes, non est ausus cum hoste manus conserere: השיב אחור ימינו. Possumus etiam vertere, *Convertit* (Deus) *retrorsum dexteram eius* (Israelis) id est, fecit eos fugere a conspectu hostium, vel, debilitavit dexteram eius, ne cum hoste pugnare possent. QUASI IGNEM, hostem, qui quasi ignis omnia undique consumpsit.

V. 4. TETENDIT. Deus, id est pugnavit pro hostibus contra Israel. FIRMAVIT: repetitio eiusdem sententiæ aliis verbis explicatæ: נצב ימינו, *stetit dextera eius sicut hostis*; id est, pugnavit manus eius contra Israel, quemadmodum si fuisset hostis; Chaldæus, *stetit ad dexteram Nabuchodonosoris* id est iuvit illum, Deuter. XXXII. 30. *Quomodo persequebatur unus mille, & duo fugarent decem millia? nonne ideo quia Deus suus vendidit eos, & Dominus conclusit illos?* ET oc-

OCCIDIT OMNE QUOD PULCHRUM ERAT VISU, id eſt, omnes elegantes & florentes iuvenes, qui in civitatibus Iſrael habitabant, ut Ionathas exponit. Quod ſi velimus alias etiam res intelligere non animatas, verbum יהרג, non erit vertendum, *Occidit*, ſed, *Perdidit*.

V. 5. PRAECIPITAVIT: בלע, *demolitus eſt*, ut verſ. 2. ET REPLEVIT HUMILIATUM, id eſt, fecit ut magna eſſet copia virorum ac mulierum, miſerorum, & plorantium: תאניה ואניה ירב, *Multiplicavit in Iſrael fletum, & luctum*, ut exponit Aben Ezra, & Chaldæus Paraphraſtes. Sept. eodem modo vertunt, quod noſter interpres, ac fortaſſe eos noſter hoc loco imitatus eſt, quod alias facere non ſolet.

V. 6. ET DISSIPAVIT: depopulatus eſt quaſi hortum, aut יחמס, *excidit, eradicavit*, QUASI HORTUM TENTORIUM SUUM, id eſt Ieruſalem, ubi tamquam in tentorio habitabit, ut R. Sal. & Ionath. interpretantur. Hoc eſt cives Ieroſol. alios occidit, alios in captivitatem tranſtulit, ſicut qui hortum aliquem in agrum frugiferum vult convertere, omnes eius plantas aut excindit, aut evellit, ut in alium locum plantandas transferat. Poteſt etiam כגן eſſe genitivus hoc modo, *Diſſipavit* aut *tranſtulit quaſi horti tentorium ſuum*, id eſt, ſicut qui hortos cuſtodiunt, poſtquam fructus collecti ſunt, caſam ubi habitabant diſſipant, aut alio transferunt; ſic Deus diſſipavit & tranſtulit Ieruſalem, ut Iſai. XXIV. 20. *Agitatione agitabitur terra, ſicut ebrius; & auferetur quaſi tabernaculum unius noctis*, & cap. XXXVIII. 12. *Generatio mea ablata eſt, & convoluta eſt a me, quaſi tabernaculum paſtorum*. Sept. alio ſenſu prorſus contrario, διεπέτασεν ὡς ἄμπελον τὸ σκήνωμα αὐτοῦ: *extendit ſicut vineam tabernaculum ſuum*. OBLIVIONI TRADIDIT, in oblivionem; id eſt, fecit ut nulla amplius mentio feſtorum dierum fieret; quod non eſſent, qui eos celebrare poſſent ſicut dixerat cap. I. 4. *Viæ Sion lugent, eo quod non ſint qui veniant ad ſolemnitatem*. Non ergo ſignificat Deum oblitum eſſe; ſed feciſſe, ut homines obliviſcerentur. ET IN OPPROBRIUM, repetendum eſt verbum, tradidit. Hebr. וינאץ בזעם אפו מלך וכהן: *Et abiecit in indignatione iræ ſuæ*, id eſt, cum indignatus eſſet regem & ſacerdotem.

V. 7. MALEDIXIT; id eſt, paſſus eſt everti ſanctuarium ſuum, quemadmodum ſi maledictum, non benedictum & conſecratum eſſet. Hebr. נאר, *repulit*, ſicut זנח, quod præceſſit. Idem enim utrumque verbum ſignificat, repetitioque eiuſdem ſententiæ eſt. Sed noſter interpres, ut ſolet, orationem variare voluit. Sic etiam Sept. verterunt. Chald. vero *conculcavit*. VOCEM DEDERUNT, Chaldæi: ſicut Iudæi in magna ſolemnitate præ lætitia in templo ſolebant exclamare: ita Chaldæi, cum templum everterent, vociferabantur, ut ait R. Sal. & Chaldæus.

V. 8. & 9. TETENDIT FUNICULUM SUUM, id eſt deſignavit animo eius demolitionem. Solent enim architecti, qui aliquid deſignant, funem extendere. R. Sal. *protulit iudicium, ut ſumeret de omnibus iniquitatibus eius*. Hebraiſmus eſt, ſignificans ſententiam ad puniendum pronuntiare, ut ait R. Sal. vel dignam mercedem tribuere, & eadem menſura remetiri, ut putat Hieronymus; vel, ulciſci, ut interpretantur R. David, & R. Levi, quæ omnia eodem redeunt. Ita II. Regum VIII. 2. *Menſus eſt nos funiculo, coæquans terræ: menſus eſt autem duos funiculos unum ad occidendum, & unum ad vivificandum*, id eſt, pronuntiavit ſententiam ut una pars occideretur, altera ſervaretur, & IV. Reg. XXI. 12. *Et extendam ſuper Ieruſalem funiculum Samariæ, & pondus domus Achab: & delebo Ieruſalem, ſicut deleri ſolent tabulæ*, id eſt, pronuntiabo contra Ieruſalem eamdem ſententiam, quam pronuntiavi contra Samariam: aut ulciſcar me de Ieruſalem, ſicut ultus ſum me de Samaria. Ita R. David. & R. Levi in commentariis in illos duos locos. ET NON AVERTIT MANUM SUAM, id eſt, poſtquam cœpit perdere ac demoliri, non ceſſavit, nec manum ab opere removit donec perfecit. LUXIT ANTEMURALE, id eſt deſtructum eſt, ſolo æquatum. Huius Hebraiſmi explicationem ſi deſideras, lege cap. præcedenti verſ. 4. DEFIXAE SUNT, id eſt ſubmerſæ ſunt, & veluti ruderibus ſepultæ. Non amo Hebræorum fabulas, tamen ſi quis volet legat R. Abraham commentarios. REGEM EIUS, ET PRINCIPES EIUS, perdidit vel, ad Gentes ducti ſunt, quia non cuſtodierunt legem, ut Chaldæus exponit: aut בגוים, *inter Gentes*)

tes (dispersi sunt, vel, exulant) Et Prophetae eius non invenerunt visionem a Domino; id est, non sunt veri Prophetæ, non enim Dominus illis revelat, quæ dicunt. Significat omnem Iudæorum statum esse conversum, omnia esse in miserabilem conditionem commutata, & sacra, & prophana; & Reges, & populum.

V. 10. Sederunt in terra. Summum dolorem describit. Solebant enim qui maximo mœrore affecti erant, humi quasi exanimati sedere, tacere præ dolore, saccis indui, caput cinere aspergere, quemadmodum Iob & amicos eius fecisse traditur: Iob cap. II. 8. 13. Abiecerunt in terram: id est valde demiserunt capita sua, quæ ante nimis erecto collo, nimisque superbe incedebant: valde humiliatæ sunt: similis sententia apud Isai. cap. III. 16. 17. *Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant & plaudebant, ambulabant, & pedibus suis composito gradu incedebant; decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit.* Per superbiam puellarum, totius civitatis superbiam denotat, quia puellæ in rebus prosperis maximam ornatu incessuque superbiam præ se ferunt.

V. 11. Effusum est in terra (in terram) iecur meum: effusa sunt viscera mea: hyperbole ad significandum ingentem dolorem. Cum deficeret, cum viderem pueros in mediis plateis fame, sitique emorientes, ut Chaldæus exponit, atque hoc significat עשת מקדוש. Gallice, *pasmer*, ut ait R. Salom.

V. 13. Cui comparabo te? מהאעודך; *quod testimonium afferam*; id est, quod exemplum calamitatis reperire potero, quæ similis sit tuæ, ut te consoler? In hanc interpretationem & Hebræi, & Chaldæus, & Septuaginta conveniunt. Magna est velut mare; id est, sicut nulla aquarum copia mari comparari potest; ita nullus est dolor, qui cum dolore tuo conferri possit.

V. 14. Prophetae tui: quos tu veros Prophetas esse dicebas, quibus tu credebas: Viderunt tibi, vaticinati sunt tibi. Videre, pro, vaticinari, sicut Propheta ipse videns vocabatur; I. Reg. IX. Neque aperiebant iniquitatem tuam. Non ponebant tibi ob oculos peccata tua; sed loquebantur tibi placentia, ut tu ab illis postulabas, Isai. XXX. 10. consuebantque tibi *pulvillos sub omni cubito manus*, Ezech. XIII. 18. Ut te ad poenitentiam provocarent: להשיב שבותך, *Ad convertendam conversionem tuam*. Quod recte noster interpres reddidit, *Ut ad pœnitentiam provocarent*, ut etiam Chaldæus interpretatur. Alii, ut Septuag. *ad convertendam captivitatem tuam*. Alii, ut R. Salom. *Ad convertendas*, id est, corrigendas *aversiones*, *& transgressiones tuas*. Hæc enim omnia nomen significat, & in hunc locum apte conveniunt. Viderunt autem tibi assumptiones falsas: משאות, onera, sive assumptiones vocat prophetias, ut putant R. Abraham, & Chaldæus Paraphrastes. Nam quamvis משא, non soleat nisi gravem & tristem prophetiam significare, tamen aliquando generaliter pro qualibet prophetia usurpatur, ut illi putant. Ego subtiliorem quendam sensum latere arbitror. Solebant veri Prophetæ passim dicere, *Onus Domini*, ut cap. XXIII. 33. adnotavimus, & eiectiones, dispersiones, exilia populo prædicere, quos pseudoprophetæ imitari conabantur: & ne semper iocunda vaticinari viderentur, adversa nonnumquam admiscebant, sed falsa atque conficta: quemadmodum adulatores, ut Plutarchus dixit, Opusc. de discrimine Adulatoris, & Amici, ne ad gratiam semper loqui videantur, aliquando eos, quibus maxime adulantur, reprehendunt; sicut catuli, qui fingunt se dominum mordere, sed dentes non figunt: propterea ergo usus est Deus hoc loco nomine משא, *oneris*, & מדוחה, *eiectionis*, quamvis non de veris, sed de falsis Prophetis loqueretur.

V. 15. Plauserunt, id est obstupefacti sunt videntes ruinas tuas. Solent enim qui valde mirantur, manibus plaudere; sicut de homine stulto dicitur, Eccl. XII. 19. *Caput suum movebit, & plaudet manu, & multa susurrans commutabit vultum suum*. Idem significat Sibilare, ut Ierem. XVIII. 16. & XIX. 8. & XXV. 9. 18. & XXIX. 18. & LXIX. 17. & L. 13. & LI. 37. idem etiam est, Movere caput, Ierem. XVIII. 16. Haeccine est urbs dicentes. Hebr. שיאמרו; *quam dicebant perfecti esse decoris*. Ita Chaldæus explicavit: *Hæccine est urbs, quam patres nostri antiqui dicebant perfecti esse decoris*.

Gaudium universae terrae; id est, qua tamquam domina universa terra, quæ illi parebat, gaudebat & gloriabatur.

V. 16. Aperuerunt os suum, id est irriserunt te, exprobrarunt tibi. Sibilaverunt: vide superiorem versum. Fremuerunt dentibus. Idem significat, insultare, illudere iis, qui afflicti sunt, ut Iob xvi. 10. *Collegit furorem suum in me, & comminans mihi infremuit contra me dentibus suis*, & Psalm. xxxiv. 16. *Tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione, frenduerunt super me dentibus suis*, & Psalm. xxxvi. 12. *Observabit peccator iustum, & stridebit super eum dentibus suis*. Dixerunt; Devoravimus; præteritum pro futuro, vel, imperativo, devoremus Ierusalem.

V. 17. Quem praeceperat, Prophetis, ut populo significarent: vel, quem Deus in lege comminatus illis fuerat si mandata eius non servarent Levit. xxvi. 16. 25. & Deuter. xxviii. 15. 16. 17. &c.

V. 18. Clamavit cor eorum: Iudæorum, cum obsessi essent, nec possent urbem defendere, ut auxilium a Deo peterent. Super muros Sion, id est pro muris, ne muri subverterentur. Hebræi, & Chaldæus, immo & Sept. aliter verba coniungunt: *Clamavit cor eorum ad Dominum*, חומת בתציון. (sub. & dixerunt) *O murc filiæ Sion, deduc quasi torrentem lacrymas*; ut murus ipse per prosopopœiam flere iubeatur, sicut dixit vers. 8. *Luxitque antemurale, & murus pariter dissipatus est*. Alii putant verba esse Prophetæ ad Ierusalem. Uterque sensus congruit. Neque taceat, id est ne cesset. Hebraismus, Tacere, pro, Cessare, ut supra cap. xlvii. 6. *O mucro Domini! usquequo non quiescis? ingredere in vaginam tuam; refrigerare, & sile*. Vide alia exempla, quæ illic posuimus.

V. 19. Consurge, lauda: רני, *Clama* (ad Dominum.) In principio vigiliarum: לראש אשמרות, *in capite custodiarum*, id est, statim post primum noctis somnum, in prima vigilia, quæ aliarum caput, & principium est, quo tempore solent alii homines altissime dormire. Leva ad eum manus tuas. Levare manus hoc loco significat auxilium petere, ut cap. præcedenti vers. 17. *Expandit Sion manus suas*: vide quæ illic adnotavimus. Pro anima, propter vitam, qua privati sunt parvuli, qui paulatim fame consumpti sunt. Hoc enim est עטת, ut supra vers. 11. In capite omnium compitorum, id est *in medio omnium* חוצות *platearum*.

V. 20. Quem vindemiaveris ita, (ut me vindemiasti) id est, filiis meis orbasti: עוללת, *Cum fecisti sic?* ut exponunt Hebræi. Nos hunc locum supra explanavimus cap. superiori ver. 12. Ergone comedent? Sicut comederunt in obsidione Ierosolymitana; אם תאכלנה, *si comederunt mulieres*: per interrogationem; ac si dicat: Quis umquam audivit mulieres infantes suos comedisse, ad mensuram palmae, id est altitudinis unius palmi, minimos, ac recens natos? Hoc sensu vertit noster interpres. Nam palma hoc loco non significet arborem, ut nonnulli interpretes putaverunt; sed palmam manus, aut palmum, ut ex dictione Hebraica manifestum est, עוללי טפוחים, *infantes palmorum*, aut *palmares:* qui sic appellantur, ut ait R. David, quia a nutricibus palmis tractantur, atque eorum membra corriguntur dum involvuntur fasciis: טפח enim palmum significat: unde factum est, ut verbum טפח, significet *educare, enutrire*, ut inf. vers. 22. אשר טפחתי: *quos educavi, & enutrivi, inimicus meus consumpsit eos*. Atque ita alii Hebræi hunc locum interpretantur, עוללי טפוחים, *parvulos educationum*, id est lactentes, sugentes ubera, ut etiam Sept. reddiderunt. Chaldæus vero, infantes amabiles, qui involvebantur sericis linteis. Mirum quam sæpe in populo illo Iudæorum hoc acciderit, ut matres filios suos ederent. Id enim & in obsidione Samariæ, IV. Reg. vi. 28. 29. evenisse legimus: & in obsidione Ierosolymitana idem factum esse, quamvis in libris Regum, & Paralip. non scribatur; Ieremias tamen hoc loco, & cap. iv. seq. vers. 10. & Baruch cap. ii. vers. 3. non obscure docet. Nisi si quis de obsidione Samariæ velit intelligi; quod ego non probo, quia hoc loco Ierosolymam deflet. Id ipsum postea in obsidione Titi & Vespasiani factum est, ut Iosephus Lib. VII. de bello Iudaico, cap. viii. auctor est. Nescio an in alia gente tot exempla eiusmodi flagitii reperiri queant. Accidit tamen id nostra ætate etiam in Gallia. Nam ad castrum sacri Cæsaris, quod vulgo *Sancerra* dicitur, cum ab hæreticis tenere-

neretur, a Catholicis autem obſeſſum eſſet, duæ Calvinianæ ſectæ mulieres infantes ſuos commederunt. SI OCCIDITUR; id eſt, quando viſum, aut auditum eſt, ut ſacerdotes, & Prophetæ in ipſo templi adyto ab hoſtibus trucidarentur, quemadmodum Ieroſolymis factum eſt.

V. 21. IACUERUNT: mortui, trucidati. FORTIS: הוצרה, *in plateis*.

V. 22. VOCASTI: congregaſti, convocaſti. QUI TERRERENT ME, מגורי, ad verbum, *terrores meos*, id eſt, hoſtes meos terribiles, ac formidabiles, ut Ierem. XV. 8. *Miſi ſuper civitates repente terrorem*, & cap. XLIX. 5. *Inducam ſuper te terrorem*.

S. A.

Verſ. 1. FILIAM. Chald. *cœtum*. DE CAELO IN TERRAM, id eſt a ſumma felicitate in extremam calamitatem. INCLYTAM. Hebr. *decorem*. Chald. *pulchritudinem*. LXX. *gloriam*. SCABELLI, id eſt ſanctuarii, ubi propitiatorium, quaſi Dei ſcabellum.

V. 2. VIRGINIS. Chald. *cœtus*. LXX. *filiæ*. POLLUIT, id eſt profanavit, ſcilicet tradendo gentilibus, ſeu proiecit ut rem pollutam, id eſt immundam.

V. 3. CORNU, id eſt robur. Chald. *gloriam*. DEXTERAM, ſcilicet ne ferret opem. A FACIE, id eſt in conſpectu. IGNEM FLAMMAE; pro, flammam ignis. IN GYRO, id eſt undique.

V. 5. HUMILIATUM, &c. quaſi dicat, Et viros & feminas calamitatibus.

V. 6. DISSIPAVIT. Chald. *eradicavit*. TENTORIUM, ſcilicet templum. OBLIVIONI TRADIDIT, id eſt fecit omnino ceſſare, ut quæ oblivioni traduntur. IN OPPROBRIUM, ſcilicet expoſuit.

V. 7. MALEDIXIT, id eſt veluti maledictam tractavit, ſcilicet perdens. SANCTIFICATIONI, id eſt ſanctuario, ſeu templo. DEDERUNT, ſcilicet hoſtes. SICUT, ſcilicet ſolet; quaſi dicat, exultanter.

V. 8. FUNICULUM, id eſt menſuram, ſcilicet vaſtationis. LUXITQUE, ſcilicet ſuam ruinam; quaſi dicat; corruit;

V. 9. REGEM; pro, nempe Regem: eſt enim explicatio præcedentis metaphoræ: IN GENTIBUS; id eſt inter Gentes. LEX, id eſt obſervatio cærimoniarum in Dei cultu. PROPHETAE, &c. quaſi dicat: Defecit magna ex parte prophetia ob populi peccata.

V. 10. SEDERUNT, &c. Deſcribit geſtus lugentium.

V. 11. EFFUSUM, &c. Hyperbole. IECUR, id eſt viſcera, ſeu interiora. SUPER; pro, ob.

V. 12. TRITICUM ET VINUM, id eſt cibus & potus. VULNERATI. Chald. *occiſi gladio*.

V. 13. EXAEQUABO, id eſt æquiparabo; quaſi dicat: Quis umquam tantam vidit calamitatem? CONSOLABOR, ſcilicet ſimili exemplo. MARE. Chald. *fluctus maris in tempeſtate*.

V. 14. PROPHETAE. Chald. *pſeudoprophetæ*. ASSUMPTIONES, id eſt prophetias, quibus ſolent auditores aſſumi, ſeu ſublevari & erigi in ſpem. ET EIECTIONES; quaſi dicat: Non erant ſublevationes, ſed deiectiones, re enim prorſus deiecerunt illorum mendacia: ſcio aliter locum poſſe explicari ad veritatem Hebr. quod & doctiorum, ſcilicet prophetaſſe iſtos falſas hoſtium calamitates & expulſiones.

V. 17. PRAECEPERAT, id eſt inter præcepta poſuerat, prædicens ſe non obedientes puniturum. Vide Levit. XVI. Deut. XXVIII. & XXXII.

V. 18. CLAMAVIT, ſcilicet orans Deum, ut miſereretur. EORUM, ſcilicet Iudæorum. SUPER, id eſt ob; quaſi dicat, Videns dirutos muros. DEDUC, ſcilicet o filia Sion. Vox Prophetæ. REQUIEM; quaſi dicat, Ne ceſſa. Chald. *conſolationem*.

V. 19. LAUDA. Chald. *attende lectioni*. LXX. *meditare*. COR TUUM. Chald. *perverſitatem cordis tui*.

V. 20. SUUM. LXX. *ventris ſui*, ſcilicet filios. AD MENSURAM PALMAE; quaſi dicat, minimos. SI OCCIDITUR; pro, decetne ut occidatur? Chald. id intelligit dictum ex perſona Domini, velut reſpondentis ad ſuperiorem querimoniam; quaſi dicat: Et quod vos feciſtis, ut occideretis in templo Zachariam Sacerdotem & Prophetam, decuitne?

ESTII.

Vers. 1. NON EST RECORDATUS SCABELLI PEDUM SUORUM IN DIE FURORIS SUI. Scabellum pedum Domini erat arca foederis Domini. Sed quomodo non est recordatus eius Dominus in hac vastatione civitatis & templi, cum tamen iusserit eam per Ieremiam duci in montem sanctum, ut est II. Machab. II. & ibi abscondi, ut inveniri non posset, donec Dominus congreget dispersionem populi sui? ut ibidem dicitur. Respondeo; dicitur Deus non recordatus eius, quia propter arcam, ut saepius alias, populo non pepercit; nec amplius ex ea dedit responsa.

V. 9. NON EST LEX; ET PROPHETAE EIUS NON INVENERUNT VISIONEM A DOMINO. Quaeritur, quomodo haec vera sint, cum populus ille etiam tunc habuerit suos prophetas? Habebat enim Ieremiam in terra Iuda; qui etiam in AEgyptum reliquias populi secutus est, & usque ad finem vitae visiones a Domino acceptas eis annunciare non destitit. Circa quae tempora etiam Habacuc in Iudaea prophetavit, ut patet ex historia Danielis. Habebant praeterea in Babylone secum Ezechielem & Danielem. Itaque videtur hic locus intelligendus de falsis prophetis, quales populus desiderabat, qui loquerentur placentia, de quibus mox subiungitur vers. 14. PROPHETAE TUI VIDERUNT TIBI FALSA, ET STULTA, NEC APERIEBANT INIQUITATEM TUAM, UT TE AD POENITENTIAM PROVOCARENT. Quibus verbis etiam hoc nobis declaratur, non satis esse, ut praedicator verbi Dei, veritatem & sanam doctrinam proponat; verum etiam necesse esse, ut simul aperiat iniquitatem populi, & eum ad poenitentiam provocet. Ceterum secundum altiorem & mysticam intelligentiam, illud quod hic dicitur: *Non est lex; & prophetae eius non invenerunt visionem a Domino*, potest prophetice dictum accipi de tempore Iudaici populi, post adventum Christi: tunc enim revera lex vetus abolita est, succedente nova; & umbra prophetiearum visionum evanuit, succedente luce Evangelicae veritatis.

MARIANAE.

Vers. 1. OBTEXIT CALIGINE, obscuravit, ignobilem reddidit. FILIAM SION. Ierusalem ad eum montem sitam, illique ut matri subditam. Chald. *coetum*. DE CAELO, id est de altissimo dignitatis gradu in summam miseriam deiecit. INCLYTAM. Hebr. *Deus Israel*, quae scilicet aliis urbibus decus afferebat. SCABELLI, id est templi, non est recordatus: quod sic vocatur I. Paralip. XXVIII. 2. Ps. XCVIII. 5.

V. 2. PRAECIPITAVIT. Sic Sept. Hebr. *deglutivit*, pardidit. OMNIA SPECIOSA. Sic Sept. Chald. *ornamentum*. Hebraei *domus* explicant, quibus Deus non pepercit. Vocem נאות *neoth* nimirum a נוה *navah*, id est *habitare* deducunt. Hieronymus ab אוה *avah*, id est *desiderare*, vel à נאוה *naah*, *pulchrum esse*. Ergo non pepercit ornamentis filiae Sion, ne munitionibus quidem, ut mox dicit. Quae sunt munitiones, quae ornamenta? Reges & Principes. QUOS POLLUIT, suo ipsorum foedavit sanguine. Hac & pleraque quae hic dicuntur, de Iosiae morte possunt iotelligi.

V. 3. OMNE CORNU, id est robur confregit. Chald. *gloriam Israel*. Nimirum קרן *keren* & *cornu* & *splendorem* signifieat: de quo Exod. XXXIV. 29. Neque abhorret ab hoc loco ea splendoris significatio. AVERTIT RETRORSUM DEXTERAM SUAM. Dicerem, *dexteram eius*, scilicet populi, ut Sept. Graece & Chaldaice. Chald. dixerunt, quod Latini utrobique interpretes versionem Graecae & Chaldaicae mutarunt in suam. Sane cum dixerit Deum debilitasse robur in Israel, ostendit in quo, scilicet in fuga a facie hostis, qua dexteras armatas quamvis, retro Deus verti fecit. ET SUCCENDIT, omnia quasi ignis vastavit hostis. IN GYRO. Hebr. *circuitu*, ubique.

V. 4. FIRMAVIT. Hebr. *stetit dextera eius quasi inimici*, scilicet Dei. ET OCCIDIT OMNE QUOD PULCHRUM, iuvenes speciosos. Aut *occidit*, pro, perdidit quidquid pulchrum erat, domos, iumenta, homines.

V. 5. PRAECIPITAVIT Hebr. *perdidit* MOENIA EIUS: *palatia* Chald. sic Hebr. DISSIPAVIT, destruxit. HUMILIATUM ET HUMILIATAM. Sic Sept. id est, fecit ut omnes miseri essent. Hebr. *Et multiplicavit*

vit in filia Iuda lamentationem & luctum: sic Chald.

V. 6. ET DISSIPAVIT, seu *transtulit*. QUASI HORTUM; pro, quasi in horto. TENTORIUM SUUM, aut *eius*, scilicet horti. Quam facile ea tuguria dissipantur, tam facile Deus Sion dissipavit, aut transtulit. TABERNACULUM SUUM. Hebr. *cœtum suum*, seu *congregationem suam*: sic templum, seu *tabernaculum*, ut Hieronymus dixit, vocat, quoniam in eo congregabantur. Ergo ut hortense gurgustium, templum Deus corrupit. OBLIVIONI TRADIDIT, fecit, ut homines obliviscerentur festivitatum, urbe a civibus deserta. ET IN OPPROBRIUM. Gotth. *in opprobrio*, & *indignatione*: *opprobrium* pro ira. Hebr. *in ira furoris sui sprevit Regem & sacerdotem*.

V. 7. REPULIT. Hebr. *elongavit*. MALEDIXIT SANCTIFICATIONI SUAE. Hebr. *repulit ex animo sanctuarium suum*. MUROS TURRIUM. Sic Sept. & Chald. Hebr. *muros palatiorum*, seu *muros* (&) *palatia eius*. VOCEM DEDERUNT: Chaldæi capto templo.

V. 8. TETENDIT FUNICULUM SUUM. Hebr. *regulam*. Tunc non solum ad regulam ædificabant, sed & destruebant. ET NON AVERTIT, id est non retraxit manum a perdendo. LUXITQUE ANTEMURALE. Hebr. *desolavit* (Deus) *antemurale*.

V. 9. IN GENTIBUS: scilicet, fuerunt Reges & Principes inter Gentes. NON EST LEX. Nulla ibi observatio Legis, nulli Prophetæ, qui ex ore Dei admonerent, quid facto opus esset.

V. 10. SEDERUNT IN TERRA. Hæc solent facere qui lugent. ABIECERUNT IN TERRAM. Virgines extento collo incedere solitæ, oculos ad terram verterunt, præ mœrore & angustia.

V. 11. EFFUSUM EST IN TERRA IECUR MEUM, id est viscera. Dirumpor dolore: Hyperbole. CUM DEFICERET, scilicet expiraret præ fame parvulus.

V. 12. QUASI VULNERATI, aut morientes ex vulnere. CUM EXHALARENT. Heb. *effunderent* animam suam in sinu matrum, id est in earum complexu expirarent.

V. 13. CUI COMPARABO TE? Heb. *quid testificabor tibi*; id est, quod exemplum afferam, quo tuam calamitatem declarem? MAGNA EST ENIM VELUT MARE CONTRITIO TUA, id est mari similis est magnitudine & fluctibus.

V. 14. PROPHETAE TUI, scilicet falsi. VIDERUNT, vaticinati sunt. *Prophetæ* Videntes vocantur. ET STULTA, seu *insulsa*, sine sale & sapore. UT TE AD POENITENTIAM PROVOCARENT. Heb. *ad convertendum conversionem tuam*. Vel *ad convertendum aversionem tuam*, ut te a malo converterent, non aperuerunt tuam iniquitatem. Septuagint. *captivitatem tuam*. Vox שבותך *sebuthecha* hæc omnia potest significare. ASSUMPTIONES, id est prophetias mendaces viderunt tibi. Chald. *prophetiam vanam*. Prophetia משא *masa* vocatur, id est *onus*, seu *assumptio*, quæ vox Heb. hic est, sed præsertim significat *prophetiam quæ tristis est*, tum prophetiæ aliæ eo nomine aliquando vocantur. ET EIECTIONES, fingebant aliquando tristia, ut adulatores reprehendunt, quibus adulantur, ne semper ad gratiam loqui videantur, ut Plutarchus ait de Discrimine adulatoris, & amici. Chald *verba erroris prophetarunt tibi*.

V. 15. HAECCINE EST URBS, DICENTES, scilicet viatores dicebant. Heb. *Hæccine est urbs, quam dixerunt*, scilicet *maiores esse perfecti decoris*: sic Chald.

V. 16. APERUERUNT. Non solum transeuntes aperuerunt os suum, sed hostes: illi ex admiratione, hostes ut te dilacerarent. DEVORABIMUS; pro, devoremus, perdamus. EN ISTA EST DIES. Heb. *sane hæc est dies, quam expectabamus*.

V. 17. QUEM PRAECEPERAT Prophetis, ut annuntiarent, sermonem implevit. CORNU, robur. Chald. *gloriam* hostium tuorum exaltavit.

V. 18. COR EORUM, scilicet Iudæorum, cum obsessi erant, clamarunt. SUPER MUROS, id est pro muris, ne everterentur. Heb. *o mure filiæ Sion*. *Murus* pro urbe. DEDUC QUASI TORRENTEM, plora copiose. NON DES REQUIEM TIBI, o Ierusalem, vel, o mure, ne desiste a fletu. NEQUE TACEAT. *Tacere* pro *cessare*. PUPILLA OCULI TUI. Heb. *filia oculi tui*: sic vocatur, *oculus* ab imagine puellæ, quæ in ea apparet. Alio nomine אישון *ison* ab איש *is*: κόρη Græce, Latine *pupilla*, ob eamdem causam.

V. 19. LAUDA, aut clama. IN PRINCIPIO VIGILIARUM. Dixerat per diem & noctem

ctem plorandum; nunc addit, ab initio noctis lacrymis & precibus vacandum. PRO ANIMA PARVULORUM TUORUM; pro vita, ne plures parvuli fame pereant. Ubi? IN CAPITE, id est in medio omnium platearum.

V. 20. QUEM VINDEMIAVERIS ITA. Heb. *cui feceris sic*. Vide ERGO NE. Heb. *si comedent mulieres fructum suum*. PARVULOS AD MENSURAM PALMAE? aut *palmi*, qui טפח Heb. dicitur; scilicet palmus minor quatuor digitorum: nam palmus maior Zereth dictus *palma* vocatur, ut nos diximus de Pond. & mens. cap. XIX. Heb. *parvulos educationum*, id est quos matres teneros & exiguos edueant. Id significat טפחים *tipuhim*. Septuag. *lactantes*. Chald. *desiderabiles*. Hieronym. a טפח *topah*, id est *palmo* deduxit quasi palmares.

V. 21. IACUERUNT mortui scilicet. FORIS. Heb. (in) *plateis*. PERCUSSISTI. Heb. *iugulasti* pueros & senes.

V. 22. VOCASTI, convocasti. QUI TERRERENT ME. Heb. *terrores meos*, id est hostes terribiles. DE CIRCUITU, id est undique. QUOS EDUCAVI. Ecce verbum טפחתי *tipahthi* ponit in significatione *educandi*, quod idem verf. 20. potuit facere. Ergo quos educavi, inimicus consumpsit.

MALVENDAE.

Vers. 1. QUOMODO &c. Huius, inquiunt, capitis duæ sunt in universum partes: prior est, expostulatio pathetica pro toto populo Iudæorum, decem versibus: altera est documentum Prophetæ ad populum, inde ad finem usque. Expostulationis autem membra sunt tria: primum enim conqueruntur Iudæi de calamitatibus totius regni a Deo importatis, versibus quatuor sequentibus: secundo de cultu ipsius deiecto, versibus duobus: ac postremo de ipsa metropoli, in qua stabant regnum Davidis, & cultus Dei, tribus versibus: qua omnia proleptice hoc versu continentur, & per hysterosin deinceps exornantur. OBTEXIT CALIGINE IN FURORE SUO DOMINUS FILIAM SION. Varie alii ex Heb. I. *extulit usque ad nubes in ira sua Adonai filiam Tzionis*: ut sit antitheton ei quod sequitur, *proiecit de cælo in terram*, &c. quasi dicat: Itæ divinæ fuit tantum extollere, ut tantum deiiceret. II. *Obnubilat ira sua*, vel *densa obtegit nube iræ suæ Dominus filiam Tziionis*. Elegans metaphora, continens tacitam antithesin nubis gloriæ, quæ prius apparuit Ieruschalaimis in dedicatione templi, I. Reg. VIII. 10. & præsentium calamitatum, quæ cum densa nube, & caligine fere comparantur. INCLYTAM ISRAEL. Heb. *decus*, *decorem*, *ornatum*, *pulchritudinem Israelis*.

V. 2. PRAECIPITAVIT DOMINUS, NEC PEPERCIT, OMNIA SPECIOSA IACOB. Alii: I. *Deglutivit Dominus citra indulgentiam omnia tuguria Iahakobi*. II. *Quomodo absorbet Dominus non utens clementia omnia habitacula Iahakobi*: id est tollit momento funditus, tamquam absorberet: nam hæc omnia figurate tribuuntur Deo. Sic infra vers. 5. & 8. SPECIOSA IACOB. Heb. *nomos*, *caulas*, *tuguria*, *tesqua*, vel *tesca*, *pascua amœna* &c. Vide Exod. XV. 13. DEIECIT IN TERRAM. Heb. *pertingere fecit ad terram*. Alii I. *afflixit ad terram*. II. *deturbans in terram*. POLLUIT REGNUM. Alii: I. *profanat regnum*, seu, *ut profanum abiicit regnum*. II. *vim intulit*, *violavit*, *sauciavit*, *confodit*, *perfodit regnum*. Possis reddere: *interfecit regnum*.

V. 3. CONFREGIT IN IRA SUA OMNE CORNU ISRAEL. Alii: *Quomodo succidit æstu iræ totum cornu Iisraelis?* id est, robur, vires, splendorem & maiestatem Imperii: ut I. Samuel. II. 1. & 10. AVERTIT RETRORSUM DEXTERAM SUAM A FACIE INIMICI. Alii: I. *retraxit retrorsum dexteram suam a facie hostis*; id est, negavit vel subduxit eis auxilium, cum ventum esset in conspectu hostis. II. *adducens retrorsum dexteram suam ne obsistat inimico*, vel *ne opponat eam adversario*. ET SUCCENDIT IN IACOB QUASI IGNEM FLAMMAE DEVORANTIS IN GYRO. Alii I. *& exarsit in Iahakobo veluti ignis*, *flamma circumquaque devorante*. II. *& exardescens in Iahakobum*, *ut ignis flammæ*, seu *inflammatus*, *consumens circumquaque*.

V. 4. TETENDIT ARCUM SUUM QUASI INIMICUS. Alii: *Quomodo adducit arcum suum velut inimicus?* FIRMAVIT DEXTERAM SUAM QUASI HOSTIS. Alii: *constituta est*, vel *stetit dextera eius instar inimici*. Sed Heb. verbum seu participium נצב, *iatzab stetit*, est masculeum & *dextera*, femineum.

Qui-

Quidam : *constitutus dextera sua velut hostis*. Et occidit omne quod pulchrum erat visu in tabernaculo filiae Sion. Alii : I. *& trucidavit omnia, quæ erant expetibilia oculis in tabernaculo filiæ Tziionis*. II. *ut interficiat omnes desiderabiles oculo : in tentorio filiæ Tziionis effundit, ut ignem, excandescentiam suam*. Et hoc exposcunt distinctiones Hebraicæ.

V. 5. Et replevit in filia Iuda humiliatum et humiliatam. Alii : I. *& multiplicavit filiæ Iehudæ mœrorem & mœstitiam*. II. *& plurimum effert in filia Iehudæ mœroris & mœstitiæ*. III. Forsterus : *& multiplicavit in filia Iehuda impulsionem, & impulsionem*, seu *impetum & impetum*. Ista autem geminatio, inquit, importat distributionem ; quasi dicat, Hinc inde necessitas, seu impulsio. IV. Avenarius : *& multiplicavit in filia Iehudæ invectum & invectionem*, id est naumachias & varias impugnationes hostium. Vide de his duabus vocibus, Isaiæ xxix. 2.

V. 6. Et dissipavit quasi hortum tentorium suum. Varie alii ex Heb. I. *Et transtulit veluti in horto tentorium suum*. II. *Et transtulit velut tugurium horti, tentorium suum*, id est templum, vel Tziionem, quæ est ei quasi tugurium. III. *Et dissipavit tabernaculum suum paradiso simile*. IV. *Et vi abripit ut horti sepem suam*, vel *sepimentum suum*. Sic Psalm. lxxix. 13. & lxxxviii 41. Isaiæ v. 5. שכו *sucho*, cum *Scin* sinistro, plerique a סכך *sachach*, cum *Samech* ducunt, *tegumentum, tectorium, tugurium, umbraculum, casam frondeam, trichilam suam* : ut Psalm. lxxv. 3. Alii a שוך *such*, cum *Scin* sinistro *sepem*, *sepimentum eius*, vel *suum*. Demolitus est tabernaculum suum. Heb. *corrupit stationem suam*. Alii : I. *subvertit congregationem suam*. II. *solemnitates eius*, seu *festivitates, statas ferias*. III. *perdidit locum conventus sui*. Oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem et sabbatum. Quidam : *prorsus oblivifcitur Iehova habendi Tziione conventus, & sabbati* : ex promissione & lege ipsius, Exod. xxiii. & xxv. & antiquo more. Et in opprobrium, et in indignationem suam regem et sacerdotem. Alii : I. *& floccifecit in furore iræ suæ regem & sacerdotem*. II. *& in fremitu iræ suæ contumeliæ exposuit regem & sacerdotem*. III. *& insectatus est contumeliis, conviciis, maledictis in furore iræ suæ regem & sacerdotem*.

V. 7. Repulit. זנח *zanach*, *removit, repullit, reiecit, deseruit, contempsit, abominatus est* : vide in Psalm. xlii. 2. Maledixit sanctificationi suae. נאר *nier*, *discerpsit, dilaceravit, dissolvit, rescidit, aspernatus, detestatus est*, ut Psalm. lxxxviii. 40. *sanctuarium*, seu *sacrarium suum*. Muros turrium eius. Heb. *muros palatiorum*, seu *arcium eius*, scilicet Tziionis. Alii sine syntaxi, *muros, palatia eius*. Asyndethon. Vocem dederunt in domo Domini, sicut in die solemni. Aliqui : *vocem edunt* inimici *in domo* ihuh, *ut die conventus*, videlicet edebatur a populo Dei in precibus & laudibus, cum tres anniversariæ solemnitates agerentur.

V. 8. Cogitavit Dominus dissipare murum filiae Sion. Alii : I. *Constituit Iehova vastare muros filiæ Tziionis*. II. *Quomodo cogitat Iehova corrumpere muros filiæ Tziionis ?* Tetendit funiculum. Heb. *extendit regulam, normam, filum*, videlicet ut evertatur funditus & solo æquetur : sic II. Regum xxi. 13. & Isaiæ xxxiv. 11. quod confirmant sequentia. Non avertit manum suam a perditione. Alii : I. *& non reduxit manum suam, quominus dirueret*, aut *præcipitaret*. II. *non retrahit manum suam quin absorbeat*, aut *degluttiat* : sic supra vers. 2. & 5. Luxitque antemurale, & murus pariter dissipatus est. Alii : I. *desolavit antemurale, & muri pariter deleti sunt*. II. *lugent ergo simul propugnacula, & murus deformatus*. III. *& luctum affert præmunitioni, & muro pariter languescentibus*, ac proinde ad ruinam luctuosam veluti mortem spectantibus : allegoriæ.

V. 9. Defixae sunt in terra portae eius. Alii : *Quomodo demerguntur in terram portæ eius ?* Verbum טבעו *tabeghu*, scribitur cum *Tet* parvo præter morem ; quo mysterio, nescio : nisi forte ad indicandum quod penitus demersæ in terram fuerint, ut nihil earum extaret : vel quod redactæ fuerint ad extremam diminutionem, & rudera. Perdidit et contrivit vectes eius, &c. Alii reliquam hanc partem versus ex Heb. reddunt : I. *perdidit & contrivit vectes eius, Rex eius & principes eius ad gentes abducti sunt : non est lex*, ne-

neque prophetæ eius nacti sunt, *seu consecuti sunt ultionem a Iehova*. II. *perdit & confringit vectes eius : rex eius & principes eius sunt inter gentes sine lege*, *etiam prophetæ eius non inveniunt*, seu *non habent*, sic infra verf. 16. *præsentem visionem a Iehova ;* id est, legibus gentium constricti, & publico ordine Ecclesiæ, legisque & prophetarum documentis carentes, quæ ante publice in Iudæa personaverant. Recte Noster accepit, *vectes eius*, *regem eius*, *& principes eius* : nam ii sunt vectes & repagula regni, qui sustinent & firmant Rempublicam. Apte hæc intelligi possint de Iehoachazo abducto in AEgyptum cum principibus, & alienis legibus vivere coacto. II. Regum XXIII. 33. & 34. quando Iudæa AEgyptiis legibus pressa grande tributum persolvit, ut ibidem dicitur, verf. 33. & 35.

V. 10. SEDERUNT IN TERRA, &c. Hunc versum quidam reddunt : *Quomodo sedentes humi conticescunt seniores*, seu *senatores filiæ Tzijonis*, *imponunt pulverem capiti suo*, *accingunt se ciliciis ; demittunt in terram caput suum virgines Ierufchalaimorum ?* Sunt hæc omnia habitus & signa lugentium in graviffimo mærore, quorum exempla passim in Scriptura obvia : vide Iob II. 8. 12. & 13.

V. 11. DEFECERUNT PRAE LACRYMIS OCULI MEI, &c. Secunda, inquiunt, hæc pars (qua Propheta affert documenta Ecclesiæ laboranti) tria membra continet : primum est, quoddam veluti exordium a commiseratione, duobus versibus : secundum est, exaggeratio mali, usque ad verf. 18. tertium est, consilium conversionis ad Deum & orationis, quinque versibus ultimis. CONTURBATA SUNT VISCERA MEA. Heb. *lutulentafacta fuerunt viscera mea* : vide supra cap. I. 20. EFFUSUM EST, vel *effunditur* IN TERRAM IECUR MEUM. Hyperbole : effunduntur mihi viscera præ dolore & mœrore. Quidam : id est, sanguis e iecore diffugit, velut profusus in terram.

V. 12. MATRIBUS SUIS DIXERUNT ; UBI EST TRITICUM ET VINUM ? &c. Alii : *Matribus suis dicentes : Ubi est frumentum & vinum ?* &c. Amplificatio ab ætate & circumstantiis ; quasi dicat, Cum omnes pereunt miserrime, ac ne parvulis quidem (quorum miserabilior conditio est) consulitur. CUM DEFICERENT QUASI VULNERATI IN PLATEIS CIVITATIS. Alii ex Heb. I. *cum scilicet deliquium animi paterentur sicut saucii in plateis civitatis*. II. *dum obruunt sese similes confosso in plateis civitatis*. III. *cum occultarentur sicut vulnerati in plateis civitatis*. Verbum ex Hithpahel auget significatum, *cum obtegere*, *operire*, *obruere sese facerent*. Notant, verbum עטף *ghataph*, quando de anima vel spiritu, vel vita hominis dicitur, tum significare illa occultari, & obrui, ut cessent, nec amplius conspiciantur, ut fit in ingentibus animi & spiritus perturbationibus, & angustiis, & in hypothymiis, ubi deficiunt & deliquium patiuntur. Vide in Psalm. LX. 3. Sic infra verf. 20.

V. 13. CUI COMPARABO TE ? Alii : I. *Quid testificabor tibi ?* id est, quid testibus probem, quemquam accepisse tantam cladem, quantam tu accepisti ? II. *Quo obtestabor te ?* vel, *quo te contester ?* Quidam totum versum exponunt : *Quod testimonium afferrem tibi ? quod exemplum darem tibi*, *o filia Ierufchalaimcum ? quid æquarem tibi ut consolarer te*, *o virgo filia Tzijonis ? nam magna est velut maris contritio tua*, *quis curatus esset te ?* Transitio ad secundum membrum διαπορίας, id est, per dubitationem, quæ in animorum permotionibus est vehementissima. Continet autem hæc commiseratio duplicem exaggerationem : primum quod nullum malum cum hoc comparari potest, hoc versu : deinde quod nusquam apparet spes boni tamquam media tempestate in alto versantibus, neque ab ipsis, sequente versu ; neque ab exteris, verf. 15. & 16. neque a Deo, verf. 17.

V. 14. PROPHETAE TUI VIDERUNT TIBI FALSA ET STULTA. Alii : *Prophetæ tui vident tibi vanum & insulsum* &c. id est, quimodo prophetant tibi, nam hoc crimen suis temporibus Irmeia plurimum exprobrat, ut cap. XXIII. 9. & sequentibus, ubi habetur plenissima huius versus interpretatio. NEC APERIEBANT INIQUITATEM TUAM, UT TE AD POENITENTIAM PROVOCARENT. Alii ex Heb. I. *neque traduxerunt*, seu *publicæ infamiæ exposuerunt*, *iniquitatem tuam*, *quo averterent captivitatem tuam*. II. *neque retegunt iniquitatem tuam ad avertendam aversionem tuam*. Nos apte reddidimus : *& non devolverunt super pravitatem suam* ; id est, non converterunt sermonem, non incubuerunt, non institerunt

ad

ad exagitandam pervisitatem tuam. שבות *schebuth*, a שבה *schabah*, *captiva-abductio*, *captivitas*: a שוב *reversio*, *aversio*, *conversio*, *pœnitentia*: quod Noster & alii secuti sunt. VIDERUNT AUTEM TIBI ASSUMPTIONES FALSAS, ET EIECTIONES. Alii: I. *Viderunt*, *inquam*, *tibi prophetias vanas*, *& expulsiones*, id est ea, quæ te expellebant a me, nempe rationes, quibus te expellerent a via recta. II. Foriterus: *& viderunt*, seu *prædicaverunt tibi onera mendacii*, seu *vanitatis*, *& eiectionum*, vel *depulsiones*, *exilia*. III. Tremellius & Iunius: *sed vident tibi onerosas prophetias vani & depulsionum*, seu *rerum vanarum & ad depulsionem spectantium*. Alludit Iirmeia ad morem loquendi prophetarum, qui graves prophetias appellant *Onera*: sic isti pseudoprophetæ, cum populo felicia annuntiarent, revera erant falsæ & onerosæ prophetiæ ad malum & captivitatem spectantes.

V. 15. PLAUSERUNT SUPER TE MANIBUS OMNES TRANSEUNTES, &c. Alii: *Plaudunt super te manus suas omnes transeuntes via*, seu *viatores*: ut cap. I. 12. Sic Iob. XXVII. 23. SIBILAVERUNT. Alii: *sibilant*. Hispanice, *te chifflan*, *silvan*. Sic I. Reg. IX. 8. ET MOVERUNT CAPUT SUUM SUPER FILIAM IERUSALEM. Alii: *& movent caput suum contra filiam Ieruschalaimorum*. Sic II. Reg. XIX. 21. HAECCINE EST URBS, DICENTES, PERFECTI DECORIS, GAUDIUM UNIVERSAE TERRAE? Alii: I. *dicentes*: *Heccine est urbs illa*, *de qua prædicabant absolutam pulchritudinem*, *quæ gaudium erat universæ terræ?* II. *Heccine*, *inquiunt*, *civitas illa*, *quam dicebant perfectam pulchritudine*, *gaudium toti terræ?* ut Psal. XLVII. 2. PERFECTI DECORIS. Heb. adiective & substantive exponi potest: *consummata*, *absoluta*, *perfecta pulchritudinis*; vel *consummatio*, *universitas*, *totalitas*, *perfectio pulchritudinis*.

V. 16. APERUERUNT SUPER TE OS SUUM. Alii I. *Diduxerunt super te os suum*. II. *Dilatant contra te os suum*: ut Psalm. XXI. 14. Sic infra cap. III. 46. ET FREMUERUNT DENTIBUS. Alii: *& frendunt*, seu *strident dentibus*: ut Iob XVI. 9. ET DIXERUNT, DEVORAVIMUS: ut Psal. XXXIV. 25. EN ISTA EST DIES, QUAM EXPECTABAMUS: INVENIMUS, VIDIMUS. Alii: *equidem*, *profecto*, *utique hic dies ille est*, *quem expectabamus*, *præsentem habemus*, *fruimur*.

V. 17. COMPLEVIT SERMONEM SUUM QUEM PRAECEPERAT. Alii: *perfecit sermonem suum*, proprie: *avarizavit dictum suum*; id est, avare, cupide, avide, ambitiose executus est sermonem suum. Vide similem locutionem Isai. X. 12.

V. 18. CLAMAVIT COR EORUM, &c Quidam: *Clamat cor istorum* &c. Consilium prophetæ ut diximus in vers. 11. cuius partes sunt duæ, una qua Propheta Iudæos docet, quibus argumentis, & qua ratione Deum oporteat accedere, duobus versibus: deinde formulam orationis præscribit, tribus aliis. Argumenta autem sunt hæc, blasphemia adversariorum principio huius versus; & pœnitentia Iudæorum, cuius forma duobus his versibus ostenditur per prosopopœiam. AD DOMINUM. Alii: *contra Dominum*, id est, non contra te, o Tziion, sed contra Dominum sunt istorum blasphemiæ, ut II. Reg. XIX. 22. Sed sunt ista nimium subtilia: simplicius alii: *Clamavit cor istorum*, Iudæorum vere & ex animo resipiscentium *ad Dominum*. NON DES REQUIEM TIBI. Alii: *ne permittas tibi intermissionem*, seu *relaxetionem*, *sedationem*, *lassitudinem*. Hispanice, *no te causes*. Intermissionem oculi, vel lacrymarum intelligunt. CONSURGE, LAUDA IN NOCTE. Hebr. *Surge*, *canta*, *prædica*, *vociferare*, *præconiumede*, *ova*, *gratulatorie ac clama in nocte*; id est, prædica laudes Dei, eiusque misericordiam implora. IN PRINCIPIO VIGILIARUM. Hebr. *ad caput observationum*, seu *custodiarum*, id est, in principio cuiuscumque vigiliæ, seu per omnes vigilias noctis, quæ quatuor distinguebantur ab antiquis; id est, indesinenter, palam ex animo toto, omnibus signis & modis miseriam tuam expone Deo.

V. 20. VIDE DOMINE, ET CONSIDERA QUEM VINDEMIAVERIS ITA. Alii: I. *dicens*, *Respice Iehova*, *& intuere*: Propositio summa precationis, cuius ergasia habetur versibus duobus sequentibus, *quibus opereris ita*, &c. Amplificatio est ad captandam misericordiam a natura, ætate & ordine personarum: nam a natura alienissimum est ut matres comedant liberos; ætas, ut cum pueri adhuc palmares sunt, misericordiam movet: dignitas vero Ordinis reverentiam habet, cuius causa sacerdotibus amplius parcitur, Num. XVI. & XXVI. II. *Vide*, *Domine*, *& lustra oculis*, seu *circumspic num cali-*

alicui ita incommodaveris: ut sup. cap. 1. 12. & 22. PARVULOS AD MENSURAM PALMAE. Alii: I. *parvulos educationum*, seu qui educantur. II. *infantes palmares*; id est, cuius palmi, vel palmæ manus magnitudine. III. *infantes palmatos*, vel *qui palmantur*, hoc est quorum membra ex utero distorta matres palma explanant: sicut non multum dissimili ratione infantes seu parvuli collective טף *taph*, dicuntur, a *plaudendo* seu *palpando*. IV. *parvulos palmationum*, seu *educationum*; id est, qui palmis seu manibus adhuc gestantur & educantur. V. *infantes expansionum palmarium*, id est palmi magnitudine, vel *quorum membra expandebantur*. VI. *infantes dispositionum*, seu *distentionum*, aut *conformationum*; id est quorum membra palmis seu manibus disponuntur & conformantur, qui adhuc fasciis involvuntur, vel quos nutrices palmis contrectare soleant, ac mensurare. Vide infra vers. 22.

V. 21. IACUERUNT IN TERRA FORIS, &c. Quidam hunc versum ex Hebr. efferunt: *Iacent humi in vicis puer ut senex; virgines meæ & iuvenes mei cadunt gladio: interfecis die iræ tuæ, mactas non utens clementia.*

V. 22. VOCASTI QUASI AD DIEM SOLEMNEM QUI TERRERENT ME DE CIRCUITU. Alii: I. *Vocasti tamquam ad diem festum*, seu *ad festivitatem vicinos meos, qui circum me sunt*, qui semper mihi hostes infensissimi fuerunt. II. *Convocas quasi ad diem conventus formidines meas*, seu *pavores, terrores meos circumquaque*, id est formidabiles & terrificos hostes. Nos vocem Hebraicam מגורי מסביב *meghurai missabib*, id est, *pavores meos de circuitu*, retinuimus, quia gaudet Iirmeia uti in appellationibus, ut cap. XX. 3. & XLIX. 29. QUOS EDUCAVI. Forsterus exponit: *quos enim palmavi*; id est, infantes, quos palma planavi, sicut matres solent, quæ infantes recens natos palma explanant, ut ipsorum membra in planum & longum distendantur & erescant, ne fiant distorta. Buxtorfius: *quos palmis explanavi, distendi*, vel *gestavi*, aut, *duxi*; hoc est, a teneris formavi & educavi. Plerique alii: *quos palmavi*, id est expandi, distendi, disposui, conformavi, palmis seu manibus contrectavi instar nutricis, aut palmis mensus sum. Chaldæus reddit: *quos fasciis*, aut *sindone involvi*. Vide de hoc verbo Isai. XLVIII. 12.

MENOCHII.

Vers. 1. QUOMODO OBTEXIT, &c. id est, quomodo Dominus obscuravit splendorem illum pristinum Sionis. DE CAELO: de altissimo dignitatis gradu. SCABELLI PEDUM SUORUM: arcæ testamenti; Deus enim alis Cherubim insidere dicebatur, & sub pedibus habere arcam testamenti.

V. 2. PRAECIPITAVIT: demolitus est. OMNIA SPECIOSA IACOB, id est, omnia pulchra ædificia Israel. VIRGINIS IUDA. Vide dicta superiori cap. num. 15. POLLUIT REGNUM, id est tradidit profanis gentibus polluendum.

V. 3. OMNE CORNU: omne robur, omnes vires, omnem gloriam, & superbiam Israel. AVERTIT RETRORSUM, &c. id est, Deus Israelis subtraxit auxilium suum, auxiliarem dexteram suam subduxit. QUASI IGNEM: hostem, qui quasi ignis omnia undique consumpsit.

V. 4. TETENDIT ARCUM SUUM, id est vim suam ultricem. FIRMAVIT DEXTERAM SUAM: ut certo ictu feriret ne sagitta aberraret a scopo. OMNE QUOD PULCHRUM ERAT VISU, id est omnes elegantes, & florentes iuvenes gentis Iudææ.

V. 5. REPLEVIT. LXX. *multiplicavit*. HUMILIATUM, ET HUMILIATAM: viros, ac mulieres infelices & plorantes.

V. 6. DISSIPAVIT: depopulatus est. QUASI HORTUM: sicut qui hortum aliquem in agrum frugiferum vult convertere, omnes eius plantas aut excindit, aut evellit. Ex Hebræo verti potest, *quasi horti*, ut sensus sit: Ita Dominum templum evertisse, ut evertuntur tuguria ad custodiam horti excitata, postquam fructus collecti sunt. TENTORIUM SUUM: Ierusalem, ac potissimum templum, quod erat quasi tentorium & tabernaculum Dei. OBLIVIONI TRADIDIT, &c. id est in oblivionem. Fecit ut nulla amplius mentio esset dierum festorum, quod scilicet non essent qui ea celebrare possent, sicut dixit cap. 1. 4. *Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem.* IN OPPROBRIUM, &c. scilicet tradidit. Iratus populo suo dedecore affici permisit Regem Sedeciam, qui excæcatus in captivitatem ductus est, & sacerdotem, id est Pontificem Saraiam, qui est occisus. Vide IV. Reg. XXV.

V. 7.

V. 7. REPULIT ALTARE SUUM: iratus, altare thymiamatis, & holocaustorum, quasi calce impacto, abiecit, ac repulit, eum scilicet hostibus diruendum permisit. MALEDIXIT, &c. id est, passus est everti sanctuarium suum, ac si maledictum, & execrabile, non benedictum, & consecratum esset. VOCEM DEDERUNT. Chaldæi vociferati sunt in templi deprædatione, & demolitione. SICUT IN DIE SOLEMNI: sicut Iudæi in magna solemnitate præ lætitia in templo solebant exclamare; ita Chaldæi cum templum everterent vociferabantur.

V. 8. TETENDIT FUNICULUM SUUM, id est designavit animo eius demolitionem; solent enim fabri murarii cum partem aliquam muri deiicere volunt, rubrica, verbi gratia, aut alia ratione, signum imprimere, ut quousque in deiiciendo progredi debeant, cognoscant. ET NON AVERTIT MANUM SUAM, id est postquam cœpit perdere, ac demoliri non cessavit, nec manum ab opere removit, donec perfecit. LUXIT ANTEMURALE: lugubre fuit, desolatum scilicet, & eversum antemurale: sic dicitur lugere antemurale, sicut dici solent prata ridere. ANTEMURALE: solet enim in bene munitis urbibus ante muros excitari vallum, & agger, ut hostis longius arceatur, isque dicitur antemurale.

V. 9. DEFIXAE SUNT, &c. partim subversæ, partim submersæ & ruderibus sepultæ. IN GENTIBUS: scilicet versantur, ad gentes abducti sunt. NON EST LEX: nulla est forma civitatis, hanc enim facit lex cum magistratibus, & hi captivi ducti sunt. PROPHETAE EIUS, &c. Veri prophetæ ob peccata populi ab irato Domino responsa non accipiunt.

V. 10. SEDERUNT IN TERRA. Summum dolorem, & luctum describit; solebant enim qui mœrore affecti erant, humi sedere, tacere præ dolore, saccis indui, caput cinere aspergere, &c. ABIECERUNT IN TERRAM; id est, valde demiserunt capita sua, quæ prius erecto, & extento collo superbe incedebant. Vide Isa. cap. III. 16. & 17.

V. 11. EFFUSUM EST IN TERRAM IECUR MEUM: effusa sunt viscera mea: hyperbole ad significandam magnitudinem doloris. CONTRITIONE, calamitate. FILIAE POPULI MEI, Ierusalem. Vide dicta cap. I. 15. CUM DEFICERET PARVULUS, fame, & siti.

V. 12. TRITICUM: cibum quemcumque intelligit: sic σῖτος (quam vocem habent hic LXX.) Græcis & triticum significat, & cibum ex tritico, & tandem quemlibet etiam alium quomodocumque confectum. QUASI VULNERATI: morerentur fame sævius trucidati, quam qui gladio iugulantur.

V. 13. CUI COMPARABO TE, &c. id est, quod exemplum calamitatis reperire potero, quæ similis sit tuæ, ut te consoler? MAGNA EST VELUT MARE; id est, sicut nulla aquarum copia mari comparari potest; ita nullus est dolor, qui cum dolore tuo possit conferri.

V. 14. PROPHETAE, falsi, & mendaces. VIDERUNT TIBI: prophetaverunt tibi. NEC APERIEBANT INIQUITATEM TUAM: non ponebant tibi ob oculos peccata tua, sed tibi placentia loquebantur. ASSUMPTIONES FALSAS: prophetias falsas, Hebraice est משא *massa*, id est pondus, vel onus, prophetiam scilicet gravem, & minacem; sed generatim sumitur pro quolibet prophetiæ genere. Vel dicuntur pseudoprophetarum vaticinia, *Onus*, quia ne mendaces haberentur, si semper prospera prædicerent, veros prophetas conabantur imitari, atque ideo adversa nonnumquam minabantur, & solemnem illam formulam usurpabant: *Onus Domini*. Mos est hic adulatorum, qui eos leviter aliquando reprehendunt, quibus tunc vel maxime adulantur: similes catulis, qui videntur dominum mordere, sed dentes non figunt. EIECTIONES: dispersiones, exilia.

V. 15. PLAUSERUNT, &c. qui gestus est admirantium, dolentium, obstupescentium, aut etiam irridentium. SIBILAVERUNT, ET MOVERUNT CAPUT: qui gestus eosdem significant affectus. Vide dicta Ierem. XLVIII. 17. & cap. XVIII. 16. GAUDIUM UNIVERSAE TERRAE: qua tamquam domina universæ terræ, quæ illi parebat, gaudebat, & gloriabatur.

V. 16. APERUERUNT OS SUUM: irriserunt te, & exprobraverunt tibi.

V. 17. SERMONEM QUEM PRAECEPERAT, ordinaverat, statuerat, quasi præcepti sui violati pœnam, & supplicium quod tibi iam intulit. Hoc enim sanxit, & comminatus est Levit. XXVI. 15. & 25. Deut. XXVIII. 15. & seq. LAETIFICAVIT SUPER TE INIMICUM: qui tuo excidio lætatus est.

est. CORNU, potentiam, robur, vires.

V. 18. CLAMAVIT COR EORUM: scilicet Iudæorum cum obsessi essent, nec possent urbem defendere. SUPER MUROS: propter muros, ne muri subverterentur. DEDUC, &c. Sunt verba prophetæ ad Ierusalem. TACEAT PUPILLA, id est cesset: sic cap. XLVII. Ierem. 6. legimus: *O mucro Domini usquequo non quiescis? ingredere in vaginam tuam, refrigerare, & sile*, id est quiesce.

V. 19. LAUDA: clama, vociferare, preces funde cum clamore, nam רנן *ranan* significat clamare, sive laudando, sive cantando, sive lugendo, &c. IN PRINCIPIO VIGILIARUM. Notum est antiquos noctem in quatuor vigilias distribuere solitos, quarum unaquæque ternis horis constabat. Monet ergo ut a prima vigilia, hoc est, noctis seu tenebrarum initio, preces inchoet, & sequentium vigiliarum initiis renovet, ad quod dolore excitabitur, quasi buccinæ sono. SICUT AQUAM; quasi dicat: Sicut qui vas invertit totam profundit aquam, cuius nihil vasi adhæret, ut aliorum liquorum; ita e vase cordis omnia tua desideria, ærumnas & gemitus, lachrymis magis quam verbis, Deo, explica, & effunde. LEVA MANUS: auxilium postulando. PRO ANIMA, pro vita parvulorum tuorum, qui paulatim fame consumpti sunt, ut eorum intuitu tui miserescat. COMPITORUM. Hebr. *platearum*.

V. 20. QUEM VINDEMIAVERIS ITA: ut me vindemiasti. FRUCTUM SUUM, filios suos, infantulos, quos genuerunt. AD MENSURAM PALMAE: longitudinis unius palmi, palmares, quales sunt vix nati. SI OCCIDITUR, &c. id est, quando visum, aut auditum est, ut sacerdos, & prophetæ in ipso templi adyto ab hostibus trucidarentur, quemadmodum Ierosolymis factum?

V. 21. IACUERUNT: mortui, trucidati. FORIS: in plateis, & compitis.

V. 22. VOCASTI: congregasti, convocasti. QUASI AD DIEM SOLEMNEM: in quo nos tui furoris victimæ caderemus, & hostibus quasi epulum & carnibus nostris præberemus. QUI TERRENT ME. Hebr. *terrores meos*, id est hostes, qui mihi sunt terrori: hostes meos terribiles, & formidabiles. DE CIRCUITU: nectendum cum *vocasti*. QUOS EDUCAVI, &c. id est filios meos.

TIRINI.

Vers. 1. QUOMODO DOMINUS IN FURORE SUO OBTEXIT CALIGINE tristium calamitatum charissimam antea FILIAM suam SION? quomodo obscuravit magnificentiam illam & maiestatem urbis sanctissimæ? Nec tantum obscuravit, sed quasi fulgidam stellam e sede sua evulsam, DE CAELO præcipitavit IN TERRAM? inquit Sanchez & alii. NON EST RECORDATUS SCABELLI PEDUM SUORUM, id est, arcæ, ut alibi *a* dixi. Sed sub *arca* intellige locum arcæ, id est templum integrum.

V. 2. POLLUIT, id est, profanavit *b*, & quasi profanum, seu immundum abiecit, Gentilibusque calcandum obiecit REGNUM. LXX *regem* Israel, Ioakim, Iechoniam, Sedeciam.

V. 3. CONFREGIT OMNE CORNU *c*; id est, omne robur, potentiam, gloriam, superbiam, *Israelis*, inquit Chaldæus, Rupertus & Lyranus. AVERTIT RETRORSUM DEXTERAM SUAM; id est, subtraxit Israeli auxiliarem manum suam, A FACIE INIMICI, id est coram inimicis, dum pugnandum esset cum eis: ita Chaldæus, Origenes, Olympiodorus & Theodoretus. Ex quibus nota miserrimos effectus peccati: primo, obtegit caligine & excæcat animam; secundo, de cælo deiicit in terram, immo in infernum; tertio, ex templo Dei facit scabellum diaboli; quarto, diripit omnes animæ thesauros; quinto, destruit omnes eius munitiones; sexto, polluit eius regnum, septimo, cornu eius confringit; octavo, privat auxilio divino; nono, corruere facit coram hostibus; decimo, flammam concupiscentiæ succendit in anima, quæ omnes virtutes depascitur, &c.

V. 5. REPLEVIT; LXX. *multiplicavit*, HUMILIATUM ET HUMILIATAM, id est plurimis *d* humiliatis, seu afflictis omnigenis replevit Ierosolymam; quasi dicat: Omnes, seu viros, seu feminas afflixit.

V. 6. TENTORIUM, seu tabernaculum, SUUM, puta templum Ierosolymitanum, DISSIPAVIT QUASI HORTUM; id est, sicut dissipatur hortus fracta & desiecta sepe, ut omnium rapinæ pateat. Hoc enim minatus erat Deus Israeli, Isaiæ v. 5. OBLIVIONI, id est in oblivionem, TRADIDIT omnem

RE-

FESTIVITATEM: permittens enim aboleri omnia festa Iudæorum, fecit, ut nulla amplius mentio illorum fieret. *Tradidit* IN OPPROBRIUM, id est probrose tractari permisit, REGEM Sedeciam, cui oculi eruti sunt; & summum SACERDOTEM Saraiam, qui capite plexus est, IV. Reg. ult. ita Chaldæus, Rupertus, Castrius, Maldonatus.

V. 7. MALEDIXIT SANCTIFICATIONI SUAE, seu sancto templo suo, quod passus est everti perinde ac si maledictum esset, & non benedictum: ita Chaldæus, Vatablus, Pagninus. PER MUROS TURRIUM intelligit muros templi turritos: nam turribus munitos & ornatos fuisse testantur Iosephus, Adrichomius & Villalpandus *e*. Porro in templi deprædatione & exustione VOCEM DEDERUNT Chaldæi, id est lætum pæana vel celeuma, & *Io triumphe* cecinerunt, perinde atque cani solet in die solemnis festi & gaudii: ita Chaldæus, Origenes, Theodoretus, Olympiodorus. Neque temere aut casu excisa est urbs, sed

V. 8. COGITAVIT id *Dominus*, id est maturo & destinato decreto sic fieri voluit. *tendens* FUNICULUM SUUM, seu regulam vel perpendiculum, secundum quod ut ante eleganter exstructa fuerat, ita nunc quasi curva, vel extuberans, & a libella aberrans, a summo architecto destrui iussa est, inquit Hugo. LUXIT MURUS; id est, mœnia eversa & disiecta lugubri, sunt spectaculo: ut, ET ANTEMURALE, id est, agger, seu munimentum quod ante urbis muros erat exstructum, ad hostem longius a muris arcendum.

V. 9 PORTAE EIUS antea in sublime elatæ, nunc humi stratæ, & IN TERRA DEFIXAE, seu demersæ SUNT, & ruderibus ita obrutæ, ut nihil earum appareat: ita Chald. Origenes, Theodoretus, Hugo, Lyranus, Dionysius. NON EST LEX; id est, nulla est observantia, seu custodia legis, v. g. de sacrificiis offerendis, de divino officio peragendo; quia & templum destructum, & sacerdotes abducti: ET PROPHETAE responsum nullum a Deo irato accipiunt, quo dirigi populus possit: ita Chaldæus, Paschasius, Rupertus. Nam Ieremias, qui unicus fere supererat, exosus erat populo, habebaturque pro *f* pseudopropheta.

V. 11. EFFUSUM EST IECUR MEUM, & cum eo reliqua viscera mea, præ dolore, commiseratione & compassione erga concives meos: est hyperbole. Et habes his versibus egregium schema pœnitentium, squalentium, & se affligentium.

V. 13. *Cur* alteri, seu urbi, æque afflictæ COMPARABO TE, ut sic per sociam tibi supparem *consoler te?* solatium est enim misero habere socium in pœnis. Sed heu clades tua superat stragem AEgypti sub Moyse *g*, Chanaanitidis sub Iosue *h*, Moabitidis, Idumææ & Palæstinæ sub Davide *i*, omnemque aliam hactenus in orbe visam vel auditam: ita Hebræi, LXX. & Chaldæus. MAGNA EST VELUT MARE CONTRITIO TUA: quia maxima, profundissima, amarissima, tot miseriis, tot calamitatibus, tot doloribus conferta, quot procellis & fluctibus mare confringitur. Nec magis medicabilis, quam naufraga navis *k* fluctibus insani maris contrita, confracta & absorpta, e qua vix tabulæ paucæ supernatant: ita fere Rupertus & a Lapide.

V. 14. TUI PSEUDOPROPHETAE VIDERUNT, id est prophetarunt *l*, TIBI STULTA; Hebraice, *insulsa*: quia INIQUITATEM TUAM, qua provocabas iram divinam, *non* APERIEBANT, sed operiebant, excusabant, elevabant. VIDERUNT AUTEM, id est prædixerunt, TIBI FALSAS ASSUMPTIONES. Hebraice, *missa*, id est prophetias onerosas quidem & graves, sed Chaldæis, non tibi, ut patuit Ieremiæ XXVIII. & 29. nempe *eiectiones* eorum ex Iudæa, adeoque & ex Chaldæa & e fastigio imperii, ut ibidem videmus: ita S. Bonaventura & Hugo.

V. 16. INIMICI TUI quasi bestiæ famelicæ, APERUERUNT SUPER TE OS SUUM, pleno rictu devorare te cupientes, inquit Origenes, Rabanus & Hugo: instar serpentium SIBILAVERUNT capta iam præda: FREMUERUNT DENTIBUS instar luporum & leonum, qui in prædam quam unguibus tenent, dentes stridendo acuunt. Gestus sunt insultantium & subsannantium. Sed quid inter hæc miseri Iudæi?

V. 18. CLAMAVIT COR EORUM AD DOMINUM SUPER MUROS, id est pro muris Ierusalem, nempe ut subversi rursus instaurentur: ita Chaldæus, Lyranus & Dionysius. NE TACEAT; id est, ne cesset *m* a lacrymis *oculus* tuus, o Ierosolyma.

V. 19. LAUDA; id est, ora, obsecra, laudando & gratias pro paterna correptione habendo propitium tibi redde Deum, idque non semel, non obiter, sed instanter & as-

& assidue, etiam de NOCTE, ET IN PRINCIPIO singularum VIGILIARUM *n*, seu per singulas vigilias noctis. Sat sæpe enim evigilare te faciet afflictio & miseria tua. ET FUNDE COR TUUM, id est omnia desideria, affectus & petitiones tuas, SICUT AQUAM *o*, nempe nihil reserves in vase cordis quod non explices, profundas & aperias coram Deo tuo: ita Sanchez. LEVA AD DEUM MANUS *p* TUAS, id est ora, PRO ANIMA, id est propter animam, seu vitam, PARVULORUM TUORUM FAME, absumptorum: nempe ut intuitu tantæ miseriæ & pœnæ quam tolerasti, deinceps tui misereſcat. Et vero monenti Prophetæ obsequuntur Iudæi.

V. 20. VIDE DOMINE, & oculo propitio respice QUEM VINDEMIAVERIS, id est quam charum tibi olim populum stirpitus nunc absumpseris. Quis umquam populus ad tam rabidam famem adactus est, ut *matres comederent* filios suos? Id in hac Chaldæorum obsidione contigisse *Ierosolymis*, vel ex hoc loco certum fit, ut & ex cap. IV. 10. Et ante in *Samaria* contigisse, testatur alia Scriptura *q*, & iterum *Ierosolymis* sub Tito Iosephus *r*. Uti & nostra ætate in Galliis non semel accidisse historici *ſ* narrant; puta *Sancerræ* anno 1572. & *Rupellæ* anno 1628. Et cuius vel adamantinum pectus non emolliat alia illa miserrima cædes *sacerdotis & Prophetæ*, non unius, sed plurium a Chaldæis iugulatorum IN IPSO SANCTUARIO? Chaldæus & Hebræi somniant hic agi de *Zacharia* filio *Ioiadæ* IV. Paral. XXIV. a Iudæis occiso. Sed hic agitur de strage per Chaldæos edita. Et quis dubitare possit, plures sacerdotes sacra adyta tutari volentes, vel saltem iis excedere nolentes, ferro Chaldæorum absumptos fuisse?

V. 22. VOCASTI quasi ex condicto, finitimos omnes populos, ut cum Chaldæis Ierosolymam properarent QUASI AD DIEM SOLEMNEM: non iam me cohonestaturos, sed territuros, obsessuros & expugnaturos: neque alias istic victimas, quam cives meos tibi in templo tuo immolaturos: ita fere Sanchez.

(a) Exodi xxv. 20.
(b) Psalm. lxxviii. 1.
(c) Proleg. de Idiotismis Hebr. n. 35. & I. Reg. ii. 9.
(d) Proleg. iisdem n. 51.

(e) Villalp. Tom. II. Lib. II. cap. xx.
(f) Ierem. lxiii. 2.
(g) Exodi xiv.
(h) Iosue viii.
(i) II. Reg. viii.
(k) Isaiæ xxx. 17.
(l) I. Par. xv. 5.
(m) Ierem. xlvii. 6.
(n) Chronici cap. ii.
(o) I. Reg. vii. 6.
(p) Xenoph Lib. IX. Cyripædiæ.
(q) IV. Reg. vi. 28.
(r) Ioseph. Lib. VII. Belli cap. viii.
(ſ) Florimou. Remond. Lib. de Antichristo cap. vii.

GORDONI.

Verſ. 1. QUOMODO OBTEXIT CALIGINE, &c. Filia Sion Ierusalem est: urbem obscuravit; immo inclytam Israelis gloriam templum proiecit in terram: NON EST RECORDATUS SCABELLI: hoc est, Ierosolymæ, vel certe arcæ testamenti quam coactus est Ieremias loco movere, II. Machab. II. 5.

V. 14. ASSUMPTIONES FALSAS ET EIECTIONES, &c. hoc est, prophetarunt tibi falsas hostium calamitates, seu eiectiones, immo falsas etiam assumptiones, seu prophetias: nam משא *massa*, est prophetia, onus, & assumptio.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Verſ. 2. PRAECIPITAVIT, perdidit.
Verſ. 3. CORNU: robur, & vires.
Verſ. 5. HUMILIATUM, ET HUMILIATAM, omnes.
Verſ. 8. LUXIT, eversum est. Agger ante muros est antemurale.
Verſ. 9. NON INVENERUNT VISIONEM: ob iratum Deum non acceperunt responsa.
Verſ. 11. IECUR, viscera, hyperbole.
Verſ. 19. Laudandus Deus etiam cum castigat. Quatuor sunt noctis vigiliæ, quarum initium sunt primæ noctis tenebræ, & sic inæquales æstate, & hyeme.
Verſ. 20. Vide Domine, nulli alteri facta esse hæc mala, quæ nobis fecisti. Parvuli, palmares, nuper nacti, comesti a matribus.

CA-



CAPUT III.

ALEPH.

1 EGo vir videns paupertatem meam in virga indignationis
eius.

ALEPH.

2. Me minavit, & adduxit in tenebras, & non in lucem.

ALEPH.

3. Tantum in me vertit, & convertit manum suam
tota die.

BETH.

4. Vetustam fecit pellem meam, & carnem meam, contrivit ossa mea.

BETH.

5. AEdificavit in gyro meo, & circumdedit me felle, & labore.

BETH.

6. In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos.

GHIMEL.

7. Circumædificavit adversum me, ut non egrediar: aggravavit compedem
meum.

GHIMEL.

8. Sed & cum clamavero, & rogavero, exclusit orationem meam.

GHIMEL.

9. Conclusit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subvertit.

DALETH.

10. Ursus insidians factus est mihi, leo in absconditis.

DALETH.

11. Semitas meas subvertit, & confregit me: posuit me desolatam.

DALETH.

12. Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam.

HE.

13. Misit in renibus meis filias pharetræ suæ.

HE.

14. Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota
die.

HE.

15. Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio.

VAU.

16. Et fregit ad numerum dentes meos, cibavit me cinere.

VAU.

17. * Et repulsa est a pace anima mea, oblitus sum bonorum.

VAU.

18. Et dixi: Periit finis meus, & spes mea a Domino.

ZAIN.

19. Recordare paupertatis, & transgressionis meæ, absinthii, & fellis.

ZAIN.

20, Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea.

ZAIN.

21. * Hæc recolens in corde meo, ideo sperabo.

HETH.

22. Misericordiæ Domini quia non sumus consumpti: quia non defecerunt miserationes eius.

HETH.

23. * Novi diluculo, multa est fides tua.

HETH.

24. Pars mea Dominus, dixit anima mea: propterea expectabo eum.

TETH.

25. Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.

TETH.

26. Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei.

TETH.

27. Bonum est viro, cum portaverit iugum ab adolescentia sua.

IOD.

28. * Sedebit solitarius, & tacebit: quia levavit super se.

IOD.

29. Ponet in pulvere os suum, si forte sit spes.

IOD.

30. Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.

CAPH.

31. Quia non repellet in sempiternum Dominus.

CAPH.

32. Quia si abiecit, & miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum.

CAPH.

33. Non enim humiliavit ex corde suo, & abiecit filios hominum.

LAMED.

34. Ut contereret sub pedibus suis omnes vinctos terræ.

LAMED.

35. Ut declinaret iudicium viri in conspectu vultus Altissimi.

LAMED.

36. Ut perverteret hominem in iudicio suo, Dominus ignoravit.

MEM.

37. (*a*) Quis est iste, qui dixit ut fieret, Domino non iubente?

MEM.

38. Ex ore Altissimi non egredientur nec mala nec bona?

MEM.

39. Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis?

NUN.

NUN.

40. Scrutemur vias nostras, & quæramus, & revertamur ad Dominum.

NUN.

41. Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cælos.

NUN.

42. Nos inique egimus, & ad iracundiam provocavimus: idcirco tu inexorabilis es.

SAMECH.

43. Operuisti in furore, & percussisti nos: occidisti, nec pepercisti.

SAMECH.

44. Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.

SAMECH.

45. Eradicationem, & abiectionem posuisti me in medio populorum.

PHE.

46. Aperuerunt super nos os suum omnes inimici.

PHE.

47. Fortitudo & laqueus facta est nobis vaticinatio, & contritio.

PHE.

48. Divisiones aquarum deduxit oculus meus, in contritione filiæ populi mei.

AIN.

49. Oculus meus afflictus est, nec tacuit, eo quod non esset requies.

AIN.

50. Donec respiceret & videret Dominus de cælis.

AIN.

51. Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ.

SADE.

52. Venatione ceperunt me quasi avem inimici mei gratis.

SADE.

53. Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me.

SADE.

54. Inundaverunt aquæ super caput meum: dixi: Perii.

COPH.

55. Invocavi nomen tuum Domine de lacu novissimo.

COPH.

56. Vocem meam audisti: ne avertas aurem tuam a singultu meo, & clamoribus.

COPH.

57. Appropinquasti in die, quando invocavi te: dixisti: Ne timeas.

RES.

58. Iudicasti Domine causam animæ meæ, redemptor vitæ meæ.

RES.

59. Vidisti Domine iniquitatem illorum adversum me: iudica iudicium meum.

RES.

60. Vidiſti omnem furorem, univerſas cogitationes eorum adverſum me.

SIN.

61. Audiſti opprobrium eorum Domine, omnes cogitationes eorum adverſum me:

SIN.

62. Labia inſurgentium mihi, & meditationes eorum adverſum me tota die.

SIN.

63. Seſſionem eorum, & reſurrectionem eorum vide; ego ſum pſalmus eorum.

THAU.

64. Reddes ei vicem Domine iuxta opera manuum ſuarum.

THAU.

65. Dabis eis ſcutum cordis laborem tuum.

THAU.

66. Perſequeris in furore, & conteres eos ſub cælis Domine.

(a) Amos III. b. 6.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 17. *Et repulſa eſt a pace anima mea.* Non omittas illud *a pace.*

V. 21. *Hæc recolens in corde meo ideo ſperabo.* Coniunctionem *ideo* male quidam dividunt in duas dictiunculas *in Deo.*

V. 23. *Novi diluculo.* Pro maſculino *novi*, quidam legunt femininum *novæ*, ſed ſpurium eſt, quod a quibuſdam legitur *nova es.*

V. 28. *Sedebit ſolitarius & tacebit, quia levavit ſuper ſe.* Non addas alterum *ſe*, quod multi: *Levavit ſuper ſe.*

NOTATIONES.

Verſ. 23. NOvi *diluculo.* Maior cum codicum, tum expoſitorum pars legit *novi*: antiqua autem omnia Dominicanorum exemplaria, quatuor Hentenii, duo noſtra, Brug. V; & unum Pariſienſium Ge.!. habent *novæ.* (a) Hebræa vox חֲדָשִׁים verti non poteſt *novi*; ſi pro verbo *novi* accipias, quo modo gloſſematici, Paſchaſius, auctor Ordinariæ Gloſſæ, auctor Interlinearis, Thomas, Lyranus, Carenſis, & Richelius acceperunt; quare aliquando nos alteri lectioni *novæ*, Hebræa, Chaldæa, ac Græca ſuffragari ſcripſimus. Ceterum ſi *novi* nomen eſſe intelligatur, reddi ex Hebræa illa voce poteſt. Poteſt autem & *novæ* transferri, ac quidem commodiſſime, ut referatur ad רַחֲמִים *miſerationes*, quod eſt in præcedenti verſiculo, quo Ruperti Tuitienſis commentarius refert; hinc Pagninus paraphraſticôs interpretatus eſt. „ Novæ ſunt quolibet mane miſe„ ricordiæ. “ Atque hanc & noſtri Interpretis verſionem eſſe, *novæ*, inquam, non *novi*, vetera manuſcripta loquuntur: quæ Epanorthotes ſecutus id approbavit. *Novæ diluculo;* exiſtimarim pro *novæ* minime intellecto verbum *novi* ſubſtitutum fuiſſe. Lobienſe antigraphum ſcribit, *Nova* & (*Surge* I. MS.) *diluculo*: id quod Dominicani S. Hieronymo attribuunt. Certe optime convenit commentario, qui eſt in Hieronymi operibus: ſed non eum Hieronymi commentarium eſſe, doctorum virorum opinio eſt, quod multæ in eo inveniantur ſententiæ ex Gregorio Papa decerptæ. Rabani potius eſſe creditur, cuius in Ieremiam commentariis Baſileæ excuſis iunctus eſt. Porro hoc legendi genus *nova es diluculo* ex eo confictum arbitror, quod ſequatur, *Multa eſt fides tua.* Græca Regis e-

di-

ditio, & Complutensis habent: τὰ καινὰ ἐν τοῖς πρωί, *nova in diluculo*. In aliis Græcis editionibus duplicem reperio translationem; unam κενὰ εἰς τὰς πρωίας, *vana in dilucula*, quæ cum illa eadem est, nam corrupte legi κενὰ pro καινὰ *vana* pro *nova* exemplar Vaticanum docet; alteram loco priorem sive μῆνας εἰς τὰς πρωίας *menses in dilucula*, quæ ex eadem Hebraica dictione paulo aliter lecta profluxit: posito enim puncto ַ: loco ָ: ita ut sit חדשים *menses* significat. Latinum M. N. Hunnæi exemplar O. notatum scribit: *Renova illas diluculo*: id quod Græci Tractatoris Theodoriti lectioni accedit, qui deinde habet, Propheta supplicationem offert eorum nomine: *Renova eos velut diluculum matutinum*; quia calamitatem nominavit tenebras, mutationem eius comparat diluculo. Possit & hoc ex Hebraica illa dictione verti si legas חדשים Chaldæi paraphrasis est: *Miracula nova promit diluculo*.

V. 28. *Sedebit* (*sedit* o.) *solitarius & tacebit*, *quia levavit* (*levabit* o.) *super se*. Pronomen *se*, quod multi codices cum Glossematicis Lyrano, Carensi, & Richelio repetunt hoc modo, *Quia levavit se super se*; antiqua Dominicanorum scripta, tria Parisiensium Di. l. Ge. o. l, tria nostra O. C. Bess. & Complutensis editio cum enarratoribus, Paschasio, & Auct. re Glossæ ordinariæ qui Paschasium secutus est, haud agnoscunt. Hebraice non additur כי נטל עליו: nec Græce ὅτι ἦρεν ἐφ' ἑαυτῷ. Itaque castigatores Dominicani, Epanorthotes, Parisienses, Henteniius emendarunt: *Quia levavit super se*. Additum fuisse videtur alterum illud *se* ex commentario qui id subaudierit. Porro alii subaudiunt *iugum*, quod legitur in superiori versiculo, Paschasius, Dominicani, Scholiastes Hebraicus: id quod etiam in textum ab aliquibus relatum est. Nam Theodoriti Græci textus habet, *Quia tollit super seipsum grave iugum*; τὸ *grave*, Latinus Paschasius in superiori versiculo iugo iunctum legit: „ Sedebit „ solus, & tacebit, & sustinebit castigatio„ nes, quæ eveniunt propter unitatem nomi„ nis Domini: quæ mittuntur ut vindicet „ se de eo propter peccatum leve, quod pec„ cavit in sæculo isto, usque dum parcet ei, „ & auferet eas ab eo, & recipiet merce„ dem perfectam in sæculo venturo “

(a) In Leodiensi MS. corruptor scripsit *vi* pro eo quod fuit prius.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. EGO VIR. Putant nonnulli Hebræi, ut R. Salomon, hanc lamentationem a Ieremia propria persona dici. Alii compositam ab eo fuisse, cum in carcere teneretur, cap. xx. *Ego vir*: הגבר, *vir ille*. VIDENS, id est vaticinans, ut exponit R. Salom. Videre enim, est habere revelationem prophetiæ, ut cap. præcedenti vers. 14. & I. Reg. IX. Alii *videns*, id est qui experior, aut expertus sum: sicut Videre mortem, est Mortem experiri, Ioan. VIII. 51. & bellum, & gladium videre: Ierem. XIV. 13. Prior interpretatio mihi magis placet, quasi conqueratur Ieremias, quod nemo Prophetarum præter se tam tristia, & calamitosa prædixerit. PAUPERTATEM MEAM, id est miseriam meam, עני, *afflictionem meam*, id est populi mei, vel res, quæ me affligunt. IN VIRGA INDIGNATIONIS EIUS, id est, Dei. Relativum sine antecedente Hebræorum consuetudine. Virga punitionem significat, quia virgis castigare solemus pueros, ut Psalm. LXXXVIII. 33. *Visitabo in virga iniquitates eorum*, & I. ad Cor. IV. 21. *Quid vultis, in virga veniam ad vos?* Videtur autem mihi Ieremias alludere ad primam illam visionem, quam habuit cap. I. 11. 12. *Quid tu vides Ieremia? virgam vigilantem ego video. Bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo, ut faciam illud*.

V. 2. ME MINAVIT, id est duxit. Hoc verbo veteres auctores Ecclesiastici frequenter utebantur, unde Galli retinuerunt verbum, *Mener*, & Itali, *Menare*. Hebr. נהג וילך, *duxit & deduxit*, id est duxit me ex una afflictione in aliam, ita ut numquam conquieverim, numquam re ulla prospera usus sim. Tenebras enim vocat res adversas, lucem prosperas, ut Psal. LIV. 6. *Timor, & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ*, & Iob VII. 4. *Replebor doloribus usque ad tenebras*, & cap. XVII. 2. *noctem verterunt in diem, & rursus post tenebras spero lucem*.

V. 3. TANTUM IN ME VERTIT, ET CONVERTIT; id est, nihil aliud facit Deus

to-

totos dies, quam me colaphis cædere. Sumpta metaphora ab iis, qui pueros colaphis utraque gena feriunt, ducentes ac reducentes manum, & ictus geminantes. Noster interpres, & Sept. non legerunt ישוב, ut nunc legunt Hebræi, id est *convertit se*; sed ישיב *convertit manum:* sensusque est melior, quemadmodum explicavimus. Possumus vertere, אך, *verumtamen*, ut Septuag. verterunt, *aut* sed potius ut adversetur superiori versu: Non adduxit me in lucem; sed potius colaphizavit me tota die.

V. 4. VETUSTAM FECIT, id est rugosam, qualem senes habere solent præ miseria & fame; aut, lividam reddidit carnem meam verberando.

V. 5. AEDIFICAVIT IN GYRO: עלי, alii, *contra me*; melius noster interpres, *in gyro meo*: perinde enim est, ac si diceret, circumvallavit me felle, & labore, ut statim explicat, id est omni ex parte circumdedit me periculis, & laboribus, sicut urbem, quæ cincta est muris, ita ut non possim ex uno malo fugere, quin in aliud incurram: quod Ionath. & R. Sal. non de Ieremia, sed de Ierusalem interpretantur, & in מדרש אגדה; dicitur fel fuisse Nabuchodonosorem, cum Ioachin captivum duxit IV. Reg. XXIV. 12. laborem autem fuisse Nabuzardan, qui templum & urbem incendit, & qui reliqui fuerant, Iudæos Babylonem duxit, IV. Reg. XXV. 9.

V. 6. IN TENEBROSIS, locis. Vocat res adversas tenebrosa loca ut versu 2. tenebras appellaverat. COLLOCAVIT ME, הושיבני, *habitare fecit me:* quod Chaldæus interpretatur de carcere, in quem Ieremias coniectus fuerat, cap. XXXII. 2. & cap. XXXVII. 4. 14. 17. 20. & cap. XXXVIII. 6. 13. QUASI MORTUOS SEMPITERNOS, id est, quibus nulla spes est refugiendi. Sic vocat mortuos, non quod non sint resurrecturi; sed quod ad aliam, non ad hanc vitam resurrecturi sint; ut cum dicit Iob VII. 9. 10. *Sicut consumitur nubes, & pertransiit; sic qui descenderit ad inferos, non ascendet, nec revertetur ultra in domum suam; neque cognoscet eum amplius locus eius.* Et cap. X. 21. *Antequam vadam, & non revertar ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine:* & cap. XIV. 12. *Homo cum dormierit, non resurget, donec alteratur cælum, non evigilabit.* Et quod ait David Psal. XLVIII. 12. *Sepulcra eorum domus illorum in æternum.* Et quod Salomon Eccles. XII. 5. *ibit homo in domum æternitatis suæ;* & si qua sunt alia generis eiusdem, ad hunc modum intelligenda sunt, ut in scholiis nostris copiosius explicavimus.

V. 7. CIRCUMAEDIFICAVIT: גדר בעדי, *sepe* (miseriarum) *circumdedit me, ut evadere non possim*; sicut dixit versu 5. *ædificavit in gyro meo*. AGGRAVAVIT COMPEDEM MEUM: singulare pro plurali compedes meos: id est, mala, quibus quasi compedibus impeditus sum, ut me expedire non queam. Hæc omnia Chaldæus ad carcerem Ieremiæ refert. Malo metaphorice de toto populo intelligere.

V. 8. CUM CLAMAVERO: vel כי אזעק, *cum clamabam*; futurum pro præterito, *& orabam*: אשוע, *vociferabar*. EXCLUSIT: שתם, *aditum occlusit orationi meæ ne ad se perveniret*: loquitur humano more. Non enim Deus, sed ipse populus suis peccatis aditum orationi suæ obstruxerat; *Non enim abbreviata est manus Domini, ut salvare nequeat, neque aggravata est auris eius, ut non exaudiat: sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius a vobis, ne exaudiret*, ut ait Isai. cap. LIX. 1. 2. Videtur autem hoc loco Ieremias alludere voluisse ad id, quod illi Deus dixerat, cap. VII. 16. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem, & orationem, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te*, & cap. XI. 14. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me, in tempore afflictionis eorum:* quo præcepto aditum videtur Deus orationibus Ieremiæ pro populo præstruxisse.

V. 9. CONCLUSIT VIAS MEAS. R. Sal. ad obsidionem Ierosolymitanam hoc refert, ubi populus erat muris conclusus quadro lapide ædificatis, ut exire non posset. Sic interpretatur, quod sequitur, SEMITAS MEAS SUBVERTIT: עוה, *pervertit*, id est, per alia loca mutavit: Cum enim hostes vias occuparent, non poterant Iudæi per consuetas vias ire, sed per occultas, & avias semitas, sicut Sedecias evasit per posticum horti sui, fugitque per viam quæ ducebat ad campestria solitudinis, IV. Regum XXV. 4. & Ierem. XXXIX. 4. & LII. 7. Hæc vera sunt. Sed non est necesse ad obsidionem tantum referre, cum possimus per metaphoram omnia

nia intelligere, Deum quadro lapide vias conclusisse, id est, tam magnis undique periculis circumsepsisse populum, ut ea perrumpere non posset, sic ut murus quadris ædificatus lapidibus difficile rumpitur; & semitas pervertisse, id est, excidisse, ita ut non videat ullam semitam qua possit effugere, quemadmodum cum agricolæ aratro vias proscindunt, ita ut non appareant. Qua metaphora significat Deum Iudæis omnem spem auxilii præcidisse, omneque illis consilium eripuisse.

V. 10. Ursus insidians factus est mihi. Deus mihi pater, auxiliator esse solebat; mutatus mihi est in ursum, & in leonem mihi insidiantem.

V. 11. Semitas meas subvertit: סורר, quod Hebræi varie interpretantur. Aliqui putant idem significare, quod עוה supra versu 9. quibus ego libenter assentior. Quamvis significare etiam potest, *removit a me, & avertit semitas meas*: id est, omnes actiones meas in alium exitum, quam in quem ego intendebam, declinavit: fecit ut omnia mihi male succederent.

V. 13. Filias pharetrae suae, id est sagittas pharetræ suæ: quæ filiæ pharetræ dicuntur, quia in pharetra sicut filii in utero matris gestantur. Hebraismus est qui non nisi hoc loco reperitur. Est autem sensus, confixit renes meos sagittis suis. Renes autem dixit ad declarandum gravissimum dolorem, qui renibus maxime sentiri solet, ut Psal. xv. 7. *Usque ad noctem increpuerunt me renes mei.* Et Psal. LXXII. 21. *Inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt.*

V. 14. Omni populo meo. Videtur hinc posse colligi Ieremiam non de populo, sed de se ipso loqui.

V. 16. Confregit ad numerum, id est sigillatim, non omnes simul, quo dolor gravior, ac diuturnior esset. Dentes nominavit, quia vehementissimus est dolor dentium, sicut versu 13. nominavit renes. Hebr. *Confregit* בחצץ, *lapide dentes meos*, ut Sept. & Chaldæus reddiderunt, id est ictu lapidis. R. Sal. interpretatur Iudæos, cum in captivitatem irent, præ inopia panem subcinericium fecisse, in quo multus pulvis, multique lapilli mixti essent, quibus cum vescerentur, eorum dentes confringebantur, ut illis Deus comminatur, Ezech. IV. 13. *Sic comedent filii Israel panem suum pollutum inter Gentes, ad quas eiiciam eos.* Videtur hoc mihi Iudæorum fabulas olere. Alii sine historia dicunt Ieremiæ, cum in carcere esset, panem scrupulis plenum datum esse, ut eius dentes frangerentur. Ego per metaphoram, sicut superiora interpretari malo: *Confregit lapide dentes meos*, id est maximum mihi dolorem fecit. Cibavit me cinere; id est, fecit me, cum maximo dolore cibum sumere; quemadmodum si cinere mixtus esset, ut Psalmo CI. 10. *Quia cinerem tamquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.* Eodem sensu Sept. reddiderunt, quem ego credo verum esse: quamquam Hebræi aliter, הכבישני באפר, *volvit me*, aut *versavit me in pulvere*; aut *inquinavit me pulvere*, ut exponit Aben Ezra; aut invertit me in cinere, sicut vas ore inverso, & in cinere immerso, ut ait R. Salom. Chaldæus כנע יתי, *humiliavit me in cinere.*

V. 17. Repulsa est a pace. Sic legendum, quia sic Hebraice est, & sic aliqui nostri Latini codices habent, & sic Chaldæus. & Sept. legerunt. Sensus autem est: Longe abfuit animus meus ut ullam pacem, & tranquillitatem haberet, vel, תזנח, *elongavit se a pace*, id est, non potuit conquiescere; sicut David dixit Psal. XXXVII. 4. *non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.* Oblitus sum bonorum; id est, privatus sum omnibus rebus prosperis, iamdiu nihil prosperum experior, ut alio Hebraismo David dixit Psalm. XXXVIII. 3. *Silui a bonis, & dolor meus renovatus est.*

V. 18. Periit finis meus; id est, venit finis vitæ meæ, transactus est finis vitæ meæ, actum est de vita mea, elapsum est, effluxit tempus constitutum vitæ meæ. Hic est sensus versionis nostræ. Quo etiam sensu R. Sal. interpretatur. *Periit*, נצח, est, עולמי וסברי, *sæculum meum, & ætas mea.* R. vero Abraham, *periit statio mea in fortitudine, quæ mihi erat.* R. David in Lib. rad & Paraphrastes Chaldæus, *periit fortitudo*; quasi dicat: Cogitavi nullum mihi præsidium, nullam spem mihi superesse, cum viderem Deum ipsum mihi esse adversum. Septuag. ἀπώλετο τὸ νῖκός μου, *periit victoria mea*, id est spes victoriæ, quam habebam.

V. 19. Recordare, o Deus; est enim re-

repentina apoſtrophe lugentis hominis ,& dolore huc illucque fluctuantis. PAUPERTATIS, ET TRANSGRESSIONIS MEAE, id eſt miſeriæ, in quam propter tranſgreſſiones meas incurri, ut Hieronymus interpretatur. Hebr. זכר עניי ומרודי, quod Hebræi interpretantur, *Recordare laboris mei, & humilitatis meæ*. Alii *vagationis meæ*, id eſt exilii mei. Alii *tenuitatis, & paupertatis meæ*. Chaldæus, *quod ad amaritudinem duxit me inimicus meus*, quaſi legerit מרורי. Sept. longe a verbis Hebraicis diſceſſerunt. Alii putant infinitum eſſe, זכר; quaſi dicat: In recordando, vel cum recordarer afflictionis, & humilitatis meæ, dixi; periit ſpes mea, ut hic verſus a ſuperiore pendeat.

V. 20. MEMORIA MEMOR ERO. Notus eſt Hebraiſmus, idem valens, ac ſi dicat, præ vehementi, & acerba recordatione calamitatis meæ, TABESCET IN ME ANIMA MEA: זכור תזכור ותשיח, *recordando recordabitur* (anima mea,) *& humiliatur*; id eſt, quotieſcumque mihi venit in mentem calamitatis meæ, deiicitur animus meus. Hoc ſenſu Chaldæus vertit, & nonnulli Hebræi interpretantur. Alii melius referunt ad Deum, *Recordando recordaberis*. Dixerat enim illi verſu præcedenti, *Recordare*; quaſi dicat: Certo ſcio fore, ut recordere Domine; tamen interim humiliatur, & affligitur animus meus.

V. 21. HOC RECOLENS; id eſt, cum hoc in mentem revocas fore ſcilicet ut tandem afflictionis meæ recorderis, ſpem, quam abieceram, iterum reſumo.

V. 22. MISERICORDIAE; id eſt, miſericordia Domini factum eſt, ut non ſimus penitus conſumpti, quia eius miſerationes infinitæ ſunt, & deficere non poſſunt: itaque caſtigans caſtigavit; ſed morti non tradidit nos. R. Salom. hunc verſum cum ſuperiori iungit; quaſi ſenſus ſit: Recolens hoc in corde meo, ſcilicet quod miſericordiæ Domini לא תמני, *non ſunt conſumptæ, neque defecerunt, ſpem concepi*: putat enim ille, & Aben Ezra תמני, poſitum pro, תמו; aut, ותמם, *conſumptæ ſunt*, vel, *defecerunt*, quemadmodum etiam Septuag. & Chaldæus Paraphraſtes converterunt.

V. 23. NOVAE. Sic legendum, quia ſic Hebræi legunt, & ſic emendata habent exemplaria, & ſic Septuag. quoque tranſtulerunt, *Novæ miſericordiæ Domini exiſtunt*, DILUCULO, לבקרים, *ſingulis matutinis*, id eſt ſingulis diebus, ut interpretantur Hebræorum commentarii; quaſi dicat: Non defecerunt Domini miſericordiæ, ſed creſcunt in dies magis, ac magis. MULTA EST FIDES TUA, id eſt ſemper præſtas, quod promiſiſti.

V. 24. PARS MEA DOMINUS; Conſideravit animus meus. DIXIT, pro, cogitavit, Hebraiſmus, Deum partem meam eſſe, id eſt portionem meam, menſuram meam, remunerationem meam, ut Pſal. LXXII. 26. *Pars mea Deus in æternum*: & Pſal. CXVIII. 57. *Portio mea Domine, dixi, cuſtodire legem tuam*: & Pſal. CXLI. 6. *Tu es ſpes mea, portio mea in terra viventium*: & Iob XX. 29. *Hæc eſt pars hominis impii a Deo, & hereditas verborum eius a Domino*, id eſt remuneratio, retributio: & Eccleſ. II. 10. *Hanc ratus ſum partem meam, ſi uter labore meo*.

V. 26. BONUM EST PRAESTOLARI, expectare, CUM SILENTIO, patienter, ſine querimoniis, & murmurationibus, ut Iſaiæ XXX. 15. *In ſilentio, & in ſpe erit fortitudo veſtra*. Hebr. טוב ויחיל, ad verbum, *Bonum eſt, & ſilebit*. Quod Hebræi ſic exponunt: *Bonum eſt*, aut, *Bene faciet homo, ſi expectet, & taceat*: ſicut ſtatim ſequitur.

V. 27. BONUM EST VIRO, id eſt ut Deo obediat, & illius iugo colla ſubmittat, & ut Chaldæus exponit, *Bonum eſt viro, ſi docuerit animam ſuam, ut portet iugum præceptorum Domini ab adoleſcentia ſua*. Poſſumus etiam, IUGUM, afflictionem interpretari, qua veluti gravi quodam iugo Deus homines domare ſolet; ſicut David dicit, *Bonum mihi, quia humiliaſti me, ut diſcam iuſtificationes tuas*: Pſal. CXVIII. 71. *Iugum enim, & lorum curvant collum durum, & ſervum inclinant operationes aſſiduæ*, Eccl. XXXIII. 27.

V. 28. ET TACEBIT, id eſt patienter expectabit, ut verſu 26. QUIA LEVAVIT, ſub. iugum, SUPER SE, id eſt quia portavit iugum ab adoleſcentia ſua, SEDEBIT; id eſt, quietus erit, & patiens quia edomitus iugo Domini. Ita legendum, & interpretandum, ſicut Hebraice legitur, & ſicut Septuag. vertunt: & Complutenſe, & alia emendata exemplaria habent, ſenſuſque ipſe declarat ita eſſe legendum. Si quis pronomen *ſe*, legendum eſſe contendit, ſenſum quærat.

V. 29.

V. 29. Ponet in pulvere os suum, id est, humiliabit se usque ad terram, submittit se Deo, donec os in terra ponat, ut R. Abraham interpretatur. Alii ponere os in pulvere exponunt, submisse loqui, ac de se sentire: nullum in scriptura eius Hebraismi exemplum reperitur.

V. 30. Dabit percutienti se. Describit singularem patientiam viri, qui ab adolescentia sua iugum Domini portaverit: quod quamvis generaliter dictum sit; tamen specialiter de Christo intelligendum est, qui omnium martyrum, omnis patientiæ exemplar est; quemadmodum veteres auctores Ecclesiastici interpretantur.

V. 31. Hoc autem faciet vir iustus, sciens, atque considerans, quia non repellet in sempiternum Dominus.

V. 32. Quia si abiecit: quia etiam si aliquando hominem abiecisse, repulisseque videatur, tandem miseretur illius. *Non enim continebit in ira sua misericordias suas*: Psalm. lxxvi. 10. Hebr. אם הוגה, *Si dolore affecerit, miserebitur:* percutiet enim & ipse sanabit: Deuter. xxxii. 39.

V. 33. Non enim humiliavit ex corde suo; id est, non affligit Deus homines ex animo, sed quodammodo coactus eorum peccatis. Ita R. Abraham. Atque hic est verus sensus, quo Dei bonitas maxime commendatur, qui *non vult mortem impii, sed ut convertatur a via sua, & vivat*: Ezech. xviii. 32. & xxxiii. 11. *Deus enim mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum:* Sapient. i. 13. Itaque non facit (ut Hieronymus observat) sed sustinet *in multa patientia vasa iræ apta interitum*, Rom. ix. 22. Chaldæus alio prorsus sensu hunc locum exponit: *Quia propterea*, inquit, *quod non affligit unusquisque in animam suam, & non aufert superbiam de corde suo, ideo hoc fecit ut devolueretur interitus in filios hominum*. Septuaginta etiam aliter, οὐκ ἀπεκρίθη ἀπὸ καρδίας αὐτοῦ, καὶ ἐταπείνωσεν υἱοὺς ἀνδρός: *Non respondit ex corde suo, & humiliavit filios viri*. Quia, ענה, & *humiliare* significat, & *respondere*; quod Theodoritus ita exponit, quasi Deus non ex animo loquatur, cum se iratum esse dicit; sed simulet se iratum esse, cum re vera plenus sit misericordiæ.

V. 34. Ut conteret: vel, *ut conterat* לדכא: hic versus, & duo sequentes a superiori pendent, sic, Non humiliavit homines, ut eos contereret, id est, prorsus perderet. Intelligitur altera pars orationis, sed ut eos castigaret, ac meliores efficeret. Omnes vinctos terrae; id est, omnes homines, qui in terra quasi vincti ab illo tenentur. Hic enim mundus quasi carcer est. Alii, *vinctos* peccatores vocari putant, qui peccatis obstricti tenentur. Alii hunc versum, & duos sequentes non ad Deum, sed ad hominem referunt hoc modo: Non abiecit ita Deus homines ex animo suo, ut permittat, ut ullus tyrannus eos conterat: & eorum iudicium declinet coram Deo, & pervertat eos in iudicio suo. Non dissentior.

V. 35. Ut declinaret iudicium, Deus. Declinare iudicium est, non iusta lance eius merita ponderare; sed declinare libram in unam, vel in alteram partem. In conspectu vultus Altissimi, id est suo; loquitur enim Deus de se per tertiam personam.

V. 36. Ut perverteret hominem; id est, ut calumniaretur, ut occasionem quæreret accusandi illum, cum eius causa tractaretur. Dominus ignoravit, id est, hoc inquam, Deus non novit facere; aut hoc, inquam, ne cogitavit quidem Deus: aut, non approbavit. Utroque modo explicat R. Salom. R. vero Abraham, *non decrevit scientia sua, ut ita fieret*. Chaldæus, *fieri ne potest ut hoc in conspectu Domini non reveletur?* Ego aliter interpretor congruenter verbis quæ sequuntur: לא ראה ארני, *Dominus non vidit*, id est, ita ut non videret, ita ut non provideret, aut non curaret; quasi dicat: Non permittit Deus homines vexari sine magno consilio, & providentia, facit enim ut emendentur: hunc esse sensum indicant versus sequentes:

V. 37. Quis est; id est, Hæc cum ita sint, quis audeat dicere fieri quicquam Domino non iubente, id est sine eius voluntate, ac providentia?

V. 38. Ex ore Altissimi non egredientur, id est & ex ore Altissimi non proficisci bona, nec mala; id est, res prosperas & adversas non eius præcepto evenire. Os pro præcepto, ut cap. i. 18. *Quia os eius ad iracundiam provocavi*. Ad hunc locum pertinent illæ sententiæ, Isai. xlv. 6. 7. *Ego Dominus, & non est alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum*. Et Amos iii. 6. *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit?*

V. 39. Quid murmuravit. Cum ergo

go omnia divina eveniant providentia, quid causæ est, cur obmurmuret homo cum a Deo peccatis suis castigatur? Hebr. מהיתאונן, *cur sese affligit, cur impatienti, & iniquo animo fert?* Nulla enim res magis nos in rebus adversis consolari potest, quam si cogitemus omnia divino fieri consilio; & nostram culpam, Deique iustitiam cognoscentes dicamus, *Cognovi Domine, quia æquitas iudicia tua, & in veritate tua humiliasti me*, Psal. CXVIII. 75. PRO PECCATIS SUIS, id est pro pœnis peccatorum suorum; sæpe enim observavimus peccatum pro peccati pœnis sumi: aut, *pro peccatis*, id est cum pro peccatis suis affligitur: aut, quare peccatis suis accersit sibi afflictionem: ut R. Salom. interpretatur.

V. 43 OPERUISTI IN FURORE; id est, armasti te furore, & percussisti nos; obtexisti te furore tamquam scuto. Alii, *opposuit furorem suum inter se, & nos, ne orationes nostræ ad eum pervenire possent*, sicut statim dicit, vers. 44 *Opposuit nubem tibi, ne transeat oratio*: ita R. Salom. utroque enim loco idem est verbum, סכתה.

V. 45. ERADICATIONEM ET ABIECTIONEM; id est, tradidisti me omnibus gentibus eradicandum, & huc illuc eiiciendum, ut dixerat cap. XVIII. 7. *Repente loquar adversus gentem, & adversus regnum, ut eradicem, & destruam, & disperdam illud*. Hebr. סחי ומאוס, *abrasionem, & eiectionem*, id est, ut simus apud omnes tamquam sordes, & purgamenta; hoc enim verba significant, sicut ait D. Paulus I. Cor. IV. 13. *Tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema*. Alii, ut Hebræorum interpretes, *emotionem, & eiectionem*; id est, ut exularemus, atque huc illuc vagaremur inter gentes: sicut illis Deus minatus fuerat, Ier. XXXIV. 17. *Et dabo vos in commotionem cunctis regnis terræ*. Atque hoc sensu vertit Chaldæus Paraphrastes. Sept. vero longe aliter, Καμμύσαί με, καὶ ἀπωσθῆναι ἔθηκας ἡμᾶς ἐν μέσῳ τῶν λαῶν: *Connivere me, & eiici fecisti nos in medio populorum*; quasi סחו, esset verbum cum affixo. Connivere autem, aut oculos claudere, est timere, trepidare.

V. 46. APERUERUNT SUPER NOS OS SUUM; id est, locuti sunt, contra nos, irriserunt nos, conviciati sunt nobis, ut capite superiori, vers. 16.

V. 47. VATICINATIO; id est, venit nobis formido, laqueus, & contritio, quemadmodum Prophetæ nobis vaticinari fuerant, Isai. XXIV. 17. *formido, & fovea, & laqueus super te, qui habitator es terræ*: aut, *Vaticinatio*, pseudoprophetarum, quibus credidimus, *formido, & laqueus, facta est nobis, & contritio*; ut Ose. V. 1. *Audite hoc sacerdotes, quoniam laqueus facti estis speculationi*: & cap. IX. 8. *Propheta laqueus ruinæ factus est super omnes vias eius*. Heb. השאה, *vastatio*: quæmadmodum nonnulli suspicantur nostrum etiam interpretem transtulisse; scriptorum autem vitio, & similitudine litterarum factum esse ut legatur, *Vaticinatio*. Potius credo nostrum interpretem legisse השאה, cum puncto in sinistro, aut בשא, quod prophetiam significat. Nam & Septuag. ita legerunt.

V. 48. DIVISIONES: פלגי מים, *rivos aquarum*.

V. 49. OCULUS: singulare pro plurali. Oculi mei dolent præ nimio fletu. Hebr. נגרה, *defluxit*: id est, in lacrymas effunditur. NEC TACUIT, id est, non quiescit. Hebraismus, quem sæpe explicavimus: vide supr. cap. XLVII. 6. EO QUOD NON ESSET REQUIES; a lacrymis: vel, eo quod non esset, qui me consolaretur, & requiem mihi afferret.

V. 51. OCULUS MEUS DEPRAEDATUS EST ANIMAM MEAM; id est, eripuit mihi animam flendo; exhausit mihi animam, anima mea per oculos mihi in lacrymas effluxit; vel, oculi mei animam mihi extraxerunt, cum viderent filias urbis meæ, id est, urbes Iudeæ Ierosolymis vicinas funditus eversas; miserabilis aspectus vastatarum urbium, animam mihi expectoravit. Hebr. עיני עוללה, *Oculus meus vindemiavit animam meam*, id est abstulit, ut supra vertit noster interpres Thren. I. 12. 22. & II. 20. ita etiam R. Abraham hoc loco; & Septuag. R. vero Salomon, *Oculus meus inquinavit animam meam*. Dicit autem Ieremias animam suam inquinatam esse quia cum ex genere Sacerdotum esset, non debat mortuos flere, Lev. XXI. 11. Alii interpretantur, *plus flevi, quam omnes filiæ urbis meæ*: מכל בנות עירי, *præ omnibus filiabus urbis meæ*; id est, propter omnes filias urbis meæ: utrumque enim phrasis Hebraica significare potest. Filias autem urbis suæ appellant aut minores urbes Iudææ vicinas Ierusalem, ut sup. cap. XLIX. 2. *filiæ-*

que

que eius igne succendentur, aut mulieres Ierosolymitanas.

V. 52. VENATIONE CEPERUNT ME: צוד צדוני, *venando venati sunt me*, ut etiam Sept. verterunt, id est, summo studio persecuti sunt me. GRATIS, sine ulla mea culpa: non quod peccasset in Deum, sed quod non peccasset in Chaldæos, ut Psal. XXXIV. 7. 19. & LXVIII. 5. & CVIII. 3. & CXVIII. 16. & CXIX. 7.

V. 53. ET POSUERUNT LAPIDEM SUPER ME: super lacum, aut בור, *puteum*, ne possem emergere, ut Psalm. LXIII. 16. *Neque absorbeat me profundum: neque urgeat super me puteus os suum*: & Psalm. LXXXVIII. 7. *Posuerunt me in lacu inferiori: in tenebrosis, & in umbra mortis*. Fortasse alludit Ieremias ad lacum, in quem a principibus proiectus fuerat, cap. XXXVIII. 6. Hebr. צמתו בבור חיי, *proiecerunt in lacum animam meam*, id est me ipsum: aut, *constrinxerunt in lacu animam meam*, ut R. Salom. exponit, hoc est, coniecerunt me in puteum angustum, & strictum & superposito lapide os eius obstruxerunt. Sept. ἐθανάτωσαν ἐν λάκκῳ, ζωήν μου, *morte tradiderunt in lacu animam meam*.

V. 54. INUNDAVERUNT AQUAE: laci, aut per metaphoram aquas vocat res adversas, fluctusque Fortunæ, ut Psalm. LXVIII. 2. *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam*.

V. 55. DE LACU NOVISSIMO: ab imo lacu.

V. 56. VOCEM MEAM AUDISTIS: forte præteritum Hebraicum שמעת, ponitur pro imperativo, *Audi*: sicut extra verba, quæ sequuntur usque ad finem, ut constat ex versu 63.

V. 57. APPROPINQUASTI: pro, Appropinqua in die, quo invocavero te. Chaldæus, *Applicasti angelum, qui me liberaret in die, quo invocavi te*.

V. 58. IUDICASTI, id est iudica, רבת, *defende causam animæ meæ*. REDEMPTOR, גאלת, *redime vitam meam*.

V. 59. INIQUITATEM ILLORUM: עותתי, *iniquitatem meam*; aut *perversitatem meam*, id est iniuriam; quam mihi faciunt hostes mei; ut Ionathas, R. Salomon. & Aben-Ezra interpretantur: quem sensum noster interpres optime expressit.

V. 60. OMNEM FUROREM: כל נקמתם, *omnem ultionem eorum*: sicut Sept. & Chaldæus reddiderunt.

V. 62. LABIA INSURGENTIUM: audisti.

V. 63. SESSIONEM ET RESURRECTIONEM, id est omnia quæ faciunt, ut Psal. CXXXVIII. 2. *Tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam*. VIDE. Hinc apparet superiora præterita pro imperativis posita fuisse. EGO SUM PSALMUS EORUM, id est materia cantionum, & risus, ut vers. 14. *factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die*.

V. 64. REDDES: redde, futurum pro imperativo; sicut alia duo futura, quæ sequuntur.

V. 65. SCUTUM CORDIS, id est operimentum, tegumentum, sicut scuto tegimus nos; quo sensu etiam Septuag. verterunt ὑπερασπισμόν; *protectionem*, מגנת, id est cordiacam possessionem, ut vocant medici, qua cor quasi imposito operimento præ dolore suffocatur, ut cum R. Ioseph; R. David exponit Lib. rad. Alii, contritionem interpretantur, ut R. Salomon, & Chaldæus Paraphrastes. LABOREM TUUM: redde illis laborem, quo inimicos tuos soles affligere; תאלתך להם, *maledictionem tuam* (redde) *illis*. Chald. *Defatigatio tua defatigabit illos*.

V. 66. SUB CAELIS: מתחת שמי יהים, *De sub cælis Domini*, id est tuis; quasi dicat, Tolle eos de medio, abole illos: fortasse ita noster vertit interpres: quamquam Sept. κύριε, in vocandi casu reddiderunt.

SA.

Vers. 1. EGo. Vox vel Prophetæ, vel Iudæi cuiusque; sic quæ sequuntur: VIDENS; quasi dicat, Qui experior. PAUPERTATEM. Chald. *afflictionem*.

V. 2. MINAVIT, id est duxit. TENEBRAS, id est calamitatem: LUCEM, id est prosperitatem.

V. 3. TANTUM. Chald. & LXX. *verumtamen*: VERTIT, ET CONVERTIT, scilicet iterando flagella: TOTA DIE, id est semper, seu assidue.

V. 4. VETUSTAM, id est vetustæ similem, scilicet ob verbera.

V. 5. AEDIFICAVIT, scilicet more hostis propugnacula. FELLE, id est amaritudine.

V. 6. TENEBROSIS, id est calamitatibus, vel carcerem intellige, si ad Ieremiam referatur. SEMPITERNOS, id est in perpetuum, Chald. *abeuntes in adhuc saeculum*.

V. 7. CIRCUMAEDIFICAVIT, scilicet difficultates.

V. 8. CLAMAVERO, &c. pro, clamarem, & rogarem. EXCLUSIT, scilicet non admisit.

V. 9. CONCLUSIT; scilicet ne possem evadere. LAPIDIBUS; pro velut lapidibus. SUBVERTIT, scilicet ne possem ambulare. LXX. *conturbavit*.

V. 10. URSUS; pro, velut ursus.

V. 11. DESOLATAM; vox civitatis.

V. 13. IN RENIBUS, id est interiora. FILIAS, id est sagittas.

V. 14. FACTUS, &c. Vox Ieremiae. CANTICUM, id est fabula & ludus; quasi dicat, Etiam canendo irrident me.

V. 16. AD NUMERUM; quasi dicat, Velut singulos numerans, dum frangeret. Chald. *lapidibus*. LXX. *lapillo*, quod quidam referunt ad panem durum, seu terra mixtum. Vide Proverb. xx.

V. 17. REPULSA. LXX. *expulsa*, A PACE, id est prosperitate. OBLITUS; quasi dicat, Desperavi consecutionem. Haec populi vox. BONORUM, scilicet pristinorum; quasi dicat, Antiquae felicitatis.

V. 18. FINIS, scilicet ille, quem sperabam, id est successus bonus. Chald. *fortitudo*. LXX. *victoria*. SPES MEA, id est quod sperabam.

V. 19. PAUPERTATIS. Chald. *afflictionis*. TRANSGRESSIONIS, id est abundantiae, scilicet malorum quae patior, quod sequentibus verbis explicatur. Alibi vocat Scriptura *supergressionem*. *Supergressae sunt*, inquit, *caput meum*: metaphora a cumuli altitudine, vel aquae egressae alveum. Chald. *amaritudinis*. LXX. *persecutionis*.

V. 20. MEMORIA, &c. quasi dicat: Ego quidem, qui oblivisci non possum, dum recordor, tabesco prae moerore.

V. 21. HAEC, scilicet quae sequuntur de Dei misericordia. SPERABO. LXX. *sustinebo*. Chald. *expectabo*.

V. 23. NOVI, scilicet quod sequitur. LXX. *nova*; scilicet misericordiae Dei apparent. Chald. *nova miracula*. DILUCULO; quasi dicat, Quotidie, seu tempestive. FIDES, id est veritas in promissis. Deum enim alloquitur.

V. 25. BONUS, id est benignus.

V. 26. SILENTIO, id est quiete.

V. 28. SUPER SE, scilicet iugum Domini.

V. 29. PONET, &c. quasi dicat, se humiliabit. SIT SPES, id est eveniat quod speraт.

V. 30. DABIT, &c. quasi dicat, Feret etiam verbera, & contumelias. SATURABITUR, &c. quasi dicat, Feret etiam maximam copiam opprobriorum.

V. 32. ET MISEREBITUR; pro tamen miserebitur.

V. 33. EX CORDE, id est quasi delectetur calamitatibus: proprium enim ei misereri, & parcere. Chald. intelligit, quia se homines non ex corde humiliarunt, punitos esse a Deo.

V. 34. VINCTOS TERRAE; pro, terrae alligatos, id est terrenos; quasi dicat: Homines Deus non conterit quasi ea re delectetur.

V. 35. DECLINARET, &c. quasi dicat, perverteret causam iustam, inique iudicando. ALTISSIMI; id est sui.

V. 36. IGNORAVIT, scilicet praedicta; quasi dicat: Non facit nec probat, sed iuste iudicat; adeoque punit, quia id merentur peccata.

V. 37. DIXIT, &c. id est, cogitavit apud se, accidere quidquam adversi sine Dei voluntate. UT FIERET; pro, fieri aliquid.

V. 38. EX ORE, &c. Verba impii. *Ore* vero, id est praecepto, seu voluntate; quasi dicat: Errat, qui putat sine Dei voluntate accidere adversa, aut prospera.

V. 39. MURMURAVIT, pro murmurat. PRO PECCATIS, id est excusans peccata.

V. 40. SCRUTEMUR, scilicet potius.

V. 42. INEXORABILIS ES, id est non vis eripere nos.

V. 43. OPERUISTI IN FURORE; pro, furore obruisti, scilicet flagellis.

V. 44. NUBEM; pro, velut nubem, scilicet impedimentum.

V. 45. ERADICATIONEM, &c. pro, eradicatam & abiectam. APERUERUNT, scilicet

licet velut devorare cupientes. Vide sup. cap. II.

V. 47. FACTA EST, id est evenit. VATICINATIO, scilicet quod prædictum per Prophetas, scilicet evenit. Hebr. *vastatio*. Chald. *tremor*, seu *terror*.

V. 48. DIVISIONES, id est effusiones. IN CONTRITIONE, id est ob contritionem.

V. 49. TACUIT, id est cessavit, seu quievit. REQUIES. Chald. *consolatio*.

V. 51. DEPRAEDATUS EST, id est consumpsit, scilicet fletu. IN CUNCTIS, id est pro cunctis; quasi dicat, Flentem populi calamitatem. FILIABUS, id est, villis subiectis, vel feminis.

V. 52. GRATIS, id est sine causa.

V. 53. IN LACUM. Vide Ierem. XXXVII.

V. 54. AQUAE, scilicet tribulationum, vel cœnum intelligit, in quo erat mersus. DIXI: PERII, id est cogitavi actum esse de me.

V. 55. NOVISSIMO. LXX. *infimo*; quasi dicat, Ex profundo lacu, seu fovea.

V. 59. IUDICIUM, id est causam.

V. 61. OPPROBRIUM, scilicet quo me affecerunt.

V. 62. MIHI, id est contra me.

V. 63. SESSIONEM, &c. quasi dicat, Sive sedeant, sive surgant, me irrident. PSALMUS, id est fabula, & ludus.

V. 65. SCUTUM, id est tegumentum, quo scilicet cor tegatur, & opprimatur. Chald. *contritionem*. TUUM, id est quo soles punire malos. SUB CAELIS, id est tollendo ex hac vita.

ESTII.

Vers. 28. SEDEBIT SOLITARIUS ET TACEBIT, QUIA LEVAVIT SUPER SE. Pridem legebatur geminate, *levavit se super se*, sed prius *se* superfluum est, ut patet ex Hebræis, & MS. ut merito Sixtina biblia illud sustulerint. Loquitur autem propheta de homine, qui sperat in Domino, etiam in media tribulatione; & cum silentio expectat salutare Dei. Et sensus est. Talis homo solitarius sedebit, reputans secum misericordiam & iustitiam Dei. *Et tacebit*; id est, non aperiet os suum contra Dominum, ut murmuret adversus eius prudentiam quia levavit super se iugum Domini; id est, paratum se præstat ad portandum & perferendum, quidquid Deus immiserit. Alii ad Deum referunt, hoc modo: Quia Deus levavit, vel proiecit iugum suum super ipsum, propterea ille solitarius sedebit, & tacebit, patienter iugum illud ferens. *Solitarius*, id est destitutus ope & consolatione humana: *Tacebit* autem, scilicet, quia silentium patientiam significat; quia patientes tacent, impatientes murmurant.

V. 38. EX ORE ALTISSIMI NON EGREDIENTUR NEC BONA, NEC MALA? Non assertive, sed interrogative legendum est, & sic coniungendum superioribus: QUIS EST ISTE, QUI DIXIT, UT FIERET DOMINO NON IUBENTE? Et similiter: *Quis est iste qui dixit: Ex ore Altissimi non egredientur nec bona, nec mala?* quasi dicat: Quicumque dicit hæc facta, Domino non iubente; & qui dicit ex ore Altissimi non prodire nec bona, nec mala, sed casu & fortuito accidisse; is contradicit, & iniuriam facit providentiæ Dei. Et hunc sensum indicant sequentia, cum immediate, subiungitur: QUID MURMURAVIT HOMO VIVENS PRO PECCATIS SUIS? SCRUTEMUR VIAS NOSTRAS, ET QUAERAMUS, ET REVERTAMUR AD DOMINUM; quasi dicat: Agnoscamus peccata nostra, & agamus pœnitentiam; ac tum videbimus Deum has plagas a nobis auferre; & ex eo constabit non temere, neque fortuito, sed iusta & definita Dei voluntate hæc mala nobis accidisse. Intelligit autem mala non culpæ, sed pœnæ. Vide similem locum Sophoniæ, I. & Isaiæ XLI. Hoc sensu etiam Dominus dici potest præcepisse Semei, ut malediceret David, id est pœnam denuntiaret II. Regum XVI.

MARIANAE.

Vers. 1. EGO VIR. Videtur Ieremias, cum esset in carcere, hoc Alphabetum de seipso scripsisse, deinde iunxisse cum iis quæ de excidio Ierusalem & Iosiæ Regis morte scripsit. VIDENS, expertus. PAUPERTATEM MEAM. Sept. *paupertatem*, sine *meam*. Hebr. *afflictionem*, sic Chald. IN VIRGA, id est punitione. INDIGNATIONIS EIUS, scilicet Dei. Relativum sine antecedenti.

V. 2. ME MINAVIT, id est deduxit. IN TE-

TENEBRAS, numquam respirationem a malis, id est *lucem* concessit.

V. 3. TANTUM; pro, quin potius. IN VERTIT. Hebr. *in me* (pro, contra me.) *versus est*. ET CONVERTIT MANUM, alapis me cædens, & ictus ingeminans ut cum pueris fieri solet. TOTA DIE, semper.

V. 4. VETUSTAM FECIT. Ictus me senem fecerunt.

V. 5. AEDIFICAVIT IN GYRO MEO. Heb. *ædificavit contra me*, ut fit in urbe obsessa: sic me vallavit undique labore. Quod sequentia declarant. CIRCUMDEDIT ME FELLE ET LABORE. *Fel* pro veneno: verti etiam potest, *circumdedit caput*, *& labore*, scilicet circumdedit. Sept. *circumdedit caput meum*, *& laboravi*: ראש ros & *caput* & *venenum* significat.

V. 6. IN TENEBROSIS. In carcere scilicet, ut in sepulcro mortuos, collocavit me.

V. 7. CIRCUMAEDIFICAVIT, sepivit me, id est clausit, ut egredi & evadere non possem. AGGRAVAVIT COMPEDEM MEUM; pro, aggravavit me compede, id est compedibus. Vincula adiunxit.

V. 8. CUM CLAMAVERO; pro, cum clamabam. EXCLUSIT, Hebr. *clausit*, scilicet aures ad orationem meam.

V. 9. CONCLUSIT VIAS MEAS, quasi viam erecto per medium muro impedisset, quasi semitas pervertisset, corrupisset, sic evadere non potero.

V. 11. ET CONFREGIT ME. Hebr. *succidit minutatim*. DESOLATAM. Sic Sept. seu *desolatum*; ut est Hebr. in genere masculino שומם *somem*, & sic verti debet, si de se Ieremias loquitur. Chald. *in desolationem*.

V. 13. MISIT IN RENIBUS MEIS. Gravissimus est renum dolor. FILIAS PHARETRAE SUAE, scilicet sagittas, *filias* dictas *pharetræ*, quia in ea continentur: sic *filius horrei* frumentum vocatur. Chæremon flores vocavit nunc veris nunc prati filios, in Athenæo, Lib. XIII. Δειπνοσοφιστῶν.

V. 14. OMNI POPULO MEO: aut *omnibus populis meis* factus sum in derisum. Chald. vertit, *omnibus dissipatoribus populi mei*.

V. 15. REPLEVIT ME. Hebr. *saturavit me amaritudinibus*.

V. 16. ET FREGIT AD NUMERUM. Heb. *fregit lapillo* (pro *lapillis*) *dentes meos*. Dabantur Ieremiæ panes subacti arena: de quo pane Proverb. XX. 17. plura. Id est, *panis lapidosus* apud Senecam de Beneficiis Lib. II. cap. VII. contra eos qui data beneficia exprobrant. Hieronymus pro *lapillo*, *numerum* posuit, quoniam lapillis numerabant. CIBAVIT ME CINERE. Sic Sept. *cinerem* etiam cum farina miscebant. Heb. *operuit me*, aut *versavit me in cinere*: vox כפש *chaphas* hoc loco tantum invenitur, eius significatio si ignoratur mirum non est. Chald. *humiliavit me in cinere*: Hieronymi versio melior.

V. 17. ET REPULSA EST. Hebr. *elongata est a pace* (id est bonis) anima mea.

V. 18. PERIIT FINIS MEUS, id est sæculum, ætas mea. Chald. *fortitudo mea*: sic fere Hebr. hoc est, nullum supereIt præsidium.

V. 19. PAUPERTATIS, ET TRANSGRESSIONIS MEAE. Hebr. *afflictionis meæ & tenuitatis recordare*.

V. 20. MEMORIA MEMOR ERO, scilicet afflictionis huius. Hebr. *recordando recordaberis*, *& humiliabitur*; pro, quod humiliata est anima mea. Dixerat vers. superiori, *Recordare afflictionis meæ*.

V. 21. HAEC RECOLENS, scilicet quod mei recordaberis. IDEO SPERABO, scilicet me liberandum.

V. 22. QUIA NON SUMUS CONSUMPTI. Dei benignitate id factum est, alioqui exitium penitus atque omnes merebamur.

V. 23. NOVI DILUCULO. Sic Hieronymus in Comment. Hebraica tamen exigunt ut legatur, *Novæ in matutinis*, id est novæ misericordiæ diebus omnibus existunt. Sept. *nova in diluculo*. Chald. *nova miracula*. Pagn. *novæ sunt quolibet mane misericordiæ*.

V. 24. PARS MEA, portio mea est Dominus. DIXIT, cogitavit id anima mea.

V. 26. PRAESTOLARI CUM SILENTIO. Hebr. *bonum est* (quod) *expectet*, & (sit) *silens*, *salutem Dei*. Deus silentio colitur: quare Harpocrates in templis pingebatur digito labiis imposito. Plura Politianus in Miscellaneis, cap. LXXXIII.

V. 27. CUM PORTAVERIT IUGUM, id est obedierit Legi. AB ADOLESCENTIA SUA. Hebr. *a pueritiis*, bonum est ei.

V. 28. ET TACEBIT, quietus erit & patiens.

tiens. QUIA LEVAVIT SUPER SE : non *se super se*, ut Cassianus legit Collal. XVIII. cap. VI. sed iugum humeris tacitus imponet.

V. 29. PONET IN PULVERE, id est se humiliabit. Supplicantis more in terram se abiiciet, *terram linget*. Psal. LXXI. 9. SI FORTE SIT SPES per eum modum Deum placandi & propitiandi.

V. 32. QUIA SI ABIECIT. Hebr. *si dolore affecit*, miserebitur. Tempora mutantur.

V. 33. NON ENIM HUMILIAVIT EX CORDE SUO. Hebr. *non afflixit sponte, & volens*, sed peccatis impulsus. ET ABIECIT, scilicet sponte. Hebr. *dolore affecit*. Non gaudet malis nostris. Non ergo afflixit nos sponte:

V. 34. UT CONTERERET; pro, conterat Deus, aut tyrannus Deo dissimulante, de utroque enim tres hi versus intelligi possunt. VINCTOS TERRAE, mortales. Hic velut in carcere sumus.

V. 35. IN CONSPECTU VULTUS ALTISSIMI, id est suo, si de Deo locus intelligitur.

V. 36. DOMINUS IGNORAVIT; pro, quasi Dominus id non videret, si de tyranno agatur: si de Deo, sic: Dominus non vidit, id est quasi ipse non videret quod iustum est & æquum, sic quidam pervertunt iudicium.

V. 37. UT FIERET. Hebr. *& erit* (aliquid quod) *Dominus non iussit?* quasi dicat: Male tyrannus dixit, Dominus ignoravit.

V. 38. EX ORE ALTISSIMI. Repete: *Quis est iste qui dixit, Ex ore*, id est voluntate Dei non procedere prospera, aut adversa, sed casu ferri omnia?

V. 39. QUID MURMURAVIT? si ex Dei voluntate omnia veniunt, quid homo murmurat, cum pro suis peccatis affligitur? Hebr. *quid se affligit homo vivens?* quasi dicat: Si Deus non curat nostra, non est quare de peccatis doleamus. Verum hæ nugæ sunt.

V. 40. SCRUTEMUR VIAS NOSTRAS, conscientiam examinemus potius.

V. 42. ET AD IRACUNDIAM PROVOCAVIMUS. Hebr. *rebellavimus*. IDCIRCO TU INEXORABILIS ES. Hebr. *tu non pepercisti, non dissimulasti*.

V. 43. OPERUISTI IN FURORE, scilicet aures. ET PERCUSISTI NOS. Hebr. *persecutus es nos*.

V. 44. OPPOSUISTI NUBEM TIBI. Heb. *operuisti nube te*, ne transeat oratio. Repetitio.

V. 45. ERADICATIONEM. Hebr. *nauseam*, seu *lutum*, posuisti me, seu stercus, sordes.

V. 47. FORMIDO ET LAQUEUS. Hebr. *formido & fovea*. VATICINATIO, scilicet quod contra nos Prophetæ dixerunt. Heb. *vastatio*. Si Ieremias de se loquitur, sensus erit; Vaticinandi officium nihil aliud mihi attulit quam formidinem, laqueum, contritionem.

V. 48. DIVISIONES. Hebr. *rivi aquarum descendit* (pro, descenderunt ex) *oculo meo*.

V. 49. OCULUS MEUS AFFLICTUS EST. Hebr. *defluxit*. NEC TACUIT, id est nec cessavit a lacrymis. EO QUOD NON ESSET REQUIES. Hebr. *ita ut non esset requies*, scilicet a fletu.

V. 51. OCULUS MEUS DEPRAEDATUS EST. Hebr. *fecit animæ meæ* (scilicet dolorem.) IN CUNCTIS FILIABUS URBIS MEAE, id est propter filias, scilicet vicos, propter ea quæ sunt passi. Hebr. *præ cunctis filiabus*, id est mulieribus urbis meæ: maior quam illarum dolor meus fuit. Itaque per *filias* aut vicos, aut mulieres intellige. Hieronymus עלל *halal* semper in significatione *vindemiandi* aut *prædandi* sumit.

V. 52. GRATIS, id est sine causa, cum eos non læserim, me ceperunt, me venati sunt.

V. 53. LAPSA EST IN LACUM VITA MEA, id est ego ipse. Hebr. *succiderunt in cisternam vitam meam*. Me occiderunt, quantum in illis fuit. Loquitur de tempore quo in puteum est proiectus, cap. XXXVIII. 6. POSUERUNT. Hebr. *iecerunt lapidem in me*. id est SUPER ME, quo scilicet putei os occluserunt.

V. 54. INUNDAVERUNT AQUAE. In puteo non erat aqua, sed cœnum, in quod miserunt Ieremiam. Id cœnum aquas vocat.

V. 55. DE LACU NOVISSIMO. Hebr. *de lacu infimo* invocavi Deum.

V. 56. VOCEM MEAM AUDISTI: NE AVERTAS. Hæc erat vox Ieremiæ & oratio: dixit, *vocem meam audisti*: vox fuit,

Ne avertas. A SINGULTU MEO. Hebr. *ad respirationem*, ut possim respirare, ne avertas a clamore meo aurem.

V. 60. FUROREM. Hebr. *vindictam eorum vidisti*, quam scilicet de me, volebant sumere.

V. 63. SESSIONEM EORUM, ET RESURRECTIONEM, omnia quæ faciunt, Psalm. CXXXVIII. 2. *Tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam.* PSALMUS EORUM, id est cantio ego sum. De me rhythmos componunt & cantant. Id pro argumento habent.

V. 65. SCUTUM CORDIS, id est tegumentum dabis, aut dato, ne scilicet percipiant salutaria. Chald. *contritionem*, id est dolorem cordis. Vox מגנה *meghinah* utrumque significat. LABOREM TUUM dabis eis, scilicet quo soles malos punire: sic Sept. & Chald. Alii, *maledictionem tuam eis*, id est eis maledices, quo fiet, ut salutaria non percipiant.

V. 66. SUB CAELIS. Hebr. *de sub cælis* conteres, id est tolle eos de medio, non vivant, Domine.

MALVENDAE.

Vers. I. EGO VIR VIDENS PAUPERTATEM MEAM. Alii: *Ego vir ille sum, qui experitur afflictionem*. Huius capitis in universum partes præcipuæ sunt tres: expostulatio de perpessionibus gravissimis, quæ Iudæis obvenerunt, versibus octodecim, deinde narratio spiritualium certaminum & felicis victoriæ quam reportat pius animus ex certaminibus per fidem, inde ad versum 42. usque: postremo oratio piorum ex certaminibus suis fide emergentium, ad finem usque capitis. Est autem expostulatio figurata, scatens allegoriis: in qua totus populus Iudæorum specie unius hominis narrat perpessiones suas. IN VIRGA INDIGNATIONIS EIUS. Alii: I. *virga furoris illius*, videlicet Dei, ut docent sequentia. II. *per baculum excandescentiæ*, seu *excessus iræ eius*.

V. 2. ME MINAVIT, ET ADDUXIT IN TENEBRAS. Alii: I. *Me egit ac adduxit, sed in tenebras*. II. *Me ducit & agit in tenebris*, nempe densissimarum afflictionum, ac omni prosperitate arentium.

V. 3. TANTUM IN ME VERTIT, ET CONVERTIT MANUM SUAM TOTA DIE. Alii: *Tantum, profecto, mihi adversans, obvertit manum suam toto die*; id est, hinc inde continenter verberat.

V. 4. VETUSTAM FECIT. Hebr. *veterascerefecit*: & per metalepsin, *computrescere fecit, tabefecit, corrupit, trivit*.

V. 5. AEDIFICAVIT IN GYRO MEO, &c. Alii hunc versum reddunt: I. *Aedificavit contra me, circumvallavit me felle & lassitudine*. II. *Extruxit contra me, & cingit cicuta & molestia*; id est, obsidet me circumquaque & circumvenit molestiis amarissimis, tamquam militibus oppugnantibus me. ET CIRCUMDEDIT ME FELLE ET LABORE. Quidam Hebræorum vertunt: *& circumdedit caput meum, & suspendit ipsum*: quod a verbis Hebraicis non abludit. Passim tamen reddunt: *& circumdedit capite*, seu *toxico, veneno primario, capitali*: vide in Ierem. VIII. 14. *& defatigatione, molestia, lassitudine*: quod est aptius.

V. 6. IN TENEBROSIS COLLOCAVIT ME, &c. Hunc versum Hebr. totidem verbis conceptum habes Psalm. CXLII. 4.

V. 7. AGGRAVAVIT COMPEDEM MEUM. Hebr. *aggravavit æs*, seu *chalybem meum*, id est, vincula mea ex ære, aut chalybe, scilicet facta. Alii: I. *aggravat, Chalybeam numellam meam*: vide Iudic. XVI. 21. II. *& pedicas meas degravavit*.

V. 9. LAPIDIBUS QUADRIS. Hebr. *casione, cæsura, vulsione*; id est, lapide secto, cæso, dolato, polito: vide in Exod. XX. 25. id est, infractis, & inexsuperabilibus impedimentis.

V. 11. SEMITAS MEAS SUBVERTIT. Heb. *vias meas discedere faciens*, vel *pervertens*. Alii: *vias meas vagas efficit*, vel *vagas reddidit vias meas*, id est instabiles, errantes. ET CONFREGIT ME. Alii: I. *scidit me*. II. *& frustratus est me*. III. *& discerpit me*, ut ovem vagam ursus aut leo, cuius meminit superiore versu. Verbum proprie significat, *concidit, diçidit, dilaniavit, dimembravit, in frusta dissecuit*: ut I. Samuel. XV. 33.

V. 13. FILIAS PHARETRAE SUAE. Heb. *filios pharetræ suæ*; id est, prodeuntes a pharetra, quos pharetra veluti parit & emittit: hoc est tela, sagittas.

V. 14. CANTICUM EORUM TOTA DIE. Alii: *carmen*, seu *modulatio istorum toto die*; id est, hostium.

V. 15.

V. 15. REPLEVIT ME AMARITUDINIBUS. Alii: *Satiat me summa amaritudine;* nam numerus pluralis auget significatum.

V. 16. ET FREGIT AD NUMERUM DENTES MEOS. Alii: I. *Et labefactavit silice dentes meos*. II. *Contundit lapillo dentes meos*. III. *Et comminuit in scrupis dentes meos, deprimit me in cinere:* id est, tanta vi deturbat me ac prosternit in terram, ut elisi dentes comminuantur scrupis, & os repleatur cinere. Hebr. ex verbo; *Et excussit in lapillo, scrupo, calculo*, ut Proverb. xx. 17. *dentes meos*. Noster dixit, *ad numerum*, quia olim lapillis seu calculis numerabant. CIBAVIT ME CINERE. Verbum כפש *caphasch*, quod hic in Hiphil ponitur, alibi in Scriptura non extat, varie itaque reddunt: *operuit, involvit, fœdavit, versavit, cumulavit me cinere;* vel *depressit, deiecit, subegit, demersit, fecit me labi in cinerem;* id est, depressit me volutatum in cinere, aut *inquinavit, polluit me cinere*.

V. 17. ET REPULSA EST A PACE ANIMA MEA. Alii: *Adeo reiicis a pace animam meam*. Apostrophe ad Deum exaggerans præcedentem expostulationem, &, transitum comparans ad secundam partem capitis. Futurum תזנח *thiznach*, potest esse secunda persona masculea: *Et removisti a pace*, id est prosperitate, felicitate, *animam meam:* vel tertia feminea: *Et removit se a pace anima mea*. Sed illud est aptius.

V. 18. ET DIXIT: PERIIT FINIS MEUS, &c. Alii: *Et dixi: Periit robur meum, & spes mea a Iehova;* id est, Prope in desperationis abyssum corruit. Forsterus exponit: *Et dixi, Ablata est excellentia mea*, id est divitiæ, potentia, gloria, & pulcherrimus status cum Ecclesiæ, tum politiæ. Possis reddere: *Ablata est victoria mea, triumphus meus*: quo quondam tot victoriis partis, tot spoliis, & opibus comparatis triumphabam.

V. 19. RECORDARE PAUPERTATIS, &c. Quidam hunc versum ex Hebr. exponunt: *Recordando afflictionis meæ, & ploratus* seu *planctus mei, absinthii & cicutæ*, de quibus supra vers. 5. & 15. Secunda pars capitis primum narrat certamen piorum, tribus versibus, deinde victoriam, usque ad vers. 40. ac postremo hortationem, vers. 40. & 41. זכר *zechor*, potest esse infinitum, *recordari*, seu *recordando*; & imperativus, *recordare*. מרודי *merudi*, a מרד *marad*, *defectionis, rebellionis, discessionis, apostasiæ meæ*: a רוד *rud* vero, *planctus, ploratus mei*.

V. 20. MEMORIA MEMOR ERO, &c. Alii: *Plane inquam recordando meditatur apud me anima mea*. TABESCET. תשיח *thasiach*, scribitur in textu: quidam cum *scin* sinistro legunt a, שיח *siac, meditabitur, confabulabitur, colloquetur, conferet*. Plerique cum *scin* dextro, quod in margine legitur, תשוח *taschoach*, a שחח *schachach, incurvabitur, humiliabitur, procumbet, consternabitur, prostrabitur in me anima mea*: vide Thesaurum Sanctis, colum. 2925. & 2926. id est, affligetur.

V. 21. HAEC RECOLENS IN CORDE MEO, IDEO SPERABO. Alii: *Hoc revovo in animum meum, ac propterea spero*. Nescio ad institutum magis congruat: *Idcirco dolere faciam*, seu *ægrotare faciam*, subaudi, *cor meum*, ut Ierem. IV. 19.

V. 22. MISERICORDIAE DOMINI, &c. Hunc versum alii exponunt. I. *Quod misericordiæ Iehovæ non deficiunt, & quod miserationes eius non cessant*. Iungunt superiori versui, *ideo ad spem redeo*, *Quod misericordiæ*, &c. II. *Benignitatum Iehovæ est*, vel *summæ benignitatis Iehovæ est, quod non sumus absumpti, quod non finiuntur misericordiæ eius*; id est, perstant erga nos. Nobilissima hæc victoriæ prædicatio exponitur per ethopœiam, cuius argumenta omnino sunt quatuor: primum est conscientia benignitatis Dei ab experientia ipsa in mediis malis, his tribus versibus: secundum est, exemplorum gratiæ Dei erga omnes humiles fide perferentes mala, usque ad vers. 31. tertium est, naturæ Dei & voluntatis gratiosæ erga suos, vers. 31. & duobus sequentibus & alienæ ab iniusta adversariorum tyrannia, inde ad vers. 37. quartum est, omnipotentiæ Dei, quæ alterum est fulcrum fidei nostræ, sine qua nihil fit, & per quam quidquid nobis fit mali, iuste fit propter peccata nostra, usque ad vers. 40. Conscientia porro benignitatis Dei ex re præsente confirmatur, hoc modo: Tanta est peccatorum nostrorum gravitas; tanta pœnarum acerbitas, ut si summo iure ageretur, iam millies actum esset de nobis infirmissimis homuncionibus: atqui servamur a peccatis, & in medii pœnis nostris: hoc ergo non virtutis nostræ est, sed infinitæ benignitatis Dei,

quod adhuc vivimus, ut Isai. I. 9.

V. 23. NOVI DILUCULO. Alii: I. *Quod novæ sint quotidie*, scilicet misericordiæ & bonitates. II. *Nova sunt singulis matutinis*, videlicet benignitates Iehovæ. MULTA EST FIDES TUA. Alii: *amplissima*, seu *ingens fides tua*; id est, promissorum tuorum ex fœdere constantia, certitudo, veritas, firmitas. Verissimus es ac certissimus in præstandis promissis.

V. 25. BONUS EST DOMINUS SPERANTIBUS IN EUM, &c. Alii: *Bonus est Iehova expectantibus ipsum, animæ requirenti ipsum*. Secundum argumentum, ut diximus in vers. 22.

V. 26. BONUM EST PRAESTOLARI CUM SILENTIO SALUTARE DEI. Alii: I. *Bonus vir & expectans & silens erit per salutem Iehovæ*. II. *Bene est & speranti & acquiescenti in salute Iehovæ*.

V. 27. BONUM EST VIRO, &c. Alii: *Bene est viro huic, cum tulerit iugum in pueritia sua*: id est, iugum videlicet crucis a Deo impositæ: ut dicitur sequente versu.

V. 28. SEDEBIT SOLITARIUS ET TACEBIT, QUIA LEVAVIT SUPER SE. Alii: I. *Solus sedet & tacet, quia proiecit super ipsum*, scilicet, Dominus iugum; quasi dicat: Non desperat, sed patienter fert iugum sibi a Deo impositum, paratus semper ad maiora ferenda. II. *Qui sedens solitarius acquiescit, quod imposuerit ipsi Deus*. III. *Sedebit solus & domabitur a se ipso, qui tulit super se* iugum Domini. Possis reddere: *quia protelavit super ipsum*; id est, quia longe a se eum proiecit Deus, vel quia longe super ipsum proiecit iugum Deus: hoc est, quia gravissimo & amplissimo iugo pressit eum Iehova.

V. 29. PONET IN PULVERE OS SUUM, SI FORTE SIT SPES. Alii: I. *Ponit os suum in pulverem, an forte sese offerat spes*; id est, demisse & modeste de se sentit ac loquitur, si forte hac eius patientia delectatus Deus auferat illi iugum. II. *Qui indit pulveri os suum*, id est, habens reverentiam Deo, & prostratus in terra conticescit, ut loquitur Apostolus I. Corinth. XIV. 25. *dicens: Forte est expectatio*: sic excludi solet in Scripturis diffidentia, ut Iosuæ XIV. 12.

V. 30. DABIT PERCUTIENTI SE MAXILLAM, &c. Alii; *Præbet, exhibet percutienti se genam, satiatur opprobrio*.

V. 31. QUIA NON REPELLET IN SEMPITERNUM DOMINUS. Alii: *Nam non reiicit*, seu *deserit, in seculum Dominus*. Tertium argumentum ethopœiæ, ut diximus in vers. 22.

V. 32. QUIA SI ABIECIT, ET MISERFBITUR, &c. Alii: I. *Quin si affligit, pro abundantia bonitatis suæ miseretur*. II. *Nam cum affecit mœstitia, etiam miseretur pro amplitudine benignitatum suarum*.

V. 33. NON ENIM HUMILIAVIT, &c. Alii: I. *Quia non affligit, neque dolore afficit filios hominum de corde suo*. II. *Non enim affligit ex animo suo, mœstitiaque afficit filios viri*; quasi dicat: Contra animum suum, & quodammodo invitus facit Pater miserationum, ut affligat suos.

V. 34. UT CONTERERET SUB PEDIBUS SUIS OMNES VINCTOS TERRAE. Alii: *Conterere sub pedibus suis omnes vinctos terræ*. Exponunt, Non ex animo conterit vinctos & obnoxios peccato. Nonnulli iungunt hos tres versu, cum verbis illis vers. 36. *Dominus non probat*, quasi dicat, Facta iniusta, & tyrannicas oppressiones Dominus non probat.

V. 35. UT DECLINARET IUDICIUM VIRI IN CONSPECTU VULTUS ALTISSIMI. Alii: I. *Ut pervertat iudicium viri coram facie Altissimi*, id est sua, ut loquatur de Deo. II. *Deflectere*, vel *detorquere ius viri coram facie superioris*, subaudi, *non probat Dominus*, e versu sequente. עליון *ghelion*; potest hic esse vel proprium attributum Dei, vel commune cuivis superiori.

V. 36. UT PERVERTERET HOMINEM IN IUDICIO SUO, DOMINUS IGNORAVIT; quasi dicat: Nescit Dominus intervertere per fraudem aut calumniam causam ullius: non sunt hæ eius artes. Alii: I. *Per calumniam opprimere hominem in causa sua Dominus non novit*, vel *non vidit*; hoc est, ne cogitavit quidem. II. *Pervertere hominem in causa sua Dominus non videt*, seu *non probat*: ut Deuter. XII. 13.

V. 37. QUIS EST ISTE, QUI DIXIT UT FIERET, DOMINO NON IUBENTE? Alii: I. *Quis hoc dixerit, aliquid fieri quod Dominus non præcipiat?* II. *Et quo dicente existit aliquid, si Dominus non præceperit?* Quartum ethopœiæ argumentum, ut in vers. 22. observavimus.

V. 38. EX ORE ALTISSIMI NON EGREDIEN-

DIENTUR NEC MALA, NEC BONA? Alii: *Ex ore Excelsi an non prodit malum quodque & bonum?* quasi dicat, Adversa æque & prospera fiunt iubente Deo.

V. 39. QUID MURMURAVIT HOMO VIVENS, VIR PRO PECCATIS SUIS? Varie alii ex Hebr. I. Kimchius: *Quid vanitati & pravitati addictum se facit homo vivens, vir propter peccatum suum?* Apta sane interpretatio. II. Sancte in Thesauro: *Quid mentietur*, vel *lugebit homo vivens*, *&c.* Quidam exponunt: *Quid mentitur*, id est, inique secum cogitat, tollens Dei providentiam, homo vivens, vir super peccato suo, quasi eius peccato nulla sit a Deo pœna futura. III. Sanctes, Vatablus: *Cur dolet homo quamdiu vivit, vir super peccato suo?* quasi dicat: Insani sunt, qui peccando, sibi crucem adciscunt; quin potius investigent viam suam & revertantur ad Dominum, ut sequente versu dicitur. IV. Leo Iudæ: *Cur igitur afflictat se homo vivens, cum fortiter insistit peccato suo?* Mirabilis profecto sententia! quam ingens saxum volvant in ardua mortales instar Sisyphi obnixe peccatis insistendo. V. Forsterus: *Quid concupiscet homo unusquisque super errato suo?* ut sit illud Pauli: *Quem fructum habuistis tunc in illis, de quibus nunc erubescitis?* Romanor. VI. 21. Equidem nihil est in peccato quod dignum sit concupisci. VI. Marinus: *Quid perversum se reddet homo vivens, vir super peccato suo?* VII. Avenarius: *Quid indolescit homo vivens, unusquisque contra peccatum suum?* VIII. Tremellius, Iunius, Buxtorfius: *Cur quiritaretur homo vivens, vir propter pœnas peccatorum suorum?* Peccatum pro pœna peccati passim in sacris litteris; quasi dicat, Nihil est quod conqueratur homo de pœnis sibi ob peccatum inflictis, nam iustissime eas in se peccando accersit. Verbum in *Hithpahel*, quod hic ponitur יִתְאוֹנֵן *hithonen*, varie exponunt; nam alii ab אנה *anah*; alii ab אוה *avah*, seu און *aven*, deducunt: vide Numer. XI. 1.

V. 40. SCRUTEMUR VIAS NOSTRAS, ET QUAERAMUS, &c. Alii: I. *Pervestigemus potius vias nostras*; id est quomodo vixerimus, *easque scrutemur*, & *revertamur ad Dominum*. II. *Perscrutemur vias nostras, & pervestigemus, atque revertamur usque ad Iehovam*. Hortatio, ut diximus in vers. 22. ad tertiam capitis partem metabatica, sive transitoria.

V. 41. LEVEMUS CORDA, &c. Alii: *Attollamus animum nostrum cum manibus ad Deum fortem in cælis, dicentes.*

V. 42. NOS INIQUE EGIMUS, &c. Quidam reddunt. I. *Nos prævaricati fuimus, & descivimus, & tu non fuisti propitius.* II. *Nos defecimus & rebellavimus, tu non condonas.* Tertia hæc pars capitis, oratio Ecclesiæ, continet primum confessionem peccati, hoc versu; cum amplissima expostulatione malorum ex peccatis advenientium, usque ad vers. 35. deinde vero postulata salutis ad populum Dei perventuræ, & iudiciorum in adversarios, ad finem usque capitis. *Tu non condonas*; id est, ac proinde nos flagellas defectionum nostrarum ac rebellionum nomine.

V. 43. OPERUISTI IN FURORE, &c. Alii: I. *Umbraculum obtendisti in ira*; quasi dicat: Posuisti tentorium furoris tui ne videremus iram tuam venientem, quasi tentorio absconditam. Vel *posuisti iram tuam tamquam interstitium inter nos & te, ut non liceret in nostris flagellis ad te confugere: & persecutus es nos, trucidasti, & non pepercisti*. II. *Obtegis ira & persequeris nos, interficis, non uteris clementia*; id est, Obruis nos ira, & opprimis.

V. 44. OPPOSUISTI NUBEM TIBI, NE TRANSEAT ORATIO. Alii: *Obtegis nube te, ne pertranseat oratio*; quasi dicat: Nube quasi scuto te obtegis ne ad te nostra oratio penetret.

V. 45. ERADICATIONEM. סחי *sechi*, exponunt, *abrasionem*, *sordes abrasas*, *purgamentum*, *lustramentum*, *exuerras*, ut Latini antiqui dicebant: *peripsema* disertissime vertit Paulus I. Corinth. IV. 13. Vide Com. in eum locum. Quidam hic *nauseam* reddunt. ET ABIECTIONEM, מאוס *maos*, nomen infinitum, proprie *fastiditionem*, *abominationem*, *fastidium*, *reprobationem*, *spretionem*, *reiectionem*, *reiectamentum*. Nec dubitet eruditus Paulum eodem loco pluraliter reddidisse *pericatharmata*, id est *purgamenta* seu *lustramenta*: nam ad hunc locum respexisse, hincque verba sua, inverso ordine, desumpsisse Apostolum, luce meridiana fulgentius est. Ergo versum hunc ex Hebr. exponunt: I. *abrasionem et abiectionem posuisti nos in medio populorum*; id

id est, reiectos & contemptos reddidisti nos inter populos. II. *purgamentum et reiectamentum statuis nos in medio istorum populorum.*

V. 46. APERUERUNT SUPER NOS OS SUUM. Alii: *Dilatant*, seu *diducunt contra nos os suum*. Vide supra cap. II. 16.

V. 47. FORMIDO ET LAQUEUS, &c. Alii I. *Pavor & fovea evenit nobis, vastatio & conquassatio*; id est, more paventium fugientes incidimus in foveam, vastationem, conquassationem. II. *Pavor & fovea adest nobis, vastatio & fractura*, seu *contritio*.

V. 48. DIVISIONES AQUARUM DEDUXIT OCULUS MEUS. Hebr. *Divergia*, vel *pelagos aquarum descendet*, vel *descendere faciet*. Vide de hac locutione supra cap. I. 16. Alii I. *Rivis*, vel *rivulis aquarum descendit*, seu *defluit*, aut *perfluit oculus meus, propter fracturam filiae populi mei*. II. *Rivos aquarum dimanat oculus meus propter afflictionem filiae*, &c. III. *Rivi aquarum descendunt ex oculo meo*, &c. IV. *In rivos aquarum descendit*, id est solvitur *oculus meus*, &c.

V. 49. OCULUS MEUS AFFLICTUS EST, &c. Alii: *Oculus meus defluit, nec quiescit*, seu, *desistit ex eo quod nullae sunt intermissiones*. II. *Oculus meus extractus est, & non cessavit*, seu *non quiescit, neque intermissiones* sunt ei; quasi dicat: Extrahitur, evellitur mihi oculus prae fletu sine ulla intermissione: ut supra cap. II. 18.

V. 50. DONEC RESPICERET, ET VIDERET DOMINUS DE CAELIS. Alii: *Donec prospiciat, & videat Iehova e caelis*; id est, opere demonstret se prospicere: humanitus dictum. De verbo שקף *schakaph*, *prospexit*, vide Deuteron. XXVI. 15.

V. 51. OCULUS MEUS DEPRAEDATUS, &c. Alii: I. *Oculus meus dolore affecit animum meum propter cunctas filias urbis meae*. II. *Oculus meus causa fuit animae meae ab omnibus filiabus urbis meae*. III. *Oculus meus vindemiat animam meam*, vel *dolorem facit animae meae supra omnes filias civitatis meae*; quasi dicat, Plus flevi, quam omnes filiae populi mei. IV. *Oculus meus afficit*, seu *conficit animam meam propter omnes filias civitatis meae*. V. *Oculus meus deracemavit, dehonestavit, incommodavit animae meae de omnibus filiabus urbis meae*. Vide de hoc erbo supra cap. I. 23. & II. 20. *filias civitatis suae* vocat, aut minora oppida regni sub metropoli, aut mulieres cives Ierosolymitanas, quae maiori commiseratione dignae esse solent.

V. 52. VENATIONE CEPERUNT ME, &c. Alii: *Omnino venantur me tamquam aviculam, inimici mei gratis*, seu *immerito*, *sine causa*.

V. 53. LAPSA EST IN LACUM VITA MEA, &c. Alii I. *Oppresserunt in puteo vitam meam, & iecerunt lapidem in me*. II. *Exscindentes deiiciunt in foveam vitam meam, & proiiciunt lapides in me*.

V. 54. INUNDAVERUNT AQUAE, &c. Alii: I. *Eructaverunt, operuerunt, aquae super caput meum*; *dixi*, *Decisus sum*. II. *Fuderunt aquas super caput meum*; *dixi*, *Abscissus sum*; id est, actum est de me. III. *Exundantibus aquis supra caput meum, dico*, *Succisus sum*: ut Psalm. CXXIII. 4. & 5.

V. 55. INVOCAVI NOMEN TUUM DOMINE DE LACU NOVISSIMO. Alii: I. *Invocabam nomen tuum, Iehova, de altissimo puteo*, seu *e lacu interiorum*, hoc est profundissimo. II. *Invoco nomen tuum, Iehova, e cisterna infimorum locorum*, seu *e fovea infima*: ut Psalm. LXXXVII. 7. Secundum orationis membrum, ut diximus in vers. 32. comprehendit postulata duo causis coniuncta, unum est salus piorum, cum propter fidem & antegressam beneficiorum Dei experientiam, hoc versu, & tribus sequentibus; tum propter inimicorum perversitatem, vers. 59. alterum est, excidium & ultio inimicorum propter improbitatem cogitationum, sermonum, & factorum, cuius illi sunt rei coram Deo, usque ad vers. 65. quae duo summatim repetuntur, duobus reliquis versibus.

V. 56. VOCEM MEAM AUDISTI, &c. Alii: I. *Vocem meam audisti, ne abscondas aurem tuam ad respirationem meam*, seu *ad suspirium meum*. II. *Vocem meam exaudivisti, ne occultes aurem tuam ad respirationem meam, in vociferatione mea*; id est, ut clamore meo obtineam respirationem, refocillationem, refrigerium.

V. 57. APPROPINQUASTI IN DIE, &c. Quidam: *Appropinquans, quo die invocabam te, dicebas, Ne timeto*.

V. 58. IUDICASTI DOMINE CAUSAM ANIMAE MEAE, REDEMPTOR VITAE MEAE. Alii: I. *Litigasti*, Adonai, *lites animae meae*,

meæ, redemisti vitas meas. II. *Defendisti*, Domine, *causam animæ meæ*, *asseruisti vitam meam*; id est, liberasti me a morte. III. *Agens*, Domine, *causas animæ meæ*, *vindicabas vitam meam*. IV. *Rixatus es* Adonai *rixas animæ meæ*, &c.

V. 59. VIDISTI DOMINE, &c. Alii: I. *Vidisti Iehova*, *calumniam meam*, id est quam hostes mihi struunt, *iudica iudicium meum*, id est, assere, defende, age causam meam. II. *Vides*, *o Iehova*, *perversitatem meam*, id est quæ exercetur in me, &c. III. Forsterus: *Vidisti*, *Iehova*, *curvationem meam*, vel *mei*; id est, qua me curvant & opprimunt.

V. 60. VIDISTI OMNEM FUROREM, &c. Alii: *Vides totam ultionem istorum*, id est studium nocendi mihi, *omnes cogitationes istorum contra me*.

V. 61. AUDISTI OPPROBRIUM EORUM. Alii: *Audis probrum istorum*, quo scilicet me afficiunt.

V. 62. LABIA INSURGENTIUM, &c. Quidam: *Sermones insurgentium in me*, & *meditationem istorum adversum me tota die*; id est, quæ garriunt adversarii mei ac demurmurant adversum me iugiter.

V. 63. SESSIONEM EORUM, &c. Alii: *sedere istorum & surgere istorum intuere*: ut Psal. CXXXVIII. 2. *me esse modulationem istorum*, ut supra vers. 14.

V. 64. REDDES EIS VICEM, &c. Alii: *Redde eis retributionem*, *Iehova*, *secundum opus manuum ipsorum*, ut Psalm. XXVII. 4. & XCIII. 2.

V. 65. DABIS EIS SCUTUM CORDIS, מגנה *meghinnah*, *a* מגן *miggen*, exponunt, *circumclusionem*, *clausuram*, *cincturam*, *circumcinctionem*, *compressionem*, *traditionem*, *abiectionem cordis*, ut cor tradant, abiiciant & perdant: גנן *a ghanan*, vero, *circummunimentum scutum*, *clypeum*, *compactionem*, *tegumentum*, *obtegumentum*, *obturationem*, *duritiem cordis*. Confert cum II. Corinth. III. 14. & 15. ubi dicitur κάλυμμα *Velamen*. LABOREM TUUM. Transpositis litteris legit תלאה *thelaah*, *laborem*, *defatigationem*, *molestiam*. Sed scribitur תאלה *thaalah*, *adiurationem*, *execrationem*, *imprecationem*, *maledictionem*: unde versum varie reddunt. I. Sanctes: *Dabis eis dolorem cordis maledictionem tuam eis*. II. Leo Iudæ: *Dabis eis circumcinctionem cordis*, & *execrationem tuam dabis eis*. III. Vatablus: *Dabis eis clypeum cordis*; id est, vallabis eos afflictionibus. IV. *Dabis eis obtegumentum cordis* vel *obturationem cordis*, id est cor durum, obvelatum & cæcum, ut II. Corinth. III. 14. & 15. Ita Avenarius, Schindlerus, Buxtorfius. V. Forsterus: *Dabis eis cincturam*, seu *clausuram*, vel *compressionem cordis*, *imprecationem tuam illis*; id est, ut medici vocant, cardiacam passionem, qua cor quasi obtegitur, clauditur, constringitur, & veluti suffocatur. Hispani dicunt, *Cubrirse elcorazon*. Hispanicus Interpres: *Dales ansia de corazon*, *dales tu maldicion*. Hunc & sequentem versum Tremellius, & Iunius ita exponunt: *Indito illis abiectionem animi*, *execrationem tuam ipsis*. Id est, humilia & deprime illos quocumque modo. Hanc interpretationem confirmant sequentia. *Persequere ira*, & *perde eos*, *ne sint sub cælis*, *Iehova*. Amplificatio per antithesin insolentissimæ hostium arrogantiæ, qui non modo terram, sed ipsum quoque cælum (cuius aerem viris omnibus communem esse natura docet) sui iuris esse confidunt, ac proinde non dubitant bonis eripere, quos heredes cæli & terræ constituit Dominus.

MENOCHII.

Vers. 1. EGO VIR. Hebr. *Ego vir ille*. VIDENS: qui experior, aut expertus sum. Vel, vaticinans, & præcognoscens paupertatem, id est miseriam, & afflictionem meam, & populi mei; quasi conqueratur Ieremias, quod nemini prophetarum tam tristia, & calamitosa prædicenda fuerint; ac si diceret; Ego infelix ille propheta sum, cui tristia tantummodo, & sæva populo prædicenda committuntur. IN VIRGA INDIGNATIONIS EIUS: in castigatione, qua peccatis meis, meorumque civium offensus, & iratus Deus me cum civibus meis castigat. Alludit ad virgam vigilantem: Ierem. I. 11.

V. 2. MINAVIT, duxit. IN TENEBRAS, afflictionum, & dolorum.

V. 3. TANTUM IN ME VERTIT, &c. id est, nihil aliud facit Deus per totos dies, quam me colaphis, & alapis cedere. Italice diceremus: *Tutt' il giorno m' ha le mani adosso*.

V. 4. VETUSTAM FECIT, &c. intempestivam senectutem, & rugas induxit cuti & car-

& carni meæ, magnitudine & assiduitate ærumnarum. CONTRIVIT OSSA MEA : vehementibus, & multis inflictis plagis.

V. 5. AEDIFICAVIT IN GYRO MEO, &c. id est, undique vallavit, & circumcinxit me laboribus, & periculis, quæ nomine fellis, & laboris designat, ut effugio non sit locus.

V. 6. IN TENEBRIS : locis, rebus nimirum adversis. QUASI MORTUOS SEMPITERNOS, id est quibus nulla est spes resurgendi ad hanc vitam, licet sint vitæ reddendi in communi resurrectione mortuorum.

V. 7. CIRCUMAEDIFICAVIT ADVERSUM ME, &c. quasi murum, aut sepem circumdedit mihi. AGGRAVAVIT COMPEDEM MEUM : gravibus compedibus vinxit me. AErumnas, & calamitates suas, intelligit, & populi sui.

V. 8. CUM CLAMAVERO. Futurum pro præterito; id est cum clamavi.

V. 9. CONCLUSIT VIAS MEAS, &c. hoc est, tam multis obsepsit difficultatibus, ut nullum pateret effugium, ut iis accidit, qui numero non tumultuario opere facto, sed ex lapide quadrato cincti sunt. SEMITAS MEAS PERVERTIT : fecit ut omnia mihi male succederent.

V. 10. URSUS, &c. Deus qui mihi pater, & adiutor esse solebat, mutatus est mihi in ursum, & in leonem insidiantem mihi; ita male habitus sum, ut possit alicui videri Deus more ferarum ex insidiis quodammodo in me irrupisse, & funditus perdidisse.

V. 11. CONFREGIT : attrivit, & comminuit me. POSUIT ME DESOLATAM: desolavit me, in solitudinem redegit.

V. 13. FILIAS PHARETRAE SUAE : sagittas suas, quæ filiæ pharetræ dicuntur, quia in pharetra, sicut filiæ in utero matris, conduntur: Sic Horatius pharetram *gravidam sagittis* appellat. Ode XXII. Lib. I.

V. 14. FACTUS SUM IN DERISUM, &c. Contemnor ab omnibus, & factus sum omnium fabula, & cantilena.

V. 15. INEBRIAVIT ME ABSINTHIO, copiose potavit, & satiavit amaritudine : & felle ærumnarum, & dolorum.

V. 16. FREGIT AD NUMERUM DENTES MEOS ; quasi dicat: Ad unum, ordine, & sigillatim omnes dentes meos confregit, dum videlicet tempore obsidionis, & captivitatis lapidoso pane, & calculis pleno, præ penuria, & paupertate utendum fuit. CIBAVIT ME CINERE. Vel est repetitio superioris hemistichii, & significatur pane insipido, & pulvere pleno obsessos, & captivos usos fuisse: vel dolor significatur, & mœror propter calamitates : olim enim qui versabantur in luctu sedebant in cinere, qui manibus, vestibus, cibis eorum adhærescebat, ideoque dictum est Psalm. CI. 10. *Quia cinerem tamquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.*

V. 17. REPULSA EST A PACE, &c. longe abfuit animus meus, ut ullam pacem aut tranquillitatem haberet. OBLITUS SUM BONORUM; id est, iamdiu nihil prosperum experior.

V. 18. PERIIT FINIS MEUS, &c. effluxit tempus constitutum vitæ meæ. Actum est de me. Vel sensus est, periit mihi spes videndi finem calamitatum mearum : est Hebraismus, sic enim etiam dicunt, *Periit fuga a me*, periit gaudium, pro, fuga non patet, lætitia extincta est.

V. 19. PAUPERTATIS, ET TRANSGRESSIONIS MEAE, id est miseriæ, & transgressionis, qua scilicet cives mei Iudæi in me affligendo amicitiæ, & humanitatis iura violant, & transgrediuntur. ABSINTHII, ET FELLIS : ærumnarum, & afflictionum, quæ quasi fel, aut absinthium amaræ sunt.

V. 20. MEMORIA MEMOR ERO, &c. alte insidebit memoriæ meæ calamitas mea, & hæc recordatio me propemodum tabescere faciet.

V. 21. HAEC RECOLENS, &c. cogitans tamen fore, ut aliquando ad feliciorem statum revocet, spem, quam fere abieceram iterum resumo.

V. 22. MISERICORDIAE DOMINI, &c. id est, misericordia Domini factum est, ut non simus penitus consumpti, quia eius miserationes infinitæ sunt & deficere non possunt.

V. 23. NOVI : non est præteritum verbi *Nosco*, sed nominativus pluralis nominis *Novus*, ut patet ex Hebræo, חדשים *chadascim* : Novi fructus misericordiæ Domini existunt. DILUCULO. In Hebræo est, לבקרים *labbeqarim*, id est singulis matutinis, quolibet mane: significat hæc phrasis frequentiam beneficiorum, & solicitam, ac promptam Domini in nos beneficentiam.

MUL-

Multa est fides tua; id est, semper præstas quæ promisisti. Pars mea Dominus, &c. Dixit animus meus, consideravit, & apud se statuit Deum partem meam, portionem, hereditatem, & remunerationem meam. Expectabo eum: donec ille mihi ferat auxilium; donec ex huius vitæ ergastulo eductus illi iungar.

V. 25. Bonus; propitius.

V. 26. Praestolari cum silentio: expectare cum silentio patienter, sine querimoniis, & murmurationibus. Salutare Dei: salutem, & a malis liberationem cuius auctor est Deus.

V. 27. Iugum, legis, & mandatorum Dei.

V. 28. Sedebit solitarius, et tacebit: quietus erit, & patiens iugo Domini cui assuevit edomitus. Solitarius; hoc est, singularis, & solus; vel, quod fugiat commercia, & consortia malorum, cum solo Deo agens; vel quod ab omnibus etiam proximis deseratur, pauper, & indefensus. Quia levavit super se: iugum Domini: cui collum per obedientiam submisit.

V. 29. Ponet in pulvere os suum; id est, humiliabit se usque ad terram, submittet se Deo, adorans pronus, & vultu in terram usque ad pulverem demisso. Si forte sit spes: quia spes illum tenet fortasse Deum misericorditer acturum. Particula *si* non est hoc loco plane dubitantis, sed more Hebræorum affirmantis; nam ex humilitate, & patientia concipitur spes, quæ non confundit.

V. 30. Dabit percutienti se maxillam. Describit singularem patientiam viri, qui ab adolescentia sua iugum Domini portaverit; quod quamvis generaliter dictum sit, tamen specialiter de Christo intelligendum erat, qui omnis patientiæ exemplum fuit, quemadmodum veteres auctores Ecclesiastici interpretantur. Saturabitur opprobriis: plurimis afficietur opprobriis: significatur non solum patienti, sed læto etiam, & alacri animo laturum opprobria.

V. 31. Quia non repellet; quasi dicat: Hoc autem faciet iustus, faciens, & considerans, *quia non repellet in sempiternum Dominus*, sed quem castigando erudit, non abiiciet.

V. 32. Quia si abiecit, &c. licet enim videatur Deus iustum ad tempus abiecisse, rursum miserebitur, quippe qui multum est misericors.

V. 33. Non enim humiliavit ex corde suo; id est, non affligit Deus homines ex animo, quasi illorum malo delectetur, sed id facit quodammodo coactus eorum peccatis.

V. 34. Ut contereret, &c. Quæ hoc versiculo, & duobus sequentibus dicuntur pendent ex verbo illo *ignoravit*, quod est in fine vers. 36. & repetendum est in singulis, hoc modo, *Deus ignoravit, ut contereret sub pedibus suis omnes vinctos terræ*, id est displicuit ei conterere, non est visum bonum conterere: simili phrasi dicimus Italice, *Non sa far male a niuno*. Conterere sub pedibus est graviter affligere, & funditus perdere. Vinctos terrae: Iudææ scilicet id est omnes Iudæos a Chaldæis captos, & vinctos.

V. 35. Ut declinaret, &c. Deus ignorat declinare iudicium, id est non iusta lance merita ponderare. In conspectu vultus Altissimi: in conspectu suo, qui altissimus est. Loquitur Deus de se in tertia persona.

V. 36. Ut perverteret hominem, &c. Deus ignorat hominis causam, & iudicium pervertere.

V. 37. Quis est iste, &c. id est, hæc cum ita sint, quis audeat dicere fieri quidquam Domino non iubente, id est sine eius voluntate, & providentia?

V. 38. Ex ore Altissimi, &c. Pendet hæc sententia ex superiori, & repetendum: Quis est qui audeat dicere ex ore Altissimi, id est illius nutu, voluntate, & præcepto non evenire mortalibus bona, & mala.

V. 39. Quid murmuravit, &c. quasi dicat: Cur ergo murmurant, & queruntur mortales cum malis exercentur, cum omnia divina Domino eveniant providentia. Nulla enim res magis nos in rebus adversis consolari potest, quam si cogitemus omnia divino consilio fieri, & nostram culpam, divinamque iustitiam agnoscentes dicamus: *Cognovi Domine, quia æquitas iudicia tua, & in veritate tua humiliasti me*: Ps. CXVIII. 75. Vir pro peccatis suis. Quid murmurat homo pro pœna peccatorum suorum?

V. 40. Scrutemur vias nostras: dicta,

&a, facta, cogitata nostra ad examen vocemus.

V. 41. LEVEMUS CORDA NOSTRA CUM MANIBUS, &c. orantes Dominum ex animo.

V. 42. IDCIRCO TU INEXORABILIS ES: non parcis sed pergis flagellis atterere.

V. 43. OPERUISTI IN FURORE; id est, furorem, & iram quasi velum obtendisti tibi, ne quemquam agnosceres, videres, vel precantem audires, sed percutere posses a nemine exoratus.

V. 45. ERADICATIONEM, ET ABIECTIONEM, &c. id est, tradidisti populum tuum, ut e solo patrio eradicaretur, & huc illuc eiiceretur, ut dixerat supra cap. XVIII. 7. *Repente loquar adversus gentes, & adversus regnum ut eradicem, & destruam, & disperdam illud.*

V. 46. APERUERUNT SUPER NOS OS SUUM, id est locuti sunt contra nos, irriserunt nos, convitiati sunt nobis, ut cap. superiori num. 16.

V. 47. FORMIDO ET LAQUEUS, &c. id est, venit nobis formido, laqueus, & contritio, quemadmodum nobis prophetæ vaticinati fuerunt. Sane Isa. XXIV. 17. dixerat: *Formido, & fovea, & laqueus super te, qui habitator es terræ.* Vel, sensus est; quasi dicat: Vaticinata supplicia a Ieremia, & prophetis iniecerunt nobis formidinem, & ex formidine laqueum, & contritionem; dum enim ea timuimus, & evitare voluimus rebellando a Chaldæis contra præceptum Dei, & Ieremiæ, tunc incidimus in captivitatem, & ruinam.

V. 48. DIVISIONES AQUARUM: rivos aquarum, id est lacrymarum. OCULUS, id est oculi, singularis numerus pro plurali. FILIAE POPULI MEI, id est Ierusalem; vide dicta cap. I. 15.

V. 49. NEC TACUIT: nec cessavit a lacrymarum effusione. Vide dicta cap. II. 8. ET QUOD NON ESSET REQUIES: a lacrymis, vel a malis, & ærumnis; nullusque esset qui consolationem, aut levamentum afferret.

V. 50. DONEC RESPICIET, &c. id est, donec exoretur Deus.

V. 51. OCULUS MEUS DEPRAEDATUS EST ANIMAM MEAM: oculus meus flendo depopulatus est omnem succum, & spiritum vitalem. IN CUNCTIS FILIABUS URBIS MEAE: cum scilicet videret filias urbis meæ, id est urbes Iudææ Ierosolymis vicinas, funditus eversas: miserabilis vastatarum urbium aspectus uberem fletum elicuit.

V. 52. VENATIONE CEPERUNT ME. In Hebr. est, *Venando venati sunt me*, id est summo studio persecuti sunt me, quasi venatores cum feras insectantur, aut aucupantur aves. GRATIS, sine mea culpa; licet enim in Deum peccassem, non tamen Chaldæos ulla in re violaveram.

V. 53. LAPSA IN LACUM, &c. coniectus sum in carcerem. POSUERUNT LAPIDEM, &c. quo scilicet os putei, laci aut carceris obstrueretur. Videtur alludere Ieremias ad lacum in quem a principibus proiectus fuerat, cap. XXXVIII. 6.

V. 54. INUNDAVERUNT AQUAE, laci: vel per metaphoram vocat res adversas: sic Psal. LXVIII. 2. *Salvum me fac Domine quia intraverunt aquæ usque ad animam meam.*

V. 55. DE LACU NOVISSIMO: ex imo carcere.

V. 56. AUDISTI: fortasse est præteritum pro imperativo, *Vocem meam audi*: sic etiam explicari potest, quod sequitur, *Appropinquasti*, &c. Vel, sensus est, Audivisti me, cum me per Eunuchum Abdemelech carcere liberasti: Ierem. XXXVIII.

V. 57. APPROPINQUASTI: accede ad me, & auxiliarem manum porrige. Vel accessisti, & auxilium tulisti.

V. 58. IUDICASTI: iudica, defende caussam vitæ meæ. REDEMPTOR: qui me e malis eripis.

V. 59. IUDICA IUDICIUM MEUM, discerne inter caussam meam, & caussam illorum, & pro me, qui innocens sum, pronuncia. Italice diceremus, *Fatemi ragione.*

V. 61. OPPROBRIUM ILLORUM; quo illi me affecerunt.

V. 62. LABIA, &c. scilicet audisti. INSURGENTIUM MIHI, id est contra me. MEDITATIONES EORUM: quæ contra me machinantur.

V. 63. SESSIONEM, ET RESURRECTIONEM, id est omnia quæ faciunt, ut Psal. CXXXVIII. 2. *Tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam.* SUM PSALMUS EORUM, id est materia cantionum, & risus vide supra num. 14.

V. 65. SCUTUM CORDIS. In Hebræo est le-

elegans paronomasia, pro נגינה *negina*, id est cantico sunt quo psallunt in me. Dabis eis iuste, & apte מגינה *megina*, id est scutum, vel circumeinctionem cordis, id est mœrorem, & angorem, qui cor cingat, claudat, angat, & opprimat. LABOREM TUUM: laborem, & afflictionem, qua inimicos tuos affligere soles.

V. 69. SUB CAELIS. In Hebræo est, *De sub cælis*, id est de terra; eos e medio tolles.

T I R I N I.

Vers. 1. EGo Ieremias VIR ille sum, qui PAUPERTATEM; Hebraice & Chaldaice, *afflictionem*, MEAM meorumque civium immissam nobis IN VIRGA, id est per virgam *a*, INDIGNATIONIS & iræ divinæ, non solum ante prædixi, ut Isaias, Sophonias & quidam alii Prophetæ, iam pridem defuncti prædixerunt: neque eminus audivi, ut audivit Ezechiel degens in Babylone; sed coram *vidi* oculis meis, & præsens bonam eiusdem partem exsorbui. Ante omnia enim Deus per lictores suos, impios Iudæos.

V. 2. ME MINAVIT; Hebraice, *deduxit*, quasi imbellem oviculam, IN TENEBRAS, id est in carcerem tenebrosum, ET NON IN LUCEM, id est in quo nulla erit lux; quasi dicat: In meras & Cimmerias tenebras. Historiam habes Ieremiæ XXXII. & XXXVIII. Metaphorice e per *tenebras b* significantur res adversæ, uti prosperæ per *lucem*.

V. 3. TANTUM hoc agere mecum visus est Deus, ut TOTA DIE, id est continuo, MANUM suam ultricem IN ME flagellando vel colaphizando *verteret & converteret*, nunc hanc, nunc illam genam feriendo. Et his assiduis verberibus, inedia, fame, siti, aliisque ærumnis, ex iuvenili, succulenta, speciosa visu,

V. 4. VETUSTAM, exsuccam, corrugatam & fœdam FECIT PELLEM *c* MEAM, ET CARNEM: simulque CONTRIVIT OSSA MEA, & vires omnes corporis & animi: ita Origenes, S. Thomas & Dionysius.

V. 5. IN GYRO MEO, id est circumcirca, AEDIFICAVIT mihi vallum & muros carceris, *circumdans* ME FELLE ET LABORE, id est amaritudine & molestia.

V. 6. IN TENEBROSIS specubus COLLOCAVIT ME, sicut collocare solemus in sepulcris MORTUOS SEMPITERNOS, id est in perpetuum morti & oblivioni datos. Sic Ezechiel cap. XXXVII. Iudæos Babylone captivos vocat *mortuos*, & Babylonem *sepulcrum* eorum, & reditum e Babylone *resurrectionem a mortuis*.

V. 9. LAPIDIBUS QUADRIS, & inde constructis muris firmissimis, CONCLUSIT VIAS MEAS *d*, ne qua parte possim evadere vel erumpere: sic SEMITAS omnes MEAS, seu quæ mihi ad effugium servire possent, *subvertens*, & omnem spem & modum evadendi præripiens.

V. 11. CONFREGIT; Hebr. *discerpsit*, ME, a capite ad talos convellens & conterens me.

V. 12. & 13. POSUIT ME QUASI SIGNUM, seu scopum: ad quem configendum tam ipse, quam omnes alii *filiabus* PHARETRAE SUAE, id est telis suis, colliment *e*.

V. 16. FREGIT AD NUMERUM, id est ordine & sigillatim numerando ac designando omnes DENTES MEOS, CIBANDO ME CINERE, seu subcinericiis panibus, quibus ut plurimum admixti sunt calculi vel lapilli, quos dum mordemus, dentes frangimus: ita Chald. LXX. Vatablus & Hebræi. Seneca *f*, beneficium quod noxam vel cruciatum affert vocat *panem lapidosum*.

V. 17. ANIMA MEA; id est, ego, *repulsus sum* A PACE, id est spoliatus sum pristina felicitate, quiete & gaudio, & OBLITUS SUM BONORUM; id est, excussa mihi est memoria omnium priorum bonorum.

V. 18. PERIIT FINIS MEUS; id est, nullus erit mihi finis miseriarum. Sic Hebræi dicunt, *Periit spes mea, periit fuga a me, periit gaudium*; id est, nulla mihi superest spes, nullum effugium, nullum gaudium. Dicant hoc reprobi æternum damnati, quibus pro maximo cruciatu est cogitatio æternitatis pœnarum. Propheta sic desperat cum oculos ad humana præsidia flectit: nam cum ad Deum respicit, spe plenus,

V. 19. RECORDARE, inquit, o Deus, PAUPERTATIS, id est miseriæ ET TRANSGRESSIONIS MEAE; Hebr. *contra me*; nempe transgressionis limitum iustitiæ, amicitiæ, humanitatis, quos omnes transgrediuntur cives mei, me tam iniuste & inhumani-

niter incarcerando, opprimendo, conterendo: ita Chaldæus, LXX. Hugo, Dionysius Lyranus. ABSYNTHII quoque ET FELLIS *g*, id est amarissimæ afflictionis & persecutionis. Cuius dum

V. 20. MEMORIA sola mihi occurrit, *tabescit* IN ME, & instar ceræ liquescit & fatiscit ANIMA MEA: ita Theod. & Rupertus.

V. 21. RECOLENS tamen eadem hæc omnia mala quibus involvor & obruor, simulque oculos ad Deum attollens, etiam IDEO SPERABO; id est, propter tantum cumulum miseriarum spero flectendum Deum ad misericordiam. In maximis enim malis gaudet adesse suis Deus. Et vero est adhuc cur gratias debeamus tam bono Domino.

V 22. MISERICORDIAE enim illius asscribendum, QUIA ob tam multa, tantum proba scelera in ipsum admissa NON SUMUS *h* prorsus *consumpti*, ut exigebat eius infinita iustitia.

V. 23. NOVI; Hebraice, *chadascim*, id est recentes, supple, sunt effectus misericordiæ tuæ, quibus DILUCULO, seu summo mane, id est sollicite, celeriter & oportune nos prævenis: ita LXX. Pagninus, Vatablus & alii, qui vertunt, *novæ quotidie apparent in nos misericordiæ tuæ*. Alludere videtur ad reductum e carcere Babylonico Manassen *i*, Ioakim k, & cum illis proceres reliquos. MULTA enim, immo immensa, EST FIDES, id est fidelitas & veracitas, TUA in promissis complendis, quibus nominatim promisisti Davidi, *Si dereliquerint filii tui legem meam, visitabo in virga iniquitates eorum: misericordiam autem meam non dispergam ab eo*: ita Lyranus, Dionysius & Vatablus. Unde

V. 26. Bonum, id est utile, EST homini, SALUTARE DEI, id est salutem (ut vertunt LXX.) a Deo PRAESTOLARI CUM SILENTIO, id est sine murmure, sine querela, sine animi perturbatione, patienter, tacite & tranquille submittendo se nutui divino.

V. 27. BONUM item VIRO CUM IUGUM adversitatum & afflictionum a Deo immissarum, sic patienter PORTAVERIT *l* AB ADOLESCENTIA SUA. Hoc enim domatur fervor ætatis illius, arcentur illecebræ peccatorum, roboratur animus, & innumeris præmiis occisiones subministrantur.

V. 28. SEDEBIT patiens, tranquillus, securus & SOLITARIUS, nulli humano auxilio vel solatio inhians, solius Dei nutu contentus, ET TACEBIT, ac generose feret, ut supra *m*: QUIA non invitus aut reluctans, sed lubens ac lætus LEVAVIT iugum hoc Domini SUPER SE: ita Origenes, Theodoretus, Olympiodorus, Vatablus, & versio Syriaca atque Arabica.

V. 29. PONET IN PULVERE OS SUUM, id est humiliabit se, usque in pulverem deiiciens se, & vultu in terram demisso Deum adorans, & quasi reus ac supplex veniam postulans, SI FORTE hac sui deiectione atque humili prece *spei* suæ ac voti compos fiat. Sic e contrario, *ponere in cælum n os suum*, est superbe atque arroganter de se sentire & loqui, & quasi Deo insultare: ita Origenes, Rabanus, Vatablus & Lyranus.

V. 30. DABIT ultro & volens MAXILLAM PERCUTIENTI SE; id est, exponet se lubens alapis, flagellis, probris, aliisque iniuriis. Alapa enim non tantum dolorem, sed & ignominiam pudoremque insignem infligit. Sic Paulum *colaphizabat o* angelus satanæ, id est egregie humiliabat & pudore afficiebat per tentationem libidinis.

V. 32. SI Deus ABIECIT, ist est videtur abiecisse afflictum, & quasi ad tempus deservisse, nihilominus tamen iterum MISEREBITUR *p* illius,

V. 33. NON ENIM EX CORDE SUO, seu ex animi sui sententia, sed amore nostri & in bonum nostrum HUMILIAVIT, afflixit, & quasi ABIECIT nos cum peccaremus. Proprium *q* enim Deo est misereri ac benefacere: sed violentum & quasi contra naturam affligere & punire: unde non est ei volupe.

V. 34. CONTERERE instar tyranni SUB PEDIBUS SUIS VINCTOS TERRAE, id est miseriis adstrictos in terra, inquit S. Tho. uti nunc per Chaldæos conterit OMNES *vinctos* Iudæos *terræ* Palæstinæ: ita Hugo. Multo minus

V. 35. DECLINAT a iusto IUDICIUM, seu causam cuiuspiam IN CONSPECTU VULTUS ALTISSIMI, id est coram se, ex inordinato affectu vel favore libram deprimendo in unam, vel in alteram partem.

V. 36. Ad *pervertendum* HOMINEM, id est

est hominis causam, seu *iudicium*. Hæc omnia IGNORAVIT DOMINUS, id est, numquam practice novit, id est numquam talia fecit Deus. Quid igitur? Si mala hæc omnia quæ nunc Iudæis incumbent; non obvenerunt ipsis *ex corde*, seu ex beneplacito Dei (ut Theologi loquuntur;) an ergo a fortuna vel casu omnia ipsis occurrerunt? Respondet, impium & insulsum esse id dicere, nec in cerebrum ullius cadere posse: ita Theodoretus, Rupertus & Hugo.

V. 37. QUIS EST ISTE tam vecors, tam stultus, *qui dicere ausit*, hoc *factum* DOMINO NON IUBENTE, non decernente? aut

V. 38. MALA, id est, adversa, & BONA, id est prospera, NON *egredi* EX ORE r ALTISSIMI, id est ex decreto & ordinatione Dei? Summo id peccatoribus solatio, nihil ipsis obvenire nisi a manu & ex nutu Dei.

V. 39. QUID ergo *murmuret* quispiam cum punitur PRO PECCATIS SUIS, quasi vel casu incurrerit in mala, vel negligatur, vel odio habeatur a Deo? Potius imputet sceleribus suis, quæ adhuc longe severiores pœnas deposcunt? dicatque cum Propheta: *Iram Domini portabo f quoniam peccavi ei*: &, *Iustus es Domine t, & rectum iudicium tuum*: ita Hugo, S. Thomas & Lyranus. Igitur seposito murmure, discussa diffidentia, depulsa inutili tristitia, remedium malis nostris quæramus.

V. 40. SCRUTEMUR sine dissimulatione vel adulatione omnes VIAS, actiones, cogitationes, appetitus *nostros*, omnesque latebras cordis ad imum usque fundum: ET QUAERAMUS an alicubi quid lateat quod Deo displicet, eiusque gratiam ac benedictionem a nobis arcet, & pœnas provocat. Inventum tollamus & evellamus, & sic AD pristinum Dei favorem REVERTAMUR. Fateamur ingenue:

V. 42. AD IRACUNDIAM te PROVOCAVIMUS: Hebraice, *exacerbavimus te*, rebellavimus tibi: IDCIRCO TU INEXORABILIS ES ad pœnas depellandas; Hebraice, *non pepercisti*, sed punivisti nos.

V. 43. OPERUISTI nos FURORE, id est flagellis ex furore tuo profectis, inquit Hugo, S. Thomas & Lyranus. Sanchez putat alludi ad velamen faciei, quod damnatis iniici solebat, etiam apud Romanos: I, *lictor, colliga manus, caput obnubito, arbori infelici suspendito*. Ita Amano *u operuerunt faciem*, & regi Sedeciæ *x* & aliis. Nec solis nobis, sed &

V. 44. TIBI ipsi faciem velasti, NUBEM peccatorum nostrorum ita vultui tuo *opponens*, NE ORATIO nostra transire ad te possit: ita Origenes, Theodoretus, Rupertus, Hugo, S. Thomas, Lyranus. Simili modo aiebat Isaias, LIX. 2. *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum*. Posset etiam per *nubem* accipi immutabilis sententia de puniendis Iudæis. Licet enim Deus semper promptissimus sit ad culpas pœnitenti condonandas, non tamen semper ad pœnas depellendas, inquit Rabbi *y* Samuel.

V. 45. ERADICATIONEM POSUISTI ME; id est, instar arboris infructuosæ stirpitus eradicasti me, & e Iudæa in Chaldæam eiecisti, & abiecisti me vagabundam inter exteras gentes.

V. 47. VATICINATIO, v. g. Ieremiæ & aliorum Prophetarum qui severa supplicia nobis peccantibus intentabant, facta est nobis primum FORMIDO z, deinde LAQUEUS, denique CONTRITIO. Dum enim illa timeremus, & evadere conaremur, rebellando Chaldæis, incidimus in *laqueum* illorum, qui nos pessumdederunt & *contriverunt*: ita LXX.

V. 48. DIVISIONES; Hebraice, *rivos*, AQUARUM DEDUXIT OCULUS MEUS. Sic lugenda peccata docuit rex sanctus *aa* David: *Lavabo per singulas noctes lectum meum lacrymis meis*.

V. 51. OCULUS MEUS, instar prædonis, iugi suo fletu DEPRAEDATUS EST ANIMAM, seu vitam, MEAM, succum omnem, spiritus vitales & vires corporis exauriens & absumens, IN CUNCTIS FILIABUS URBIS MEAE, id est propter cives meos teneros, speciosos, delicatos, in vincula, in servitutem, in malam crucem abreptos. Moraliter animam deprædatur oculus turpi aspectu, inquit S. Gregorius *bb*.

V. 52. VENATIONE CEPERUNT ME, prætensis mihi mille laqueis, idque GRATIS, id est sine meo *cc* merito, cum neminem læsissem, immo omnes iuvissem sanis consiliis ac monitis meis, inquit Ieremias: cui hæc attribuunt Origenes, Lyranus, Rupertus & Vatablus. Et ita illi factum narratur Ieremiæ XXXVII. & XXXVIII.

V. 53. LAPSA EST IN LACUM, seu fo-

veam, VITA MEA, quaſi iam extincta ac deſperata: unde quaſi ſupra mortuum POSUERUNT LAPIDEM ſepulcralem SUPER ME, ſeu ſuper os putei in quo quaſi ſepultus iacebam. Sic lacus leonum, in quem Danielem coniecerant, tectus erat lapide, Dan. VI.

V. 54. INUNDAVERUNT AQUAE, & limus & lutum quod erat in lacu, SUPER CAPUT MEUM. Sic factum teſtatur Ioſephus. Sed poteſt id etiam exponi de aquis tribulationum & ærumnarum, de quibus Pſaltes *dd*, *Intraverunt aquæ uſque ad animam meam*. Et erant hæ tam copioſæ, tam noxiæ, ut humanitus pereundum mihi eſſet. Sed

V. 55. DE LACU iſto NOVISSIMO, id eſt profundiſſimo, obſcuriſſimo, teterrimo, INVOCAVI NOMEN TUUM: imploravi divinam opem tuam. Dixi,

V. 56. NE AVERTAS AUREM TUAM, ſed audi attente *ſingultum meum*, id eſt preces meas quas cum frequenti ſingultu profero & emitto. Tu vero mox exoratus,

V. 57. APPROPINQUASTI, id eſt, acceſſiſti ad me, mihi manum auxiliatricem præbuiſti, per angelum, inquit Chaldæus, nempe per *Abdemelech* eunuchum *angelum*, id eſt nuntium, quaſi cælitus ſubmiſſum, Ieremiæ XXXVIII. Et ſic, o Deus,

V. 58. IUDICASTI CAUSAM ANIMAE MEAE; id eſt, cauſam meam pronuntiaſti iſtam eſſe: primo, per eunuchum; ſecundo, per Nabuchodonoſorem me de carcere liberando; tertio, antagoniſtam meum *Hananiam* e vita ſubtrahendo; quarto, regem, populum, urbem, templum, perdendo, ſicut multo ante futurum prædixeram, ſed fidem non repereram: ita Chaldæus, Origenes, Rupertus, Hugo, Lyranus, Vatablus.

V. 63. SESSIONEM ET RESURRECTIONEM *eo*, id eſt omnem motum, actionem, ſitum, habitum inimicorum meorum VIDE & expende; deprehendes, me ubique *pſalmum eorum eſſe*, id eſt illos in omni actione ſua in me pſallere, me ridere, me ſubſannare, inquit Maldonatus. Sed pro illo ſuo cantico; Hebraice, *megina*, pro merede

V. 65. & 66. DABIS EIS *meginna*, id eſt, SCUTUM, ſeu eingulum, CORDIS, id eſt mœrorem & angorem qui cor quaſi cingit, claudit, opprimit, inquit Vatabl. Chaldæus & Arabicus. R. David & Maldonatus *cardiacam paſſionem*, (ut medici vocant,) hic intelligunt, qua cor quaſi ſcuto, ſeu operimento iniecto, præ angore & dolore ſuffocatur. Hic, inquit Propheta, erit carcer eorum qui me tam iniuſto carcere concluſerunt. Et univerſim ſicut illis ſuis ſceleribus te, o Deus laborare fecerunt, redde ipſis par pari LABOREM TUUM, id eſt ærumnas, dolores, miſerias quibus eos viciſſim laborare, gemere & opprimi facias, *perſequendo* illos FURORE & calida ira tua, *& conterendo* EOS SUB CAELIS, & e terra in alteram vitam educendo: ita Rupertus, Hugo & S. Thomas. Allegorice, paſſionem & crucem, quam tibi o Chriſte iniecerunt, redde eis per Titum & Veſpaſianum, inquit Delrio.

(a) Ierem. I. II.
(b) Pſalm. IV. 7. & Pſal. LIV. 6. & Iob XVII. 12.
(c) Pſal. CXVIII. 83.
(d) Iob XIX. 8.
(e) Iudic. XX. 16.
(f) Seneca Lib. V. de Benefic. cap. VII.
(g) Hic verſ. 5. & 15.
(h) Iſaiæ I. 9. & Rom. IX. 29.
(i) I. Par. XXXIII. 13.
(k) II. Par. XXXVI. 6. & IV. Reg. XXIV. 2.
(l) Michææ VII. 9.
(m) Hic verſ. 26.
(n) Pſal. LXXII. 9.
(o) II. ad Cor. XII. 7.
(p) Pſal. LXXVI. 10.
(q) Sap. I. 13.
(r) Eccl. XI. 14. Iſaiæ XLV. 6. Amos III. 6.
(ſ) Michææ VII. 9.
(t) Pſal. CXVIII. 137.
(u) Eſther. VII. 8.
(x) Ezech. XII. 12.
(y) Apud. Galatin. Lib. X. cap. II.
(z) Iſaiæ XXIV. 17.
(aa) Pſal. VI. 7.
(bb) Greg. Lib. XXI. Moral. cap. II.
(cc) Pſal. XXXIV. 17. & Pſal. CVIII. 3. & Pſalm. CXVIII. 161.
(dd) Pſal. XCVIII. 2.
(ee) Pſal. CXXXIII. 2.

GORDONI.

Verſ. I. EGO VIR VIDENS PAUPERTATEM, &c. Probabile eſt quod aſſerit Mariana, Ieremiam ſcripſiſſe hoc Alphabetum de ſeipſo cum eſſet in carcere, & poſtea illud addidiſſe toti Lamentationi quam continent hæc quatuor Alphabeta. Interim, loquitur hoc capite de ſeipſo, vel maxime; quamvis etiam poſſent ad quemvis Iudæum in hac communi calamitate conſtitutum transferri.

Senſus verborum hic eſt: *Ego vir ſum videns*

videns paupertatem, seu calamitatem meam; & qui coram aspicio temporis acerbam indignationem. Sane Ezechiel in Babylone prophetans non intuebatur absens patriæ calamitatem: multo minus Sophonias & Isaias, qui de futuris post sua tempora rebus locuti sunt. Ieremias vero calamitatis quam prædixit, spectator fuit.

V. 2. & 3. ME MINAVIT, &c. Duxit, inquit, me IN TENEBRAS, hoc est, in calamitatem, non vero in lucem seu prosperitatem, quod etiam ad tenebrosum carcerem Ieremiæ referri potest. Sequitur vers. 3. ME VERTIT: dat similitudinem a fabro petitam, qui versat ferrum in omnem partem. Sic Ieremias, ex una in aliam deportatus calamitatem; & optime hanc exaggerant qui insequuntur versiculi, qui exprimunt carcerem, compedes & similia, nec desunt comparationes rem illustrantes.

V. 12. & 13. POSUIT DESOLATAM, &c. Etiam in feminino habent Septuag. ἠφάνισμένην: animam Ieremiæ intellige; alii Ierusalem. Hebr. mascul. a שמם, *desolari*: est vers. 13. metaphora, filia pharetræ pro sagitta, modus est loquendi Hebræorum.

V. 16. FREGIT AD NUMERUM DENTES MEOS; hoc est, sigillatim, designando unumquemque ordine. Septuag. *confregit lapides dentes meos*, scilicet, mistis in pane lapillis quibus attriti sunt dentes. Porro CIBAVIT CINERE, cum sedens Ieremias in cinere utebatur panibus cinere mistis.

V. 18. PERIIT FINIS MEUS ET SPES MEA A DOMINO. Hebraismus est, quo denotatur res aliqua desperata, aut non evenire quod sperabatur: & certo dum præsidia humana sola intuemur, sæpe nulla spes est; tamen conversione ad Deum spes iterum exurgit, ut hic docet Ieremias vers. 21. qui recolens quæ pro Dei causa passus est, exurgit & sperat. Hinc vers. 23. MULTA EST FIDES TUA; hoc est, multa est fidelitas tua Domine, qui verax es implens fideliter quod promisisti.

V. 25. Dat causam hac littera Teth & Iod, cur speret in Deo, & cur Deum partem suam elegerit; ubi præclare docet, quid valeat patientia in adversitate, quid ferat tolerantia, quanti momenti sit educatio, præsertim ab adolescentia: QUIA (inquit vers. 28.) LEVAVIT SUPER SE, scilicet iugum Domini, hoc est, onus tribulationum, ut aliqui explicant; & favet Vulgata versio promovens constanter sermonem de eo qui libenter tolerat talia mala: aliqui tamen legunt, *levavit se supra se*, cum Lyrano, & Ruperto, hoc est, levavit se a terrenis ad cælestia.

V. 33. ET DEINCEPS. Ieremias seipsum hæc patientem & alios solatur: humiliat Deus suos, sed non abiicit, non ut conterat: nam ex vers. 36. (unde pendet sensus priorum versuum) Deus ignoravit & nescit hoc, nempe ut conterat suos & penitus confundat. Recte dicitur Deus ignorare quæ non facit nec probat. Practice ignorat Deus impium, ut loquuntur Theologi cum Scriptura.

V. 37. QUIS EST, &c. Pergit Ieremias solari oppressos. Est sane hæc solida consolatio, si cogitet diligenter homo, omnia sibi advenire ex benigna Dei providentia, ordinante, iubente aut permittente ob bonum nostrum: ne murmuret, inquit, ne contra hanc Dei voluntatem impingat; potius cum tribulatur homo, redeat ad cor & pœnitentiam, ut belle habet tota littera Nun, vers. 40. Locus Theologicus est pro Dei providentia & gubernatione.

V. 46. APERUERUNT SUPER NOS, &c. Continuata narratio est malorum quæ patitur Ieremias cum populo suo: varia & apta metaphora.

V. 51. OCULUS MEUS DEPRAEDATUS EST ANIMAM MEAM; hoc est, oculus flendo sauciavit animam meam: alii *eripuit*, præsertim dum miserandum intueor statum captivarum filiarum Israel. *Deprædatus est*, Septuag. *vindemiavit*, *racemat*, ἐπιφυλλίζω. Hebr. עוללה *hhollela*, causa fuit a radd. עלל.

V. 64. REDDE EIS VICEM, &c. Non est mala imprecatio, sed vaticinatio futuri mali in hostes, quibus pro psalmo (de quo vers. 63.) obveniet scutum, hoc est, angor & mœror cordis, operiens illud.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 4. Hæc & sequentia de virgâ idignationis divinæ, variis metaphoris explicantur.

Vers. 5. AEDIFICAVIT IN GYRO, conclusis laboribus.

Vers. 8. CUM CLAMAVERO: quando clamavi.

Vers. 10. Deus qui meus, & omnium pa-

ter

ter eſt, viſus eſt agere ut leo.

Verſ. 23. Novi, id eſt recentes ſunt fructus tui, & beneficia, & quæ das hominibus DILUCULO; mane & opportune, quia magna & fides, eſt fidelitas Dei noſtri.

Verſ. 30. Promovet ſermonem de bono patientiæ, quam dixit acquiri per eum, qui fert iugum Domini, qui ſervat mandata ſtrenue, & contemnit opprobria.

Verſ. 31. & 33. Bonus eſt Dominus. Caſtigat, probat, ſed non abiicit ſuos. NON HUMILIAT EX CORDE, non punit quaſi delectetur in noſtris malis: nam ut mox dicet, hoc ignorat Deus.

Verſ. 37. Cum ergo res ita ſe habeat, quis audet dicere, fieri aliquid Deo non volente & non providente.

Verſ. 38. Repete interrogationem, quis audet dicere, a Deo nec bonum, nec malum.

Verſ. 39. Cur ergo murmurabit in Deum homo. Solatium ſane eſt in adverſis intueri Dei providentiam.

Verſ. 59. IUDICA IUDICIUM MEUM: Diſcerne inter me & perſequentes animam meam.



CAPUT IV.

ALEPH.



1 Uomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarii in capite omnium platearum?

BETH.

2. Filii Sion inclyti, & amicti auro primo: quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli?

GHIMEL.

3. Sed & lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos ſuos: filia populi mei crudelis, quaſi ſtruthio in deſerto.

DALETH.

4. Adhæſit lingua lactentis ad palatum eius in ſiti: parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.

HE.

5. Qui veſcebantur voluptuoſe, interierunt in viis: qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora.

VAU.

6. Et maior effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, (a) quæ ſubverſa eſt in momento, & non ceperunt in ea manus.

ZAIN.

7. Candidiores Nazaræi eius nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores.

HETH.

8. Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis: adhæſit cutis eorum oſſibus: aruit, & facta eſt quaſi lignum.

TETH.

9. Melius fuit occisis gladio, quam interfectis fame: quoniam isti extabuerunt consumpti a sterilitate terræ.

IOD.

10. Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos: facti sunt cibus earum, in contrione filiæ populi mei.

CAPH.

11. Complevit Dominus furorem suum, effudit iram indignationis suæ: & succendit ignem in Sion, & devoravit fundamenta eius.

LAMED.

12. Non crediderunt reges terræ, & universi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hostis & inimicus per portas Ierusalem:

MEM.

13. Propter peccata prophetarum eius, & iniquitates sacerdotum eius, qui effuderunt in medio eius sanguinem iustorum.

NUN.

14. Erraverunt cæci in plateis, polluti sunt in sanguine: * cumque non possent, tenuerunt lacinias suas.

SAMECH.

15. Recedite polluti, clamaveruut eis: recedite, abite, nolite tangere: iurgati quippe sunt, & commoti dixerunt inter Gentes: Non addet ultra ut habitet in eis.

PHE.

16. Facies Domini divisit eos, non addet ut respiciat eos: facies sacerdotum non erubuerunt, neque senum miserti sunt.

AIN.

17. Cum adhuc subsisteremus, defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum, cum respiceremus attenti ad gentem, * quæ salvare non poterat.

SADE.

18. Lubricaverunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum, appropinquavit finis noster: completi sunt dies nostri, quia venit finis noster.

COPH.

19. Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cæli: super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis.

RES.

20. Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris: cui diximus: In umbra tua vivemus in Gentibus.

SIN.

21. Gaude, & lætare filia Edom, quæ habitas in Terra Hus: ad te quoque pervenit calix, inebriaberis, atque nudaberis.

THAU.

22. Completa est iniquitas tua filia Sion, non addet ultra ut transmigret te: visitavit iniquitatem tuam filia Edom, discooperuit peccata tua.

(a) Genes. xix. 24.

BRU-

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verf. 14. *Cumque non possent, tenuerunt lacinias suas.* Non addas verbo *possent* infinitivum intrare.

Verf. 17. *Quæ salvare non poterat.* Neque hic addas pronomen *nos*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verf. 1. QUOMODO OBSCURATUM EST AURUM? Deflet templi eversionem, & spoliationem. Templum prius auro collucebat: postquam incensum est a Nabuzardan pro auro exusti parietes, trabesque videbantur: hoc *quomodo obscuratum est aurum?* scio Hebræos aliter interpretari, suasque miscere fabulas: sed hic mihi videtur verus esse sensus. MUTATUS EST COLOR OPTIMUS: כתם, *mutatum est aurum optimum*, id est per medium omnium platerarum ut Thren. II. 19. *Defecerunt in fame in capite omnium compitorum.* Everso scilicet templo, lapides dispersi erant. Sunt qui, cum vix ullum aliis in locis mysterium admittant; tamen hunc locum mystice interpretentur; & aurum principes, lapides sacerdotes vocari putent.

V. 2. FILII SION, id est cives Ierosolymitani, sicut cives Parisienses Gallice vocantur, *les enfans de Paris*, *filii Parisiorum*. Alii, de filiis Iosiæ intelligunt, qui *filii Sion* appellentur, quod in Sion, ubi Regia erat, nutriti essent: quod mihi non placet. AMICTI AURO; id est, elegantes, & pulchri: המסולאים, *comparati, æquiparati auro purissimo*; quasi dicat, Elegantes, & יקרים, *pretiosi*, sicut aurum, reputati sunt viles sicut vasa testacea facta manu figuli. Chaldæus hoc loco Hebræorum more fabulatur; quomodo fuerunt populi immundi positi contra lectulos eorum, ut uxores eorum eos aspicientes parerent filios pulchros similes illis?

V. 3. SED ET LAMIAE. Sensus huius versus est: Ierusalem magis sylvestrem, & crudelem in exilio factam esse, quam bestias, quæ in solitudine versantur. Nam & lamiæ, aut ut Hebraice est, תנין, *dracones*, (ut etiam Sept. verterunt.) NUDAVERUNT MAMMAM, id est, nudatis mammis catulos suos lactant: sed FILIA POPULI MEI, id est Ierusalem facta est CRUDELIS QUASI STRUTHIO IN DESERTO. Struthio dicitur ova ponere, ac relinquere, nec excludere, ut scribit Iob XXXIX. 17. 18. *Quando derelinquit ova sua in terra, tu forsitan in pulvere calefacies ea? obliviscitur, quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat.* Significat ergo mulieres Ierosolymitanas in captivitate filios parere, & struthionum more eos derelinquere, dum in alium locum a Dominis suis abripiuntur.

V. 4. ADHAESIT. Loquitur de filiis mulierum Iudæorum in captivitate, qui siti, ac fame peribant, quod non esset, qui illis aquam, vel panem daret, aut qui eos lactaret.

V. 5. QUI VESCEBANTUR. Iudæi, qui prius ante fovebant, fame perierunt. IN VIIS: בחוצות *in plateis*, & qui educabantur croceo vestiti, AMPLEXATI SUNT STERCORA, id est sordidis nunc vestibus utuntur. Amplexari dixit, pro, indui.

V. 6. INIQUITAS, id est pœna iniquitatis ut multis aliis locis observavimus, Exod. XXVIII. 38. *Portabitque Aaron iniquitates eorum*, id est pœnas iniquitatum, & Levit VI. *Nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam*, & inf. cap. V. 7. *Patres nostri peccaverunt, & non sunt: & nos iniquitates eorum portavimus.* Sensus ergo est, Ierusalem gravius punitam esse, quam Sodomam: quia Sodoma SUBVERSA EST IN MOMENTO: ET NON CEPERUNT IN EA MANUS; id est, non conseruerunt manus cum hostibus, ולחלו *non sunt castrametatæ manus hostium extra eam*, ut Hebræi interpretantur: vel, ut Sept. melius, ut mihi videtur, transtulerunt: *Non laboraverunt in ea manus*: id enim הלי significat. Laudatur repen-

pentina subversio Sodomorum, sicut mors repentina, quæ minus doloris habet, ut Iob XXI. 13. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*, & Psalm. LXXII. 4. *Non est respectus morti eorum: & firmamentum in plaga eorum*.

V. 7. EBORE ANTIQUO :: עצם מפנינים, *rubicundiores corpore, quam lapides pretiosi*, SAPPHIRO PULCHRIORES: ספיר גזרתם : ad verbum, *sapphiri excisio eorum*, id est elegantes erant, & politi, sicut sapphirus excisus, ac sectus. Cum eiusmodi, inquam fuerint, tamen

V. 8. DENIGRATA EST SUPER CARBONES; id est, nigrior facta est quam carbones facies eorum propter miseriam captivitatis, ita ut in mediis plateis alii ab aliis non cognoscerentur.

V. 9. EXTABUERUNT, id est paullatim confecti sunt, יזכו, *defluxerunt paullatim* in mortem.) CONSUMPTI: מדוקרים, *transfossi*, מתנו בות שרי, *a fructibus agri*, id est, defectu fructuum. Vocat transfossos, ut alludat ad alios, qui gladio transfossi fuerant; quasi dicat, Melius actum est cum illis, qui gladio, quam cum illis, qui fame transfossi sunt.

V. 12. NON CREDIDERUNT. Non credebant, aut, nunquam credere potuissent.

V. 14. ERRAVERUNT CAECI IN PLATAEIS; id est, vulnerati animam agentes obscurata iam oculorum acie oberrabant in plateis, quærentes qui manum daret, ac deduceret: cumque neminem invenire possent, TENUERUNT, & apprehenderunt LACINIAS SUAS: בלב שיהם, *lacinias eorum*, id est aliorum. Relativum sine antecedente Hebræorum more. Solent moribundi homines quicquid possunt, manu apprehendere, ac fortiter tenere. R. Salom. Hebraica ita exponit, Volutati sunt in sanguine usque eo, ut non possent (alii) attingere eorum lacinias, dicerentque illis, quod sequitur, *Recedite polluti*.

V. 15. RECEDITE POLLUTI. Alii putant hæc esse verba hostium Iudæos tamquam contaminatos execrantium, ut videtur Chaldæus Paraphrastes sentire. Alii, verba ipsorum pollutorum dicentium aliis Iudæis סורו טמא, *Recedite, pollutus sum*. Alii, quibus ego magis assentior, verba esse aliorum Iudæorum qui vulneratis dixerunt, *Recedite polluta* טמא singulare pro plurali. IURGATI QUIPPE SUNT: כי נצו, *quia celeriter abierunt, & commoti sunt*. Ego כי, hoc loco interpretor, *propterea*, sicut aliis locis adnotavimus, ut sit sensus, Quia Iudæi, Prophetæ, & sacerdotes illos ipsos, quos ipsi occiderant, execrati sunt, factum est, ut ipsimet in exilium raperentur, & commoverentur, id est incertis sedibus huc, illucque vagarentur, sicut prædixerat capite XXXIV. 17. *Dabo vos in commotionem cunctis regnis terræ*. DIXERUNT INTER GENTES, quicumque eos inter Gentes dispersos, ac dissipatos videbant: NON ADDET ULTRA UT HABITET. Hebr. לא יוסיפו לגורה, *non addent ultra ad habitandum*; id est, non revertentur ultra in terram suam, ut in ea habitent.

V. 16. FACIES DOMINI, id est ira Domini, iratus vultus Domini: sicut dicitur faciem Domini placare, id est iram Domini, I. Reg. XIII. 12. DIVISIT EOS, alios ab aliis dispersit, dissipavit. FACIES SACERDOTUM. Facies non est nominativus, sed accusativus. Hebr. פני כהנים לא נשאו, *faciem sacerdotum non acceperunt*; id est, occiderunt sacerdotes nullam habentes vel sacerdotii, vel senectutis rationem. Ionathas hoc interpretatur de Chaldæis. Melius R. Salo. & Aben Ezra de Iudæis, qui Prophetas, & sacerdotes etiam senes occiderunt, ut dixit vers 13.

V. 17. CUM ADHUC SUBSISTEREMUS. Verbum, *Subsisteremus*. Hebraice non est. Sed quia ad explendam sententiam aliquod verbum supplendum erat, noster interpres hoc addidit. Sensus est, Dum adhuc erecti essemus in expectationem. Hebræi: Dum adhuc magis, ac magis expectaremus auxilium AEgyptiorum, & Assyriorum, defecerunt oculi nostri spectantes totos dies versus AEgyptum. Solent enim qui aliquem expectant, oculos habere intentos, ut videant, an veniat. Vocat auxilium AEgyptiorum VANUM, quia, cum iam venissent, ut Iudæis auxiliarentur, re infecta in AEgyptum reverterunt; non suorum patrum imaginibus, ac simulacris deterriti, ut Hebræi fabulantur; sed a Chaldæis repulsi: lege cap. XXXVII. 6. Eosdem AEgyptios appellat, GENTEM, QUAE SALVARE NON POTERAT.

V. 18. LUBRICAVERUNT; id est, in mediis plateis nostris non tuto poteramus ambulare. Hebr. צערו, *venati sunt gressus nostros*, מלכת ברחובותינו, *ne ambularemus in*

in plateis nostris; id est, hostes nostri non solum foris, sed etiam in mediis plateis nostris insidias nobis posuerunt, ut interpretatur R. Salom. Rab. vero Abraham de AEgyptiis interpretatur, qui nullum Iudæis auxilium tulerunt, sed insidias potius illis in mediis plateis tetenderunt.

V. 19. VELOCIORES. Habebant Chaldæi velocissimos equos, ut dixit Ieremias cap. IV. 13. *Ecce quasi nubes ascendet, & quasi tempestas currus eius: velociores aquilis equi eius:* & cap. XLVIII. 40. *Ecce quasi aquila volabit & extendet alas suas ad Moab.* Alludit autem hoc loco ad Chaldæos, qui persecuti sunt fugientem Sedeciam, eumque celeritate cursus comprehenderunt, IV. Reg. XXV. 5. & Ier. XXXIX. 5. & LII. 8. 9.

V. 20. SPIRITUS ORIS NOSTRI, id est qui vitam nostram conservabat, sicut aer iste, quem ducimus. Chaldæus interpretatur, *Rex nobis dilectus, sicut spiritus vitalis*. R. Salom. & alii Hebræi hunc versum de Iosia rege interpretantur, qui occisus fuit ab AEgyptiis, II. Paral. XXXV. 23. Melius Aben Ezra putat hoc de Sedecia intelligendum, quia versu præcedenti de eius comprehensione locutus est. Longius autem prophetias tenditur ad Christum, qui vere משיח יהוה, *unctus Domini* est; quia unxit eum Dominus oleo lætitiæ præ consortibus suis, Psal. XLIV. 8. & in quo *vivimus, & movemur, & sumus*, Act. XVII. 28. IN PECCATIS NOSTRIS, id est propter peccata nostra. Nam & Sedecias propter populi peccata captus est: & Christus *vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra:* Isai. cap. LIII. vers. 5. Hebr. בשחתותם, *in foveis eorum*, ut exponit R. Salomon, vel, *in retibus*, ut R. Abraham, & Ionathas Chaldæus. Sept. *in corruptionibus nostris*. CUI DIXIMUS. De quo dicebamus, fore ut sub eius tutela viveremus. בגוים, *contra omnes gentes*, id est ut nos ab omnibus gentibus defenderet.

V. 21. GAUDE, ET LAETARE. Quomodo gaudere, lætarique iubet, cum exitium illi prædicat? Dicunt aliqui ironiam esse, ut Eccles. XI. 9. *Lætare ergo iuvenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus iuventutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum: & scito, quod pro omnibus his adducet te Deus in iudicium.* Potest etiam esse concessio, ut R. Abraham existimat, & allusio ad lætitiam, quam Idumæi afficiebantur, cum Iudæi ab hostibus vexarentur, ut scribit Abdias vers. 11. & 12. INEBRIABERIS: calice iræ Domini, ut supra cap. LI. 7. 39. 57. ATQUE NUDABERIS; sicut ebrii nudari solent, quemadmodum fecit Noe Gen. IX. 21. quasi dicat, Spoliaberis. Putat autem R. Abraham allusionem fieri ad verba, quæ Idumæi dicebant cum Ierosolyma everteretur, ערו ערו, *nudate, nudate*; ut ait David Psal. CXXXVI. 7. *Memor esto Domine filiorum Edom, in die Ierusalem: qui dicunt, exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea*, ערו ערו, *nudate, nudate*; id est evertite, donec appareant fundamenta: idem verbum, quo utitur Ieremias hoc loco התערי, *nudaberis:* alii interpretantur, *evacuabis te*, id est evomes præ ebrietate, ut R. Salo.

V. 22. COMPLETA EST INIQUITAS TUA, id est pœna iniquitatis tuæ, ut supra vers. 6. & aliis locis, quos illic designavimus. Propterea Dominus NON ADDET ULTRA *ut transmigret te*: sed Eodem, quæ nondum pœnas suarum iniquitatum dedit, visitabit, & discooperiet omnia peccata eius, id est faciet: ut ex pœnis, quas luet, constet, quam multa, quamque magna fuerint peccata eius, ut supra cap. XLIX. 10. *Ego vero discooperui Esau, revelavi abscondita eius*: alludit autem ad verbum ערו ערו, *nudate, nudate*, sicut vers. præcedenti.

S A.

Vers. 1. AURUM, id est principes. COLOR, scilicet prosperitas. LAPIDES, &c. scilicet Sacerdotes & Levitæ.

V. 2. REPUTATI, &c. id est, tractati, ut vasa fictilia, scilicet vilipensi, vel contriti.

V. 3. LAMIAE. Feræ genus in Africa, simile draconi. Hebr. & Chald. & LXX. *dracones;* quasi dicat: Etiam dracones filios suos alunt lacte proprio, quod Ierusalem non facit, id quod crudele videri possit. STRUTHIO: qui ova deserit. Vide Iob XXXIX.

V. 4. SITI, scilicet lactis.

V. 5. CROCEIS, id est, purpura. Hebr. & LXX. *coccino*: unde quidam legendum pu-

putant *cocceis*, id est coccineis, scilicet vestibus. STERCORA; quasi dicat, Luto volutati & inquinati sunt.

V. 6. MAIOR EFFECTA, id est gravius punita, veluti si maior esset, vel INIQUITAS, id est iniquitatis pœna, more Scripturæ. CEPERUNT, id est inceperunt, scilicet oppugnare; quasi dicat: Subito submersa est, non diu fatigata obsidione, ut Ierusalem. LXX. *laboraverunt*.

V. 7. EBORE ANTIQUE, scilicet est id aliquantum rubrum. Hebr. *gemmis*, seu *margaritis*, scilicet rubris.

V. 8. COGNITI, scilicet quod essent valde mutati forma, seu vultu. PLATEIS. LXX. *viis*.

V. 9. A STERILITATE, id est ob sterilitatem.

V. 10. MISERICORDIUM, scilicet alioqui. CONTRITIONE, id est calamitate. Chald. *tempore excidii*.

V. 11. IGNEM; pro, velut ignem, scilicet punitionem.

V. 12. TERRAE, scilicet Iudææ. ORBIS, scilicet terræ ditionis Iuda; vel quasi dicat, Nullus umquam credidisset, &c.

V. 14. CAECI; pro, velut cæci, & inopes consilii. SANGUINE, scilicet a se effuso, vel a Chaldæis occisorum. NON POSSENT. Aliquid subintelligendum, scilicet surgere, aut ambulare. Chald. addit, *videre*. Hieron. *incedere*, in Commentario; nam in textu legit solum, *non possent*. SUAS; pro, ipsorum, scilicet hominum quorum opem implorabant.

V. 15. CLAMAVERUNT, scilicet illi, quorum opem petebant. TANGERE, scilicet vestes nostras. IURGATI, scilicet inter se Iudæi. COMMOTI, scilicet loco suo pulsi. DIXERUNT; pro dictum est. HABITET, scilicet Deus, vel pristina felicitas, & status.

V. 16. FACIES DOMINI, id est iratus vultus. DIVISIT, id est a se expulit.

V. 17. SUBSISTEREMUS, scilicet expectantes opem ab AEgyptiis: vel dum adhuc res nostræ consisterent, nec essent collapsæ.

V. 18. LUBRICAVERUNT, &c. quasi dicat: Nihil firmum fuit nobis, sed omnia lubrica. FINIS NOSTER: repetit, more dolentium.

V. 20. SPIRITUS ORIS NOSTRI; pro, vivificator noster, seu per quem respiramus. Chald. *Rex Messias, qui nobis dilectus sicut spiritus vitæ, qui est in naribus*. ORIS. LXX. *faciei*, seu *vultus*. DOMINUS: ita etiam LXX. & quidem Hebr. est nomen *Iehova* proprium Dei. IN PECCATIS, id est ob peccata. DIXIMUS: id est in persona iustorum: omnes enim per Christum iustificati, eique acceptam referunt vitam animæ. IN GENTIBUS. Chald. *inter populos*; quasi dicat, Sine te nulla est usquam vita.

V. 21. GAUDE; pro, gaude sane nunc. HUS: hinc (nisi duæ sint Hus) apparet Iob fuisse Idumæum. Vide Iob 1.

V. 22. INIQUITAS, id est pœna iniquitatis: id est referendum ad tempus quo liberati per Christum Iudæi. TRANSMIGRET, id est migrare faciat captivam, scilicet Deus, vel quisquam. FILIA, id est o filia. DISCOOPERUIT, scilicet Deus. PECCATA TUA. Id sup. intellexit dicens, *nudaberis*, scilicet apparebit turpitudo tua.

E S T I I.

Vers. 4. PARVULI PETIERUNT PANEM; ET NON ERAT, QUI FRANGERET EIS. Ad litteram sensus manifestus est: significatur enim tantam fuisse penuriam panis in illo populo, ut ne parvuli quidem a parentibus panem impetrare potuerint. Ceterum spiritualis maledictio his verbis significata longe gravior est, magisque metuenda. Parvuli enim sunt, qui ad soliditatem doctrinæ tamquam robur virile nondum venerunt. Petunt autem panem, quando plenius instrui in doctrina Christiana cupiunt. Sed iusto sæpe Dei iudicio propter peccata ipsorum præcedentia fit, ut mittantur eis magistri errorum, & quod gravius est, ut eorum doctrinæ acquiescant, sicut hodie, proh dolor, fieri videmus. Proinde orandus Dominus, ut mittat veros potius, & fideles operarios in messem suam.

V. 6. ET MAIOR EFFECTA EST INIQUITAS FILIAE POPULI MEI, PECCATO SODOMORUM, QUAE SUBVERSA EST IN MOMENTO, ET NON CEPERUNT IN EA MANUS. Ex adiunctis videtur quod præcipue dicere velit, quod afflictio populi Iuda sit maior, quam fuerit punitio Sodomorum: nempe quia Sodoma subversa fuit in momento; id est, etsi subversio ac pœna eius

fuerit gravis, tamen fuit momentanea: *&* *non ceperunt in ea manus*; id est, nulli ex eis ducti sunt captivi; Iudæi autem in captivitatem, & servitutem abducti sunt, quæ servitus longa quædam mors est. Hebr. sic: *Et non adhibitæ eis manus*. Vel ut alii vertunt: *Et non castrametata contra eam castra*; quasi dicat, Non fuerunt excarnificati, ut illi in Ierusalem, longa obsidione.

V. 20. SPIRITUS ORIS NOSTRI CHRISTUS DOMINI CAPTUS EST IN PECCATIS NOSTRIS. Iuxta translationem nostram ad neminem alium referri hoc potest, quam ad verum Messiam Christum Dominum Salvatorem nostrum. Cuius ratio est, quia pro eo quod legimus (*Dominus*) Hebraice est nomen Dei tetragrammaton *Iehova*, quod soli Deo in sacris litteris tribuitur, & in tanta apud Iudæos veneratione fuit, ut illud effari fas non esset, sed pro eo inter legendum substituerent vocabulum *Adonai*. Sciendum tamen ex Hebræo etiam verti posse, in genitivo, *Domini*, scilicet Christus Domini. Atque ita sicut David, & Saul leguntur dicti, *Christi Domini*, id est uncti ab eo, II. Reg. I. & alibi, ita & Iosias, & Sedecias, & omnes reges Iuda potuerunt dici Christi Domini. Quidam ergo secundum litteram referunt ad Iosiam regem; ut Hieron. Lib. II. cont Pelag. cap. IX. putantes hoc libro describi eius lamentationes. Sed Iosias nusquam captus legitur; sed in pugna graviter vulneratus, inter manus suorum mortuus est. Restat ergo, ut secundum hanc posteriorem versionem ad litteram referatur ad Sedeciam, qui iam tum, dum ista a Ieremia scribebantur, recenter abductus erat in captivitatem. Neque mirum est, Ieremiam adeo honorifice loqui de rege improbo; cum legamus etiam Davidem dicto loco II. Reg. I. in sua lamentatione super impium Saul, vocasse eum Christum Domini: sciebant enim prophetæ, Ieremias, & David, scriptum esse Exod. XXII. *Diis non detrahes*, *&* *principi populi tui non maledices*.

MARIANAE.

Vers. I. QUOMODO OBSCURATUM EST AURUM? id est disparuit, sublatum est. Redit ad urbis & templi excidium, sive etiam ad Iosiam. MUTATUS EST COLOR OPTIMUS. Hebr. *mutatum est aurum optimum*. Id significat כתם *chethem*, non quodcumque aurum, sed optimum. Quo eum templi parietes essent inducti, Hieronymus dixit, *color*. Chald. *splendor palatii*. Ergo mutatum est aurum, id est sublatum. LAPIDES SANCTUARII sunt dispersi. Chald. *margaritæ*. Hebr. Schol. *lapides pretiosi*. IN CAPITE OMNIUM PLATEARUM? scilicet venales expositi. Sane lapides ædificii quorsum in tot partes portarentur urbe eversa, neque novis ædificiis excitatis?

V. 2. ET AMICTI AURO PRIMO, פז *paz*, *aurum obrizum* significat, ideo dixit *primo*. Ergo *amicti auro*, id est elegantes, ornati, cives, filii Sion. Hebr. *comparati auro*, *similes auro*, quomodo sunt abiecti.

V. 3. SED ET LAMIAE. Hieronymus in Comment. *bestiæ erant facie humana*, *corpore bestiali*. Sept. *dracones*: sic Hebr. NUDAVERUNT MAMMAM, filios ut nutriant. FILIA POPULI MEI CRUDELIS, QUASI STRUTHIO. Dicitur ova relinquere, neque ea fovere, Iob XXXIX. 17. Alioqui ex Hebr. plerique *ululam* interpretantur, sic dictum ab ululatu. Hisp. *autillo*: quæ & ipsa aliarum avium ova rapit, & sua substituit, fovendi ea, & nutriendi pullos laborem recusans. Sept. *struthio* posuerunt. Ergo struthioni similis est hæc urbs.

V. 4. PARVULI PETIERUNT PANEM, ET NON ERAT QUI FRANGERET EIS, aut *venderet eis*, שבר *sabar* utrumque significat, Proverb. XI. 26.

V. 5. INTERIERUNT IN VIIS. Hebr. *in plateis*, scilicet præ fame perierunt. QUI NUTRIEBANTUR IN CROCEIS: forte legendum, *in coccis*, ut Græce est in Sept. nam vox Hebr. *vermem* seu *coccum* significat. Croceus color vilis est. AMPLEXATI SUNT STERCORA, id est in sterquiliniis iacebant, aut sordidis vestes gestabant.

V. 6. INIQUITAS; id est, iniquitatis pœna maior est quam Sodomæ. Quare? quia NON CEPERUNT IN EA MANUS, id est non venerunt ad manus Sodomitæ eum hoste. Hebræi sic: *non castrametatæ sunt contra eam manus hostium*, id est copiæ.

V. 7. CANDIDIORES. Hebr. *mundiores nive Nazaræi*. RUBICUNDIORES EBORE AN-

ANTIQUO. Verum quid ebori antiquo cum rubore? Ergo *ebore antiquo*, id eſt quod olim tingebant, purpura. Homerus Iliad. δ.

Ω'ς δ' ὅτε τίς τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοινικι μιήνῃ.

Veluti, quando aliqua mulier ebur purpura infecerit.

Quod Virgilius imitatus AEneid XII. dixit:

---- ſanguineo veluti violaverit oſtro
Siquis ebur. ----

Cauſam ita faciendi Ovidius quodam loco ait, quoniam eboris candor tempore pallore mutatur II. Eleg. V. Id ne contingeret, oſtrum adhibebant ſanguineum: ſanguineum inquam, quoniam purpura multiplici colore eſt. Vitruv. Lib. VII. cap. XIII. Hebr. *rubicundiores corpore gemmis*, ſcilicet carbunculo. Pagn. *rubicundiores aſpectu præ gemmis*. Hieronymus ſententiam loci reſpexit, non verba. Calliſtus II. Homilia 1. de Iacobo Apoſtolo, *ebur* pro ipſo elephante accipit, quem ait in ſenectute rubeſcere. Sane ut elephas ſignificat ebur, ita voluit ipſe ſumi pro eo animali. SAPPHIRO PULCHRIORES. Hebr. *ſapphir exciſio eorum*. Tam erant pulchri, ut ex ſapphiro exciſi viderentur. Hebr. Schol.

V. 8. SUPER CARBONES denigratæ ſunt facies. Hebr. *præ nigredine:* ſic Chald. Ex eo factum ut in publico eos non agnoſcerent, macies faciebat. Quod ait: NON SUNT COGNITI IN PLATEIS.

V. 9. EXTABUERUNT. Hebr. *defluxerunt*, id eſt ſanguis eorum defluxit. CONSUMPTI, confoſſi, fames gladii inſtar fuit. A STERILITATE TERRAE. Hebr. *a fructibus agri*, id eſt a defectu fructuum. *Caro mea immutata eſt propter oleum*, id eſt ob defectum olei, Pſal. CVIII. 24.

V. 14. ERRAVERUNT CAECI. Locus difficilis: ego ſic explico: Plateæ ita redundabant ſanguine, ut cæci, quippe non videntes, ſe polluerent eo ſanguine. CUMQUE NON POSSENT, ſcilicet tergere ſanguinem. Hebr. *in non potuerunt*, id eſt cum non poſſent. TENUERUNT LACINIAS SUAS. Hebr. *tetigerunt veſtes ſuas*, iis ſe mundabant.

V. 15. RECEDITE POLLUTI, ſcilicet ſanguine fluentes. Voces populi ad vulneratos. NOLITE TANGERE, ſcilicet alios, ne eos polluatis. IURGATI QUIPPE SUNT. Heb. *avolarant, moti ſunt*, ſcilicet ii vulnerati. NON ADDET ULTRA UT HABITET IN EIS, ſcilicet Deus, non erit illis propitius. Heb. *non addent, ut habitent;* id eſt, ceteri Iudæi non ſequentur, non diu manebunt in patria, in captivitatem ibunt: ſic dicunt vulnerati ſeu capti.

V. 16. FACIES DOMINI, ira. DIVISIT EOS, diſſipabit eos inter gentes. FACIES SACERDOTUM NON ERUBUERUNT. Ea eſt cladis cauſa. Hebr. *non ſuſceperunt*. Eorum verba ſcilicet non audierunt.

V. 17. CUM ADHUC SUBSISTEREMUS. Hebr. *hactenus nobis*. DEFECERUNT OCULI NOSTRI AD AUXILIUM, ſcilicet AEgyptiorum, aut aliarum gentium. VANUM. Hebr. *vanitatem*, id eſt vanum. CUM RESPICEREMUS ATTENTI. Hebr. *in ſpeculatione noſtra reſpeximus ad gentem* (quæ) *non ſalvat*.

V. 18. LUBRICAVERUNT: etiam intra urbem tuti non eramus. Hebr. *venati ſunt veſtigia noſtra ab eundo in plateis noſtris*. Intra urbem poſuerunt inſidias nobis, parte civium ſubornata. APPROPINQUAVIT FINIS NOSTER. Urbis in partes diviſæ interitus vicinus eſt.

V. 20. SPIRITUS ORIS NOSTRI. Hoc de Ioſia an de Sedacia Regibus intelligatur, magna quæſtio eſt. Multi ex Hebræis eum R. Selomo de Ioſia accipiunt, ſicut & toto capite monodiam contineri putant, quam in eius obitu Ieremias decantavit. Sane laudes, quæ hic ponuntur, magis in eum conveniunt, quam in Sedeciam, de quo alii hæc dici putant. Sed ſingula videamus. SPIRITUS ORIS NOSTRI, quoniam ut aere vivimus, ſic eius vita. CHRISTUS DOMINUS. Hebr. *Chriſtus Domini*, quoniam eſt in regimine. Hieronymus hæc verba de Chriſto intellexit, propterea dixit, *Chriſtus Dominus:* nam pro *Dominus* eſt nomen Dei quadrilitterum. CAPTUS EST IN PECCATIS NOSTRIS, id eſt victus, ſi de Ioſia intelligatur. Alioqui Sedecias vere captus eſt. CUI DIXIMUS; pro, de quo diximus. IN GENTIBUS, id eſt contra Gentes nos tuebitur. Sane, ut maxime locus de alterutro ex his Regibus accipiatur, magnopere in Chriſtum Dei Filium omnia conveniunt. Ita Chald. dixit, *Rex Meſſias, qui erat dilectus nobis; ſicut ſpiraculum ſpiritus vitæ*.

V. 21. GAUDE, ET LAETARE FILIA EDOM.

Edom. Ironia est. In Terra Hus. Patria Iob erat Idumæa. Nudaberis: sic solent ebrii: sic est Hebr. Alii vertunt, *evomes*, scilicet crapulam: utroque modo significat, ignominiosa eris.

V. 22. Completa est iniquitas tua; id est, pœna iniquitatis completa est, filia Sion; satis pœnarum datum est. Non amplius, id est aliis temporibus non ibis in captivitatem. At tu filia Edom, Idumæa, visitavit; pro, visitabit, puniet iniquitatem tuam Deus. Discooperuit peccata tua; pro, discooperiet, id est ignominiam reteget, uti ebriis contingit. Alludit ad versum superiorem.

MALVENDAE.

Vers. 1. Quomodo obscuratum est aurum? Quidam reddunt: *Quomodo obscuratur aurum, &c.* Huius, inquiunt, Capitis summæ partes sunt tres, prima est erotematica expostulatio de rebus omnibus divinis & humanis eversis sæviente gladio & fame, usque ad vers. 11. secunda est, hypophora, seu subiectio, aut responsio causas & rationes calamitatum illarum explicans, usque ad vers. 21. tertia est denuntiatio iudicii hostibus eventuri, & salutis Ecclesiæ, duobus ultimis versibus. Obscuratum est. Futurum יועם *iughan*, ex Hophal, hæc omnia continet; *absconditi fiet, tegi, operiri, obumbrari, latere, obrui fiet*: & coniugatio significatum intendit. Nos ex *gham*, *populo*, derivata notione haud absurde reddemus, *expopulatum*, *depopulatum est*, vel *populatum est*, passiva significatione, id est a populo ablatum, ereptum: nam & verbo activo, *populo*, utitur non semel Virgilius: & a *populo* dictum videtur, quasi passim & *populatim* diripere. Vide Nonium cap. VII. §. XXVI. Mutatus est color optimus. Alii ex Heb. I. *mutabitur massa auri bona*. II. *mutatur insigne-aurum præstantissimum*. כתם *cethem*, *massa*, seu *portio auri purissimi, & mundissimi*. Vide in Iob XXVIII. 16. Quidam exponunt: Id est, res pretiosæ ministrantes sacris exolescunt & pereunt, tamquam si res claræ nitorem suum amitterent. Dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum? Alii: I. *disiecti sunt lapides sanctuarii ad compita omnium platearum?* Nonnulli allegorice, per *aurum* principes, per *lapides pretiosos sanctuarii*, sacerdotes & Levitas intelligunt, qui dispersi & disiecti a templo erant. II. *diffunduntur lapides sanctitatis in capite omnium vicorum?* id est, abrepti e loco sacro ab impurissimis hostibus, & profuse usurpantur, & nefarie disiiciuntur, perinde ac si res nihili essent: sic in sequentibus. Verbum ex Hithpahel ingentem effusionem & disiectionem denotat.

V. 2. Filii Sion incluti. Alii: *Filii Tzionis pretiosissimi*. Et amicti auro primo. Alii: I. *æstimati auro puro*. II. *qui taxandi essent auro purgatissimo*. III. *æquiparati, comparati, auro optimo*. IV. Forsterus: *& strati cum auro mundissimo*, id est collati: vide notionem verbi סלא *sala*, in Iob XXVIII. 16. Possis accipere: *strati in auro solido*, hoc est ornati, amicti; vel quorum strata erant ex auro purissimo. Quomodo reputati sunt in vasa testea, &c. Alii: *Quomodo reputantur pro viribus testaceis, opere manuum figuli?*

V. 3. Sed et lamiae nudaverunt mammam, &c. תנין *thannin*, vel תנים *thannim*, proprie singulare: plurale תנינים *thaninim*, vel תנינין *thaninin*, quod etiam contracte תנין *thanin*, pluraliter dici volunt, universe *dracones serpentes*, vel terrestres, vel aquaticos esse aiunt: vide in Genes. I. 21. Hunc versum ita exponunt Tremellius, & Iunius: *Etiam phocæ exuunt mammam*, translatum a mulieribus lactantibus, pro, *præbent mammam*, *lactant catulos suos: quomodo filiæ populi mei propter crudelem inimicum est similis ululis in deserto? Amplificatio calamitatis gravissimæ, a comparatione animantium: Ipsi, inquit, vituli marini, (quos vocant phocas, ait Plinius. Lib. IX. cap. VII. extremo) libere ad littus accedentes fœtus suos educant mammis, & locum receptus habent ubi contineant fœtus suos, donec in mare deducantur, & assuefiant in eo: huius vero populi mulieres tantum abest ut liberos suos lactare possint sine impedimento, ut contra omnibus odio sint (tamquam avibus ululæ) ipsæ, & ipsarum quoque parvuli ab omnibus infestentur, & ipsæ alendi partus suos commoditate careant. Vox quidem thannin late patet, significans serpentes & reptilia magna, sive terrestria sive aquatica: sed cum non omnium reptilium sint* man-

mammas, neque aquaticorum sint ii, quos propheta vocat, catulos, necesse fuit hunc locum ad phocas, id est marinos vitulos accommodari, qui a natura sunt quasi amphibii: vide Plinium Lib. IX. Natural. Hist. cap. XIII. Nam draconibus accommodari non potest, cum volucrum solus vespertilio mammas habeat: serpentium terrestrium nulla species mammata est; ac proinde hæc ad marinum istud genus referri debent. Hactenus illi. Sed & de Phocis seu vitulis marinis, de eorum mammis, catulis, partu, educatione catulorum, vide etiam Aristotelem Lib. VI. Historiæ Animalium, cap. XI. vel XII. & AElianum Lib. IX. cap. IX. At certe vanam & futilem hanc phocarum ad hunc locum accommodationem existimamus. Aptius balænis, quibus potius vox thannin convenit, accommodaveris, de quibus Aristoteles Lib. III. Histor. Anim. cap. XX. vel XVI. *Quæ lac habent, ea omnia ipsum in mammis continent. Mammas autem habent quæcumque & concipiunt animal & pariunt: qualia sunt pilis prædita omnia, ut homo & equus: præterea cete, ut delphin, phoca, seu Vitulus marinus, balæna; quibus omnibus, & mammæ sunt & lac.* Plinius Lib. XI. cap. XL. extremo: *Et balænæ autem, vitulique marini mammis nutriunt fœtus.* Hebræi constanter hunc locum de draconibus terrestribus accipiunt, quibus in esse mammas thecis quibusdam inclusas, & lac ad alendos catulos affirmant, quod satis cum doctrina Aristotelis convenit, & Plinius Lib. XXV. cap. II. catulos draconi assignat. Noster *lamias* dixit, de quibus vide Isaiæ XXXIV. 14. Sed hic pro quibusvis feris & truculentis bestiis accepisse videtur, quæ quantavis crudelitate efferentur, catulos tamen suos benigne lactant, & educant. CRUDELIS. Construi non potest cum *filia*; nam est masculeum. Heb. est dativus, *crudeli*, scilicet hosti tradita est; vel, propter crudelem inimicum. QUASI STRUTHIO IN DESERTO. Heb. יענים *ieghanim*, plurale *struthiones*: vide de hac voce in Levit. XI. 16. quasi dicat: Pati coacta est ab inimico, qualia struthio pati solet a venatoribus in deserto. Confer hunc locum cum Iob XXXIX. 17. 18. 19. & 20. adhibitis nostris Notis.

V. 4. ADHAESIT LINGUA LACTENTIS, &c. Alii hunc versum reddunt: *Quomodo adhæret lingua lactentis palato ipsius præ siti; parvulis ipsis petentibus panem, qui partiatur nemo est?*

V. 5. QUI VESCEBANTUR VOLUPTUOSE, &c. Alii hunc versum ex Heb. convertunt: I. *Qui delicatissimis vescebantur, vastati sunt in plateis; & qui in purpura educati fuerunt, amplexati sunt stercora.* II. *Qui comedebant in deliciis, quomodo desolantur per vicos? quomodo qui nutriebantur in coccino, amplexantur stercora?* id est, in fimetis victum quæritant præ inopia, ut solent extrema mendicabula? III. Forsterus: *Qui comederunt de delicatissimis, sedent tristes in plateis*, vel *qui comederunt delicatissima, afflati sunt in plateis*, id est *afflabantur*. Hoc verbo Christus haud dubie usus est, Matth. XII. 25. *Omne regnum in se divisum, afflabitur. Educati*, seu *nutriti super vermiculo*, seu *coccino* aut *purpura, amplexi sunt fimeta*.

V. 6. ET MAIOR EFFECTA EST INIQUITAS FILIAE POPULI MEI PECCATO SODOMORUM, QUAE SUBVERSA EST IN MOMENTO, &c. Alii ex Heb. I. *Maior itaque reputata est iniquitas filiæ populi mei præ peccato Sedom, quæ subversa est quasi momento*, vel *peccato Sedomæ momento eversæ, neque in deditionem acceptæ* vel *& non adhibitæ sunt ei manus*, vel *& non castrametata sunt contra eam castra*; quasi dicat: Maior culpa fuit Iehudæ, quam Sedomæ, nam non habuit prophetas, ut Iehudah, qui eos admonerent, & a peccatis retraherent: etiam pœna Sodomorum fuit levior, quod non fuerint excarnificati longa obsidione, ut Iudæi, sed momento absorpti. *Manus*, pro copiis militaribus, ut etiam Latinis, Virgilius, II. AEneidos:

Hic Dolopum manus, &c.

II. *Et maior est iniquitas filiæ populi mei, quam peccatum Sedomi*; vel, *Et maior est pœna filiæ populi mei, supplicio Sedomi*; de quo Genes. XIX. *Iniquitas*, & *peccatum*, pro pœna & supplicio passim in Scriptura, ut supra Cap. III. 39. *quo everso quasi momento, non manserunt in eo manus*; videlicet, quæ diutius affligerent, postquam momento eversum fuit cum civitatibus ceteris. ET NON CEPERUNT IN EA MANUS. Haud absurde legerem in Nostro cum dyphtongo: *Et non cœperunt, incœperunt*, ex notione verbi חלל *chalal*, nam confunduntur formæ diversarum Radicum, חול *chul*, cha-

chalal, חלה *chalah*, & יחל *iachal*, & significata fere communicant. Possis reddere: *& non violarunt in ea manus*, vel *non incœperunt in ea manus*, quod elegantissimo Valentinismo dicimus: *y no la encetaren*, vide in Genes. IX. 20. Alii verbum חלו *chalu*, ex *chul* exponunt: *& non manserunt*, seu *permanserunt*, aut *resederunt in ea manus*. Quidam: *& non resederunt cum dolore in ea manus*. Ex verbo: *& non dolorem intulerunt in eam manus*. Hebræi ferme exponunt: *& non castrametata sunt contra eam castra*. Ego exponerem: *& non doluerunt in ea manus*; id est, non laborarunt in ea evertenda humanæ manus.

V. 7. CANDIDIORES NAZARAEI EIUS NIVE, NITIDIORES LACTE. Alii: I. *Mundiores erant Neziræi eius præ nive, canduerunt præ lacte*. II. *Puriores erant Neziræi illius nive, nitidiores*, seu *candidiores*, *limpidiores lacte*. Amplificatio calamitatis a constitutione Neziræorum, seu Separatorum, qui dum tenebantur voti, sancti & religiosi censebantur olim ex Lege Numer. VI. per anthitheses hyperbolicas. RUBICUNDIORES EBORE ANTIQUO. Heb. *rubuerunt osse præ margaritis*. Alii: I. *rubebant specie præ margaritis*. II. *rubuerunt specie supra margaritas*, vel *præ corallis*. III. *rubebant corpore*, *substantia*, *hypostasi*, *magis quam carbunculi*. De voce פנינים *pheninim*, quam *margaritas* reddimus, vide in Iob XXVIII. 18 hic nonnulli potius *rubinos*, *pyropos*, *carbunculos*, aut *coralia* exponunt, quod dicantur rubere, cum margaritarum *dos omnis in candore*, *magnitudine*, *orbe*, *levore* &c. sit, auctore Plinio Lib. IX. cap. XXXV. Sed addit ibidem Plinius: *Eas cælo gaudere*, *sole rubescere*, *candoremque perdere*, *ut corpus humanum; quare præcipuum*, inquit, *custodiunt pelago altius mersæ*, *quam ut penetrent radii*. Et paulo inferius addit: *In nostro mari reperiri solebant*, *crebrius circa Bosphorum Thracium*, *rufi ac parvi in conchis quas myas appellant*. Et sane Propheta rubrum appellat colorem illum subfuscum & pellucidum, quem uniones quos vocant orientales, a colore orientis solis, referunt. SAPPHIRO PULCHRIORES. Alii ex Heb. I. *sapphirus erat excisio eorum*; id est, ac si fuissent excisi ex sapphiro ob multam eorum politiem, & puritatem. II. *sapphirus dispositio eorum*. III. *polities eorum sapphiro similis erat*. IV. *sapphirus decisio eorum*; id est, ordo eorum distinctus ab aliis instar Sapphiri lapidis. V. Avenarius: *rubuerunt ossa præ gemmis*, *quasi sectio eorum esset ex sapphiro*. VI. Hispanicus Interpres: *su compostura*, vel *su cuerpo*, *mas encendida que las piedras preciosas cortadas del sapphiro*. VII. *Sapphirina polities eorum*.

V. 8. DENIGRATA EST SUPER CARBONES, &c. Hunc versum alii ex Heb. I. *Nunc forma eorum nigredine ipsa obscurior est*, *non sunt agniti in plateis: agglutinavit se pellis eorum; aret, ac riget ut lignum*. II. *Quomodo obscurior est nigredine forma eorum*, *non agnoscuntur in vicis*: *concreta est cutis eorum cum osse ipsorum*, *aret*, *est similis ligno?*

V. 9. MELIUS FUIT OCCISIS GLADIO, &c. Alii ex Heb. I. *Feliciores fuerunt interfecti gladio*, *quam qui fame perierunt; quod ii fluxerunt transfixi propter fructus agrorum*; id est, propter defectum fructuum agrorum; quasi dicat: Illi subito transfossi gladio expirarunt; ii vero longa famis tabe sensim & cum diuturno labore solvuntur. II. *Quomodo melius habent confossi gladio*, *quam confossi fame: melius qui perfluunt transfixi*, id est quorum sanguis effunditur, *quam a proventibus agrorum meorum*. Elliptica locutio, pro, *quam destituti proventibus agrorum meorum?* Nihil necesse est שדי *sadai* exponere, *agrorum meorum*, cum sæpius ponatur pro שדה *sadeh*, *He*, mutato in *Iod* mobile. Vide Thesaurum Sanctis, Colum. 2863.

V. 10. MANUS MULIERUM MISERICORDIUM COXERUNT FILIOS SUOS, &c. ut eis interminatus fuerat Deus Deuteronom. XXVIII. 53. & sequentibus. Sic supra cap. II. 20. Exempla nefarii huius flagitii apud Iudæos extant, II. Reg. VI. 28. & 29. & referente Iosepho Lib. VII. Belli, cap. VIII. Apud alias gentes, ut Calagurritatorum, prodit Valerius Maximus Lib. VII. cap. VI. recentiora Florimundus Remundus Lib. de Antichristo, cap. VII. FACTI SUNT CIBUS EARUM. Heb. *fuerunt* לברות *lebaroth*, *eis*. ברות *baroth*, potest esse infinitivus Pihel: *ad carpendum*, *decerpendum*, *comedendum eis*, vel nomen singulare: *in carpsellum*, *morsellum*, *cibum*, *edulium delicatum & refocillans*, seu *recreativum*: vide in II. Samuel XIII. 5. aut plurale:

in

in morsella, *carpsella*, &c. *eis*. IN CONTRITIONE FILIAE POPULI MEI: id est, cum sæva calamitatis & famis necessitate premeretur. Quidam hunc versum reddunt: *Quomodo manus mulierum misericordium*; id est, quæ a natura fere sunt misericordes, & indulgentiores liberis, *coquunt natos ipsarum*; *sunt alimento ipsis in contritione filiæ populi mei?*

V. 11. COMPLEVIT DOMINUS FUROREM SUUM, &c. Hunc versum alii ex Heb. reddunt: *Consummat Iehova excandescentiam suam*, *effundit æstum iræ suæ*: & *accendit ignem Tziione*, *qui exedet fundamenta eius*. Hypophora, ut diximus in vers. 1. qua Propheta respondet ærumnas istas a Deo esse supra omnem expectationem hominum, duobus versibus; & quidem irato propter peccata Iudæorum, cum præterita, quæ ipsi hostes damnant, atque ulciscuntur, usque ad vers. 17. tum etiam præsentia, quæ documenta sunt obstinatissimæ Iudæorum pervicaciæ, quatuor versibus.

V. 13. PROPTER PECCATA PROPHETARUM EIUS, ET INIQUITATES SACERDOTUM EIUS, &c. ac multo magis ceterorum ordinum: vide II. Chronicor. XXXVI. 14. & sequentibus.

V. 14. ERRAVERUNT CAECI IN PLATEIS, &c. Hunc versum varie ex Heb. explanant: I. *Vacillarunt*, *ut cæci*, *in plateis*, *polluti sunt sanguine*, *ut non possint accedentes contingere vestimenta eorum*, nimirum præ sanguine & contaminatione. II. *Qui evagantibus cæcis per vicos*, *contaminatis sanguine*; *quem non possunt quin tangant vestimentis suis*. Exegesis præcedentis dicti de peccatis prophetarum, sacerdotum, totiusque populi, quibus cum eos, qui in Iudæa supererant, tum deportatos exules corrumpebant, duobus versibus. *Cæcis per vicos*, &c. ut Isaiæ XLII. 18. & sequentibus: *quem non possunt*, &c. prout narratur de temporibus Menaschis, II. Regum XXI. 16. cui coniungendum est quod scribitur II. Regum XXIII. 36. & cap. XXIV. 3. & IV. 9. & XIX. *polluti sunt sanguine*. De verbo נגואלו *neghoalu* composito ex *Niphal*, & *Pual*, vide in Isaiæ LIX. 3.

V. 15. RECEDITE POLLUTI, CLAMAVERUNT AD EOS, &c. Alii hunc versum ex Heb. interpretantur: *Recedite impurus quisque*, *proclamant eis*; *recedite*, *recedite*, *ne attingitote*: *cum avolant*, *etiam evagantur*; id est, quamvis miseri non ambulent, non currant, sed præcipites fugiant quam longissime, ne rebus illis contaminentur: *dicunt in gentibus*, *Non amplius commorabuntur*; id est, Iudæis, qui iam ad AEgyptios & Chaldæos fuerant deportati, prædicebant liberationem ex animo suo brevi affuturam esse: ut exemplum extat Irme. XXVIII. 2. & sequentibus. Nostræ Translationis hic est sensus: Puri & fideles servi Dei proclamabunt impuris & contaminatis prophetis, & sacerdotibus, & reliquis ordinibus populi: Discedite omnino polluti, ne attingitote nos, ne nos etiam contactu vestro contaminemur: qui puri fideles quam celerrime avolarunt & sese quam longissime subduxerunt ab illis impuris prophetis & sacerdotibus: qui falso Iudæis persuadebant, nequaquam eos ad gentes deportandos, aut brevi ex eis liberandos. Alias explanationes non referimus, quod hanc non æquent.

V. 16. FACIES DOMINI DIVISIT EOS, &c. Alii hunc versum ex Heb. reddunt: I. *Vultus Iehovæ relegavit eos*, vel *separavit*; hoc est, disiecit & dispersit in varias regiones: *nec ultra eos respiciet*, *quia nec ipsi vultus sacerdotum reveriti sunt*, *nec senum miserti*. II. *Irata facies Iehovæ dispertiet eos*, *non est intuitura in eos amplius*: *hostes faciem sacerdotum non suscipient*, seu *rationem Sacerdotum non habebunt*, *senibus non facient gratiam*. FACIES IHUH DISPERTIVIT EOS. *Facies* est plurale; id est, Tres divinæ Personæ cum verbo singulari ob unitatem essentiæ. FACIES SACERDOTUM NON ERUBUERUNT. Heb. *non levaverunt*. De qua locutione, quia passim obvia, vide Dictionarium Forsteri, pag. 522.

V. 17. CUM ADHUC SUBSISTEREMUS, &c. Alii hunc versum ex Heb. explanant: I. *Hucusque nobis*, vel *adhuc nobis*, subaudi, expectantibus auxilium ab AEgyptiis, Ierem. XXVII. 5. & sequentibus. Aut: *Adhuc nobis integris*, *deficiunt oculi nostri intenti ad vanum auxilium nostrum*, id est ad AEgyptios, *dum anxie expectamus gentem*, *quæ servare nequit*. II. *Et adhuc nos*, *oculi nostri consumuntur ad auxilium nostrum*, seu *desiderio auxilii nostri*, ut Psal. CXVIII. 81. & 82. *vanitatem*, seu *vanissimi*: *speculatione nostra speculamur versus*

sus gentem non servaturam. Secundus peccatorum gradus, obstinatio, ut diximus in vers. 12. quod videlicet Iudæi, Deo infenso, & potientibus rerum hostibus, adhuc obfirmate confidunt rebus inanibus, nempe exteris AEgyptiorum aliorumque copiis auxiliaribus (ut appaet ex Iirmeiæ XXVII.) item fugæ, ac denique regi suo, quasi non potuisset sibi regnum illud Davidis temporarium eripi, versibus quatuor.

V. 18. LUBRICAVERUNT VESTIGIA NOSTRA, &c. Alii: *Venantur gressus nostros, ut eamus per plateas nostras*, nimirum extructis contra urbem propugnaculis, ex quibus plateæ urbis observabantur, & in prætereuntes tela iaciebantur II. Regum XXV. I. *apprepinquavit finis noster, implentur dies nostris, advenit finis noster*.

V. 19. VELOCIORES FUERUNT, &c. Quidam reddunt: *Leviores sunt, qui persequuntur nos, aquilis cæli: in ipsis montibus insectantur nos, in ipso deserto insidiantur nobis;* id est, omnibus ex partibus sunt deprehensuri nos. Vide II. Reg. XXV. 5. PERSECUTI SUNT NOS. Proprie, exarserunt in nos, ardenti & infesto animo insectati sunt nos: ut Genes. XXXI. 36.

V. 20. SPIRITUS ORIS NOSTRI. Alii: *Spiramentum narium nostrarum*. Notant, cum nomen רוח *ruach*, *spiritus*, iungitur cum אף *aph*, *naso*, vel *naribus*, tunc significare *flatum*, *anhelitum*, *respirationem* qua respiramus, quæ passim per nares emittitur & afflatut. CHRISTUS DOMINUS. Hebræi statu syntactico constanter legunt, *Messias, Christus, Unctus, Iehovæ*. Et intelligunt vel Iosiam interfectum armis AEgyptiacis, vel Tzidkiiam captum & excæcatum a Nebuchadnetzare. Alii, universe regem & regnum Iehudæorum. Noster excellenti mysterio divinitatis Christi eisdem omnino litteris statu absoluto legit, *Christus Iehova*: Sacramentum passionis Christi & Salutis humanæ his verbis contineri demonstrans. Alii reddunt: *Spiritus narium nostrarum Unctus Iehovæ capta est in retibus eorum*. II. *Spiramentum narium nostrarum Unctus Iehovæ capitur in foveis istorum*, id est, rex noster e posteritate Davidis, quo freti saltem nobis datur aliqua interspirandi occasio in quibuslibet angustiis: nam præsidebant Iudæi dignitati illius regni, tamquam si pure & per se ipsum fuisset stabile: non autem spectabant Christum, qui finis est, & complementum illius typi, neque conditiones sibi imperatas. *Spiramentum narium nostrarum*; id est, per quem spiramus, & vitæ halitum trahimus, per quem vivimus, qui nos tuetur, & in vita ac pace conservat. Insigne epithetum regum, quod verius Christo Monarchæ generis humani convenit. CAPTUS EST IN PECCATIS NOSTRIS. Hebr. *captus est in perditionibus, corruptionibus, retibus, laqueis, foveis, eorum*, scilicet hostium. CUI DIXIMUS: IN UMBRA TUA VIVEMUS IN GENTIBUS. Alii: *de quo dicebamus, In umbra eius nos victuros inter gentes;* id est, adiumento eius tamquam umbraculo recreati, ne deficiamus aut exarescamus, velut æstu, malorum nostrorum amplitudine: metaphora, cuiusmodi est Daniel. III. 92.

V. 21. GAUDE ET LAETARE, &c. Tertia pars capitis, ut diximus in vers. I. cuius membrum prius exprimitur: per ironiam. FILIA EDOM: id est, inimici omnes, per synecdochen: qui duabus gentibus hic exprimuntur Iudææ propinquissimis & infestissimis, in Edomæa & Syria sitis: vide Iirmei. XLIX. 7. QUAE HABITAS IN TERRA HUS. Alii: *o quæ habitas in terra Hutzi*: de qua vide in Genes. X. 13. & Iob I. I. AD TE QUOQUE PERVENIET CALIX. Quidam: *etiam ad te transiturum est poculum*: vide Ieremi. XXV. 15. & sequentibus. INEBRIABERIS ATQUE NUDABERIS. Alii: I. *inebriaberis, & evacuaberis*; id est, evomes. II. *inebriabis te, & nudabis te*, nimirum dementata potu, quem præbiturus est Dominus: ut faciunt qui inebriantur vino: sicut exemplum habetur in Noacho Genes. IX. 21. Quidam Hebræorum allusum putant ad Psalm. CXXXVI. 7. de Edomæis dicentibus: *Nudate nudate usque ad fundamentum*; ut reddat eis talionem: vide Iirmei. XLIX. 10.

V. 22. COMPLETA EST INIQUITAS TUA FILIA SION. Exponunt: Id est, pœna iniquitatis. Aliqui reddunt: *Consumpta iniquitate tua, o filia Tziionis, non perget in deportatione derelinquere te*; id est, exactis annis septuaginta, quibus statuit Deus non intueri te, supra vers. 16. reducet te ex deportatione. Alii exponunt: *non ultra te ducet in captivitatem*. VISITABIT INIQUITATEM TUAM, FILIA EDOM. Verbum *visitavit* est masculeum, scilicet Deus; & *filia*

lia est in vocandi casu. Alii: *animadvertet*, *puniet*, *castigabit* Deus *iniquitatem tuam*, *o filia Edomi*. DISCOOPERUIT PECCATA TUA. Alii: I. *& peccata tua reteget*. II. Tremellius & Iunius: *devolvet*, *deportabit propter peccata tua*, ut prædictum est Iirmei. XLIX. 7. & sequentibus. Hoc autem verbum hac coniugatione *Pihel* ita interpretantur, ut passivum illius, nempe *Puhal*, Nachum II. 7.

MENOCHII.

Vers. 1. QUOMODO: quo tanto scelere hominum, qua tanta Dei indignatione. OBSCURATUM EST AURUM. Deflet templi eversionem, & spoliationem. Templum prius auro collucebat: postquam incensum est a Nabuzardan pro auro nihil aliud apparet quam exusti, & fumo, & flammis obscurati parietes. MUTATUS EST COLOR OPTIMUS. Color auri nitentis, & fulgentis cum ipso auro sublatus est, & relicti parietes atri fuligine propter incendium. DISPERSI SUNT LAPIDES SANCTUARII: everso scilicet templo, lapides dissipati sunt. IN CAPITE PLATEARUM, per plateas.

V. 2. FILII SION: cives Ierusalem. INCLYTI: gloriosi, qui ab omnibus magnificebant. AMICTI AURO PRIMO: vestibus auro pretiosissimo intertextis. IN VASA TESTEA; ac si essent vile aliquod vas fictile.

V. 3. SED ET LAMIAE NUDAVERUNT MAMMAM. Sensus est: Ierusalem crudeliorem ipsis bestiis factam esse; nam ipsæ lamiæ, velut est in Hebræo תנין *tannin dracones*, nudatis mammis catulos suos lactant; filia autem populi mei, id est Ierusalem facta est crudelis, quasi struthio in deserto. LAMIAE. Lamias olim fabulabantur esse monstra quædam umbilicotenus muliebri specie, deorsum ferina, mammis muliebribus. De his multa crudelia iactabantur, utpote vorare homines, ac præsertim infantes. Sententia ergo est, etiam feris truculentis non defuisse in suos fœtus materna viscera; defuisse autem matribus Ierosolymitanis. Diximus alibi Latinum interpretem aliquando in sua versione ad fabulas gentilium alludere, ut expressius sensum textus sacri exhibeat: exempla habemus Iob XXI. 33. & cap. XLI. 14. & alibi. STRUTHIO. Struthio dicitur ova parere, & quasi sua non sint, negligere. Vide Iob cap. XXXIX. 17. & 18.

V. 4. IN SITI: præ siti.

V. 5. IN VIIS: *in plateis*, ut est in Hebræo, fame extincti. QUAE NUTRIEBANTUR IN CROCEIS, &c. qui educubantur splendide nitentibus, & elegantibus vestibus croceis induti. Vel, qui in croceis stragulis pretiosis cubabant, iam amplexati sunt stercora, id est sordidis vestibus utuntur, vel pro delitiis habent, & felicitate magna sterquilinium nancisci, in quo lassos artus reclinent.

V. 6. INIQUITAS, id est pœna iniquitatis Ierosolymæ. PECCATO, id est pœna peccati Sodomorum. QUAE SUBVERSA EST IN MOMENTO. Est causa propter quam levior dicitur clades Sodomorum; mors enim repentina minus habet doloris. NON CEPERUNT IN EA MANUS. LXX. vertunt, *Non laboraverunt in ea manus*. scilicet in ea evertenda, vel defendenda diu non laboraverunt manus, immo nec laborare cœperunt; repentinus enim eis supervenit interitus.

V. 7. CANDIDIORES NAZARAEI EIUS, &c. Querela est Nazaræos olim maximo in honore, & veneratione habitos, prorsus viluisse, omni decore, & gloria spoliatos. CANDIDIORES NIVE. Dicendi formula proverbialis, candidi erant Nazaræi, nitidi, bene loti. NITIDIORES LACTE: candidi, & nitentes, sed simul succulenti, & boni habitus, quod per lactis metaphoram significat. RUBICUNDIORES EBORE ANTIQUO. Solebant veteres ebur tempore pallescens, & decolor effectum, ut ei pristinum decorem, & splendorem restituerent, illud illuminare, & tingere minio, vel purpura, quem etiam ritum habemus ex Virgilio AEneid. XII. cum ait:

Indum sanguineo veluti violaverit ostro
Si quis ebur, &c.

SAPPHIRO PULCHRIORES. Ad verbum ex Hebræo, *sapphiri excisio eorum*; id est, elegantes erant, & politi, sicut sapphirus excisus, & sectus, & tamen cum tales essent, *denigrata est*, &c.

V. 8. DENIGRATA EST, &c. id est, nigrior facta est quam carbones facies eorum, propter miserias captivitatis, ita ut in mediis plateis alii ab aliis non cognoscerentur.

V. 9. Occisis gladio: brevi, & cita morte extinctis. Interfectis fame: quos longa inedia diu torsit, & cruciavit. Extabuerunt; id est, paulatim consumpti sunt, defluxerunt paulatim in mortem. A sterilitate, ob sterilitatem.

V. 10. Mulierum misericordium: quæ alioqui misericordes esse solent in suas proles. In contritione: in obsidione, quæ contritionem, & ruinam urbi attulit.

V. 11. Complevit, &c. omnem iram, vel id quod per Moysem minatus est, Deut. cap. xxviii. 53. Ignem: quo urbs, & templum arsit: vel per metaphoram significatur clades, quæ fundamenta, id est reges & principes cum plebe devoravit.

V. 12. Non crediderunt: non credebant; aut numquam credere potuissent finitimi reges, & populi, qui norant quam bene munita esset Ierusalem.

V. 13. Prophetarum, mendacium.

V. 14. Erraverunt coeci, &c. ob perturbationem animi, & ob sordes, sanguinem, & cadaverum multitudinem recta incedere nesciebant, aut non poterant ut cœci faciunt. Polluti sunt sanguine: quo viæ, compita, & plateæ civitatis redundabant. Cum non possent: ita per vicos transire quin tabo e cadaveribus effluente fœdarentur. Tenuerunt lacinias suas: vestium extrema colligentes ne sanguine inficerentur.

V. 15. Recedite polluti. Sunt verba Iudæorum mundorum clamantium ad immundos, recedite ne scilicet & nos polluamur, & fiamus immundi. Iurgati quippe sunt: aliis dicentibus, Recedite, aliis recedere nolentibus. Et commoti: & cum abiissent in captivitatem, & huc illucque vagi errarent, sicut prædixerat cap. xxxiv. 17. *Dabo vos in commotionem cunctis regnis terræ*. Dixerunt inter Gentes: quicumque eos inter Gentes dispersos, & vagabundos videbant, dixerunt, Non addet ultra, &c. scilicet Deus. In Hebræo est. *Non addent ultra ad habitandum*, id est, non revertentur ultra in terram suam, ut in ea habitent.

V. 16. Facies Domini: ita Domini, iratus Domini vultus. Divisit eos: alios ab aliis diduxit, dispersit. Ut respiciat eos: vultu benigno, & ut illis faveat. Facies sacerdotum non erubuerunt: sed eos sine respectu sacerdotii, & senii vexaverunt, & occiderunt, Iudæi scilicet qui in prophetas, & sacerdotes etiam senes sævierunt.

V. 17. Cum adhuc subsisteremus, id est cum adhuc staret respublica nostra; cum erecti staremus in expectatione AEgyptiorum, ut obsidionem Chaldæorum solverent. Defecerunt oculi nostri: spectantes, & intenti ad auxilium Pharaonis, sed frustra. Ad Gentem: AEgyptios intelligit.

V. 18. Lubricaverunt, &c. LXX. ἐθηρεύσαμεν, *venati sunt*, Hebraicum צדו *tsaudu* proprie significat *insidiati sunt*, sed eadem est nostræ vulgatæ editionis sententia: nam qui alteri viam lubricam facit, illi insidiatur. Non poteramus in mediis plateis nostris tuto ambulare. Appropinquavit finis noster: tempus ultimum exitio Ierosolymæ constitutum, sic Ezech. vii. 2. *Venit finis, finis venit super quatuor plagas terræ*.

V. 19. Velociores fuerunt, &c. velocissimus enim fuisse dicitur equitatus Chaldæorum. Ierem. iv. 13. & xlviii. 40. alludit autem hoc loco ad Chaldæos illos qui persecuti sunt fugientem Sedeciam, eumque celeritate cursus comprehenderunt IV. Reg. xxv. 1. Ierem. xxxix. 5. & lii. 8. 9.

V. 20. Spiritus oris nostri: rex noster nobis æque dilectus ac spiritus vitalis, & qui vitam nostram conservabat, sicut aer iste quem ducimus. Videtur Regem Sedeciam intelligere de quo superiore versiculo fuerat locutus. Longius tamen tenditur prophetia, & simul Iesum Christum respicit, qui est captus, & morti traditus propter peccata nostra: quod etiam ex eo confirmatur quod vulgata editio habet *Christus Dominus*, non ut aliqui vertunt, *Christus Domini*. Cui diximus, &c. de quo dicebamus, fore ut sub eius tutela viveremus.

V. 21. Gaude, et laetare, &c. Est ironia, vel concessio, qualis est illa Eccl. xi. 9. *Lætare vero iuvenis in adolescentia tua*: nam Ieremias hic prædicit excidium Idumæorum per eosdem Chaldæos, quia ipsi irriserant Iudæos, & iuverant Chaldæos in exidio Iudæorum, ut patet Ezech. xxxv. 13. Filia Edom: Idumæi. Quae habitas in terra Hus. Hinc patet terram Hus, cuius est mentio Iob. i. candem esse

esse cum Idumæa, vel saltem in se complexam fuisse Idumæam. CALIX: iræ & ultionis divinæ, quo inebriaberis, ut supra cap. LI. 7. 39. 57. NUDABERIS: sicut ebrii nudari solent, quemadmodum accidit Noe Genes. IX. 21. quasi dicat, Spoliaberis bonis tuis,

V. 22. COMPLETA EST INIQUITAS TUA, id est pœna iniquitatis tuæ. NON ADDET ULTRA UT TRANSMIGRET TE: nam Ierosolymorum desolatio sub Romanis non fuit Iudæorum Gentis abductio, & trasmigratio in aliquam certam provinciam, sed, ut usque ad hunc diem videmus, per universum orbem dissipatio, & dispersio. VISITABIT INIQUITATEM TUAM, &c. Post cladem Iudæorum Idumæos corripiet] furor Domini, & eos puniet, ut meriti sunt. DISCOOPERIET PECCATA TUA; id est, faciet ut ex pœnis quas lues constet quam multa, & quam gravia fuerint peccata tua.

TIRINI.

Vers. 1. QUOMODO *a* AURUM, id est templum auro ita obiectum *b*, ut videretur merum aurum, iam igne crematum & eversum a Chaldæis, adeo OBSCURATUM iacet, ut non appareat nisi fuligo? ita Chaldæus, Rabanus & Hugo.

V. 2. FILII SION; id est, cives Ierosolymitani, ac præ aliis proles regiæ, ceterique proceres Iudæorum, forma, viribus, opibus INCLYTI, ET AURO PRIMO; id est, vestibus auro gemmisque contextis more regio AMICTI, iam mancipia Chaldæorum carcere & ærumnis confecti reputantur IN VASA TESTEA; id est, viles habentur, & abiecti, & nullius pretii: quia qui antea rosei erant & floridi, nunc aridi sunt & exsucci instar testæ: ita Chaldæus.

V. 3. SED ET LAMIAE crudelissimæ feræ, *nudatis* porrectisque *mammis*, *lactant* & alunt CATULOS SUOS: sola FILIA POPULI MEI, id est fulæ feminæ Ierosolymitanæ, præ fame tam *crudeles* se exhibuerunt filiis suis, ut lac eis etiam morituris negarint, & eos a se repulerint, QUASI STRUTHIO, qui ova sua humo tecta, teste Plinio *c*, quasi sua non sint, deserit; ad pullos quoque suos vi solis inde exclusos ita obduratur, ut prorsus negligat quasi non suos, inquit Origenes, Theodoretus, Rupertus, Lyranus, Vatablus & alii. De struthione *d* alibi fusius egi. De lamia scri bit Aristoteles & ex eo Guil. Rondeletius *e*, balenæ genus esse. Sed malim cum Philostrato *f* & Dione Chrysostomo terrestrem draconem intelligere, muliebri facie & uberibus, reliquoque corpore superiore ita specioso, ut viatores in sui amorem pertrahat, accedentesque capiat ac devoret: inferiore parte corporis squamis prædura & in draconem desinente: nisi quod alis destituatur & voce, sibilat tamen instar draconis. *Manticoram* vocat Aristoteles, Plinius & Solinus *g*. In Germania tale monstrum se vidisse narrat Albertus Magnus, & quidam alii *h*. Ab hac crudelitate, ortum, ut veneficæ, quæ pueros necant & devorant, *lamiæ* vocentur, inquit Cælius Rhodiginus & Delrio *i*.

V. 5. QUI voluptuose ac delicate NUTRIEBANTUR cibis *croco* conditis, nunc urgente fame gaudent etiam *stercoribus*, v. g. columbinis, uti contigit in *Samaria* tempore Elisei: ita Hugo, S. Thomas & Dionysius. Alii de byssinis vestibus id explicant *crocei* coloris, quas Gellius k dicit non minus speciosas & pretiosas esse, ac coccineas, seu purpureas. Porro talibus olim ornati nobiles Iudæi, iam *stercoribus* operiuntur, id est laciniis stercore & luto fœdatis, ex sordido ministerio quod recentibus heris suis Chaldæis præstare coguntur. Sic Iosephus *l* cophino serviebat in AEgypto, inquit S. Augustinus.

V. 6. MAIOR EFFECTA EST INIQUITAS, id est pœna iniquitatis, Ierosolymæ, PECCATO, id est pœna peccati, Sodomorum. Quia Sodoma MOMENTO uno SUBVERSA EST igne cælitus depluente, ET NON CEPERUNT IN EA MANUS hostiles spolia & captivos, quos lenta morte discruciarent, ut accidit Ierosolymitis. Unde Vatablus & Pagninus verterunt, *Non sunt contra eam castrametatæ hostium manus*; Symmachus, *non vulnerarunt eam manus*; alii, *Gentes non profanarunt in ea manus suas*.

V. 7. NAZARAEI quinam fuerint, alibi *m* exposui. Religiosior & sanctior pars gregis Iudaici, toto corpore *candicantes* & quasi *lactei*, insperso genis colore rubeo, capillis etiam rutilantibus & aurescentibus instar eboris antiqui rubescentis, id est flave-

vescentis: *rubeus* enim color, ut bene probat Gellius, non modo *paupureum*, sed & *aureum* complectitur. Denique oculis *sapphirinis*, lucidissimis, pulcherrimis. Sapphirus enim gemma est cærulei coloris, aureis punctis quasi stellis collucens, instar lapidis *iazuli*, teste Plinio *n* & aliis: ita Pineda. Iam præ fame, præ macie, præ aliis miseriis facti sunt nigriores carbonibus.

V. 9. MELIUS & mollius FUIT OCCISIS GLADIO, id est cita & brevi morte peremptis, QUAM longa FAME & inedia cruciatis, ac tandem etiam INTERFECTIS, quia EXTABUERUNT; Hebraice, *defluxerunt paulatim in mortem*, CONSUMPTI; Hebraice, *confossi*, A STERILITATE TERRAE, id est ob defectum fructuum, & subtractionem alimenti necessarii.

V. 10. MULIERUM natura sua MISERICORDIUM, maxime, in proprios natos, sed iam fame efferatarum, MANUS, cum cibum alium non haberent, COXERUNT FILIOS SUOS *o*, IN CONTRITIONE, id est dum longa & arcta obsidione contereretur Ierosolyma.

V. 12. NON CREDIDERUNT externi posse *Ierosolymam* vi expugnari: nempe norant curæ esse Deo, qui contra *Sennacherib* & tot alios reges eam toties protexisset: norant & loci natura & arte munitissimam esse. Unde & Iebusæi ridebant Davidem ad eam expugnandam sese accingentem, II. Reg. v. inquit Origenes, Chaldæus, Theodoretus & Liranus. Et vero nullis viribus expugnari potuisset, nisi divino præsidio & tutela fuisset destituta.

V. 13. PROPTER PECCATA PSEUDOPROPHETARUM EIUS. Phassur *p*, Hananiæ *q* & similium, QUI EFFUDERUNT SANGUINEM IUSTORUM: v. g. *Uriæ* Prophetæ, Ieremiæ XXVI. 20. & aliorum sub Manasse, IV. Reg. XX. Ob hos enim excisam esse Ierosolymam, alibi *r* Ieremias docuit: ita Sanchez. Porro grassante per urbem promiscua cæde,

V. 14. ERRAVERUNT passim IN PLATEIS & foris vagabundi Iudæi quasi CAECI, effugium quærentes, ut sine cadaverum attactu *f*, impolluti evaderent. Sed frustra: nam plateis multitudine cadaverum oppletis, impingebant ubique, & *sanguine* ex eis defluente polluebantur. Quidam CUM aliter transire NON POSSENT, *continuerunt* & levarunt LACINIAS SUAS, & fluidam vestem contraxeruut, & sic sine cadaverum contactu pauculi pertransierunt mundi & impolluti; qui dum aliis occurrunt iam attactu cadaverum pollutis, ne vel horum affrictu contaminarentur,

V. 15. CLAMAVERUNT obviis EIS, RECEDITE a me POLLUTI, NOLITE immundi mundos TANGERE, & vestro contactu polluere. Sed hi quasi cæci nil de talibus solliciti, impingebant ubique in obvios. Inde *iurgia* & animorum commotiones & pugnæ (ut ex Hebræo colligitur,) & scandala: etiam, Gentilibus passim iis insultantibus, NON ADDET ULTRA hæc tam impia gens, UT diutius HABITET IN his terris, ubi ita rixantur. Hebraice enim est, *non addent Iudæi ultra ad inhabitandum*; quasi dicat: Non diu fruentur libertate rixandi inter se in patrio solo: compingemus eos in vincula, deportabimus in exilium, detrudemus in pistrinum: ibi rixentur, ibi depugnent ad satietatem.

V. 16. FACIES DOMINI irata DIVISIT EOS a patrio solo, & expulit in exilium: quia ipsi FACIES SACERDOTUM, eos ob sua scelera monentium & increpantium, NON ERUBUERUNT; ut dixi vers. 13. ita Rabanus, S. Thomas, Vatablus & Lyranus.

V. 17. CUM ADHUC SUBSISTEREMUS integra stante republica nostra, ET RESPICEREMUS ad AEgyptios, ut nos ab obsidione Chaldæorum liberarent, DEFECERUNT OCULI NOSTRI longa & attenta contritione, seu prospectatione, qua VANUM illorum AUXILIUM vel eminus prospectare conabamur: sed frustra: nam repulsi a Chaldæis AEgyptii *t*, nusquam in Iudæa comparuerunt: ita Origenes, Rabanus, Theodoretus, & Hugo. A quibus deserti, mox ad extrema redacti sumus.

V. 18. LUBRICAVERUNT VESTIGIA NOSTRA; id est, nusquam firma vestigia figere potuimus, etiam IN medio PLATEARUM, seu fororum nostrorum; quasi dicat: Nihil firmi, nihil solidi nobis fuit: quodcumque consilium inivimus, quamcumque viam tentavimus, quodcumque negotium aggressi fumus, non successit ex sententia: omnia lubrica, omnia infida, omnia nobis adversa. In Hebræo & apud LXX. est, *venati sunt hostes gressus nostros*; id est, laqueos & insidias tetenderunt Chaldæi omnibus studiis & machinationibus nostris, & omnes subverterunt.

V. 19.

V. 19. VELOCIORES FUERUNT AQUILIS CAELI, velocissimis æque ac robustissimis equis suis nos impetentes. Primo, cum e Chaldæa *u* advolarunt in Iudæam; secundo, cum a fugatis AEgyptiis Ierosolymam ad prosequendam obsidionem revolarunt; tertio, cum perrupto iam urbis muro nos fugientes insecuti sunt, etiam SUPER MONTES & *in* locis *desertis*, ubi rupes habebamus & cavernas, ut putabamus *x*, inaccessas. Sed ipsis nihil inaccessum fuit: nam insidiis & industria sua nos quasi limaces e cochleis nostris in lucem protraxerunt, & tribunalibus obiecerunt. Tunc etiam, quod omnium molestissimum accidit,

V. 20. CAPTUS ab illis EST CHRISTUS DOMINUS, id est unctus rex noster. Ex Hebræo potest etiam verti, *Christus Domini*: hic est Sedecias ultimus e stirpe Davidica Iudæorum rex, inquit S. Thomas, Maldonatus & quidam Hebræi. *Qui erat* SPIRITUS, seu flatus, ORIS NOSTRI, id est anima & vita nostra, ut Origenes, Rupertus, Rabanus, Hugo, Lyranus exponunt; quasi dicat: Rege suo quasi propria anima & vita vivebat, respirabat & vegetabatur totum regni corpus, quod illo sublato nunc defecit, & exstinctum est. Et de hoc Sedecia loquitur hic Propheta ad litteram: sed allegorice & quidem sensu principalius intento a Spiritu sancto, loquitur de antitypo *Sedeciæ* regis, nempe de *Messia*, vero Domino, Hebraice, *Iehova*, id est Deo nostro: de quo locum hunc etiam ad litteram exponunt S. Clemens, Irenæus, Iustinus, Origenes, Tertullianus, Ambrosius, Hieronymus & alii SS. Patres citati a Christophoro Castrio. Sic Isaias XLV. a Cyro ad Christum, sic Zacharias, IX. 9. sic alii Prophetæ non raro a typo ad antitypum subito avolant, ut alibi *y* dixi. Porro utrique aptari potest quod subnectitur, *captum esse* IN PECCATIS NOSTRIS, id est propter peccata nostra, ut Olympiodorus & alii exponunt: & Isaias cap. LIII. 5. deserte affirmat Christum *propter peccata populi* percussum a Deo, nempe ut illa expiaret. Et de Sedecia nemo negare potest, tam dira passum tum ob propria, tum ob aliena subditorum suorum scelera: ita S. Thomas, & alii supra citati. I nunc

V. 21. FILIA EDOM, id est Idumæa, sita IN TERRA HUS, GAUDE ET LAETARE super excidio Iudææ, & ad illud excita atque adiuva *z* Chaldæos. Erunt & tibi tuæ vices: eodem calice vindictæ divinæ etiam tu INEBRIABERIS, ATQUE omnibus ornamentis tuis NUDABERIS.

V. 22. TUA INIQUITAS; id est, pœna & punitio iniquitatum tuarum, o Iudæa, iam COMPLETA EST hac captivitate, eversione & excidio per Chaldæos. NON ADDET ULTRA *aa* Deus UT TRANSMIGRET TE; scilicet in longum tempus, & donec iterum novis sceleribus de novo provocabis iram divinam, ut provocavit tempore Christi. Sed hoc iam erat aliud sæculum, & alia Iudæa. Adde, sub Tito non tam fuisse *transmigrationem*, quam excidium Iudæorum. TUAM vero INIQUITATEM & *scelera*, *o* EDOM decrevit Deus adhuc *visitare* & punire, totique orbi *discooperire*, seu nota facere per similem publicam & horrendam vastationem, deportationem & captivitatem iam imminentem: ita Theodoretus, Origenes, Hugo, S. Thomas & Lyranus; quasi dicat: Iudæi iam dederunt pœnas Deo, sed vos, o Idumæi, illæ adhuc manent. Fusius hæc pertractat Ieremias cap. XLIX. 7. & seqq.

(a) Thren. I. I.
(b) II. Par. III. 5. & 8.
(c) Plin. Lib. X. cap. X.
(d) Deuteronom. XIV. 15. & Iob XXXIX. 13. & seqq.
(e) Aristot. Lib. I. Hist. animal. cap. V. Rondelet. Lib. XIII. de Piscibus.
(f) Philost. Lib. IV. de Vita Apollonii.
(g) Arist. sup. Lib. II. cap. I. fin. Plin. Lib. VIII. cap. XXI. Solin. cap. IV. Polyhist.
(h) Albert. Lib. XXVI. de Animal. lf. XXXIV. 14.
(i) Rhodigin. Lib. XXIX. cap. V. Delrio in Magicis.
(k) Gellius Lib. II. cap. XXVI.
(l) Psal. lxxx. & ibid. Augustinus.
(m) Num. 8.
(n) Plin. Lib. XXXVII. cap. IX. Pineda Lib. VI. de Rebus Salom. cap. IV.
(o) Thren. II. 20. & Baruch. II. 5.
(p) Ierem. XX. 2.
(q) Ierem. XXVIII. I.
(r) Ierem. XV. 4.
(s) Num. XIX. II. &c.
(t) Ierem. XXXVII.
(u) Ierem. IV. 13. & XLVIII. 40.
(x) Ioseph. Lib. I. Belli cap. XII.
(y) Proleg. de Idiotismis Hebr. num. 38.
(z) Ezech. XXXV. 13. & Abdiæ I. 10.
(aa) Proleg. sup. num. 27.

GOR-

GORDONI.

Verſ. 1. QUOMODO OBSCURATUM EST AURUM, &c. Templi cladem deplorat, quod lapidibus, auro & ſtructura æquabat inſigniora orbis miracula; & ſimilia in hunc ſenſum ſubiungit: LAMIAE, inquit verſ. 3. & crudeles feræ lactant CATULOS SUOS, & Dei populus lactantem non habet, immo matres Ieroſolymitanæ crudeliores ſunt in filios quos volunt lactare; ſed vagantur in deſerto velut ſtruthio qui ovorum curam & pullorum deſerere ſolet; quod etiam exaggerat verſ. 4. & 5.

V. 6. ET MAIOR FACTA EST, &c. Colligit graviorem videri iniquitatem Iudæorum, quam fuerit peccatum Sodomorum; idque a pœna, quia leviorem pœnam paſſi ſunt Sodomitæ; ut pote in momento deſtructi, nam NON CEPERUNT IN EA MANUS. Chald. *gentes in ea non profanarunt manus ſuas*; hoc eſt, manibus ſuis Sodomam non violarunt; hinc Septuagint. *non laboraverunt in ea manus*.

V. 7. CANDIDIORES NAZARAEI EIUS NIVE, &c. Nazaræi erant qui ſe Deo devovebant ſeparati & coronati, nec comam tondebant, ſed decora ſpecie, ut externa puritate repræſentarent internam. Horum extollit hic decorem, ut verſ. 8. ex denigrata horum facie calamitoſam urbis faciem depingat; quam auget verſ. 10. ex cæde puerorum.

V. 14. & 15. ERRAVERUNT CAECI, &c. Acceſſit ad calamitatem inter ipſos Iudæos velut rixa, ne pollutus non pollutum tactu pollueret in congreſſu; tanta erat ſtrages & ſanguinis effuſio, quin & lacinias & veſtium fimbrias attollebant ne polluerentur ſanguine.

V. 20. SPIRITUS ORIS NOSTRI CHRISTUS, &c. Et ab hac calamitatis longa deſcriptione tandem digreditur ad Ioſiam, ut aliqui interpretantur hæc verba, in quo ſpes reclinabat Iudæorum, a cuius interitu incepit clades Iudæorum. Rectius forte caſus Sedeciæ attingitur; & in eo velut in typo proprio, & directo ſenſu, intelligit antitypum Chriſtum Dominum, eiuſque caſum ſecundum hominem, qui mortuus eſt in peccatis, non ſuis, ſed noſtris: & quod in Vulgato & Septuaginta eſt *Chriſtus Dominus*, in Hebræo eſt *Iehova*, hoc eſt, *Deus*.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Verſ. 13. PROPHETARUM, mendacium.

Verſ. 15. NON ADDET ULTRA. Habitantes inter gentes dicebant, non addet Deus habitare cum expulſis e Sion, ſeu ipſi non redibunt umquam in patriam.

Verſ. 22. NON ADDET ULTRA TRANSMIGRARE: nam excidium ſub Tito non fuit tranſmigratio, ſed occidio & diſperſio fugientium per totum orbem.

ORATIO
IEREMIAE PROPHETAE.

CAPUT V.

1 RECORDARE Domine quid acciderit nobis: intuere, & respice opprobrium nostrum. 2. Hereditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos, 3. Pupilli facti sumus absque patre, matres nostræ quasi viduæ. 4. Aquam nostram pecunia bibimus: ligna nostra pretio comparavimus. 5. Cervicibus nostris minabamur, lassis non dabatur requies. 6. AEgypto dedimus manum, & Assyriis ut saturaremur pane. 7. Patres nostri peccaverunt, & non sunt: & nos iniquitates eorum portavimus. 8. Servi dominati sunt nostri: non fuit qui redimeret de manu eorum. 9. In animabus nostris afferebamus panem nobis, a facie gladii in deserto. 10. Pellis nostra, quasi clibanus exusta est a facie tempestatum famis. 11. Mulieres in Sion humiliaverunt, & virgines in civitatibus Iuda. 12. Principes manu suspensi sunt: facies senum non erubuerunt. 13. Adolescentibus impudice abusi sunt: & pueri in ligno corruerunt. 14. Senes defecerunt de portis, iuvenes de choro psallentium. 15. Defecit gaudium cordis nostri: versus est in luctum chorus noster. 16. Cecidit corona capitis nostri: væ nobis, quia peccavimus. 17. Propterea mœstum factum est cor nostrum, ideo contenebrati sunt oculi nostri. 18. Propter montem Sion quia disperiit, vulpes ambulaverunt in eo. 19. Tu autem Domine in æternum permanebis, solium tuum in generationem & generationem. 20. Quare in perpetuum oblivisceris nostri? derelinques nos in longitudine dierum? 21. Converte nos Domine ad te, & convertemur: innova dies nostros, sicut a principio. 22. Sed proiiciens repulisti nos, iratus es contra nos vehementer.

COMMENTARIA

MALDONATI.

ORATIO IEREMIAE. Septuaginta, & noster interpres argumenti loco hunc titulum addiderunt, qui apud Hebræos non est.

V. 3. PUPILLI FACTI SUMUS. Hoc dicit propter captum Sedeciam; aut, ut alii putant, propter interfectum Iosiam: regem enim suum loco patris habebant.

V. 4. AQUAM NOSTRAM. Describit caritatem omnium rerum, quæ erat in Ierusalem tempore obsidionis, ut Aben Ezra putat, vel cum in Babylone captivi essent, quia, ut ait R. Salom. non audebant egredi urbe vel domo, ut ex fluvio aquam haurirent.

V. 5 MINABAMUR. Passive posuit noster interpres; quasi dicat: Cervicibus nostris magnum periculum hostes minabantur; propterea non audebamus egredi ad hauriendam aquam, & ligna colligenda. Heb.

Heb. נרדפנו על צוארינו, *super cervices nostras persecutionem passi sumus;* id est, durissimum servitutis iugum super cervices nostras portavimus, ut explicat R. Salom.

V. 6. Dedimus manus; id est, extendimus, ut auxilium ab illis supplices peteremus, ut saltem possemus pane saturari soluta Chaldæorum obsidione; quemadmodum interpretantur D. Hieronymus, & R. Salomon: vel, *Dedimus manus*, id est fœdus pepigimus, ut exponit R. Abraham: quod minus mihi placet. Septuaginta, *AEgyptus dedit manum, Assur ad satietatem ipsorum;* id est, Egyptii, & Assyrii annonam Iudæis suppeditarunt, ut pane saturarentur.

V. 7. Et non sunt; id est, liberati sunt ab istis pœnis, mortui sunt, ne hæc mala, quæ nos experimur experirentur. Quomodo filii pro patribus pœnas luant, disseruimus supra cap. xxxi. 29.

V. 8. Servi; id est, qui servi nostri esse debebant, ut Ammonitæ, & Moabitæ, & Idumæi, qui ex eodem genere progenati inferiores nobis erant, ut exponit Aben Ezra; aut, Chaldæi, qui propter generis obscuritatem, & nobilitatem nostram servi nostri esse poterant.

V. 9. In animabus nostris, id est cum magno periculo vitæ nostræ, ut R. Salom. & R. Abraham interpretantur. A facie gladii, id est propter gladium, metu gladii. Hebraismus sæpe a nobis explicatus. In deserto, id est qui in agris grassatur.

V. 10. Exusta est: נכמרו, *pelles nostræ denigratæ sunt*, ut Chaldæus vertit. Solet enim cutis præ fame contrahi, & sicut in senibus nigrescere. A facie tempestatum famis, id est propter vehementem famem sicut tempestatem ingravescentem: מפני זלעפות, *propter exustiones famis*, id est fame urente; vel propter exustiones agrorum famem afferentes.

V. 11. Humiliaverunt, id est oppresserunt, constupraverunt hostes.

V. 12. Manu: בידם, *manu eorum*: hostium, suspensi sunt. Et non sunt hostes reveriti venerabilem senum canitiem, non habuerunt rationem senectutis, ut capite superiori vers. 16. *Facies sacerdotum non erubuerunt.*

V. 13. Impudice abusi sunt. טחון נשאו. R. Abraham & Chaldæus, *ad molendum ducti sunt;* vel, *duxerunt eos hostes*. Significat etiam verbum impudice abuti; sicut noster interpres maluit vertere. Et pueri in ligno corruerunt, id est baculis percussi occiderunt.

V. 14. De portis; id est, non sunt deinceps visi in portis civitatis, ubi iudicia solebant exerceri, II. Regum xv. 2.

V. 16. Corona capitis nostri, id est gloria; regnum nostrum, quod ad Chald. devolutum est.

V. 17. Contenebrati sunt; id est, usi sumus rebus adversis. Lucem enim vocat res secundas; tenebras, adversa, ut supra cap. iii. 2. *Adduxit in tenebras, & non in lucem*. Significat adeo fuisse attonitos, & perterritos, ut oculi ipsorum obtenebrati esse viderentur.

V. 18. Vulpes ambulaverunt; id est, qui adeo desertus est, ut vulpes in eo versentur.

V. 19. Tu autem; id est, quamvis locus vastatus sit, tamen potestas, & regnum tuum perire non potuit, sed permanet in perpetuum.

V. 21. Converte nos. Recte D. Augustinus passim, & ceteri Theologi ex hoc loco collegerunt ad conversione peccatoris, & gratiam, & liberum arbitrium esse necessarium; sed gratiam liberum arbitrium præcedere.

V. 22. Sed proiiciens. Respondet hic versus versui vicesimo, cum illoque iungendus est hoc modo, *Quare in perpetuum oblivisceris nostri? Sed*, id est atque adeo, כי אם, *quinetiam proiiciens* repulisti nos? R. Abraham, & Ionathas, & Chaldæus sic interpretantur: *Quamvis proieceris nos, tamen satis iam iræ in nos effudisti, satis iam pœnarum dedimus*. Alii quibus minus assentior: *Quamvis proieceris nos, vehementerque nobis iratus fueris, tamen converte nos ad te, & convertemur*, ut repetatur versus superior.

S A.

Vers. 1. Opprobrium, scilicet quo afficimur a Gentibus.

V. 3. Pupilli; pro, veluti pupilli.

V. 4. Nostram, id est nobis necessariam, vel alias nostram, sed captam ab hostibus.

V. 5. Minabamur; pro, trahebamur.

V. 6.

V. 6. DEDIMUS MANUM, supplicantes, vel fœdus facientes.

V. 7. INIQUITATES, id est iniquitatum pœnam.

V. 8. SERVI, scilicet olim nostri, ut Idumæi, Moabitæ, &c.

V. 9. IN ANIMABUS NOSTRIS, id est cum vitæ nostræ periculo. A FACIE GLADII, id est propter hostes gladiis insequentes.

V. 10. A FACIE, &c. id est ob calamitosam famem.

V. 11. HUMILIAVERUNT, scilicet violantes.

V. 12. MANU, scilicet hostium.

V. 13. IMPUDICE ABUSI SUNT. Heb. & Chald. *molere fecerunt*, scilicet in pistrino. IN LIGNO, id est sub lignorum pondere, quæ ferre cogebantur, aut volvendo molam manubrio. Chald. *in patibulo*.

V. 14. PORTIS, id est iudiciis, quæ in portis urbium fiebant.

V. 15. CHORUS, scilicet psallentium.

V. 16. CORONA, id est diadema, scilicet regnum.

V. 17. CONTENEBRATI, scilicet præ fletu.

V. 18. MONTEM, scilicet ubi templum; quasi dicat, Ob dirutum templum.

V. 21. CONVERTE NOS. Necessitas gratiæ Dei. SICUT A PRINCIPIO, id est ut olim felices erant.

V. 22. VEHEMENTER; quasi dicat, Sufficere posset iam tanta punitio peccatorum nostrorum.

ESTII.

Vers. 4. AQUAM NOSTRAM PECUNIA BIBIMUS, LIGNA NOSTRA PRETIO COMPARAVIMUS. Ligna pretio comparare, modo non immoderato, non videtur res, quam deplorare debeat propheta: nisi forte tanta apud Ierosolymitanos ex montibus vicinis fuerit lignorum copia, ut cuique liceret ea sine pretio adferre. In Hebræo sic sonat: *Ligna nostra in pretio venerunt*. Græce quoque est ἦλθον. Vatabli interpres sic reddit: Ligna nostra pretio venerunt, id est divendita sunt. Iuxta quem tamen non est sensus, Iudæos sibi ligna pretio comparasse; sed hostes ligna Iudæorum pretio vendidisse. At Hieronym. sensum eius, quod in Hebræo est, melius videtur assecutus. Et arbitror totius versiculi hunc esse sensum: Aquas nostras (sic enim expresse in Hebræo est) id est, quæ ad nos pertinebant, ut pote haustas ex puteis, & cisternis nostris, quos & quas occupaverunt hostes nostri, ligna quoque nostra, id est quæ ad nos pertinebant, quod ex silvis terræ nostræ cæsa fuerint, pretio nobis comparanda fuerunt ab hostibus, qui domos nostras, terras & silvas sibi vindicarunt.

V. 7. PATRES NOSTRI PECCAVERUNT, ET NON SUNT, ET NOS INIQUITATES EORUM PORTAVIMUS. Quæritur quomodo hæc sententia non idem sonat, cum eo, quod reprehendit Ezechiel. cap. XVIII. dicens: *Quid est quod inter vos parabolam vertitis, dicentes: Patres nostri comederunt uvam acerbam & dentes filiorum obstupuerunt?* Sic & Ieremias ipse cap. XXXI. *In diebus illis non dicetur ultra, &c. Sed unusquisque in iniquitate sua morietur*. Ad hoc duobus modis responderi potest. Una responsio est, hæc dicta esse a propheta, non in persona propria, sed in persona carnalis populi; qui non suis peccatis se commeruisse putabat, ut sic punirentur, sed peccata parentum in ipsos, etsi innocentes, vindicari. Quæ populi illius persuasio reprehenditur ab Ezechiele, & Ieremia citatis locis. Verum cum hæc oratio sit ipsius Ieremiæ, nullo modo probabile est solam hanc sententiam ex populi persona insertam fuisse. Itaque respondendum, sic loqui Prophetam, sicut Exodi XX. Dominus loquitur dicens: *Ego Dominus zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me*. Qua sententia significat Dominus, se visitare peccata parentum in posteros peccata maiorum suorum imitantes, aut certe a parentum peccatis non omnino recedentes; ut videlicet parentum iniquitas sit occasio quædam punitionis posterorum; qui posteri proprie quidem affliguntur propter peccata propria, sed occasionem gravioris punitionis præbente parentum iniquitate. Atque hoc est quod Ieremias deplorat præsentem afflictionem incidere in sua tempora, propter iniquitatem parentum continuatam in filiis. Quod autem Deus in

hac præsenti afflictione inferenda non tantum respexerit ad præsentis populi peccata, sed etiam maiorum, manifestum est ex IV. Regum XXIV. ubi sic dicitur: *Factum est hoc verbum Domini contra Iudam propter peccata Manasse universa & ob hanc rem noluit Dominus propitiari*. Quod vero non sint verba prophetæ queritantis, patet ex multis aliis locis eiusdem prophetæ, & ex his ipsis Threnis, quibus docet ipsius populi peccata causam esse vastitatis, & captivitatis. Sic cap. III. *Nos iniqua fecimus, & ad iracundiam provocavimus*.

MARIANAE.

ORATIO IEREMIAE. Hoc Heb. non est. Sept. adiecerunt. Soluta oratio est, non carmen.

V. 3. PUPILLI FACTI SUMUS. Chald. *similes pupillis, qui non habent patres, matres vestræ quasi viduæ*.

V. 4. AQUAM NOSTRAM, scilicet quæ communis est omnium, PECUNIA BIBIMUS. Hoc in obsidione Ierusalem accidit, aut Babylone in captivitate. LIGNA. Silvæ debent esse communes, certe aliquæ per oppida, unde incolæ lignentur. COMPARAVIMUS. Heb. *venerunt*, scilicet ad nos.

V. 5. CERVICIBUS NOSTRIS MINABAMUR, id est ducebamur onustis cervicibus. *Mino*, *ducere* significat, atque in ea significatione positum est cap. III. 2. Heb. *super cervice nostra persecutionem passi sumus*, id est nobis ut baiulis utebantur, neque lassis dabatur respiratio.

V. 6. AEGYPTO DEDIMUS MANUM, supplices extendimus manus, ut annonam darent, qua obsessi carebamus. Aut fœdus cum illis fecimus famis malo coacti.

V. 7. PATRES NOSTRI .... NON SUNT, non vivunt, immunes evaserunt. ET NOS INIQUITATES, id est pœnas iniquitatum quasi onus portavimus. Filii sæpe pro patribus corpore puniuntur.

V. 8. SERVI DOMINATI SUNT NOSTRI, scilicet qui servi esse debebant, obscuri, ignobiles.

V. 9. IN ANIMABUS NOSTRIS, cum vitæ periculo frumentatum ibamus. A FACIE GLADII, id est propter gladium & milites qui IN DESERTO, id est per agros versabantur.

V. 10. EXUSTA EST. Heb. *incaluit*, seu *denigrata est pellis nostra*. A FACIE TEMPESTATUM FAMIS, propter tempestates, id est angustias famis. Alii, *propter exustiones famis*.

V. 11. HUMILIAVERUNT. Hostes compresserunt mulieres.

V. 12. PRINCIPES MANU SUSPENSI SUNT. Heb. *manu eorum*, scilicet hostium: *suspensi sunt*, id est occisi: sic Sept. & Chald.

V. 13. ADOLESCENTIBUS IMPUDICE. Heb. *iuvenes ad molendum tulerunt*, id est fecerunt ut molas manu versarent: dederunt eos in pistrinum. Verum טחן *tahan*, unde nostris *tahona*, & *molere* significat, & *coire*, quod Hieronymus est secutus. ET PUERI IN LIGNO CORRUERUNT. Chald. *in patibulo ligneo corruerunt*: fortasse, qui eam impudicitiam aversabantur, eos dabant in patibula.

V. 14. DE PORTIS; id est, in foro non sunt amplius visi senes, neque iuvenes choreas ducere.

V. 16. CECIDIT CORONA. Regnum nostrum ad Chaldæos transiit.

V. 18. PROPTER MONTEM SION. Causa nostri mœroris hæc est, ita Ierusalem esse desertam, civibus vacuam, ut in ea vulpes versentur. Per vulpes, alias feras intellige.

V. 21. CONVERTE NOS. Ad conversionem peccatoris, gratia & liberum arbitrium concurrunt, sed gratia præcedit. INNOVA, id est detersa offensione nobis benefac, uti olim solebas.

V. 22. SED PROIICIENS REPULISTI NOS, &c. כי אם *chi im*, *quasi si repellendo repuleris nos*. Chald. *Quamvis detestatione detestatus es nos, iratus es contra nos iam plus satis*; quasi dicat: Satis pœnarum datum est: cessato. Ea huius loci explicatio præ ceteris placet.

MALVENDAE.

Vers. I. RECORDARE DOMINE QUID ACCIDERIT NOBIS, &c. Alii. *Recordare, Iehova, quid sit nobis, &c.* Postremum, inquiunt, hoc caput libellum oratione terminat: cuius membra sunt tria: pri-

primum, pathetica expostulatio, usque ad versum 16. secundum, confessio peccatorum, & promeritæ pœnæ, usque ad versum 19. tertium, petitio misericordiæ, inde ad finem capitis. Dicuntur autem hæc verba humanitus, *recordari*, *intueri*, & *aspicere*, ut sæpe dictum est.

V. 2. HEREDITAS NOSTRA, &c. Alii: *Possessio nostra aversa est*, vel *devoluta est ad extraneos; domus nostræ ad alienigenas*.

V. 3. ABSQUE PATRE. Hebr. *& non pater*. Alii: *patre orbati*, vel *nullo patre*, amisso rege, & regno.

V. 4. AQUAM NOSTRAM PECUNIA BIBIMUS. Hebr. *Aquas nostras pecunia bibimus*; id est, utcumque iuris nostri sint, cogimur tamen redimere.

V. 5. CERVICIBUS NOSTRIS MINABAMUR. Hebr. *Super collum nostrum persecutionem passi sumus*. Alii: I. *Imminet cervici nostræ persecutio*. II. *Ab imminentibus*, vel *incumbentibus collo nostro persecutionem patimur*; id est, inimicis insolentibus, quibus non satis est quod insident nobis, agunt nos tamquam iumenta vectaria, nisi etiam indesinenter exagitent, quod ne suis quidem iumentis faciunt. Contrariam allegoriam vide Hoseæ II. 4. LASSIS NON DABATUR REQUIES. Verbum הוּנַח *hunach*, est præteritum Hophal, plerique cum Nostro a נוּח *nuach*, deducunt: I. *laboramus nec permittitur quies nobis*. Ex verbo: *nec quiescere factum est nobis*. II. a יָנַח *Ianach*, Forsterus: *defatigati sumus, & non est facta remissio nobis*; id est, nihil de labore & lassitudine remissum est. III. *laboramus quidem, sed nihil deponitur*, aut *relinquitur*, seu *dimittitur nobis*, vel *reliquum fit nobis*: subaudi, eorum, quæ nostro labore paramus: omnia enim nobis vi hostium auferuntur.

V. 6. AEGYPTO DEDIMUS &c. Quidam: *AEgyptio porrigimus manus, Assyrio, ut satiemur pane*; id est, tanta servitute a Chaldæis pressi, ne tenuissimum quidem alimentum pro officiis nostris consequimur: sed mendicare cogimur apud hostes ipsos alienos, & miserrime victum quærere.

V. 7. PATRES NOSTRI, &c. Aliqui hunc versum exponunt: *Patres nostri peccaverunt, & non supersunt: nos vero pœnas eorum ferimus*. Amplificatio calamitatis, a comparatione, ut supra cap. IV. 6. & 9. Melius (inquit) actum est cum patribus nostris quam agitur nobiscum: nam peccaverunt illi quidem, sed brevi supplicio de peccatis suis affecti sunt: nos vero eo sumus infeliciores, quod eorumdem peccatorum rei pœnas diuturnas ferre compellimur; quibus foret iucundius semel emori, quam vitam invitam vivere. *Peccata* pro pœnis peccatorum, ut supra cap. III. 39. & IV. 6.

V. 8. SERVI DOMINATI SUNT NOSTRI &c. Alii: *Servi dominantur in nos, asserente nemine e manu illorum*; id est, non tantum imperia a dominis, sed etiam a conservis sordidissimis ferre cogimur, & mediastinos agere ad libidinem domesticorum omnium. Alii, *servos*, Hammonitas, & Moabitas, & alios vicinos hostes accipiunt.

V. 9. IN ANIMABUS NOSTRIS &c. Heb. *In anima nostra* &c. Alii hunc versum explanant: *In*, vel *pro anima nostra*, seu *periculo*, vel *eum discrimine vitæ nostræ*, ut II. Samuel. XXIII. 17. & I. Paralip. XI. 19. *afferimus panem nostrum propter gladium deserti*; id est, propter inimicum, qui agrum totum obtinet: synecdoche. Non tam recte alii: *præ siccitate deserti*.

V. 10. PELLIS NOSTRA QUASI CLIBANUS, &c. Alii: I. *Pelles nostræ quasi clibanus denigratæ sunt*, vel *incaluerunt propter exustiones*, seu *horrores*, *terrores*, *tremores*, *famis*. Quidam: *propter afflictiones famis*. II. Forsterus: *Cutis nostra sicut clibano accensa est*, vel *sicut in clibano*, aut *furno adusta est*, *propter adustiones famis*. III. *Pelles nostræ ut furnus atratæ sunt propter procellas famis*, id est famem vehementissimam, qua tamquam procella exagitamur omnes, atque consumimur. De voce זַלְעֲפוֹת *zalgnaphoth*, vide in Psalm. X. 6. *adustiones*, *presteres*, *procellas*, exponunt.

V. 11. MULIERES IN SION HUMILIAVERUNT. Sive, *afflixerunt*, *oppresserunt*, *compresserunt*, *constupraverunt*, *subagitaverunt*: sic verbum illud sumitur Genes. XXXIV. 2. Deuteron. XXI. 14.

V. 12. PRINCIPES MANU SUSPENSI SUNT, &c. Alii ex Hebr. *Principes manu ipsorum*, scilicet, hostium *suspenduntur*, *facies senum non afficiuntur honore*.

V. 13. ADOLESCENTIBUS IMPUDICE ABUSI

busi sunt. Hebræi exponunt, *Iuvenes molam baiularunt*. Comminiscuntur enim quod cum Babylone deessent molæ, Chaldæos eas iuvenibus Israelitis imposuisse, ut eas Babylonem portarent. Alii: *Iuvenes ad molere*, vel *ad molendum*, seu *ut molerent*, *tulerunt*. Nonnulli: *Iuvenes ad molendum portant*, id est ad officium quodque vilissimum & abiectissimum. Vide Exod. xi. 5. & xii. 29. cum servitutis inter alia genus gravissimum fuerit molas trusatiles agere. Sed *molendi* verbum Hebræis & Latinis in obscœna interdum significatione usurpari, pluribus docuimus in Iudic. xvi. 21. & Iob xxxi. 10. Et pueri in ligno corruerunt. Exponunt: Baculis & fustibus cæsi expirarunt. Alii: Sub fascibus & oneribus lignorum, quæ hostibus comportare cogebantur, quod supra vires eos onerarent, corruerunt. Quidam: *& pueri ad ligna corruunt*; id est, a minimis & infirmissimis exiguntur ministeria supra ipsorum vires: adeo sæva est barbaries in hostibus nostris.

V. 14. Senes de portis defecerunt: vel *de portis cessant*, id est, cessant a Iudiciis & consessu forensi, quæ olim in portis celebrabantur. Vide Genes. xxxiv. 20.

V. 16. Cecidit corona capitis nostri, &c. Alii: *Cadit corona capitis nostri, væ iam nobis quod peccaverimus*; id est, Ablata est omnis gloria nostra, tantummodo sumus probro. Vel, extinctum est regnum nostrum, & ad Chaldæos devolutum propter peccata nostra. Hinc autem principium ducitur secundi membri, ut dictum est in vers. 1. quo Iudæi singulas hasce calamitates peccatis suis acceptas referunt.

V. 17. Propterea moestum factum est, &c. Alii: *Propter hoc est languidum cor nostrum*; id est, propter totum hoc, quod supra dictum est, videlicet peccatum, & peccati pœnam: sensus est, infirmamur. Ideo contenebrati sunt oculi nostri. Alii: *propter hæc obtenebrati sunt oculi nostri*, id est vires nos deficiunt. Vide I. Samuel. xiv. 28. vel vi calamitatum penitus obruimur.

V. 18. Propter montem Sion, &c. Alii: *Propter montem Tzionis, qui desolatus est, per quem vulpes eunt libere*: tamquam per locum desertum, quibus hostes Ecclesiæ figurantur, ut Canticor. ii. 15.

V. 19. Tu autem, Domine, in aeternum permanebis, &c. Alii: *Tu, Iehova, in sæculum manes, solium tuum in unamquamque generationem*. Tertium membrum, ut diximus in vers. 1. continens deprecationem, duobus versibus, & postulatum, duobus alteris. Deprecationis autem argumentum sumitur hoc versu a persona Dei. Vide in Psal. ci. 13. *In sæculum manes*; id est, non tantum natura, sed consilio etiam & voluntate es constantissimus, quam olim nobis explicasti fœdere, ut Galat. iii. 20.

V. 20. Quare in perpetuum oblivisceris nostri? contra quam promisisti fœdere. Vide II. Samuel. vii. 14. Derelinques nos in longitudine dierum? Alii: I. *cur nos deseris tanto tempore?* II. *derelinquens nos, quandiu longa erunt tempora?* ut Psalm. xxii. 6.

V. 21. Converte nos Domine ad te, et convertemur. Alii: *Restitue nos, Iehova, tibi, ut revertamur*: ut Psal. lxxix. 4. nam eodem modo accipiendum esse, secunda pars versus docet. Sed sacri Theologi apte intelligunt, ad iustificationem impii, & gratiam Dei & liberum arbitrium concurrere, sed gratiam precedere. Innova dies nostros sicut a Principio. Alii I. *instaura dies nostros ut antiquitus*, vel *olim*, seu, *quondam*. II. *innova dies nostros, ut antiquitatis*, seu *ut priscis diebus*: ut supra cap. i. 7. & ii. 17.

V. 22. Sed proiiciens repulisti, &c. Alii I. *Quoniam repulisti nos omnino, & iratus es nobis iam plus satis*. Pendet sententia, propterea reperi debet versus præcedens, ut volunt Hebræi. Aliqui exponunt: Quamvis proieceris nos, tamen satis iam irarum in nos effudisti: satis iam pœnarum expendimus. II. *Nam an omnino sperneres nos, efferverferes contra nos admodum?* AEtiologia pathetica qua permovetur Deus ad misericordiam ab antegresso fœdere. Has autem, inquiunt, voces ita reddendas esse, ut fecimus, & sensus loci, & Hebraica distinctio docet, *Admodum*, id est supra modulum nostrum, pro infinita potentia. III. *Quod si durius repulisti nos, id fecisti quod contra nos iratus esses vehementissime*. IV. *Quinimmo fastidiendo fastidivisti nos*; id est, summo fastidio tibi fuimus: *ira efferbuisti, spumavisti, ebullivisti*;

id

id est, ingenti ira exarsisti, *contra nos super modum;* quasi dicat: perstas in exequendis tuis iudiciis in nos acerrime, &, effundis in nos immensam vim iræ tuæ.

Valentiæ 21. Decembris, Festo S. Thomæ Apostoli, 1627. ætatis meæ 62. intermisso opere novem dies, quibus acutissimo dolore nephritico laboravimus.

MENOCHII.

Vers. 1. QUID ACCIDERIT NOBIS: quorum capta, diruta, & incensa est civitas, & populus abductus in captivitatem. OPPROBRIUM, id est dedecus, & confusionem.

V. 2. HEREDITAS NOSTRA, id est terra promissionis.

V. 3. PUPILLI FACTI SUMUS: quia rege caremus, quem loco patris habemus. Vel certe prophera luget rempublicam Iudæorum destitutam a Deo, qui se illius patrem professus est cum dixit; *Filius meus primogenitus Israel*, Exod. IV. 22. & Ierem. III. 19. *Patrem vocabis me*, &c. Vel tandem pupilli facti erant, quia patribus occisis, aut captis a Chaldæis uxores solitariæ, & desolatæ manebant quasi viduæ. MATRES NOSTRAE. Potest hoc intelligi de synagogis, quas sibi desponsaverat Dominus, & quæ a Deo destitutæ viduæ relinquebantur.

V. 4. AQUAM NOSTRAM, &c. Describit caritatem omnium rerum, quæ erat Ierosolymis tempore obsidionis, vel cum in Babylone captivi essent, quia, ut aliqui tradunt, non audebant egredi urbe, vel domo, ut ex fluvio aquam haurirent.

V. 5. CERVICIBUS NOSTRIS MINABAMUR: deducebamur captivi vinculis collo iniectis.

V. 6. DEDIMUS MANUS, id est extendimus auxilium postulantes.

V. 7. ET NON SUNT: & morte subducti sunt ab hisce calamitatibus.

V. 8. SERVI: qui servi nostri, & tributarii fuerant, ut Ammonitæ & Moabitæ, & Idumæi. Vel Chaldæos intelligit, qui ex Cham & Chus genus ducebant, & damnati fuerant a Noe Genes. IX. 27. ut servi essent Sem, & posterorum eius.

V. 9. IN ANIMABUS NOSTRIS; id est, cum magno periculo vitæ nostræ tam tempore obsidionis, quam urbe iam capta, ob Chaldæos passim in agris, & locis deserti palantes. A FACIE GLADII: propter gladium, metu gladii. IN DESERTO: qui in agris grassatur.

V. 10. EXUSTA EST: denigrata est; solet enim cutis præ fame contrahi, & sicut in senibus nigrescere. A FACIE TEMPESTATUM FAMIS; id est propter vehementem famem, quæ in nos irruit tamquam valida tempestas.

V. 11. HUMILIAVERUNT: violaverunt, oppresserunt stuprum illis afferentes.

V. 12. MANU: *Manu eorum*, ut est in Hebræo, id est hostium. SUSPENSI SUNT: in crucem acti.

V. 13. PUERI IN LIGNO CORRUERUNT: dum numellis ambulant compediti. Sic Act. XXVII. 24. dicitur, *Misit eos in carcerem, & pedes eorum strinxit ligno*.

V. 14. DE PORTIS; id est, non sunt deinceps visi in portis civitatis, ubi iudicia solebant exerceri. IUVENES DE CHORO, &c. ut senum esse præesse iudiciis, sic iuvenum celebrare lætitiæ argumenta. CHORO PSALLENTIUM, cœtu cantantium, & tripudiantium.

V. 16. CECIDIT CORONA, &c. solebant enim Iudæi in conviviis, & festis hilarioribus coronas capiti imponere; quasi dicat: Defecerunt dies illi, quibus deliciis indulgere solebamus coronatis capitibus. PECCAVIMUS: Deum veræ lætitiæ auctorem peccatis nostris irritavimus.

V. 17. CONTENEBRATI SUNT, id est usi sumus rebus adversis. Lucem enim vocat res secundas, tenebras, adversas.

V. 18. DISPERIIT: male periit everso templo, & regia. VULPES AMBULAVERUNT IN EO: adeo enim desertus est, ut vulpes in eo versentur.

V. 19. TU AUTEM, &c, quasi dicat: Quamvis locus vastatus sit, potestas tamen, & regnum tuum perire non potest, sed in perpetuum permanet.

V. 20. IN LONGITUDINE DIERUM: diuturno tempore.

V. 21. CONVERTE NOS DOMINE AD TE. Recte D. Augustinus passim & ceteri Theologi ex hoc loco collegerunt ad conversionem peccatoris, & gratiam & liberum arbitrium esse necessarium; sed gratiam præcedere liberum arbitrium. INNOVA DIES NOSTROS, &c. restitue nos pristinæ gratiæ & be-

& beneficentiæ tuæ, qua olim fruebatur populus noster.

V. 22. SED PROIICIENS REPULISTIS NOS. Alii vertunt, *Quia satis nos repulisti*, satis iam pœnarum dedimus. Vel, sensus est, quasi dicatur: Verum quid interea vanis querelis, & irritis precibus insisto? certus sum tandem aliquando reliquias populi salvas fore, sed etiam certus sum ante illud tempus a te constitutum omnes preces de liberatione populi a dispersione, & exilio temporali cassas fore, nec quidquam a te impetraturas.

TIRINI.

Vers. 1. RECORDARE O DOMINE, sed simul quoque miserere, parce, indulge, libera, succurre afflictis. *Recordatio* enim divina, ut & intuitio, non est otiosa vel sterilis, sed practica, efficax & operativa, sicut ex adverso, oblivisci, & non intueri, idem sunt quod negligere, non curare, contemnere.

V. 2. HEREDITAS NOSTRA, nempe Iudæa, quam iure hereditario possidebamus, iam facta est Chaldæorum. Nota. Primis 18. versibus recenset totidem mala quæ Iudæis per excidium ditionis suæ obvenerunt. quæ Tropologice, facile adaptes cuivis peccatori longe plura mala incurrenti, inquit Dionysius Carthusianus.

V. 3. PUPILLI FACTI SUMUS, patribus vel occisis, vel abductis a Chaldæis: ita Hugo, Lyran. & Chaldæus.

V. 4. AQUAM NOSTRAM, ex puteis & cisternis antea nostris deproptam, iam PECUNIA redimere cogimur: & in Chaldæa quoque non nisi oblato PRETIO aquam, omnibus alioqui communem, extorquere possumus, inquit Sanchez.

V. 3. CERVICIBUS NOSTRIS MINABAMUR, id est agebamur, ducebamur instar pecorum, quorum cornibus vel cervicibus funes alligantur, & sic per vias trahuntur. Sic & nos trahebamur, cum catervatim in Chaldæam velut pecora cogeremur.

V. 6. AEGYPTO DEDIMUS MANUM ET ASSYRIIS; id est, dedidimus & subiecimus nos AEgyptiis & Assyriis, servi illorum facti & mancipia, ut *panem* extorqueremus quo miseram vitam traheremus, inquit Chaldæus.

V. 8. SERVI Chaldæorum DOMINATI SUNT NOSTRI, iussu horum nobis præpositi, & quotidianum operis pensum a nobis exigentes, etiam flagris, ut olim fecerunt servi Pharaonis in AEgypto, Exodi 1.

V. 9. IN ANIMABUS NOSTRIS, id est, cum animæ, seu vitæ periculo, AFFEREBAMUS NOBIS PANEM, v. g. ex agro in urbem: qui multo sudore comparatus, non raro subtrahebatur per *gladium*, id est per vim a Chaldæis raptoribus illatam IN locis *desertis*.

V. 10. PELLIS NOSTRA, ante candida, rosea, succulenta, nunc præ *fame*, quæ instar validæ *tempestatis* in nos irruit, siccatur, nigrescit, corrugatur & finditur QUASI CLIBANUS igne perpetuo adustus.

V. 12. PRINCIPES Iudæorum MANU hostili SUSPENSI SUNT. Alludit ad IV. Reg. ult. vers. 21. ut ibidem dixi.

V. 13. PUERI nobiles ac delicati LIGNO, id est baculis, virgis percussi, CORRUERUNT fœde laceri, exsangues, exanimes, inquit Maldonatus & Sanchez.

V. 16. CECIDIT CORONA CAPITIS NOSTRI, quam solebamus in festis & conviviis hilarioribus imponere capiti, [inquit Sanchez & a Lapide; quasi dicat: Iam defecerunt illa festa, istæ epulæ, in quibus solebamus tam splendide lætari, coronis capita redimentes.

V. 17. CONTENEBRATI SUNT OCULI NOSTRI præ assiduo fletu, ut & Iob XVI. 17 sibi contigisse quærebatur.

V. 18. VULPES AMBULAVERUNT IN MONTE SION; quasi dicat: Templum & regium palatium in monte Sion ita desertum iacet, ut *vulpes* & aliæ feræ intrepide ac libere per illud discurrant.

V. 20. QUARE OBLIVISCERIS NOSTRI IN PERPETUUM? Hebraice, *in longitudinem dierum*; id est, cur deseris *a* nos perinde, ac si nihil ad te spectaremus, & quidem deseris tanto tempore, ut æternitas aliqua videatur?

V. 21. CONVERTE NOS DOMINE AD TE. Primo, per pœnitentiam, ex hostibus reddendo tibi amicos: secundo, per reditum ex exilio in patriam & in pristinam felicitatem. De priori conversione accipit hæc Chaldæus, Olympiodorus & Lyranus: de secunda Hugo: de utraque Rabanus & S. Thomas. Et ex hoc loco, simul & ex Zacha-

chariæ 1. 3. *Convertimini ad me, & convertar ad vos*, colligit; Tridentinum Concilium & Theologi, ad converſionem peccatoris neceſſariam eſſe & gratiam & liberum arbitrium, ſed gratiam debere prævenire & excitare liberum arbitrium, peccato quaſi ſopitum.

V. 22. SED PROIICIENS REPULISTI NOS. LXX. & Chaldæus, *quia ſatis nos repuliſti*. Aliam enim hic profert rationem cur debeat merito exaudiri, ſcilicet: Iam ſat pœnarum tibi dedimus o Deus, & iræ tuæ ſatisfecimus tam diro excidio, tam longo exilio, tam crudeli ſervitute, quam toleramus proiecti & repulſi a facie tua vehementer conrra nos irata. Tempus eſt ut commutata facie, reddas nobis iam ſat punitis ac purgatis priſtinam clementiam tuam, & nos convertas ad priorem tuam gratiam, amicitiam, felicitatem. Sed hanc petitionem per apoſiopeſim ſubticet Propheta quaſi ex pudore & humilitate, contentus cauſam expoſuiſſe amantiſſimo patri, quæ ſuadeat reconciliari filiis iam ſat punitis et purgatis.

(a) Hic verſ. 2.

EX GORDONI AUCTARIO.

Verſ. 4. AQUAM. Tam bonis ſuis privati ſunt, ut quæ vel ſua propria erant, vel omnibus communia, cogerentur emere.

Verſ. 6. Fruſtra extenſis manibus petebamus ab amicis auxilium, & ab hoſtibus cibum.





PROPHETIA BARUCH.

HIC Liber, qui Ieremiæ epistolam complectitur, Hebraice, aut Chaldaice scriptus fuit: tum enim ignota erat lingua Græca in Asia & Iudæa: nec versio Græca a Christianis est fabricata, sed a Synagoga ad Christianos manavit. Quare textus primitivus negligentia Judæorum excidit; sed ab Ecclesia liber iste inter canonicos habetur, cum a Ieremiæ scriba fuerit exscriptus, isque Hebraismis refertus est. Quod igitur scriptum fuit ab Hieronymo in præfatione ad Ieremiam: Libellum Baruch, qui vulgo editioni Septuaginta copulatur, nec habetur apud Hebræos, & ψευδόγραφον, item Epistolam Ieremiæ, nequaquam censui differendum; ex ipsius Hieronymi Apol. 2. in Ruffinum benigne est exponendum, Hieronymum non tam quid sibi, quam quid Hebræis videretur, scripsisse. Ut ut sit, Ecclesia spiritu veritatis & discretionis animata libros ut canonicos habuit, qui a temporibus Apostolorum lecti sunt, sive textus Hebraicus adhuc perstaret, seu versiones tantum authenticæ haberentur. Plerique ex veteribus, Baruch audita a Ieremia litteris consignasse volunt, adeo ut eius prophetias nomine Ieremiæ citent. Alii ut authenticum & ipsius Baruch genuinum laudant, ut Clemens Alexandrinus, Lib. II. Pædag. cap. III. Nazianzenus, orat. 4. de Theologia, Cyrillus, lib. 10. contra Iulianum.

PROPHETIA BARUCH.

CAPUT PRIMUM.

Iudæi a Babylone mittunt ad eos qui erant in Ierusalem librum Baruch, una cum collectis pecuniis, ut oblatis holocaustis orent pro ipsis, & pro Nabuchodonosor, filioque eius Baltassar. ac confitentur peccata sua.

1 T hæc verba libri, quæ scripsit Baruch filius Neriæ, fi-
lii Maasiæ, filii Sedeciæ, filii Sedæi, filii Helciæ, in
Babylonia, 2. in anno quinto in septimo die mensis,
in tempore quo ceperunt Chaldæi Ierusalem, & succen-
derunt eam igni. 3. Et legit Baruch verba libri huius
ad aures Iechoniæ filii Ioakim regis Iuda, & ad au-
res universi populi venientis ad librum, 4. & ad aures
potentium filiorum regum, & ad aures presbyterorum,
& ad aures populi, a minimo usque ad maximum eorum omnium habitan-
tium in Babylonia, ad flumen Sodi. 5. Qui audientes plorabant, & ieiuna-
bant, & orabant in conspectu Domini. 6. Et collegerunt pecuniam secun-
dum quod potuit uniuscuiusque manus, 7. & miserunt in Ierusalem ad Ioa-
kim filium Helciæ filii Salom Sacerdotem, & ad Sacerdotes, & ad omnem po-
pulum, qui inventi sunt cum eo in Ierusalem: 8. * cum acciperet vasa tem-
pli Domini, quæ ablata fuerant de templo, revocare in Terram Iuda deci-
ma die mensis Sivan, vasa argentea, quæ fecit Sedecias filius Iosiæ rex Iu-
da, 9. posteaquam cepisset Nabuchodonosor rex Babylonis Iechoniam, &
principes, * & cunctos potentes, & populum terræ, ab Ierusalem, & du-
xit eos vinctos in Babylonem. 10. Et dixerunt: Ecce misimus ad vos pe-
cunias, de quibus emite holocautomata, & thus, & facite manna, & offer-
te pro peccato ad aram Domini Dei nostri: 11. & orate pro vita Nabu-
chodonosor regis Babylonis, & pro vita Baltassar filii eius, ut sint dies eo-
rum sicut dies cæli super terram: 12. & ut det Dominus virtutem nobis,
& illuminet oculos nostros, ut vivamus sub umbra Nabuchodonosor regis
Babylonis, & sub umbra Baltassar filii eius, & serviamus eis multis die-
bus, & inveniamus gratiam in conspectu eorum 13. Et pro nobisipsis orate
Dominum Deum nostrum: quia peccavimus Domino Deo nostro, & non est
aversus furor eius a nobis usque in hunc diem. 14. Et legite librum istum,
quem misimus ad vos recitari in templo Domini, in die solemni, & in
die opportuno: 15. (a) & dicetis: Domino Deo nostro iustitia, nobis au-
tem confusio faciei nostræ: sicut est dies hæc omni Iuda, & habitantibus in

Ierusalem, 16. Regibus nostris, & principibus nostris, & sacerdotibus no-
stris, & prophetis nostris, & patribus nostris. 17. (*b*) Peccavimus ante Do-
minum Deum nostrum, & non credidimus, diffidentes in eum : 18. & non
fuimus subiectibiles illi, & non audivimus vocem Domini Dei nostri, ut
ambularemus in mandatis eius, quæ dedit nobis. 19. A die, qua eduxit pa-
tres nostros de Terra AEgypti, usque ad diem hanc, eramus incredibiles
ad Dominum Deum nostrum: & dissipati recessimus, ne audiremus vocem
ipsius. 20. (*c*) Et adhæserunt nobis multa mala, & maledictiones, quæ con-
stituit Dominus Moysi servo suo: qui eduxit patres nostros de Terra AE-
gypti, dare nobis terram fluentem lac & mel, sicut hodierna die. 21. Et
non audivimus vocem Domini Dei nostri secundum omnia verba propheta-
rum, * quos misit ad nos: 22. & abivimus unusquisque in sensum cordis
nostri maligni, operari diis alienis, facientes mala ante oculos Domini Dei
nostri.

(a) Inf. ii. 6. (b) Dan. ix. 5. &c. (c) Deut. xxviii. 15.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 8. *Cum acciperet vasa templi Domini*. Non mutes singulare *acciperet* in plurale *acciperent*.

Vers. 9. *Et cunctos potentes*. Correctores prætulerunt hanc lectionem ei quæ habet, *& vinctos, & potentes*, quamvis Græco consentaneę.

Ibidem. *Et duxit eos vinctos in Babylonem*. Similiter hic addiderunt *vinctos*, quamvis illud alii libri Gręco conformiter omittant.

Vers. 21. *Quos misit ad nos*. Quod sequitur in quibusdam libris *&, ad iudices nostros*, superfluit.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. ET HAEC VERBA. Coniunctionem, *Et*, alii putant hunc librum cum superiori Ieremiæ libro copulare; alii cum iis, quæ in animo Baruch habebat. Ego Hebræorum more librum ipsum cum titulo, & nomine Baruch copulare arbitror, quod idem multis aliis locis fieri observavimus, præsertim in historiis, ut initio Lib. II. Esdræ, & Libri I. Machabæorum: omnes enim illi ita inchoantur, καὶ ἐγένετο, *& factum est*, cum nihil præter libri titulum præcessisset, cum quo coniunctio copulare posset. Quin etiam Ciceronem videmus epistolam aliquando per particulam, *Enim*, cum inscriptione coniungere.

V. 2. ANNO QUINTO: postquam Chaldæi ceperunt Ierusalem. Sunt qui dicant Iudæos, qui in captivitate erant, a destructione Ierusalem annos numerare consuevisse, sicut nunc ab ultima per Titum, & Vespasianum facta destructione numerare solent: quod quamvis ita non esset, nihil referret ad sensum huius loci. Auctor enim ipse declarar se ab initio captivitatis numerare, cum addit, IN TEMPORE, QUO CEPERUNT CHALDAEI IERUSALEM. Sic enim interpretor, ἐν τῷ καιρῷ, *In tempore*, aut, illa tempestate, qua Chaldæi ceperunt Ierusalem, ut nomen καιρὸς, non ad punctum; sed ad totum captivitatis tempus referatur; quasi dicat: Anno quinto captivitatis, numerando ex eo tempore, quo Iechonias Babylonem ductus est: eo enim tempore cœpta est captivitas: itaque quinto anno postquam Iechonias captus est, & sex annis antequam urbs, & templum everterentur, Baruch hunc librum scripsit, & in Babylone captivis legit: eo scr-

fortasse missus a Ieremia, ut eos consolaretur. Nam hoc ante urbis vastationem accidisse manifestum est; quia adhuc templum, & altare stabant, ut dicitur versu 10. adhuc erant sacerdotes in Ierusalem, ut dicitur versu 7. adhuc erant vasa, quæ fecerat Sedecias, cum priora a Nabuchodonosore ablata fuissent, vers. 8. Adde quod si post urbis excidium hoc accidisset, non legisset Baruch librum in auribus Iechoniæ, sed Sedeciæ, cum & Sedecias post excidium urbis Babylone esset, illique potius liber esset legendus, quam Iechoniæ. Quod quidam ex novis hæreticis non intelligentes nullum certum sensum ex hoc loco colligi posse putaverunt. IN SEPTIMO DIE MENSIS: non dicit cuius mensis; itaque recte nonnulli primum mensem intelligunt.

V. 3. AD AURES: ἐν ὠσὶν. Hebraismus, באזני, *in auribus*, id est publice audiente Iechonia, & omni populo, ut Isai. XXXVI. 11. & Iere. II. 2. & XXVI. 15. & XXVIII. 7. & XXIX. 29. & XXXVI. 13. 15. Erat eo tempore Iechonias in Babylone in carcere; unde post mortem Nabuchodonosoris ab eius filio Evilmerodach eductus est, ut legimus Ierem. LII. 31. & Reg. XXV. 27. Quæ res dubitare fecit multos, quomodo Baruch posset in eius, & populi auribus librum legere? Facile respondeo aditum Iudæis ad regem suum etiam vinctum patuisse. Nec intelligendum esse totum populum uno eodemque tempore ad audiendum convenisse, qui in carcere congregari non posset; sed Baruch omnibus legisse aliis alio tempore. VENIENTIS AD LIBRUM, id est qui ad audiendum librum concurrebant; vel, τῶν ἐρχομένων πρὸς τὸν βίβλον. *Venientium ad librum*, id est omnium, qui ad audiendum librum venire volebant.

V. 4. FILIORUM REGUM. Ita vocat principes sanguinis regii, qui cum Iechonia Babylonem ducti fuerant, Daniel I. 3.

V. 5. QUI AUDIENTES: hoc verbum Græce non est, quamvis non temere a nostro interprete explicandi causa additum fuisse videatur. ET ORABANT. Græc. καὶ ηὔχοντο εὐχάς, *& orabant orationes*; aut, orationibus. Hebraismus, id est, vehementer enixeque orabant, ut Iacobi V. 17. *Elias homo erat similis nobis passibilis: & oratione oravit ut non plueret super terram, & non pluit annos tres & menses sex.*

V. 6. UNIUSCUIUSQUE MANUS. Hebraismus, id est *pro cuiusque facultate*. יכל כאשר איש יד; ut Levit. V. 11. *Quod si non quiverit manus eius duos offerre turtures, aut duos pullos columbarum, offeret pro peccato suo similæ partem Ephi decimam.* Manus pro facultate.

V. 7. AD IOACIM. Est verisimile Ioacim eo tempore sacerdotem magnum fuisse, sicut fuerat eius pater Helcias, IV. Reg. XXII. 4 propterea ad eum pecunia dirigitur.

V. 8. CUM ACCIPERET. Locus est admodum difficilis, quod nullo modo cum historia convenire posse videatur. Si enim vasa, quæ Sedecias fecerat, iam fuerant ex templo ablata, necesse est accidisse hoc post urbis eversionem, quod versu 2. refutavimus. Si autem ante urbis eversionem hoc accidit; quomodo iam vasa de templo elata fuerant, quæ post Iechoniæ captivitatem Sedecias fecerat? Ego sic interpretor: Postquam Nabuchodonosor Iechoniam, & omnes principes Babylonem duxisset, vasaque templi aurea compilasset, IV. Regum XXIV. 13. Sedeciam regem ab eo creatum eum in Babylone esset, cumque novus rex in Iudæam rediturus esset, vasa argentea pro aureis in Babylone fecisse, ut ea secum ad templi ministerium in Ierusalem comportaret; sensumque esse: Cum accepisset iam ipse Ioacim sacerdos, de quo agebatur, (quem credibile est cum Sedecia Babylone rediisse) vasa, quæ de templo sublata fuerant, reportanda in Ierusalem, non quidem eadem, neque aurea, qualia Nabuchodonosor abstulerat; sed argentea, quæ fecerat Sedecias; cum accepisset, inquam, DECIMA DIE MENSIS SIBAN. *Siban*, aut potius *Sivan* Syriacum verbum tertium anni mensem significat, qui a Latinis Maius appellatur, Esther VIII. 9.

V. 9. POSTEAQUAM CEPISSET. Græc. μετὰ τὸ ἀποικίσαι, posteaquam emigrare fecisset ab Ierusalem. ET CUNCTOS POTENTES. Græc. καὶ τοὺς δεσμώτας, καὶ τοὺς δυνατούς, *& vinctos, & potentes*. Atque ita nostrum interpretem vertisse credendum est; sed pro, vinctos, cunctos scriptorem aliquem litterarum similitudine deceptum posuisse.

V. 10. HOLOCAUTOMATA, id est victimas ad offerenda holocausta. Græce post, *Holocautomata*, statim sequitur, καὶ περὶ ἁμαρτίας, *& pro peccato*, id est, victimas ad offeren-

renda facrificia, quæ vocantur pro peccato: quod in noſtra verſione in fine verſus ponitur; quaſi non ſignificet certum ſacrificii genus; ſed ad omnia ſacrificiorum genera, id eſt ad holocauſta, & thus, de quibus egerat, referatur. ET FACITE MANNA. Sic etiam Græce eſt, ἢ ποιήσατε μάνν. Quod novi quidem hæretici ſubtili coniectura corrigere voluerunt, dixeruntque legendum eſſe, *μιγχάα*, ut Hebraice מנחה, quod ſignificat oblationem, quæ mane, ac veſperi fieri ſolebat, & generaliter omne munus, quod Deo offertur. Scilicet non animadverterunt Septuaginta plerumque quidem, מנחה, θυσίαν, vertere ſolere, ut Geneſ. 4. 3. & Levit. II. I. aliquando δῶρον, *donum*, ut Geneſ. XXXII. 13. & I. Regum X. 27. aliquando ipſum verbum Hebraicum relinquere volentes vertunt pro μιγχαὰ μαναὰ, ut IV. Regum VIII. 8. & Ierem. XVII. 26. Quemadmodum Hieronymus in commentariis in illum locum adnotavit. Atque ita credendum eſt hoc loco vertiſſe, noſtrumque interpretem illos imitatum. Si quid ergo corrigendum eſt, pro *manna* legendum eſt, *Manaa*, aut *Manah*, id eſt ſacrificium, & oblationem.

V. 11. PRO VITA NABUCHODONOSOR REGIS. Magna pietas Iudæos captivos pro impio tyranno Deum precari, illique offerre ſacrificia. Id illis præceperat Deus Ierem. XXIX. 7. *Quærite pacem civitatis, ad quam tranſmigrare vos feci, & orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit pax vobis*. Quod etiam D. Paulus docet facere Chriſtianos I. ad Tim. II. I. 2. idque longo tempore eos feciſſe Tertul. in apologetico ſcribit. ET PRO VITA BALTHASAR Καὶ εἰς ζωὴν Βαλτασάρ: εἰς, dixerunt Septuaginta, pro ὑπὲρ, contra Græci ſermonis conſuetudinem, ut exprimerent Hebraicam præpoſitionem, על. Videtur loqui de Baltaſar, tamquam de Nabuchodonoſoris ſucceſſore. Non tamen legimus illi ſucceſſiſſe; ſed Evilmerodach, IV. Reg. XXV. 27. & Ierem. LII. 31. Itaque credibile eſt Nabuchodonoſorem aliquem alium filium Balthaſar nomine habuiſſe, qui mortuus fuerit antequam pater moreretur. SICUT DIES CAELI, id eſt diuturni, ut vivat, quamdiu cælum durabit, hyperbole, ut Pſal. LXXXVIII. 30. *Et ponam in ſeculum ſeculi ſemen eius, & thronum eius, ſicut dies cæli.*

V. 12. ET ILLUMINET OCULOS NOSTROS, id eſt faciat ut videamus, quæ nobis facienda ſint, quæ fugienda; vel ut faciat nos rebus proſperis uti. Nam cum homines rebus adverſis affliguntur, quaſi in tenebris; cum autem proſperis, quaſi in luce verſati videntur: ideoque res proſperæ lux, adverſæ tenebræ vocari ſolent, ut Pſal. LIV. 6. *Timor, & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ*, & Iob XVII. 4. *Replebor doloribus uſque ad tenebras*, & cap. XVII. 12. *Et rurſum poſt tenebras ſpero lucem;* & Thren. III. 2. *Adduxit in tenebras, & non in lucem*. SUB UMBRA, ſub tutela. ET SERVIAMUS EIS. Non orant, ut illis ſerviant; cupiebant enim potius ab eorum ſervitute liberari; ſed optant, ut illi diu regnent illiſque potius, quam aliis regibus ſerviant.

V. 14. ET IN DIE OPPORTUNO: καὶ ἐν ἡμέραις καιροῦ, *& in diebus temporis*. Hebraiſmus, ובימי מוסל, *& in diebus ſollemnibus, & ſtatis.*

V. 15. DOMINO DEO NOSTRO IUSTITIA, id eſt adſcribatur, tribuatur. Confeſſio eſt; quaſi dicat: *Omnia, quæ induxiſti ſuper nos, & univerſa, quæ feciſti nobis in uno iudicio feciſti:* Daniel. III. 31. Similis ſententia Daniel. IX. 7. 8. *Tibi Domine iuſtitia, nobis autem confuſio faciei, ſicut eſt hodie;* id eſt, Tu dignus es iuſtitiæ laude, nos ignominia, qua hodieque afficimur. Duplex hic Hebraiſmus, alter, CONFUSIO FACIEI, pro ignominia, ut infra cap. II. 6. & Ierem. VII. 10. & Ezech. VII. 18. *In omni facie confuſio*: aliter, SICUT EST DIES HAEC, id eſt uſque ad præſentem diem, ſicut dixit verſu 13. *uſque in hunc diem*. Sic infra verſ. 20. & cap. II. 6. 11. 26. & Ierem. XXXII. 20. & XLIV. 6. 10. 22. 23.

V. 17. PECCAVIMUS. Græc. ὧν ἡμάρτομεν, *quia peccavimus, propterea, quod peccavimus*. ANTE DOMINUM. Hebraiſmus, לפני יהוה, *in conſpectu Domini*, aut לנגד יהוה, *coram Domino*, id eſt contra Dominum, vel, Domino vidente, ut Pſal. L. 6. *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci*, & Iſai. LIX. 12. *Multiplicatæ ſunt enim iniquitates noſtræ coram te*.

V. 18. DIFFIDENTES IN EUM, ET NON

PRI-

FUIMUS SUBIECTIBILES ILLI. Hæc Græce non leguntur, cetera vide Daniel. IX. 10.

V. 19. ERAMUS INCREDIBILES. Græc. ἤμεθα ἀπειθοῦντες πρὸν κύριον θεὸν ὑμῶν, *fuimus increduli adversus Dominum Deum nostrum*, aut, rebelles fuimus contra Dominum, ut apud Daniel. cap. IX. 9. כי מרדנו, כי מרדנו, *quia rebelles fuerunt contra illum*. ET DISSIPATI RECESSIMUS. Græce, καὶ ἐσχεδιάζομεν πρὸς τὸ μὴ ἀκούειν τῆς φωνῆς αὐτοῦ: *Et adeo negligentes fuimus, ut non audiremus vocem eius*.

V. 20. ET ADHAESERUNT NOBIS MULTA MALA: καὶ ἐκολλήθη εἰς ἡμᾶς τὰ κακὰ, *& adhæserunt ad nos mala*. *Et*, καὶ, ו, hoc loco causam significat, id est propterea mala adhæserunt nobis. Adhærere autem mala Hebraismus est: דבק, id est ita premere, ita sequi aliquem, ut non possit se ab illis explicare: quod Galli dicunt, *Suivre de pres*, ut Ierem. XLII. 16. *Gladius, quem vos formidatis, ibi comprehendet vos in terra AEgypti, & fames, pro qua estis soliciti, adhærebit vobis in AEgypto, & ibi moriemini*. QUAE CONSTITUIT DOMINUS MOYSI, id est nobis per Moysem minatus est, Deuter. VIII. 19. & XXVII. 14. 15. &c.& XXVIII. 59. 60. SICUT HODIERNA DIE. Quæ usque ad hodiernam diem lacte, & melle fluit. Hebraismus explicatus est versu 15.

V. 21. ET NON AUDIVIMUS, id est quia, inquam, non audivimus. *Et*, pro, quia: vel, & tamen non audivimus, cum a Deo castigaremur.

V. 22. ET ABIVIMUS UNUSQUISQUE IN SENSUM CORDIS NOSTRI; id est, fecit unusquisque nostrum quidquid mali illi libuit. Hebraismus, qualis apud Ierem. IX. 14. *Et abierunt post pravitatem cordi sui, & post Baalim quod didicerunt a patribus suis*, & cap. XI. 8. *sed adierunt unusquisque in pravitate cordis sui mali*, & cap. XIII. 10. & XXIII. 17. OPERARI, id est sacrificare; vel colere, cultum exhibere diis alienis: aut, quod mihi magis placet, servire diis alienis: ut idem sit, quod Hebraice, עבד, ut cap. sequenti, versu 21. *Sic dicit Dominus, Inclinate humerum vestrum, & cervicem vestram*, (καὶ ἐργάσασθε,) *& opera facite regi Babylonis*. Et versu 22. *Quod si non feceritis, nec audieritis vocem Domini, operari* (ἐργάσασθαι) *regi Babylonis*, & vers. 24. *Et non audierunt vocem tuam*, (ἐργάσασθαι,) *ut operarentur regi Babylonis*, quæ omnia ex Ierem. sumpta sunt, cap. XXVII. 8. 11. 12. ubi verbum עבד, legitur, id est *servire*.

S A.

BARUCH solet a Conciliis & Patribus nomine Ieremiæ comprehendi.

V. 1. BABYLONIA, scilicet quo se contulerat ex AEgypto post Ieremiæ mortem.

V. 2. QUINTO, scilicet captivitatis. MENSIS, scilicet primi. IN TEMPORE; pro, a tempore.

V. 4. FILIORUM. Græc. *& filiorum*.

V. 8. REVOCARE; pro, restituenda. SIVAN, respondet partim Maio, partim Iunio.

V. 9. DUXIT; pro, duxisset.

V. 10. MANNA; pro, *minchah*, id est *munus*, scilicet cibarium sacrificium. ARAM. Apparet sacerdotes, qui se recepe- rant in Ierusalem, altare aliquod fecisse.

V. 11. BALTHASAR. Non successit iste patri, sed alter nomine *Evilmerodach*: nisi forte is etiam *Balthasar* vocabatur. Vide Daniel. V. SICUT DIES CAELI, id est diuturni.

V. 14. DIE OPPORTUNO, id est cum opportunum fuerit.

V. 15. IUSTITIA, scilicet tribuenda; quasi dicat, Ut iustus celebrandus. CONFUSIO, scilicet convenit. EST DIES HAEC, id est apparet hodie.

V. 17. CREDIDIMUS, scilicet verbis eius: id non quadrat in Prophetas & iustos reliquos, sed in malos solos. IN EUM; pro, ei.

V. 18. SUBIECTIBILES, id est subiecti.

V. 19. INCREDIBILES, id est increduli, seu rebelles. DISSIPATI, id est separati, seu divisi, scilicet a Deo. Græc. *celeriter*, seu *inconsiderate*.

V. 20. CONSTITUIT, &c. id est per Moysen proposuit. Vide Deuter. XXVIII. DIE, scilicet apparet.

V. 22. OPERARI, id est sacrificare: & id solum malorum fuit.

ESTII.

ESTIL.

Verſ. 10. ECce misimus ad vos pecunias, de quibus emite holocautomata, et thus, et facite manna, et offerte pro peccato ad aram Domini Dei nostri. Ex his verbis triplex quæſtio naſcitur. Prima quomodo dicatur *facite manna*, cum de manna faciendo, vel offerendo, nihil in lege videatur præceptum? Secunda, quomodo dicatur *ad aram Domini*, cum templum una cum ſanctuario fuerit incendio conſumptum? Et queſtionem auget quod poſtea verſ. 14. ſequitur, *Legite librum iſtum, quem miſimus ad vos recitari in templo Domini*; cum templum tunc nullum fuerit. E tertia quæſtio, quomodo omnino præſcribatur aliquid de oblatione facienda, cum in ſua oratione Azarias apud Danielem in captivitate poſitus dicat: *Non eſt hoc tempore princeps, & dux & propheta*, neque ſacrificium, neque oblatio? Reſpondemus; ad primam, manna hoc loco non intelligi quod de cœlo pluerat: id enim ſervabatur in memoriam beneficii divini, non ad immolandum, & erat in arca incluſum; quam ſecreto Ieremias reconditerat, ut eſt II. Machab. II. Sed manna intelligendum videtur, quod Heb. dicitur *Minha*, id eſt libamen, cuius frequens eſt mentio in lege. Ad ſecundum dicendum templum quidem fuiſse combuſtum, ſed in loco templi a ſacerdotibus in terra Iuda relictis, extructam fuiſſe aram, ad offerenda ſacrificia. Hic autem cum dicitur recitandum librum *in templo Domini*, intellige in loco, ubi fuit templum; & erant adhuc quædam veſtigia. Ad tertium reſpondeo, quod verba Azariæ intelligantur de captivis ipſis, quibus in ipſa captivitate non erat ſacrificium, neque incenſum; quia hæc non niſi in loco ad hoc divinitus deſignato offerri poterant. Et hunc eſſe ſenſum, patet ex eo quod adiungit; *neque locus primitiarum coram te*. Nam alioqui Ieroſolymis etiam tunc erat locus, in quem primitiæ colligi poterant.

V. 11. & 12. Et orate pro vita Nabuchodonosor regis Babylonis, et pro vita Balthassar filii eius ..... ut vivamus sub umbra Nabuchodonosor, et sub umbra filii eius, &c. Hic docemur, non tantum orandum eſſe pro inimicis, verum etiam pro principibus infidelibus, ſub quorum iugo fideles ſerviunt; nec orandum quomodocumque, ſed etiam orandum pro eorum vita, ac diuturna incolumitate; ſicut hic dicitur, ut sint dies eorum sicut dies caeli super terram; maxime cum principes tales permittunt coli a fidelibus veram religionem; ſicut hi reges permiſerunt pro maiori parte. Quod cum legamus factum a Iudæis, multo magis facere debent Chriſtiani, qui abundantiorem caritatis ſpiritum monſtrare tenentur.

Typograghus Lectori S.

CUm P. Mariana, per graviorem ætatem variaſque occupationes, in Baruch Prophetam Scholia omiſiſſet, Petrus Lanſſelius ex eadem Societate ſupplevit: cuius item Scholia ſunt (etſi nomen haud præſerant) in ſex poſteriora Capita Eſter, & tria Danielis. Vale benevole Lector, & doctiſſimi Patris laborem libens amplectere, & meum tibi ſerviendi ſtudium agnoſce.

LANSSELII.

MAgna eſt inter Commentatores diſputatio de auctore Libri Baruch. Multi cenſent eſſe Ieremiam, nec pauciores definiunt eſſe Baruch. Qui Ieremiæ attribuunt, fatentur ſcriptum quidem eſſe a Baruch, (ficuti expreſſe affirmat Scriptura;) ſed dictatum a Ieremia. Huic ſententiæ favent, Primo, quotquot referunt teſtimonia ex hoc libro, tamquam ex Ieremia, nempe Clemens Alexandrinus, qui I. Lib. Pædag. cap. x. ſub nomine Ieremiæ adfert illa verba: *Audi Iſrael mandata vitæ*: ea tamen habentur cap. III. Baruch. Similiter Hilarius Lib. V. de Trinitate, & Baſilius contra Eunomium, atque Gregorius Nazianzenus Oratione IV. de Theologia, & XLIX. de Fide, attribuunt Ieremiæ, quæ in hoc eodem tertio reperiuntur capite. Ambroſius etiam Libro de Pœnitentia, cap. VIII. tamquam ex Iere-

remia refert illa verba quinti capitis Baruch: *Exue te Ierusalem stola luctus*, &c. Idem etiam Ambrosius Lib. I. de Fide ad Gratianum, cap. II. & Lib. III. Hexaemeron, cap. XIV. & Sermone XVIII. super Psalmum CXVII. profert ex cap. III. Baruch: *Hic est Deus noster*, & *non aestimabitur alius adversus eum*: atque ex cap. IV. *Exui me stola pacis*, &c. utrumque tamen testimonium Ieremiae adscribit. Similiter citant alii multi; sicuti Sixtus Pontifex in epistola I. Theodoretus in Dialogo *Immutabilis*. Cassiodorus in Psalm. LXXXI. Idacius Clarus, Ioannes Maxentius, Ildefonsus. Vide Canum Lib. II. de Locis, cap. XI. Secundo, Efficacius & clarius hanc sententiam propugnant Athanasius, Eusebius, Theodoretus, qui asserunt, ideo hunc librum inscribi Baruch, quia quae Ieremias dictaverat in libro a se descripto captivis apud Babylonem, Baruch recitavit. Adde, quod Auctores Sacrorum librorum, in eorum scriptione, non dicantur scribere librum, aut sermones libri; sed potius quae audierunt vel viderunt ipsi, sicut cum dicitur, *Visio Isaiae*, vel *Verba Ieremiae*: at in hoc libro tantum dicitur, *Verba libri quae scripsit Baruch*: ergo non auctor, sed tantum eius scriptor fuit Baruch.

Pro altera sententia faciunt, Primo; Athanasius Quaestione XXXVI. ad Antiochum, & bis in epistola de Nicaena Synodo, & Sermone III. contra Arianos, Hieronymus in Praefatione Ieremiae, Sancti Oresiesis, quem adfero cap. III. 9. Cyrillus Lib. X. in Iulianum, Lyranus, Dionysius Carthus. expresse docent huius libri Auctorem esse Baruch. Secundo, Quia non aliunde constat reliquos Prophetas esse auctores suorum librorum, nisi quia nomen praefigitur in librorum titulo: sed nomen Baruch in titulo praefigitur; ergo sine causa negatur esse auctorem illius.

Pro declaratione huius disputationis observandum est, Librum Baruch continere capita omnino sex. De sexto, cum sit epistola Ieremiae, constat dictatum fuisse a Ieremia, & solummodo exscriptum a Baruch: de ceteris quinque capitibus, quibus explicatur studium populi captivi ad placandum Deum, eius salutaris admonitio & iucunda promissio, instituta est disputatio. Argumenta utrimque probabilia allata fuere; mihi tamen probabilius videtur, Baruch scriptorem & auctorem istorum quinque capitum fuisse, Primo: Quia iste liber absolute inscribitur Baruch, & eo nomine a Concilio Florentino & Tridentino inter Canonicos appellatur; libri vero non desumunt nomen a descriptore seu librario; sed ab auctore & dictatore sententiarum quae in eis continentur; alioquin Prophetia Ieremiae, & Lamentationes deberent etiam attribui Baruch, quia illas descripsit. Secundo: Discrimen semper fuit manifestum inter librum Ieremiae & librum Baruch, quia illi semper fuerunt recepti in Canone, hic autem neque ab Hebraeis receptus, sicuti constat ex S. Hieronymo, neque habetur in Canone Librorum sacrorum edito a Concilio Carthaginensi V. Tertio: Ieremias obierat quando Baruch librum suum composuit: nam Ieremias lapidibus a suis civibus obrutus occubuit, quia suis ac universae AEgypto cladem minabatur, quae mox evenit per Nabuchodonosorem: ita Tertullianus in Scorpiaco, Epiphanius de Vita & morte Prophetarum, S. Hieronymus in Prologo Ieremiae, & alii. Baruch autem scripsit librum suum anno quinto post dictam captivitatem, sicuti patet ex capite I. vers. I. & II. *Et haec verba libri quae scripsit Baruch, in anno quinto, in die septima mensis, in tempore, quo ceperunt Chaldaei Ierusalem*.

Scio aliquos respondere eum scripsisse in AEgypto, vivente Ieremia, & postea illo mortuo iterum illum rescripsisse in Babylone, & ibi legisse. Sed vellem adferri antiquum vel probatum Auctorem qui duplicis huius scriptionis meminerit, aut intelligere in quo loco Scripturae fundamentum collocare possint: sicuti quod dicunt Baruch quidem vivente Ieremia non scripsisse, sed tantum memoriae suae infixisse, & postea in Babylone scripsisse, nullo testimonio nititur.

Quod ad testimonia Patrum qui librum hunc Ieremiae attribuunt attinet, dico Primo, multos etiam Patres sententiae nostrae favere, sicuti ante demonstravimus. Secundo, Nullus negat Ecclesiasticum editum esse a Iesu Sirach, & tamen a multis Patribus citatur ut Salomonis, quia in libro Ecclesiastici multae sunt sententiae Salomonis. Sic quia Baruch aliquot sententias Ieremiae compilavit, quales videntur esse illae de Incarnatione Filii Dei, *Post haec in terris*

ris visus est, &c. ideo Ieremiæ tribuerunt. Tertio, Constat Baruch fuisse discipulum Ieremiæ: solent vero frequenter dicta discipuli tribui magistro, quia ex illo tamquam tradux ex flumine promanarunt, idcirco librum Baruch Ieremiæ inscripserunt.

Quidam ex recentioribus opponit, Baruch non dixisse in principio libri, *Verba Baruch*, sicut ait Ieremias, *Verba Ieremiæ*; sed posuit, *Et hæc verba libri, quæ scripsit Baruch*: ergo tantum descripsit, non vero composuit.

Respondeo, Librum Ieremiæ, tantus quantus est, solum esse Ieremiæ, at in libro Baruch partem postremam seu caput sextum esse Ieremiæ; quare non debuit absolute præfigere in titulo, *Verba Baruch*. Insolens autem est, duorum Auctorum nomina uni eidemque libro præponere. Adde, Baruch totum librum scripsisse, ideoque vere scripsisse, *Verba libri quæ scripsit Baruch*; humilitatis autem gratia tacuisse sibi revelationem a Deo factam eorum quæ primis quinque capitibus complexus est, sicuti S. Ioannes Evangelista subticuit suam personam, dum dixit: *Hic est discipulus ille, quem diligebat* IESUS, *& scripsit hæc*.

Constituto, Baruch esse libri hunc auctorem, fortassis a me exigetur, ut quis qualisve fuerit Baruch declarem.

Dico igitur Baruch nobilem fuisse, patet ex cap. LI. Ieremiæ vers. 59. ubi Saraias frater Baruch appellatur a Sept. ἄρχων δώρων, *princeps munerum*, quemadmodum habet etiam Chaldaica Paraphrasis, ac si diceretur: Cum quis vellet munera quædam Regi offerre, Saraias excipiebat ea, & Regi tradebat: quod officium præ se fert nobilitatem & magnam cum Rege familiaritatem. Præterea, Baruch in principio libri sui non tantum patrem suum, sed etiam avum, proavum, abavum & atavum recenset: non est igitur novus homo: & Iosephus merito dicit eum esse ἐξ ἐπισήμου σφόδρα οἰκίας, *valde insigni familia*. Olympiodorus in Catena asserit Baruch habuisse προγόνους ἀξιολόγους, *progenitores honore dignos*: quos omnes Prophetas fuisse existimat Liranus: *quod secundum regulam Hebræorum, quando in principio alicuius Prophetæ ponitur nomen patris eius aut avi, & sic ascendendo, per hoc datur intelligi, quod spiritum propheticum habuerunt*. Fuit itaque Baruch nobilis & Propheta, sed antequam spiritu Prophetiæ donaretur, fuit scriba Ieremiæ, ut apparet cap. XXXVI. 27. & Iosephus vocat eum μαθητὴν τῇ πατρῴῳ γλώττῃ διαφερόντως πεπαιδευμένον, *discipulum* (Ieremiæ) *in patria lingua excellenter eruditum*. R. Salomon & R. David in Commentariis ad cap. XLV. Ierem. vers. 3. docent Baruch apud Deum conquestum, quod tamdiu ministrans Ieremiæ, adhuc non recepisset spiritum Prophetiæ, uti recepit Iosue minister Moysis, & Elisæus minister Eliæ. Quæ sententia etsi placeat Vatablo, neque improbabilis Lirano videatur; quia tamen ambitionem aliquam in Baruch viro sancto designat, nullo modo mihi probatur: quandoquidem ex sapientia, humilitate, patientia Ieremiæ præceptoris eius, euius laborum & tribulationum particeps fuit, facile fit coniicere, Baruch sapientem, humilem, patientem fuisse. Verisimile est, Baruch Prophetiam suam conscripsisse eo tempore quo liber Tobiæ scriptus fuit: id ex eius historia colligitur, ideoque ab aliquibus post illum collocatur.

ET HAEC VERBA LIBRI. Coniunctionem *&* Liranus putavit copulare hunc librum cum verbis Ieremiæ, quæ Baruch ex eius ore excepit, & eius nomine inscripsit. Quidam existimant indicare connexionem horum verborum cum iis quæ Baruch animo volutabat. Probabile mihi videtur, hac coniunctione cum titulo libri huius copulata, significari distinctionem Prophetiæ Baruch a Prophetia Ieremiæ: etsi enim utraque ab eodem Propheta Baruch descripta fuerit, duæ tamen diversæ censendæ sunt, quandoquidem Baruch hanc cui nomen suum præfixit, non solum litteris mandarit, verum etiam a Spiritu sancto edoctus composuerit; alteram vero Ieremia dictante exaravit. Qui littera ו *Vau* usum in lingua sacra observarunt, meminerint eam non tantum esse copulativam, sed etiam disiunctivam, adversativam, causalem, ordinativam, inchoativam, completivam. Hoc in loco initialem, copulativam, & causalem esse existimo: copularivam, respectu tituli; & causalem, quia reddit rationem cur hæc Prophetia nomine Baruch insigniatur, nimirum quia illam scripsit & composuit. Vel *& hæc verba libri*, potest explicari, Certe hæc verba libri,

bri, &c. Initialem vero, quia sic usitatum Scriptoribus sacris. FILIUS NERIAE. S. Hieronymus in cap. XXXII. Ieremiæ: *Baruch in lingua nostra Benedictus dicitur: qui erat filius Neri, qui interpretatur Lucerna mea, dicente Propheta: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis ardens. Ner quoque pater Baruch filius Maasiæ, id est Factura & operis Domini.* FILII SEDEI. Sept. υἱοῦ Ἀσαδίου, *filii Asodiæ*: radix est שדד *sadad*, id est *vastavit*, inde שדי *saddai*, id est *Omnipotens*: unum ex nominibus Dei, quod eadem potentia qua cuncta creavit, eadem omnia in nihilum redigere possit. Vel potius dicendum, esse nomen compositum ex littera ש quæ ponitur pro אשר *aser*, id est *qui*, & די *dai*, id est *sufficientia*; quasi dicat: Qui sibi sufficit, αὐτάρκης, ἱκανός. Liberum igitur vel præfigere litteram *a*, sicuti Sept. fecerunt: vel illam omittere, sicuti Vulgata & Latini Codices omiserunt. IN BABYLONIA. Ex AEgypto, quo Baruch profectus fuerat cum Ieremia; post cuius martyrium (fuit enim in urbe Taphnis a suis gentilibus lapidibus obrutus) in Babyloniam contendit, ut captivis aliquam afferret consolationem: tum etiam quia Ieremias cap. XLIII. prædixerat AEgypti vastationem.

IN ANNO QUINTO. Hic locus Chronologos in varias distraxit sententias, quarum duæ præcipuæ. Una, quæ est Theodoreti, Hugonis, Lirani, & aliorum, asserit, significari annum quintum a conflagratione Ierusalem per Chaldæos: quia enim hoc excidium celebre fuit, in eo Iudæi novam AEram auspicati fuere, quam servarunt ad posteriorem destructionem urbis Ierusalem per Titum, post quam, hac AEra relicta, alteram constituerunt. Itaque secundum hanc sententiam, Baruch anno quinto post incensam a Chaldæis Ierusalem, librum suum scripsit, eodem die & mense quo civitas conflagrarat. Altera, quæ est Vatabli & quorumdam sententia, negat novam AEram institutam, sed existimat innui tempus quo Iechonias Babylonem ductus est, seu quintum annum ab eius captivitate, & sex annis antequam urbs & templum everterentur cum templum & altare adhuc starent. Prior sententia magis arridet, quia ipsemet Baruch eam insinuat cap. II. 2. & 3. *Facta sunt in Ierusalem mala, quæ non sunt facta sub cælo ut manducaret homo carnes filii sui & carnes filiæ suæ.* Hoc autem contigit in obsidione & excidio Ierusalem, non ante. Rursum vers. 26. luget excidium templi, quod simul cum urbe eversum fuit.

V. 3. AD AURES IECHONIAE. Licet Iechonias, qui IV. Reg. XV. 12. Ierem. XXVII. 20. dicitur *Ioachin*, captivus detineretur in Babylone; attamen quia sponte se Nabuchodonosori tradiderat, in libera agebat custodia; ideoque facilis fuit ad eum accessus, & reliqui Iudæi libere cum accedebant, & ipse aerem haurire extra civitatem permittebatur, præsertim hoc tempore, anno scilicet captivitatis decimo sexto, dum ipsis permissum fuit habitare ad flumen Sodi: quare mirum non est, quod vers. 3. & 4. dicitur: *Et legit Baruch verba libri huius ad aures Iechoniæ filii Ioakim regis Iuda, & ad aures universi populi venientis ad librum, & ad aures potentium filiorum Regum*, &c. Itaque probabile, Iechoniam cum sua custodia ad locum lectioni istius libri seu Epistolæ deputatum se contulisse, ibique coram maxima Iudæorum frequentia Baruch librum suum legisse, maximumque in animis auditorum motum concitasse, patet ex vers. 5. ad finem capitis. Libera Iechoniæ posita custodia, facilis est explicatio cap. XXV. vers. 27. Lib. IV. Reg. ubi habetur: *Sublevavit Evilmerodach rex Babylonis caput Ioachin regis Iuda de carcere*, si per carcerem intelligas liberam custodiam, cuius exemplum reperies in Actis Apostolorum, cap. XXVIII. 16. *Permissum est Paulo manere sibimet cum custodiente se milite.* Et vers. 40. *Mansit autem biennio toto in suo conducto, & suscipiebat omnes qui ingrediebantur ad eum, prædicans regnum Dei.*

V. 4. AD FLUMEN SODI. Constat apud omnes, Euphratem in plurimos distractum rivos, & unum ex eis fuisse *Chobar*, quem Strabo & Ptolomæus vocant Χαβόρραν, alii Χαβώραν, Ἀβόραν, Ἄβορον. Dictio Chaldaica *Choboro* est *fovea*, ac si Chobar respectu Euphratis, cuius διῶρυξ erat, tantum fossa fuisset. Notandum tamen est, in Ezechiele scribi כבר *cebar*; quare dicendum videtur, eos qui scribunt Ἀβόραν. Ἄβορον derivasse a חבר *ehabar*, quia littera ח *eh* sæpe per *a* exprimitur; alios vero deduxisse a כבר *chabar*, quia ita scribitur in Ezechiele: quæ dictio non est quidem in usu apud Hebræos in *Kal*, sed tantum in *Hiphil*,

phil, & significat *multiplicavit*, inde כביר *cabbir*, *multus*, *copiosus*, *potens*. Apud Arabes frequentior est verbi huius usus *cabara*, significat *crescere*, *invalescere*, itaque *Chobar* nomen accepit ab aquarum copia, quam ex Euphrate accipit. Plinius Lib. VI. cap. XXVI. *Armalcharem* appellat, quod, inquit, significat *regium flumen*. Unde patet, scribendum fuisse *Nabarmalca*, dictione composita ex נהר *nahar*, *fluvius*, & מלך *melec*, *rex*, vel מלכה *malca*, *regina*. Regium flumen vocabatur, quia iussu Regis (: fortasse Cyri) perfectum fuit, sicuti Orosius Lib. II. cap. VI. refert, *Cyrum Babyloniam petentem totis copiis perpeti anno Gyndem fluvium, secunda post Euphratem magnitudinis per magnas concisum deductumque fessas in* CCCCLX. *alveos comminuisse*. Herodotus, ex quo Orosius hausit, tantum 360. alveos numerat, seu τριηκοσίας καὶ ἑξήκοντα διώρυχας: quare scribendum in Orosio CCCLX. Polychronius in Catena in Ezechielem notavit, Iudæis seorsim a civibus secus flumen Chobar domicilium assignatum, iisque tamquam mancipiis curam hortorum regiorum & munitionum quæ exstruebantur demandatam. Si versum tertium & quartum huius capitis perpendamus, advertemus omnes Iudæos habitasse iuxta flumen Sodi; quapropter existimo vel *Sodi* & *Chobar* esse diversa nomina eiusdem fluminis: vel potius *Sodi* esse diversum a *Chobar*, quandoquidem ex Psalmo CXXXVI. constet, Iudæos super flumina Babylonis sedisse, id est iuxta diversos fluvios ex Euphrate deductos ædes habuisse: atque *Sodi* vocem Chaldaicam significare *proiectionem*, quod scilicet in eius alveum aquem suam Euphrates eiiciat. *Sedo* significat *proiecit*, *præcipitavit*: inde Syri seu Chaldæi appellant lancearios *sadiie beiamino*, id est *iaculatores in dextra*. Quidam deducunt a זוד *zud*, *superbus*, & existimant eumdem cum Euphrate, quem vocari volunt *Sodi*, quia superbus, & caput super alios attollit.

V. 5. QUI AUDIENTES. Hoc verbum in Græco quidem omittitur, sed noster Interpres ad maiorem explicationem posuit. Adde, versu 3. & 4. repeti quinies verbum *ad aures*, quod idem valet ac *audientes*: sic etiam phrasim Atticam καὶ ηὔχοντο εὐχάς, id est *& orabant orationes*, more Latino reddidit, *& orabant*; altera dictione neglecta, quam tamen Iacobi v. 17. expressit.

V. 6. UNIUSCUIUSQUE MANUS. Hebraismus, sicuti Levit. v. 11. *Quod si non quiverit manus eius duos offerre turtures*; ubi *manus* ponitur pro facultate μετωνυμικῶς.

V. 7. AD IOAKIM. Pecunia ad Ioakim dirigitur, quia tum temporis erat summus sacerdos in Ierusalem, sicut fuerat eius pater Helcias, IV. Reg. XXII. 4. AD SACERDOTES. Qui remanserant in Ierusalem, vel ex AEgypto metuentes eius vastationem a Ieremia prædictam, quando Baruch Babylonem petebat, se Ierosolymam contulerunt.

V. 8. CUM ACCIPERET VASA TEMPLI DOMINI. Duplex est huius loci expositio. Quidam censent Sedeciam rediturum in Ierusalem, fecisse vasa argentea pro aureis quæ Nabuchodonosor exportarat, ut ea secum ad templi ministerium in Ierusalem comportaret, sensumque horum verborum esse: Cum accepisset iam ipse Ioakim sacerdos (quem putant cum Sedecia Babylone abiisse) vasa, quæ de templo sublata fuerant, reportanda in Ierusalem. Alii existimant hæc verba intelligenda de Baruch; & de vasis argenteis quidem; sed a Sedecia ante captivitatem Ierosolymis pro aureis substitutis, (sicuti Roboam filius Salomonis fecit scuta ærea pro aureis a Salomone patre suo acceptis, sed a Sesac Rege AEgypti sublatis) quæ simul cum Sedecia in Babylonem abducta fuerant, ubi Baruch hæc ipsa vasa, quæ ditiores Iudæi a Chaldæis prætio redemerant, ab ipsis accepit, & tamquam huius negotii director eadem in Ierusalem ad Ioakim summum sacerdotem remisit. Itaque sensus est: Cum Baruch accepisset vasa argentea domus Domini reducenda (ἀποστρέψαι) in terram Iuda. Posterior hæc expositio præferenda, quandoquidem constet ex versu præcedenti, pecuniam collectam missam fuisse ad Ioakim in Ierusalem, ideoque eum in Babylone tum temporis non fuisse: simul autem cum pecunia, ipsa vasa transmissa fuere; ut ista pecunia, sicuti vers. 10. habetur, Ioakim & sacerdotes Ierosolymis necessaria holocautomata & thus emerent, & facerent manna, quandoquidem vasa ad istos usus mitterentur; quapropter videtur partem desiderii & voti Ieremiæ completam

nunc

nunc fuiſse: ita enim cap. XXVIII. 6. loquitur adverſus pſeudoprophetam Hananiam: *Amen, ſic faciat Dominus: ſuſcitet Dominus verba tua, quæ prophetaſti; ut referantur vaſa in domum Domini, & omnis tranſmigratio de Babylone ad locum iſtum*, ſcilicet Ieruſalem. Hananias prædixerat, ſacra vaſa cum Rege & captivo populo poſt biennium reducenda: Ieremias illud ipſum optat, etſi credat non futurum poſt biennium, ſed ſicuti cap. XXVII. 22. prædixerat. *Et ibi erunt uſque ad diem viſitationis ſuæ, dixit Dominus, & afferri faciam ea, & reſtitui in loco iſto.* Dies viſitationis declaratur cap. XXIX. 10. *Cum cœperint impleri in Babylone ſeptuaginta anni, viſitabo vos: & ſuſcitabo ſuper vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum iſtum.* MENSIS SIVAN. *Sivan* eſt menſis Hebræorum tertius in ordine ſacro; principium enim ſumitur a Martio, Maio noſtro reſpondens. Eſther VIII. 9. *Erat autem tempus tertii menſis, qui appellatur Siban.* Puto ſcribendum *Sivan*, quemadmodum hic habetur. Chaldaice ſcribitur *Sivan* per O, *u*, non per, *b*, eius die ſexto Iudæi celebrant חג השבועות *hab haſbuoth*, *feſtum hebdomadum* ſeu Pentecoſten. Heſychius edit. Aldi, 1514. Σιόαν ὕτω καλῦσι Χαλδαῖοι τὸν πάνυ * μον μῆνα. Editio Florentina anni 1520. habet τὸν πάν * μον. Sperabam ex Suida, præſertim ex Varino Heſychii compilatore, medicinam vulneri, quod aſteriſcus indicabat facere; ſed adverti illum ſequentem dictionem Σιοκερος ex Heſychio tranſcripſiſſe, hanc vero omiſiſſe: itaque ipſemet clinici medici vices obibo. Corrigo τὸν παναμον μῆνα. Plutarchus dicit, Macedones ſic appellare Iulium menſem. Demoſthenes autem Auguſtum menſem; qui menſes nimis diſtant a Maio, quem Chaldæi *Sivan* dicunt, ut hanc noſtram correctionem, etſi probabilem ob litterarum affinitatem, ſtabiliamus: alteram igitur, forſan aliquibus firmiorem, ſubſtituemus; nimirum, ſcribendum eſse τὸν πανημεριον μηνῶν, *principium*, ſeu *primum menſium*. Ratio eſt, quod Iunius, cuius principio reſpondet *Siva*, eſt primus menſium Atticorum, & anni initium, ſicuti ex Dionyſio Halicarnaſseo patet, ideoque a ſacrificiis maioribus quæ tum fiebant, & *hecatombæ* dicebantur, ἑκατομβαιὼν appellatus eſt; ſicuti aliis de cauſis vocatus eſt κρονιος ἱπποδρομιος, δέσιος, λῷος. Dixi πανημέριον ſignificare *principium*, quia ipſe Heſychius hanc dictionem ita exponit contra omnium Lexicographorum conſuetudinem; illi enim explicant *perdius*, *per totum diem*; expoſitionem vero Heſychii tacent, quæ ſic ſe habet: Πανημερ.ος ὐχ ὁ δι' ὅλης ἡμέρας, ἀλλ' ὅ ἀφ' ὗ τις ἂν ἄρξηται μέρας, ἢ ἡ δι ὅλης τῆς ἡμέρας καταχρηστικῶς; quæ ita Latine reddo: Πανημέριος (eſt) *non qui per totum diem, ſed illa pars a qua quis inceperit: vel etiam per abuſum* (ſignificat) *per totum diem*. Addit, *per abuſum*; quia exiſtimat proprie *per totum diem* dici πανήμερος: nam ſuperius habet, πανημερος, δι' ὅλης ἡμέρας; certum tamen eſt, πανημέριος ſignificare apud alios Auctores *per totum diem*, ſeu *perdius*. Homerus Iliados τ. πανημέριος πολεμίζει, *per totum diem pugnat*: ſic Heſiodus in Aſpide, & Herodotus Lib. I. uſurpant.

V. 9. ET CUNCTOS POTONTES. Græce, καὶ τὺς δεσμώτας, καὶ τὺς δυνατὺς, *Et vinctos, & potentes*. Videtur etiam ſcribendum in Vulgata, *& vinctos*. Facilis fuit litterarum commutatio.

V. 10. HOLOCAUTOMATA. Græce poſt *holocautomata*, ſtatim ſubiungitur, καὶ περὶ ἁμαρτίας, *& pro peccato*, quod in Vulgata in fine verſus ponitur. FACITE MANNA. *Manna* poteſt deduci a Chaldæo *mena*, id eſt *numeravit*, inde *mnotho*, id eſt *pars*; ſed melius deducitur a מנחה *mincha*, quam dictionem etiam Chaldæi uſurpant, & ſignificat *oblationem*. Sept. ſcribunt μάννα, & μαναά. S. Hieronymus cap. XVII. Ierem. *Et ſacrificium, pro quo Sept. ipſum verbum Hebraicum poſuere* מנחה, *quod peſſima conſuetudine, imo ſcriptorum negligentia, Manna in noſtris libris legitur.* Vult igitur ſanctus Doctor ubique ſcribi *manaa*: & ſane Sept. communiter ita ſcripſerunt. Si proprietatem huius dictionis perpendamus, dicendum eſt Hebr. Chald. Arab. ſignificare donum quodcumque & cuivis oblatum, ſicuti patet ex I. Reg. X. 27. ubi dicitur de filiis Belial, *& non attulerunt ei* (Sauli) *munera*. Hebr. מנחה *mincha*. Eodem modo ſumitur II. Reg. VIII. 2. Geneſ. XXXII. 13. & alibi. Accipitur autem pro munere quod Deo offertur, ſed diverſimode. Aliquando enim ſignificat oblationem ſimilæ ſeu farinæ tritici puriſſimæ cum oleo & thure; aliquando frumentum quod igni torrebatur; quinque

hu.

huius oblationis species Levitici secundo capite referuntur, & ritus offerendi Levitici septimo describitur. Aliquando designat sacrificium iuge, quod quotidie, & quidem vesperi cum sol declinare inciperet, hoc est, circa tertiam pomeridianam, offerebatur: Exodi XXIX. 39. Psal. CXL. 2. *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum*. Vide Danielis IX. 21. I. Esd. IX. 5. III. Reg. XVIII. 29. 36. Actorum III. I. & X. 30. Denique sacrificium illud iuge quod mane fiebat, etiam *mincha* appellatur IV. Reg. III. 20. & Num. XXVIII. 8. AD ARAM DOMINI DEI NOSTRI. Olympiodorus in Catena Græca: Εἰ καὶ κατεσκαφὴς ἦν ὁ ναὸς, ἀλλ' ἐν τῷ τόπῳ ἔθυον· οὐ γὰρ ἦν ἔξω, ἀλλαχοῦ, εἰ μὴ ἐν Ἱερουσαλὴμ τὰς θυσίας ἐπιτελεῖν: *Licet templum solo erat æquatum, tamen eo in loco sacrificabant; haud enim alibi fas erat quam Ierosolymis victimas offerre*. Itaque Iudæi templo a Chaldæis exusto, & altari everso, in ruinis erexerunt altare vile, subitaneum, & nullius pretii, si conferatur cum præcedenti, vel subsequenti quod Esdras, potestate a Rege accepta, excitavit, ut haberent publicum suæ religionis exercitium, perinde ac habuerunt altare, antequam ædificatum esset templum & tabernaculum; ut patet Exodi XXIV. 4.

V. II. ORATE PRO VITA NABUCHODONOSOR. Illud in mandatis a Deo acceperant Ieremiæ XXIX. 7. *Quærite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci, & orate pro ea ad Dominum: quia in pace illius erit pax vobis*. Ex pacifico enim Nabuchodonosoris statu dependebat pax terræ Babylonicæ; & per consequens, pax Iudæorum. Ita Lyranus. Incertus Auctor in Catena Græca: Πέμψαντες δῶρα Θεῷ, τοῦτο γὰρ σημαίνει τὸ Μαναὰ, καὶ τὴν τῶν βασιλέων αἰτοῦσιν ἐκταθῆναι ζωήν. τοῦτο δὲ καὶ Παῦλος νομοθετεῖ, καίτοι τῶν ἐπ' αὐτῷ κρατούντων φρόνημα ἐχόντων τοῖς εὐσεβέσι πολέμιον. *Dona Deo mittentes, hoc enim Manaa significat: Regum quoque vitam produci petunt. Hoc vero etiam Paulus fieri mandat; etsi qui sua ætate rerum potiebantur animo essent in pios offenso*. Olympiodorus: Θεὸς ἦν προστάξας αὐτοῖς εὔχεσθαι περὶ τῆς εἰρήνης τῶν Βαβυλωνίων, ἵνα καὶ αὐτοὶ εἰρηνεύωσιν: *Deus erat qui orare præceperat illis pro pace Babyloniorum, ut & ipsi quiete viverent*. ET PRO VITA BALTHASAR. Vel hic *Balthasar* fuit filius primogenitus, qui ante patrem suum Nabuchodonosorem obierit, & Evilmerodach fratrem suum regni heredem & patris successorem reliquerit, sicuti ex IV. Reg. ultimo, 27. constat: vel Evilmerodach etiam appellatus fuit Balthasar, quandoquidem ultimus fuerit Rex Chaldæorum, sub quo capta est Babylon. S. Hieronymus ad caput V. Danielis me aliam in sententiam perducit, nimirum Balthasarem abnepotem fuisse Nabuchodonosoris: idcirco eius verba proferam, & explicabo; sic igitur se habent: *Sciendum est, non hunc esse filium Nabuchodonosor, ut vulgo legentes arbitrantur; sed iuxta Berosum, qui Chaldæam scripsit Historiam, & Iosephum, qui Berosum sequitur, post Nabuchodonosor, qui regnavit annis quadraginta tribus, successisse in Regnum eius filium, qui vocabatur Evilmerodach: de quo scribit Ieremias, quod in primo anno Regni sui levaverit caput Ioachim Regis Iuda, & eduxerit eum de domo carceris. Refert idem Iosephus, quod post mortem Evilmerodach, in Regnum patris successerit filius eius Neglisar, post quem rursum filius eius Labosordach: quo mortuo Balthasar filius eius Regnum tenuerit, quem nunc Scriptura commemorat: quo interfecto a Dario Rege Medorum (qui Cyri Regis Persarum avunculus fuit) & Cyro Persa (quæ duo Regna Isaias ascensorem bigæ, cameli & asini vocat) destructum esse imperium Chaldæorum. Quod quidem & Xenophon in Cyri Maioris scribit infantia, & Pompeius Trogus, & multi alii, qui barbaras scripsere Historias*. Et paucis interiectis, addit: *Quod autem Balthasaris patrem Nabuchodonosor vocat, non facit errorem scientibus sanctæ Scripturæ consuetudinem, qua patres, omnes proavi & maiores vocantur*. Ad maiorem horum explicationem, Argumenta in contrarium allata dissolvam.

Primum est, Danielem in Chronicis Regum Babyloniorum, post gesta Nabuchodonosoris transisse statim ad Balthasarem; ergo hic ei proxime successit.

Respondeo, Danielem statim post Nabuchodonosorem transisse ad Balthasarem, non quod ei ἀμέσως seu proxime in Regno successerit; sed quia eius superbiam sectabatur, patet ex versu 22. *Tu quoque filius eius* (id est abnepos eius) *non humiliasti cor tuum, cum scires hæc omnia*, nimirum Nabuchodonosorem abavum tuum depositum fuisse de solio Regni sui, & a filiis hominum eiectum, quando elevatum est

cor eius, & spiritus illius obfirmatus est ad superbiam. Scriptura vero nullam mentionem facit superbiæ Evilmerodach, neque Neglisari aut Laborordach ab aliquo Historico superbiæ nota inuritur.

Secundum, Quia Daniel semper eum vocat filium Nabuchodonosoris, ergo non est nepos aut abnepos.

Respondeo, S. Hieronymum hanc difficultatem antea dissolvisse, & II. Reg. IX. 7. David vocat Saulem patrem Miphiboseth: constat autem fuisse avum; erat enim pater Ionathæ, cuius filius fuit Miphiboseth.

Tertium, Quia a Ieremia cap. L. 2. *Balthasar* vocatur *Merodach*: qui idem videtur esse cum *Evilmerodach*.

Respondeo, *Merodach* in Ieremia esse nomen idoli, sicuti alterum quod præcedit *Bel*.

Quartum, Quia non potuerunt esse tot generationes tam paucis, puta 34. annis: tot enim tantum interfluxerunt a morte Nabuchodonosoris usque ad mortem Balthasaris.

Respondeo, Primo, *Nabuchodonosorem* filium seu *Magnum* regnasse cum patre suo annis 13. & post patrem 30. seu in universum annis 43. Berosus asserit illum obiisse anno 44. scilicet inchoato, ab expeditione sua, quia complectitur annos 13. expeditionis, qua missus a patre cum potestate & regio nomine, cuius octavo Iechoniam captivum abduxit, quo tempore incepit captivitas 70. annorum, quæ finita est post mortem Balthasaris, seu primo anno Cyri. Secundo, Dico plures annos intercessisse inter mortem Nabuchodonosoris & Balthasaris: nam Nabuchodonosor obiit anno 34. captivitatis. Quod probatur, quia quarto anno ante patris sui obitum Iechoniam captivum abduxit, & Tyrum expugnavit, postea solus regnavit annis 30. reliquis 36. posteri eius Evilmerodach, Neglisar, Laborordach, & Balthasar ordine imperarunt. Quam diuturnum fuerit cuiusque imperium, necdum Chronologi definierunt. Tertio, Nego debuisse tot generationes 34. annis extitisse: cur enim nequivit Nabuchodonosor in tam diuturno imperio suo nepotem suum in iuvenili ætate conspicere? Præterea, quid incommodi, asserere nepotem istum in spatio annorum 36. (tot enim a morte Nabuchodonosoris avi eius ad Balthasaris mortem & captivitatis liberationem numeremus) filium & nepotem pariter habuisse?

Quod ad nominis Balthasaris etymologiam attinet, notandum est, pro varietate deductionis diversimode scribi: quidam enim scribunt *Balsasar*, alii *Baltasar*, alii *Balthasar*, alii *Baltassar*, alii *Belschazar*: alii dicunt *Balsasar* esse nomen Danieli impositum, sed *Baltasar* esse nomen Regis. Scpt. semper scribunt Βαλτάσαρ. Hebræi nomen Regis scribunt בלשאצר *Balsasar*, & nomen Prophetæ בלטשאצר *Beletsasar*. Ex diversimoda compositione, multiplex interpretatio consecuta est. In libello de Nominibus Hebraicis, &c. explicatur *Balsasar*, *Non portans angustiam*, vel *non thesaurizans*: aut ex Syro & Hebræo, *scrutator thesauri*. *Baltassar* autem, *abscondite thesaurizans*, sive *in malleatore thesaurizans*, vel *occulte portans angustiam*. S. Hieronymus de Nominibus Hebraicis: *Balthasar*, *capillus capitis*. Beda addit: *vel absorbens divitias*. Pagninus: *Belthesasar*, hoc est, *in acumine thesauri*, vel *thesaurus*; vel *acumine thesaurizavit*. *Balsasar*, *non ferens angustiam*, vel *scrutator thesauri*. Ratio harum interpretationum est, quia בל *bal* significat *non*, & נשא *nasa*, *tulit*: unde per aphæresin, & quia verbum defectivum est *pe nun*, fit *sa*. Præterea צר *sar* est, *angustia*, אצר *asar* significat *reposuit in thesauris*: בלט *balat* est *abscondite*, quie לוט *lont* eius radix significat *abscondit*: לטש *latas* significat *acuit polivit*. Syriacum *belas*, *investigare*, *perscrutari*.

Facile erit advertere, significationes allatas ex his dictionibus emanasse, nisi quod obscurum sit quid S. Hieronymum moverit ad interpretandum *Balthasar*, *capillus capitis*, quandoquidem nulla dictio Hebraica aut Chaldaica, ex qua *Balthasar* formatur, *capillum* aut *caput* significet. Idem dici potest de interpretatione Bedæ, *absorbens divitias*. Scio aliquos asserere, S. Hieronymum auctorem quidem esse libelli de Locis & Nominibus Hebraicis; sed negare, omnes & singulas interpretationes quæ ibi adferuntur esse illius, quin potius multas esse intrusas, inter quas fortassis hanc etiam accensebunt; ego vero existimo genuinam esse. At S. Hieronymum frequenter interpretari dictiones Hebræas, non attendendo ad litteras, quibus dictio illa commu-

muniter Hebraice scribitur (idem sentiendum de Græcis) sed aliquando Philonis aut Eusebii interpretem agere, aliquando vero dictiones componere ex memoria, non se astringendo ad litteras quibus ordinarie scribuntur; aliquando metaphorice exponere, sicuti in hac dictione *Balthasar*, *caput* sumitur pro Principe, aut Domino. Dicitur autem *Princeps*, *Dominus*, *caput*, בעל *baal* & *bal* per συναίρεσιν : & si sermo sit de muliere, dicitur בעלת *baalath*, aut *balth*; *capillus* vero dicitur שער *sear* aut *saar* & *sar*. Recta igitur est S. Hieronymi interpretatio, nec illo indigna. Eam mystice exponit Richardus de S. Victore, Lib. IV. de Securitate conscientiæ, cap. XXXIV. *Interpretatur etiam Baltassar, capillus capitis, & dicitur Daniel Baltassar iuxta nomen Dei sui, designans Christum, cui convenit dici capillus capitis, secundum quod procedit a Patre; & secundum nomen eius dicitur Baltassar, quia a Christo & per Christum obtinemus ut merito filii Dei dici debeamus. Designat etiam Baltassar, mentis devotionem: quæ capillus capitis dicitur, quia per ipsam mens ad omnem subtilitatem acuitur*. Beda vero deduxit a בלע *bala*, *absorpsit*, & עשר *hasar*, *ditatus fuit*, unde עשר *hoser*, *divitiæ*.

Quotquot hactenus attuli interpretationes, tolerari possunt; sed alia est quæ omnibus istis præferenda est: nimirum, componi ex בל *Bel*, quod idoli Babylonici est nomen, & contractum est ex בעל *bebal* eliso ע, sicuti sæpe fit, quemadmodum apparet in *Simon* ex שמעון *Simhon*, & aliis: etsi Deus Tyriorum proprie sit *Baal*, ex quo *Hannibal*, *Asdrubal*; & Deus Babyloniorum sit *Bel*; utrumque tamen confundunt Poetæ Græci & Latini. Ergo *Balsasar* componitur ex בל *Bel* idoli nomine, quod etiam Heroum nominibus inserebatur, sicuti apud Hebræos veri Dei nomen in Iosue, Iosodech, & infinitis aliis: altera pars compositionis est אש *es*, *ignis*, & ער *sar*, quod sicuti *Bel* nominibus magnatum apud Chaldæos inseritur, ut patet in Nabuchodonosor & aliis; significat vel *rupem*, quia Rex instar rupis subditos suos tueri debet, vel *formam*, quia exemplo suo debet populum suum formare; vel *collum*, quia medius inter Deum, qui est caput creaturarum, & subditos suos, in quos bona quæ a Deo accipit derivare debet. R. Saadia dicit integre scribendum fuisse בלטשאצר *Beltsasar*, id est *Bel asservat thesaurum*, quod nomen Danieli a Rege tributum fuit; sed ait litteram ט *t* omissam fuisse in nomine Regis, & *Balsasar* vocatum fuisse, quia non טשה *tosa*, id est *recondidit & asservavit*; sed בלש אוצר *beias otsar*, *scrutatus est & produxit thesaurum domus Dei*. Sed Septuaginta videntur tantum uno modo legisse, ideoque semper scribunt Βαλτασαρ, sive de Rege, sive de Propheta sit sermo. Quapropter distinctionem illam Masoritis attribuendam, mihi persuadeo, nec idcirco in Vulgata diversimode scribendum, quod ab aliis factum animadverto. SICUT DIES CAELI. Olympiodorus in Catena: Ἵνα ὦσιν πολυχρόνιοι ἢ ἵνα κατὰ εὐσέβειαν ζῶσιν, *Ut longævi forent, vel ut secundum pietatem vitam ducerent*. Proverbialis est locutio, alibi etiam usurpata, ut Psalmo LXXXVIII. 30. *Et ponam in sæculum sæculi semen eius, & thronum eius sicut dies cæli*. Deuter. XI. 21. *Quamdiu cælum imminet terræ*. Sic Seneca in Oedipo.

Lucida dum current annosi sidera mundi.

Notum est Poetas Græcos & Latinos vario modo loquendi exprimere *semper* & *numquam*: ab exemplis abstineo, ut brevis sim: sufficiat dixisse hac locutione apprecari Regibus vitam diuturnam, constantem, tranquillam, piam, felicissimam, uno verbo, cælestem.

V. 12. ET UT DET DOMINUS VIRTUTEM. Græce, Καὶ δώσει Κύριος ἰσχὺν ἡμῖν, *Et dabit Dominus fortitudinem nobis*, ad tolerandas ærumnas captivitatis. ET ILLUMINET OCULOS NOSTROS. Græce, καὶ φωτίσει, *& illuminabit oculos nostros*: (eodem modo in futuro ponitur, *vivamus*, *serviamus*, *inveniamus* in hoc versu) petunt lumen a Deo, sive ad cognoscendum quæ ipsis facienda sint, quæve fugienda; sive ut eos lætitia perfundat: lux enim symbolum est & causa lætitiæ, sicut tenebræ tristitiæ: & sic ait Iob XVII. 12. *Post tenebras spero lucem*, & XVIII. 5. *Nonne lux impii extinguetur, nec splendebit flamma ignis eius? Lux obtenebrescet in tabernaculo illius, & lucerna, quæ super eum est, extinguetur*. SUB UMBRA, id est sub tutela, præsidio, ac benevolentia. Apud Danielem regnum Nabuchodonosoris comparatur arbori ingenti, sub cuius umbra multa animalia degunt, id est cuius favore, subditi tranquilli.

litate & prosperitate fruuntur. Et serviamus eis. Non orant ut Nabuchodonosori & Baltassari serviant: maluissent enim libertate donari, sed cupiunt potius illis servire, quam aliis crudelioribus & impientioribus.

V. 14. Et in die opportuno. Græce, καὶ ἐν ἡμέραις καιρῷ, *& in diebus temporis opportuni*, id est diebus statis seu indictis & constitutis ad orandum, ac Deum publice colendum. Solebant enim Iudæi ter in anno Ierosolymam proficisci: ad Pascha celebrandum, in mense Nisan seu in Martio: ad Pentecosten seu Festum Septimanarum, in Maio: ad festum Tabernaculorum, in Septembri. Illa festa proprie appellantur מועד *moed*, quia tempus certum, & locum peculiarem designatum habent. Cetera festa *in die opportuno*, seu ἐν ἡμέραις καιρῷ, *in diebus temporis opportuni* celebrantur, & ubivis locorum observari poterant, ut initium anni, Kalendæ, Festum messis & collectionis, Tertius annus & Septimus qui erat remissionis seu cessationis terræ, Festum dedicationis, & quædam alia. Incertus in Catena: Αἰτοῦσι τῆς πεμφθείσης ἐπιστολῆς τὴν ἀνάγνωσιν ἐν ἑορτῇ γενέσθαι τοῖς ἐπισήμοις αἰτουμένοις: *Petunt missæ epistolæ lectionem die festo fieri viris insignibus deposcentibus.*

V. 15. Domino Deo nostro iustitia. Hinc incipit liber Baruch, antea enim a versu 10. fuit epistola Iudæorum in Babylone captivorum ad suos contribules in Ierusalem; a primo autem versu ad decimum, quis Libri huius sit Auctor, & quam utilis sit eius lectio declaratur. Porro a versu 15. & per totum caput II. usque ad versum 8. capitis tertii, est oratio humilis, & multis rationibus impellens ad misericordiam. Sumpsit hinc orationis suæ formam Daniel capite IX. 7. ad 20. Olympiodorus: Κατὰ τὸν τοῦ δικαίου λόγον καὶ Θεὸς ἐτιμωρήσατο καὶ ἡμεῖς ἐν αἰσχύνῃ ἐσμὲν σήμερον ἐν αἰχμαλωσίᾳ ὄντες δικαίως: *Iure optimo & Deus punivit, & nos in confusione sumus hodie captivitatem iuste sustinentes.*

V. 17. Peccavimus. Græce, ὧν ἡμάρτομεν, *quia peccavimus.*

V. 18. Difidentes in eum: et non fuimus subiectibiles illi. Hæc Græce non leguntur.

V. 19. Et dissipati recessimus, ne audiremus vocem ipsius. Græce, Καὶ ἐσχεδιάζομεν πρὸς τὸ μὴ ἀκούειν τῆς φωνῆς αὐτοῦ: *Et vagabamur, ne audiremus vocem ipsius*: σχεδιάζειν & σπουδάζειν opponuntur, sicuti apud Latinos, *leviter ac negligenter aliquid tractare*, & *serio ac cum studio agere*. Olympiodorus exponit, ἐπροφασιζόμεθα, αἰτίας ἀναπλάττοντες: *prætexebamus, causas confingentes*, scilicet, ne audiremus vocem ipsius. Theodoretus, τὸ δὲ ἐσχεδιάζομεν, id est *leves eramus*, posuit pro ἐπινοοῦμεν, hoc est, *excogitabamus* peccatorum genera. Tales vocat etiam beatus Paulus *inventores malorum*. Ita apud Hebræos opponuntur קלל kalal & כבר cabad, quorum prius redditur ab Interpretibus Græcis ἐλαφρός εἰμι, *levis suum*; κούφως ἐποίησα, *leviter feci*; ταχὺ ποιέω, *velociter facio*: quæ apprime conveniunt explicationi τοῦ σχεδιάζειν apud Hesychium: Σχεδιάζειν, ἐγγίζειν, ἐκ παρατυχόντος ἐν ἑτοίμῳ λέγειν. λέγεται δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ ταχέως ποιεῖν Σχεδιάζειν, *significat appropinquare, subito in parato dicere. Dicitur etiam pro velociter facere*, Σχέδιοι ἀτελεῖς, id est *viles*: sic קלל kalal exponitur οὐδὲν εἰμι, *nihil sum*; εἰς οὐδὲν γίνομαι, *in nihilum redigor*; μικρὸν, *parvum*, διάκενος, *vacuus.*

V. 20. Et adhaeserunt, id est propterea adhæserunt; nam *&* respondet Hebræo ו *Vau*, quod sæpe causale est. Danielis IX. 11. *& stillavit super nos maledictio*: prima dictio ותתך *vattittac* habet *Vau* causale, & radicem נתך *nathac*, quæ redditur a Græcis στάζω, *stillo*; χωνεύω, *conflo*, τήκω, *liquesco*: quibus dictionibus quædam conglutinatio, aut intima penetratio significatur. Sic etiam per *adhæserunt* insinuat Propheta calamitates tenaciter affligentes, a quibus nullus facile se expediat, sicuti Ieremiæ XLII. 16. *Gladius, quem vos formidatis, ibi comprehendet vos in terra Ægypti, & fames, pro qua estis solliciti, adhærebit vobis in Ægypto, & ibi moriemini*. Quae constituit Dominus Moysi. Quæ Dominus nobis per Moysen comminatus est, Deut. VIII. 19. & XXVII. 14. & XXVIII. 59.

V. 21. Et non audivimus. *Et* ponitur pro, quia, tamen; sicut *Vau* apud Hebræos.

MALVENDAE.

Verf. I. FILII SEDEI. Græce: *filii Afodii*. Quidam legunt: *filii Afodiæ*. Alii: *filii Chafchabeiæ*. Obfervant, huius libri infcriptionem novem verfibus comprehenfam, tam multis verbis implicatam effe, ut vix adhuc ipforum iudicio fuerit ab ullo explicata. Plerique enim ad tempora quinti anni poft cafum Tzidhiiæ, & excidium urbis & templi referunt: quod nobis, cunctis recte perpenfis, non probatur. Verofimilius alii fummam ita concipiunt: Baruchum anno a Iehoiachinis feu Iechoniæ deportatione quinto verfantem in Babylonia, ut peritus erat fcriba, fratribus deportatis communicato confilio tradidiffe exemplum litterarum, quod ipfe exaraverat, ut ad fratres, qui in Iudæa adhuc manferant, mitteretur. Quarum litterarum fumma partibus duabus comprehenditur: una eft, confeffio peccatorum & deprecatio, a verfu 15. huius Capitis, ad verf. 9. cap. III. altera eft, officii ad omnes pertinentis explicatio, ad finem ufque libri: quæ quidem epiftola, eo quod longior eft, libellus appellatur. Itaque continentur tria in hoc capite, primum eft, infcriptio, novem verfibus: fecundum, familiare confilium & communicatio deportatæ multitudinis, verfibus quinque: poftremum vero, principium eius libelli, quem Baruch captivorum nomine confcripferat. IN BABYLONIA. Plerique putant Baruchum abductum in Babyloniam eo tempore quo Nabuchodonofor quinto anno poft deportatum Tzidkiam, & everfam urbem, fubacta Cœlefyria, & Hammonitis & Moabitis perdomitis, AEgyptum hoftiliter ingreffus repertos ibi Iudæos, inter quos erat Baruch, rurfus captivos Babylonem abduxit, ut narrat Iofephus X. Antiquit. XI. Quæ fententia nobis non placet. Francifcus Iunius ait: *Alibi quidem legi non meminimus quando aut quomodo Baruch in Babyloniam profectus fit ante deportationem regis Tzidkiiæ: fed tamen, fi qua coniectura huc afferri poteft, probabile eft, cum anno quarto regni Tkidkiiæ cum Seraia fratre in Babylonia profectum effe, Irmeiæ* LI. *verf.* 59.

V. 2. IN ANNO QUINTO. Paffim intelligunt, a deportato Tzidkiia & excidio urbis & templi, ut diximus in verf. I. quod fane fequentibus non fatis convenit. Rectius alii a deportatione Iechoniæ accipiunt, ut ex illo Ieremiæ loco colligitur: de qua deportatione vide II. Reg. XXIV. 10. & fequentibus. IN SEPTIMO DIE MENSIS. Quidam: *feptimo die menfis illius*. Qui menfis fuerit, præcife ex fcripturis ftatui non poteft, fed fequentibus verbis circumfcribitur; quafi dicat, Præcife quinto poft anno, & eodem tempore, quo captæ fuerant Ierufchalaima fub Iechonia. II. Reg. XXIV. 11. & 12. Aliqui exponunt: *in feptimo die menfis primi*. IN TEMPORE, QUO CEPERUNT CHALDAEI IERUSALEM. Alii: *eodem tempore quo ceperant Chaldæi Ierufchalaima*, nempe fub Iechonia, ut paulo ante dicebamus. ET NON SUCCENDERUNT EAM IGNI. Alibi in Scriptura non legitur, quo tempore urbs a Chaldæis fub Iechonia capta eft, ab eifdem fuiffe fuccenfam: fed fatis fuperque fuerit divina Baruchi auctoritas id affirmantis: & plane ita intelligendum erit, ignem quidem a Chaldæis fubiectum fuiffe, fed eo reftincto oppidum confervatum: alioqui poft annos feptem arfere Ierufchalaima. II. Reg. XXV. 9. & II. Paralipom. XXXVI. 19. Iirmei. LII. 13. Nifi quis, inquiunt, hoc fcriptum poft deportationem ultimam Tridkiiæ exaratum putet, & hic per anticipationem ab auctore hanc pericopen pofitam.

V. 3. AD AURES IECHONIAE, five *in auribus Iechoniæ*: hoc eft, audiente Iechonia. Sic deinceps. VENIENTIS AD LIBRUM. Græce: *venientium*, feu *convenientium ad librum*; id eft ad audiendum librum, feu ad lectionem libri.

V. 4. ET FILIORUM REGUM: quo nomine principes quoque regiæ ftirpis appellantur ut Daniel. I. 3. AD FLUMEN SODI. Græce: *fuper fluvium Sud*, vel *Sudi*. Acumen Iunii: *Nifi me*, inquit, *animus fallit, fluvius ille eft, qui ex Euphrate derivatus circumfluit Babyloniam una ex parte, & in paludes Chaldaicas influit: ex quo fluvius Sudi tamquam vaftati & defolati agri, appellatur: de quo in Genef.* III. *ifta commentus eft: qui Chaldaice dictus eft, Nahar Sares, id eft, diductum flumen, five ut Ptolemæus Lib.* V. *cap.* XX. *vocat, Baar Sares, Alveus, foffatumve diductum atque diftractum, qui Straboni Lib. XVI. pag.* 747. *Aborrhas; Ammiano* Lib. XXIII. cap. XI. *Marfyas, Abydeno apud Eufebium*; IV.

Præ-

Praparationis Evangelicæ, cap. IV. *Aeracanos, quia in paludes abit abundantes ramis quas Akrukam Chaldæi vocant*; *Plinio denique Lib.* VI. *Cap.* XXVI. *Narragas*, *pro eo quod est Nahar ragaz, id est, dimotus & derivatus fluvius*. *Atque hoc flumen propterea diductum sive divulsum appellatur (id enim sonat Sares Chaldæorum lingua quod in paludes Chaldaicas universim diciitur, derivatumque huc illuc in eis disperit atque consumitur*. Sed sunt hæc omnia nugæ, & futiles coniecturæ Iunii: quanto satius est, vel ignorantiam fateri, vel ex circumstantiis rerum locorumque existimare Sud esse Euphratem; sic dictum quod uber & plenus mediam Babyloniam permeet, & diductus in fossas opera incolarum agros irriget, & uberes reddat, uti Strabo, Plinius, Ammianus eisdem locis tradunt?

V. 5. QUI AUDIENTES PLORABANT, &c. Alii hunc versum ex Græco reddunt: I. *Qui plorabant, ieiunique vota faciebant Domino*. II. *Cum flentes ieiunarunt, & voverunt vota coram Domino*.

V. 6. ET COLLEGERUNT PECUNIAM, &c. Alii ex Græco: I. *Conferebant autem, prout cuique facultas ad manum erat, argentum*. II. *Congerunt pecuniam, prout uniuscuiusque potuit facultas*; id est, pecuniam earum oblationum, quæ sequentibus verbis exponuntur.

V. 7. ET MISERUNT IN IERUSALEM, &c. Alii hunc versum ex Græco reddunt: *Quam miserunt Ieruschalaima ad Ieboiakimum filium Chilkiæ, filii Schallumi sacerdotem, & ad sacerdotes alios, & ad populares omnes, qui præsentes erant cum eo Ieruschalaimis*. Hunc Ioacimum quidam sacerdotem summum faciunt, ut fuerat pater eius Chelcias II. Regum XXII. 4. Alii, non summum, sed primarium & principem sacerdotum: nam eo tempore videtur summus Sacerdos fuisse Iehotzadak, I. Paralipom. VI. 14. 15. vel pater eius Seraiah, ibidem, & II. Reg. XXV. 18.

V. 8. CUM ACCIPERET VASA TEMPLI, &c. Hunc versum sane difficilem, nec satis specie cum historia congruentem, quidam ita accipiunt: Postquam Nabuchodonosor Iechoniam & omnes principes Iudæ Babylonem adduxisset, vasaque templi aurea abstulisset II. Reg. XXIV. 13. Sedechiam tum Babylone existentem regem Iudæ ab eo creatum; cumque novus rex in Iehudæam rediturus esset, vasa argentea pro aureis in Babylonia fecisse, ut ea secum ad templi ministerium in Ierusalem comportaret. Sensumque versus hunc esse aiunt: Cum accepisset iam ipse Ioacim sacerdos, de quo agebatur, (quem credibile est eum Sedechia Babylone in Iudæam rediisse) vasa, quæ de templo sublata fuerant, reportanda in Ierusalem: non quidem eadem, neque aurea, qualia abstulerat Nabuchodonosor, sed argentea, qualia fecerat Sedechias. Iunius versum ita reddidit: *In terram Iehudæ die decimo Sivanis, ut accipiens ille restitueret vasa domus Domini, quæ elata fuerant e templo, vasa argentea, quæ curavit fieri Tzidkiia filius Ioschiiæ rex Iehudæ. Hic versus*, inquit, *ex molestissima Synchysi laborat in contextu Græco, quam nos evidentiæ causa correximus. Sensus est, deportatos collectam suam Ieruschalaimæ transmisisse, ut sacerdos magnus ex oblatione illa curaret argentea vasa fieri loco aureorum, quæ per Nebucadnetzarem fuerant exportata*, II. *Reg.* XXIV. 13. *quod postea auctoritate regis Tzidkiiæ curatum fuisse dicitur*. MENSIS SIVAN: de quo vide in Esther VIII. 9.

V. 9. ET CUNCTOS POTENTES. Traductionem vocum esse volunt; pro, ac potentes quousque vinctos. Legit auctor & *vincto*: & mihi suspicio incessit ne Græce δεσμώτας, legendum sit δεσπότας: & *dominos & potentes*. Quid Græce sit *despota*, notum est omnibus. Vide Glossarium Græco Barbarum Meursii.

V. 10. ET DIXERUNT: ECCE MISIMUS AD VOS PECUNIAM &c. Sic alloquebantur deportati Baruchum & legationem totam, quasi cum fratribus, qui in Iehudæa erant, egissent coram. ET FACITE MANNA. Alii: *& conficite munus*: illud videlicet, de quo agitur potissimum Levit. II. est enim Græce *manna*, pro *minchah*.

V. 11. ET PRO VITA BALTHASSAR FILII EIUS, id est nepotis: nam Evilmerodach fuit Nebucadnezaris filius, & huius pater, II. Reg. XXV. 27. UT SINT DIES ILLORUM, SICUT DIES CAELI SUPER TERRAM: Quidam: *ut sint dies illorum pares diebus cæli impendentes terræ*. Alii: *quo ætas eorum, ævo cæli respondeat in terra*: vel traiectione, *ut sint dies eorum super terram sicut dies cæli*: vide in Psal. LXXXVIII. 30.

V. 12. ET INVENIAMUS GRATIAM IN

CONSPECTU EORUM. Alii: *& consequamur gratiam coram eis*. Noto Hebraismo.

V. 14. ET IN DIE OPPORTUNO. Græce: *& in diebus temporis*. Quidam putant scripsisse Baruchum: *& in diebus* מועד *moghed*, id est, *stationis*, *stati temporis*, *solemnitatis*; vel *in diebus solemmibus*.

V. 15. ET DICETIS: DOMINO DEO NOSTRO &c. Alii hunc versum ex Græco reddunt: I. *Ac dicetis: Domino Deo nostro iustitia debetur, nobis autem confusio*, seu *pudor vultus, qualis est hodie in homine Iudæo, & incolis Ierosolymæ*. II. *Dicentes, Domino Deo nostro iustitiæ, nobis vero confusio vultus inest, prout est hodiernus dies, Iehudæo cuique, & habitatoribus Ieruschalaimorum*. Vide similem sententiam Daniel. IX. 7. & 8. & infra cap. II. 6.

V. 17. PECCAVIMUS ANTE DOMINUM DEUM NOSTRUM. Alii ex Græco I. *Eorum, quæ peccavimus in conspectu Domini*, iungendum cum illo vers. 15. *nobie autem verecundia facierum, eorum quæ peccavimus*. II. *Quia peccavimus*, vel *propterea quod peccavimus*. ET NON CREDIDIMUS DIFFIDENTES IN EUM. Alii: *morem non gessimus ei*; vel, *& fuimus ei immorigeri*.

V. 18. ET NON FUIMUS SUBIECTIBILES ILLI. Hæc in Græcis non habentur. Quidam hunc versum ex Græco reddunt: *Neque auscultavimus voci Domini Dei nostri, ut ambularemus in præceptis eius, quæ exposuerat in conspectu nostro*.

V. 19. ERAMUS INCREDIBILES AD DOMINUM DEUM NOSTRUM, & DISSIPATI RECESSIMUS NE AUDIREMUS VOCEM IPSIUS. Alii ex Græco: I. *repugnavimus Domino Deo nostro, & quo minus ei dicto essemus audientes, obluctati sumus*. II. *fuimus immorigeri erga Dominum Deum nostrum, cumque parvifecimus, ut non auscultaremus voci illius*. III. *rebelles fuimus adversus Dominum Deum nostrum*; vel *contumaces*: ut Daniel. IX. 9. *eiusque vocem audire pro nihilo duximus*. Verbum σχεδιάζω, *schediazo*, varie hic exponunt, *& vagabamur, negligentes fuimus, parvi fecimus, leve duximus leves eramus: temere, improvide, inconsiderate egimus*: quod quæ ex tempore, & tumultuarie fiant, eiusmodi esse soleant.

V. 20. ET ADHAESERUNT NOBIS MULTA MALA. Græce: *Et adhæserunt, impacta sunt, agglutinata sunt, in nos mala*. Vide Daniel. IX. 11. Quidam reddunt: *Quamobrem impacta sunt*: &c. Alii: *Et quamvis adhæserint* &c. Sic infra cap. III. 4. SICUT HODIERNA DIE. Alii: I. *quemadmodum constat hodierno die*. II. *ut liquido constat odie*. III. *ut hodierno die*, nempe adhuc possidemus beneficio Dei. Nam hæc dicuntur in persona eorum, qui remanserant Ieruschalaimis sub regno Tzidkiiæ. Quidam exponunt; *sicut est hodierno die*, scili. et lacte & melle manans.

V. 22. ET ABIVIMUS UNUSQUISQUE IN SENSUM &c. Hunc versum alii ex Græco explanant. I. *Sed sui quisque cordis pravi commenta, diis alienis operando, malisque ante oculos Domini Dei nostri perpetrandis, secuti sumus*. II. *Sed ambulavimus unusquisque in cogitatione cordis sui nequam, colendo deos alios, & faciendo quæ mala videntur in oculis Domini Dei nostri*. III. *Sed quisque cordis sui pravi cogitationem secutus est, ut alienos coleremus deos, malaque in oculis Domini Dei nostri committeremus*.

MENOCHII.

Vers. 1. ET HAEC VERBA. Particula *&* non semper in sacra Scriptura est copulativa, sed frequenter est inchoativa. Talem usum habet initio prophetiæ Ezechielis, & Lib. I. Mach. & alibi.

V. 2. IN ANNO QUINTO, a capta, & succensa Ierusalem. MENSIS. Non explicat cuius mensis; itaque recte nonnulli mensem primum intelligunt, qui Nisan dicebatur.

V. 3. AD AURES: in auribus, id est, publice, audiente Iechonia, & omni populo, ut Isai. XXVI. 11. Ierem. XXII. & alibi. VENIENTIS AD LIBRUM: qui ad librum hunc audiendum concurrebat.

V. 4. FILIORUM REGUM. Ita vocat principes sanguinis regii, qui cum Iechonia Babylonem ducti fuerant: Daniel. I. 3. AD FLUMEN SODI: Euphratem videtur intelligere, qui ut Chobar appellatur ab Ezechiele I. 1. quia scilicet magnus est, ita etiam dicitur *Sodi* quia superbus; hoc significat vox זד *Zud*, a qua derivatur. UNIUSCUIUSQUE MANUS, id est pro cuiusque facultate.

V. 7. AD IOAKIM: qui nimirum erat prin-

princeps sacerdotum, qui remanserant in Ierusalem; ideo enim ad eum pecunia mittitur.

V. 8. Cum acciperet, scilicet Baruch, qui vasa hæc in Ierusalem mittebat nomine populi. Vasa templi Domini, &c. non eadem illa vasa aurea, quæ de templo sublata fuerant; sibi enim ea servabat Nabuchodonosor, & postea Baltassar, ut patet ex Dan. v. 2. sed argentea, quæ vice eorum in Babylone fieri curarat Sedecias. Revocare: ad revocandum, & restituendum ea, sive ut revocarentur & restituerentur hæc vasa in Ierusalem. Sivan. Syriaca vox est, & tertium mensem anni significat, qui nostro Maio respondet.

V. 9. Postea quam cepisset, &c Nectenda sunt hæc cum illis, *quæ ablata fuerant*, versiculo præcedenti.

V. 10. Dixerunt; id est, scrisperunt ea, quæ sequuntur ad suos contribules in Ierusalem. Holocautomata, id est victimas ad offerenda holocausta. Facite manna. *Manna* est quod מנחה *mincha*, id est oblatio proprie dicta. LXX. enim pro *mincha* vertunt subinde, & scribunt *Mana*, & *Manna* ut patet Ierem. xvii. 26. & Daniel. ii. 46. relinquentes vocem מנחה intactam, sed cum aliis punctis legentes. Ad aram Domini Dei nostri: licet enim a Chaldæis iam exustum esset templum, & altare eversum; tamen Iudæi in ruinis templi erexeruut altare levi & subitario opere, ut haberent suæ religionis publicum exercitium.

V. 11. Orate pro vita Nabuchodonosor, &c. Magna Iudæorum pietas, qui pro impio Tyranno precabantur, & sacrificia offerebant. Id illis præceperat Ieremias xxix. 7. *Quærite*, inquit *pacem civitatis ad quam transmigrare vos feci*, & *orate pro ea ad Dominum*, *quia in pace illius erit pax vobis*. Et pro vita Baltassar. Videtur loqui de Baltassar tamquam de Nabuchodonosoris successore. Non tamen legimus illi successisse, sed Evilmerodach IV. Reg. xxv. 27. & Ier. lii. 31. Vel ergo Evilmerodach appellatus est etiam Baltassar, vel Nabuchodonosor præter Evilmerodach alium filium habuit, qui morte præventus ad regnum numquam pervenerit. Sicut dies caeli, id est diuturni. Ut vivat quamdiu durabit cælum. Est hyperbole. Sic Psal. lxxxviii. dicitur: *Et ponam in sæculum sæculi semen eius*, & *thronum eius sicut dies cæli*.

V. 12. Det Dominus virtutem nobis. Græce ἰσχύν, id est fortitudinem, robur, ad tolerandas captivitatis ærumnas. Illuminet oculos nostros; id est faciat nos rebus prosperis uti, & favoris sui luce perfundat, melioraque tempore, & lætiora videre faciat. Sub umbra: sub tutela. Serviamus eis. Non orant ut illis serviant; cupiebant enim potius ab eorum servitute liberari; sed optant ut illi diu regnent, illisque potius quam aliis regibus, fortasse crudelioribus serviant.

V. 14. In die opportuno: in diebus solemnibus, & statis.

V. 15. Domino Deo nostro, &c. Hoc est initium libri, quem versiculo superiori legendum mandaverat. Iustitia; scilicet, ascribatur, tribuatur; quasi dicat, Merito Domine iustus prædicaris. Confusio faciei, id est ignominia debetur. Sicut dies haec; id est, usque ad præsentem diem, qualem ignominiam, & dedecus patimur usque in præsens. Prophetis nosris: etiam veris, qualis Ezechiel, Daniel, Baruch, qui malorum populi, & communium ærumnarum participes erant.

V. 17. Ante Dominum: contra Dominum, & Domino vidente. Diffidentes in eum: quod vel nollet, vel non posset liberare a Chaldæis. Quare relicto Deo confugimus ad AEgyptios.

V. 18. Subiectibiles: subiecti, prompti, & parati ut in omnibus ei subiiceremur.

V. 19. Incredibiles: ἀπειθοῦντες, id est increduli, rebelles, contumaces. Et dissipati recessimus, &c. LXX. habent ἐν ἰσχεδιάζομεν πρὸς τὸ μὴ ἀκȣ́ειν τῆς φωνῆς αὐτοῦ: *Et statim ex tempore, ex levissima causa illum audire omisimus*. Suspicor in textu Græco LXX. virorum legendum ἐσχεδάσθημεν non ἐσχεδιάζομεν, sic enim optime inter se Græcus, & Latinus textus convenirent; nam σκεδάζεσθαι, est dissipari; quasi dicat: Dissipati sumus per varios superstitiosos idolorum cultus.

V. 20. Et adhaeserunt nobis: propterea adhæserunt nobis. Particula enim & causam significat. Verbum adhæserunt emphasim habet. Ita adhæserunt, ut illa excutere, & ab iis expedire nos non possemus.

mus. QUAE CONSTITUIT DOMINUS MOYSI, id eſt quæ per Moyſen nobis minatus eſt: Deuteronom. VIII. 19. & VII. 14. & LXXXIX. 59. 60. SICUT HODIERNA DIE: ſcilicet cernimus adhærere nobis mala. Maldonatus ad proxime dicta refert, ut ſit ſenſus, quæ uſque ad hodiernam diem fluit lacte, & melle.

V. 21. ET NON AUDIVIMUS: quia non audivimus.

V. 22. ABIVIMUS IN SENSUM CORDIS NOSTRI; id eſt fecit unuſquiſque noſtrum quidquid mali illi libuit. OPERARI DIIS ALIENIS: ſervire diis alienis.

TIRINI.

Verſ. 2. ANNO QUINTO, IN SEPTIMO DIE MENSIS primi Niſi, inquit Theodoret. Hugo, Lyranus, Toniellus. Vel potius menſis quinti, nempe præciſe eodem illo menſe & die, poſt evolutum quinquennium, quo Chaldæi Ieroſolymam igni ſuccenderant, IV. Reg. ult. verſ. 8. Et hæc circumſtantia temporis ſerviebat Prophetæ ad captandam populi attentionem ſimul & maiorem commiſerationem, inquit Vatablus & a Caſtro.

V. 3. VERBA igitur LIBRI HUIUS LEGIT BARUCH AD AURES IEKONIAE, ET POPULI VENIENTIS AD LIBRUM audiendum. Erat enim Iechonias Babylone in libera cuſtodia, ut ſolent viri principes, maxime quia ſe ultro dediderat.

V. 4. ET AURES POTENTIUM FILIORUM REGUM. Ita vocat filios Iechoniæ & cognatos, e regio ſanguine procreatos, qui una cum Iechonia *a* Babylone abducti fuerant.

V. 7. IOAKIM FILIUS HELCIAE FILII SALOM, patruus erat *Saraiæ* ſummi pontificis nuper a Nabuchodonoſore ſuſpenſi *b* ut patet ex ſerie pontificum Iudæorum in Chronico *c*. Hic cum Godolia videtur relictus Ieroſolymis, forte propter ſenium, vel quia ſeſe abdiderat: forſan & cum paucis aliis ſacerdotibus ex AEgypto *d* (metu imminentis illi regno cladis a Ieremia prædictæ) in Iudæam recurrerat. Ut ut eſt, ex hoc loco Baruch ſat conſtat, hunc Ioakin præfuiſſe hoc tempore ſacerdotibus Ieroſolymæ tunc reliquis: idcirco enim ad hunc potius, quam ad alium, remittit Baruch.

V. 8. VASA TEMPLI, CUM illa pretio per ditiores redempta a Chaldæis ACCIPERET, mitteretque *revocanda*, id eſt reſtituenda altari in loco templi Ieroſolymis levi opere inſtaurato: *vaſa*, inquam, non aurea, quæ Nabuchodonoſor ſibi detinuit *e*, ſed ARGENTEA QUAE SEDECIAS initio regni ſui FECIT, & aureis una cum Iechonia Babylonem avectis ſubſtituit. Hæc enim argentea, quia ad vulgarium Chaldæorum manus devenerat, nec erant tanti pretii, facile fuit pecunia redimere.

V. 10. MISIMUS Ieroſolymam PECUNIAS. Has in commune collegerant captivi in Babylone, iubentque ex iis emi HOLOCAUTOMATA, id eſt victimas in holocaustum offerendas Deo, MANNA, ſeu *mincha*, aliud ſacrificii genus, de quo Levitici II. I. Sæpe enim LXX e quibus Noſter hauſit, pro Hebræo *mincha* vertunt *manna f*. Utrumque ſignificat oblationem, ſeu munus in genere; licet ſpeciatim uſurpari ſoleat pro certa ſpecie oblationis, ut ibidem dixi. ET OFFERTE hoſtias PRO PECCATO. Tertium ſacrificii genus, de quo Levitici IV. AD ARAM DOMINI: quam poſt diſceſſum Chaldæorum Iudæi ſibi clam erexerant in atrio templi everſi, ad privatos potius quam ad publicos uſus, ut ſaltem haberent aliquod religionis ſuæ exercitium, ut alibi *g* dixi. Sic habuerunt etiam altare antequam conſtructum eſſet tabernaculum Moſaicum, Exodi XXIV. 4. ita Lyranus & a Lapide. Quod Daniel. III. 38. dicitur, *Non eſt in tempore hoc holocauſtum, neque ſacrificium:* intelligitur de ſolemni & publica auctoritate permiſſo ſacrificio, quale non erat quod in hoc vili & quaſi furtivo altari offerebatur. Sicut iam in urbibus hæreticorum, etſi furtive in aliqua ſubinde domo Miſſa celebretur, quia tamen id clam fit, & contra publicas leges; vere dicitur, non eſſe ibi exercitium Catholicæ religionis.

V. 11. ORATE PRO VITA NABUCHODONOSOR. Ita mandaverat illis Deus Ieremiæ XXIX. 7. Et idem ſuadet Chriſtianis S. Paulus *h*: & primis Eccleſiæ ſæculis in more fuiſſe teſtatur Tertullianus *i* & alii. SINT DIES EORUM SICUT DIES CAELI *k*, id eſt diuturni, conſtantes, tranquilli, perpetuo felices, qualis eſt vita cælicolarum.

V. 12. DET DOMINUS VIRTUTEM, ἰσχὺν,

ἰσχὺν, id est fortitudinem, robur, vires, NOBIS. ILLUMINET OCULOS NOSTROS, id est prosperitate & lætitia perfundat nos, ut alibi dixi *l*. UT SERVIAMUS Chaldæis MULTIS DIEBUS, potius quam aliis crudelioribus tyrannis.

V. 15. ET DICETIS. Hic incipit liber Baruchi, quem Babylone transmittebant Ierosolymam. DEO NOSTRO IUSTITIA: supple, tribuatur & ascribatur. Ex hac oratione (quæ protenditur usque ad vers. 8. cap. III.) multa inseruit Daniel suæ orationi cap. IX. vers. 7. & tres pueri in fornace, Daniel. III. vers. 27. ubi illa explicabimus.

V. 17. NON CREDIDIMUS, DIFFIDENTES IN DEUM: nempe quod vel non posset, vel non vellet nos a Chaldæis liberare: unde, spreto illo, confugimus ad opem AEgyptiorum, immo idolorum: unde iuste deseruit nos Deus.

V. 18. SUBIECTIBILES, id est subiecti.

V. 19. INCREDIBILES, id est increduli. DISSIPATI, id est dispersi per varia idola *m* & peccata RECESSIMUS. Græce, *leviter deflexımus* ab obedientia Deo debita.

V. 20. ET, id est propterea ADHAESERUNT NOBIS instar glutini, tot calamitates, quas CONSTITUIT, id est explicuit, DOMINUS MOYSI, & per ipsum nobis comminatus est Deuter. XXVII. & XXVIII. SICUT HODIERNA DIE: supple, cernimus vel sentimus.

V. 22. ABIVIMUS UNUSQUISQUE IN SENSUM CORDIS NOSTRI, id est secuti sumus singuli suas sensualitates. OPERARI, id est servire, seu, ut serviremus, colcremus, sacrificaremus, DIIS ALIENIS. Servorum enim est opera facere dominorum suorum: unde *operari* pro *servire* usurpari solet *n*.

(a) Dan. 1.
(b) IV. Reg. ult. vers. 18.
(c) Chronici XXIV.
(d) Ierem. LXIII. 5. &c.
(e) Daniel. V. 2.
(f) Ierem. XVII. 26. & Daniel. 11. 45. &c.
(g) Ierem. XLI. 5.
(h) I. Tim. II. 1. & II.
(i) Tertull. in Apologet.
(k) Psal. LXXXVIII. 30.
(l) Psal. IV. 7. Iob XVII. 12.
(m) Hic vers. 22.
(n) Baruch. I. 21. & 22.

GORDONI.

Vers. 1. ET HAEC VERBA, &c. Particula, *&* respondet litteræ *Vau* in Hebræo. Vau, inquam, non quidem copulativo, aut versivo, sed inchoativo ex more Hebræorum; ex quo colligi potest Hebraice extitisse tam hanc initio epistolam, quam totum librum Baruch: continet vero hæc epistola quis sit Baruch, quo anno lectus sit Babylone hic liber, & quid petant qui sunt in captivitate a Ierosolymitanis.

V. 3. ET LEGIT, &c. Erat tunc inter captivos Iechonias; sed more principum in liberiore custodia; usque ad regnum Evilmerodach: nunc vero hoc anno quinto ab excidio templi, agebatur annus captivitatis Iechoniæ decimus sextus: vide Ezech. cap. XXIX.

V. 8. CUM ACCIPERET VASA, &c. Ad sacerdotem Ioakim missa sunt Ierosolymam cum hoc libro vasa argentea quædam, quæ ditiores Iudæi in Babylonia emerant a Chaldæis. CUM ACCIPERET, scilicet, Baruch: ipse enim hæc omnia promovebat Babylone. Hæc indicant satis (vers. 10.) Iudæos Ierosolymis, novum, sed vile aliquod extruxisse altare.

V. 11. Hic Baltassar non successit Nabuchodonosoro, nisi velis vocatum etiam Evilmerodach. Vide quis sit Baltassar ultimus Babyloniæ rex in opere Chronol. qq. cap. XII. num. 3. & 6. satis habetur Ierem. XXVII.

V. 15. ET DICETIS, &c. Est hoc principium libri Baruch: exordium ante orationem duo continet, confessionem peccati coram Deo, & petitionem misericordiæ: vexatio incipit dare huic populo intellectum: durat hæc oratio usque ad vers. 9. capitis III.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Vers. 1. Initio huius capitis usque ad versum nonum, vel si mavis ad versum decimumquartum, habetur epistola Iudæorum in Babylonia, ad Iudæos qui erant Ierosolymis, congregati hoc tempore iam notato. A versu autem decimoquinto incipit

cipit liber Baruch, missus cum epistola & vasis aliquot.

Vers. 10. AD ARAM DOMINI. Cum ista sint acta post mortem Ieremiæ, & eversum templum., unde est novum hoc altare apud paucos hos qui deflexerunt ad Sionem? Certe erectum tumultuario opere ab his urbis incolis, ne carerent omni Dei cultu.



CAPUT II.

Iudæi in captivitate confitentur propter peccata sua contigisse sibi mala quæ Deus per Prophetas suos fuerat comminatus: fusis ergo præcibus petunt misericordiam, quam per Moysen fuerat pollicitus se resipiscentibus daturum.

1. PRopter quod statuit Dominus Deus noster verbum suum,
quod locutus est ad nos, & ad iudices nostros, * qui
iudicaverunt Israel, & ad reges nostros, & ad principes
nostros, & ad omnem Israel, & Iuda: 2. ut adduceret
Dominus super nos mala magna, quæ non sunt facta
sub cælo, quemadmodum facta sunt in Ierusalem, (*a*)
secundum quæ scripta sunt in lege Moysi, 3. ut man-
ducaret homo carnes filii sui, & carnes filiæ suæ. 4. Et
dedit eos sub manu regum omnium, qui sunt in circuitu nostro, in impro-
perium, & in desolationem * in omnibus populis, in quibus nos dispersit
Dominus. 5. Et facti sumus subtus, & non supra: quia peccavimus Domi-
no Deo nostro, non obaudiendo voci ipsius. 6. (*b*) Domino Deo nostro
iustitia: nobis autem, & patribus nostris confusio faciei; sicut est dies hæc.
7. Quia locutus est Dominus super nos omnia mala hæc, quæ venerunt su-
per nos: 8. & non sumus deprecati faciem Domini Dei nostri, ut revertere-
mur unusquisque nostrum a viis nostris pessimis. 9. Et vigilavit Dominus
in malis, & adduxit ea super nos: quia iustus est Dominus in omnibus ope-
ribus suis, quæ mandavit nobis: 10. & non audivimus vocem ipsius ut ire-
mus in præceptis Domini, quæ dedit ante faciem nostram. 11. (*c*) Et
nunc Domine Deus Israel, qui eduxisti populum tuum de Terra AEgypti
in manu valida, & in signis, & in prodigiis, & in virtute tua magna, &
in brachio excelso, & fecisti tibi nomen sicut est dies iste: 12. peccavimus,
impie egimus, inique gessimus, Domine Deus noster, in omnibus iustitiis
tuis. 13. Avertatur ira tua a nobis: quia derelicti sumus pauci inter gen-
tes, ubi dispersisti nos: 14. Exaudi Domine preces nostras, & orationes
nostras, & educ nos propter te: & da nobis invenire gratiam ante faciem
eorum, qui nos abduxerunt: 15. ut sciat omnis terra quia tu es Dominus
Deus noster, & quia nomen tuum invocatum est super Israel, & super ge-
nus ipsius. 16. (*d*) Respice Domine de domo sancta tua in nos, & inclina
aurem tuam, & exaudi nos. 17. (*e*) Aperi oculos tuos, & vide: (*f*) quia
non mortui, qui sunt in inferno, quorum spiritus acceptus est a visceribus
suis,

ſuis, dabunt honorem & iuſtificationem Domino: 18. ſed anima, quæ triſtis eſt ſuper magnitudine mali, & incedit curva, & infirma, & oculi deficientes, & anima eſuriens dat tibi gloriam & iuſtitiam Domino. 19. Quia non ſecundum iuſtitias patrum noſtrorum nos fundimus preces, & petimus miſericordiam ante conſpectum tuum, Domine Deus noſter: 20. ſed quia miſiſti iram tuam, & furorem tuum ſuper nos, ſicut locutus es in manu puerorum tuorum prophetarum, dicens: 21. Sic dicit Dominus: Inclinate humerum veſtrum, & cervicem veſtram, & opera facite regi Babylonis: & ſedebitis in terra, quam dedi patribus veſtris. 22. * Quod ſi non audieritis vocem Domini Dei veſtri operari regi Babyloniæ: defectionem veſtram faciam de civitatibus Iuda, & a foris Ieruſalem, 23. & auferam a vobis vocem iucunditatis, & vocem gaudii, & vocem ſponſi, & vocem ſponſæ, & erit omnis terra ſine veſtigio ab inhabitantibus eam. 24. Et non audierunt vocem tuam, ut operarentur regi Babylonis: & ſtatuiſti verba tua, quæ locutus es in manibus puerorum tuorum prophetarum, ut transferrentur oſſa regum noſtrorum, & oſſa patrum noſtrorum de loco ſuo: 25. & ecce proiecta ſunt in calore ſolis, & in gelu noctis: & mortui ſunt in doloribus peſſimis, in fame & in gladio, & in emiſſione. 26. Et poſuiſti templum, in quo invocatum eſt nomen tuum in ipſo, ſicut hæc dies, propter iniquitatem domus Iſrael, & domus Iuda. 27. Et feciſti in nobis Domine Deus noſter ſecundum omnem bonitatem tuam, & ſecundum omnem miſerationem tuam illam magnam: 28. Sicut locutus es in manu pueri tui Moyſi, in die qua præcepiſti ei ſcribere legem tuam coram filiis Iſael, 29. dicens: (g) Si non audieritis vocem meam, multitudo hæc magna convertetur in minimam inter Gentes, quo ego eos diſpergam: 30. quia ſcio quod me non audiet populus: populus eſt enim dura cervice: & convertetur ad cor ſuum in terra captivitatis ſuæ: 31. & ſcient quia ego ſum Dominus Deus eorum, & dabo eis cor, & intelligent; aures, & audient. 32. Et laudabunt me in terra captivitatis ſuæ, & memores erunt nominis mei. 33. Et avertent ſe a dorſo ſuo duro, & a malignitatibus ſuis: quia reminiſcentur viam patrum ſuorum qui peccaverunt in me. 34. Et revocabo illos in terram, quam iuravi patribus eorum, Abraham, Iſaac, & Iacob, * & dominabuntur eis: & multiplicabo eos, & non minorabuntur. 35. Et ſtatuam illis teſtamentum alterum ſempiternum, ut ſim illis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum: & non movebo amplius populum meum, filios Iſrael, a terra quam dedi illis.

(a) Deut. XXVIII. 53. (b) Sup. I. 15. (c) Dan. IX. 15. (d) Deut. XXVI. 15. Iſa. LXIII. 15. (e) Iſ. LXIV. 9. (f) Pſal. CXIII. 17. (g) Levit. XXVI. 14. Deut. XXVIII. 15.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

V. 1. *Qui iudicaverunt Israel*. Non præponas præpositionem *in* nomini *Israel*.

V. 4. *In omnibus populis*. Non præponas his verbis coniunctionem *&*

V. 22. *Quod si non audieritis*. Non interponas, *feceritis nec*, inter *non* & *audieritis*.

V. 34. *Et dominabuntur eis*. Vitium typographicum est hic in autografo Romano, dativi pluralis *eis* pro genitivo singulari *ejus* scilicet terræ.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. PROPTER QUOD. Græc. καὶ, &; itemque Hebraice, apud Daniel. cap. IX. 12. ubi hæc eadem sententia legitur. Noster interpres recte vertit, *Propter quod*; quia quamvis coniunctio sit natura sua copulativa, hoc loco causam significat, ut capite precedenti vers. 20. quamvis & illic, & apud Danielem verterit, *Et*. STATUIT VERBUM SUUM; id est, fecit ut nobis eveniret quod nobis prædixerat. Hebraismus est, חקים, *surgere fecit*, *suscitavit*, ut Daniel. IX. 12. ויקם דבריו, *& excitavit*, *& statuit verba sua*; & hoc ipso cap. vers. 24. καὶ ἔστησας τοὺς λόγους σου, *& statuisti verba tua quæ locutus es*. Suscitare verbum frequenter hoc sensu dicitur, ut III. Regum. XII. 15. & IV. Reg. XXIII. 3. Is. XLIV. 26. Ier. XXVII. 6. & XIX. 10. & XXXIII. 14. QUOD LOCUTUS EST AD NOS, quod nobis, aut contra nos minatus est in lege: Deuter. VIII. 19. & XXVII. 14. 15. &c. & XXVIII. 59. 60. AD OMNEM ISRAEL, καὶ ἐπὶ ἄνθρωπον Ἰσραὴλ, καὶ Ἰούδα, *Ad hominem Israel, & Iuda*.

V. 2. UT ADDUCERET: להביא: Daniel. IX. 22. *ut superinduceret in nos magnum malum*. QUAE NON SUNT FACTA; qualia non sunt facta ὑποκάτω παντὸς τοῦ οὐρανοῦ, *sub omni cælo*, id est, ullo in loco sub cælo: ut apud Danielem: תחת כל השמים. SECUNDUM QUAE SCRIPTA SUNT; id est, quæ Deus super nos adduxit, similia sunt iis, quæ scripta sunt in lege Mosis adversus eos, qui legem non servant, Deuteronom. VIII. 15. & XXVII. 14. 15. &c. & XXVIII. 59. 60.

V. 3. UT MANDUCARET HOMO. Hebraismus; pro, *unusquisque*, איש, quod clarius apparet Græc. τοῦ φαγεῖν ἡμᾶς ἄνθρωπον σάρκας υἱοῦ αὐτοῦ, καὶ ἄνθρωπον σάρκας θυγατρὸς αὐτοῦ; ad verbum: *Edere nos hominem carnes filii sui, & hominem carnes filiæ suæ*; id est, ut ederemus sui quisque filii, & suæ quisque filiæ carnes: vel, alius carnes filii sui, alius carnes filiæ suæ. Hoc in obsidione Ierosolymitana factum esse constat ex lamentationibus Ierem. cap. II. 20. &c. IV. 10.

V. 4. ET DEDIT EOS: καὶ ἔδωκεν αὐτοὺς ὑποχειρίους, *& subiecit illos omnibus regnis*: quia aliquando a Chaldæis, aliquando ab Assyriis, aliquando ab AEgyptiis Iudæi bellis vexabantur. IN OMNIBUS POPULIS. Græc. ἐν πᾶσι τοῖς λαοῖς τοῖς κύκλῳ ἡμῶν, οὗ διέσπειρεν αὐτοὺς κύριος ἐκεῖ, *in omnibus populis, qui in circuitu nostro sunt, ubi dispersit eos Dominus, ibi*, id est, per quos Dominus eos dispersit: usitatus Hebraismus, sententia est Dan. IX. 7.

V. 5. ET FACTI SUMUS. Græc. καὶ ἐγενήθησαν, *& facta sunt*, patres nostri: quamquam sensus idem est. Aliquando enim de Iudæis per tertiam, aliquando per primam personam loquitur, quia & ipse Iudæus erat. SUBITUS, ET NON SUPRA. Alludit ad illud Deuteronom. XXVIII. 13. *Constituet te Dominus in caput, & non in caudam: & eris semper supra, & non subter: si tamen audieris mandata Domini Dei tui, quæ ego præcipio tibi hodie, & custodieris & feceris*. Et vers. 43. *Advena, qui tecum versatur in terra, ascendet super te: eritque sublimior: tu autem descendes, & eris inferior*. Esse autem supra, est dominari; esse subtus, est servire, Hebræorum idiomate. Idem significat, Esse in caput, &

esse

esse in caudam, ut Thren. I. 5. *Facti sunt hostes eius in capite, inimici eius locupletati sunt*. QUIA PECCAVIMUS. Mutat personam servato sensu.

V. 6. DOMINO DEO NOSTRO. Vide explicationem cap. praecedenti vers. 15.

V. 7. QUIA LOCUTUS EST. Propterea iustitia illi tribuenda, quia prius admonuit nos, quam puniret. Videtur noster interpres legisse ὅτι, *quia*, aut existimasse ἃ caussam denotare. Nunc in omnibus exemplaribus legimus, ἃ ἐλάλησεν, *quae locutus est Dominus, ea omnia nobis evenerunt*; id est, omnia quae nobis comminatus fuerat, ut vers. I.

V. 8. ET NON SUMUS DEPRECATI FACIEM. Hebraismus; id est, non sumus Deum precati supplices prostrati ante conspectum eius, ut Psalm. XLIV. 13. *Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis*: & CXVIII. 58. *Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo*. Idem Iob XI. 19. & Ierem. XXVI. 19. & Zachar. VII. 2. & VIII. 21. 22. UT REVERTEREMUR, id est rogantes eum, ut converteret nos. Nemo enim potest sine gratia Dei a peccatis desistere, ut Thren. V. 21. *Converte nos Domine ad te, & convertemur*.

V. 9. ET VIGILAVIT DOMINUS; id est, acceleravit mala, eaque citius quam putabamus, nobis induxit. Similis Hebraismus, Ierem. I. 12. *Bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo, ut faciam illud*, & cap. XXXI. 28. *Et sicut vigilavi super eos, ut evellerem & demolirer, & dissiparem, & disperderem, & affligerem: sic vigilabo super eos, ut aedificem, & plantem*, & cap. XLIV. 27. *Ecce ego vigilabo super eos in malum, & non in bonum*, & Daniel. IX. 14. unde haec sententia sumpta est, *Et vigilavit Dominus super malitiam, & adduxit eam super nos*. QUIA IUSTUS EST DOMINUS, id est fidelis; facit enim, quod promittit: idem apud Danielem ibidem.

V. 10. ET NON AUDIVIMUS, id est non obedivimus, ut vers. 5. & Daniel. IX. 10. UT IREMUS, ut ambularemus in praeceptis eius. QUAE DEDIT ANTE FACIEM NOSTRAM. Dare, aut ponere ante faciem, aut in conspectu, aut coram, Hebraismus est idem significans, quod relinquere, aut ponere aliquid in eius potestate; vel, dare eius optionem alicui, ut Deuteron. XXX 15. *Considera, quod hodie posuerim in conspectu tuo vitam & bonum; & e contrario mortem & malum*. Ita intelligendum illud, quod scriptum est Eccl. XLV. 6. *Dedit illi coram praecepta*. Sic enim legendum, ut eo loco adnotavimus.

V. 11. ET NUNC DOMINE. Vide Daniel. cap. IX. 15. SICUT EST DIES HAEC. Saepe hunc Hebraismum explicavimus, ut cap. praecedenti XV. 20.

V. 12. PECCAVIMUS. Solent Hebraei, cum peccata sua exaggerare volunt, haec tria verba coniungere. Peccare, iniuste agere, iniquitatem facere, ut Iudith. VII. 19. & Psalm. CV. 6. *Peccavimus cum patribus nostris, iniuste egimus, iniquitatem fecimus*, & Daniel IX 5. *Peccavimus, iniquitatem fecimus, impie egimus*. IN OMNIBUS IUSTITIIS TUIS, id est contra omnia mandata tua, ἐπὶ πᾶσι τοῖς δικαιώμασίν σου, *in omnibus iustificationibus tuis*. Quod clarius dixit Daniel cap. IX. 5. *Et recessimus, & declinavimus a mandatis tuis, ac iudiciis*. Vocantur praecepta Dei חוקים, quod Sept. solent vertere δικαιώματα, noster interpres iustitias, aut iustificationes, quia eorum observatione homines iustificantur, quidquid haeretici delirent.

V. 13. UBI DISPERSISTI NOS: οὗ διέσπειρας ἡμᾶς ἐκεῖ, *ubi dispersisti nos ibi*, id est apud quas dispersisti nos: Hebraismus, qualis supra vers. 4.

V. 14. EDUC NOS. Libera nos ab ista servitute, non nostris quidem meritis, quae nulla sunt; sed tua misericordia, quae magna est, & concede ut gratiam inveniamus apud Chaldaeos, qui nos captivos abduxerunt, ut bene ab illis habeamur. Gratiam invenire, id est inire, frequens est Hebraismus, ut cap. superiori vers. 22.

V. 15. UT SCIAT: ut re ipsa ostendas te Deum nostrum esse, nec possint Gentes dicere, *Ubi est Deus eorum?* ut Psal. LXXVIII. 10. & CXIII. 20. ET NOMEN TUUM INVOCATUM EST SUPER ISRAEL, id est ut sciat te non sine caussa Deum Israelis, & omnium Iudaeorum appellari. Hoc significat phrasis Hebraica, ut Ierem. XIV. 9. *Tu autem in nobis es Domine, & nomen tuum invocatum est super nos, ne derelinquas nos*. Potest etiam phrasis significare idem, quod Deum colere, ut Ierem. VII. 11. 14. 30. & XXXII. 34. Domus, in qua invocatum est nomen tuum, id est

ubi colebaris, quia qui Deum colit, eum invocat. Et Daniel IX. 18. 19. *Nomen tuum invocatum est super civitatem.*

V. 16. DE DOMO SANCTA TUA, id est de templo. Loquitur de Deo, quasi in templo habitaret. Alii, *ex sanctuario tuo*: propter repetitum articulum, ἐκ τοῦ οἴκου τοῦ ἁγίου. Omisit noster interpres, aut scriptorum negligentia excidit, quod Græce legitur, καὶ ἐννόησον εἰς ἡμᾶς, *& attende in nos*, hoc est, curam nostri habe.

V. 17. APERI OCULOS TUOS. Significat Deum quodam modo dormire, aut connivere. ET VIDE, id est considera, quod sequitur: QUIA NON MORTUI, QUI SUNT IN INFERNO. Infernum vocat omnem inferum locum, ubi tunc mortui tenebantur; sive damnatorum, sive purgatorium, sive ubi sancti patres commorabantur. QUORUM SPIRITUS, id est quorum animus a corpore separatus est. Græc. ὧν ἐλήφθη τὸ πνεῦμα αὐτῶν, *quorum acceptus est spiritus ipsorum*: redundat alterum relativum Hebræorum more. DABUNT HONOREM. Græc. δόξαν, *gloriam*, id est non glorificabunt, iustum prædicabunt Dominum. Simile illud Psal. CXIII. 26. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum*, & Psal. VI. *In inferno autem quis confitebitur tibi?* & Eccl. XVII. 26. *A mortuo quasi nihil periit confessio*. Quibus locis novi hæretici ad refellendum Sanctorum patrocinium imperite abutuntur. Si enim putant sensum esse, mortuos non posse Deum laudare, quia nihil sunt, plane sunt athei: si, quia nolunt, ut id de damnatis vere dicant; beatis iniuriam faciunt: si, quia non possunt, contradicit Ioannes in Apocal. cap. V. 14. qui viginti quatuor illos seniores vidit Deum collaudantes. His ergo locis duo tantum significantur: alterum est, mortuos non posse ore, ac lingua Deum laudare, quia & os, & lingua, & totum corpus ipsorum in pulverem redactum est: quod indicat Ecclesiasticus, cum dicit, *A mortuo quasi nihil*, id est tamquam ab eo, qui nihil est, *periit confessio*, & David Psalm. XXIX. 10. *Numquid confitebitur tibi pulvis?* Alterum est, mortuos non laudare propter nova beneficia, quæ quotidie a Deo recipiant, dum ab eo, miseriis, in quibus sunt, mirabiliter liberantur, sicut accidit viventibus. Hoc est, quod ait David Psalm. LXXXVII. 11. *Numquid mortuis facies mirabilia: aut medici suscitabunt, & confitebuntur tibi?* Atque hoc ipsum hoc loco vers. sequenti declaratur.

V. 18. SED ANIMA QUAE TRISTIS EST SUPER MAGNITUDINEM MALI, id est propter magnitudinem. Græc. ἀλλὰ ἡ ψυχὴ ἡ λυπουμένη ἐπὶ τὸ μέγεθος, ὃ βαδίζει κύπτον καὶ ἀσθενοῦν. Sunt qui putent locum esse corruptum, quod ego non credo: sed interpretor ad hunc modum, *Sed anima, quæ affligitur, propter magnitudinem, quæ* (magnitudo) *incurva, & infirma vadit*; id est, anima, quæ mole corporis labescente, atque infirma deprimitur, ut dicitur aliis verbis Sapient. IX. 15. *Corpus quod corrumpitur aggravat animam: & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*. ET OCULI DEFICIENTES, præ fame, aut præ lacrymis, ut Psal. LXVIII. 4. *Defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum*, & Psalm. CXVIII. 82. *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum*, & vers. 123. *Oculi mei defecerunt in salutare tuum*.

V. 19. NON SECUNDUM IUSTITIAS; id est, non propter iustitias, non confisi iustitiis patrum nostrorum, οὐκ ἐπὶ τὰ δικαιώματα. Nam ἐπὶ posuit pro על Hebraico, quod est Dan. IX. 18. כי לא על צדקותינו *neque enim in iustificationibus nostris*, aut propter iustitias nostras, *prosternimus preces ante faciem tuam*. FUNDIMUS PRECES. Græc. καταβάλλομεν τὸν ἔλεον ἡμῶν, *abiecimus miseriam nostram*, id est deprecamur a te miseriam nostram; vel miserationem nostri a te supplices postulamus. Daniel dixit cap. IX. 18. אנחנו מפילים תחנונינו לפניך, *nos prosternimus preces nostras ante faciem tuam*. Prosternere preces ante faciem aut conspectum alicuius, frequens est Hebraismus: significat autem suppliciter aliquem orare prosternendo sese ad eius pedes, ut Ierem. XXXVIII. 26. & XLII. 9. & Daniel IX. 18. 20.

V. 20. SED QUIA MISISTI; quasi dicat: Non fundimus ante te preces nostras, quod in iustitia patrum nostrorum confidamus: sed quod urgeamur, atque cogamur, dum a te affligimur. IN MANU PUERORUM, id est per servos tuos Prophetas, uterque est Hebraismus, ut Ierem. L. 1.

V. 25. INCLINATE HUMERUM. Testimonium, quod hic citat Baruch, est apud Ierem. cap. XXVII. 8. 11. 12. ubi duobus ver-

verbis utitur, תחת *supponere*, & חכיא *submittere*: כעל מלך כבל צוארן, *collum suum*, aut, *cervicem suam sub iugum regis Babylonis*. Quo modo Baruch hoc loco Hebraice dixerit, ignoramus, non enim verba, sed sententiam Ieremiæ posuit. Noster interpres, videtur ex Septuag. non ex Hebræo transtulisse, legisseque, κλίνατε τὸν ὦμον ὑμῶν, *Inclinate humerum vestrum*, quamvis nunc in plerisque exemplaribus vitiose legatur, τὸν, νόμον ὑμῶν, quod miror aliquos Sept. interpretum interpretes non emendasse. ET OPERA FACITE, ἐργάσασθε, *& operamini*, id est servite, ut cap. I. vers. 22. & apud Ierem. עבדו *servite*.

V. 22. & 23. DEFECTIONEM VESTRAM, id est faciam vos deficere: Ierem. sic dicit cap. XXVII. 8. *Gens autem & regnum, quod non servierit Nabuchodonosor regi Babylonis; & quicumque non curvaverit collum suum sub iugo regis Babylonis, in gladio & in fame, & in peste visitabo super gentem illam, ait Dominus: donec consumam eos in manu eius*. Sept. hinc incipiunt versum 23. & aliter legunt, ἐκλείψειν ποιήσω ἐκ πόλεων Ἰούδα καὶ ἔξωθεν Ἱερουσαλὴμ φωνὴν εὐφροσύνης καὶ φωνὴν χαρμοσύνης, *Defectionem faciam de civitate Iuda, & deforis Ierusalem vocem lætitiæ, & vocem gaudii*, id est, deficere faciam vocem lætitiæ, & vocem gaudii; quamquam fortasse Sept. non verterunt ἔκλειψιν, sed ἐκλείψειν ποιήσω, *deficere faciam*. Civitatem Iuda vocat Ierusalem, quia Iudææ metropolis erat. De foris autem Ierusalem ceteras civitates illi subiectas, & suburbanas. Est autem hoc testimonium apud Ierem. cap. VII. 34. & cap. XVI. 9. & cap. XXV. 10. quod Ezech. aliis verbis dixit, cap. XXVI. 13. *Et quiescere faciam multitudinem canticorum tuorum, & sonitus cythararum tuarum non audietur amplius*. ET ERIT OMNIS TERRA SINE VESTIGIO; id est, non cernetur in tota terra ullum vestigium hominis, quia nemo erit, qui eam transeat. Græc. καὶ ἔσται πᾶσα ἡ γῆ εἰς ἄβατον, *& erit omnis terra in desolationem*, aut in invium: apud Ierem. cap. VII. 34. לחרבה, *in desolationem*, ubi Sept. verterunt, εἰς ἐρήμωσιν, *in vastationem*, & cap. XXV. 11. להרבה לשמה, *in desolationem, & vastationem*. Sept. εἰς ἀφανισμὸν, *in abolitionem*. AB INHABITANTIBUS EAM, id est defectu hominum, qui eam inhabitent. Hebraismus est, מיושבים בה.

V. 24. ET NON AUDIERUNT: patres nostri. Græce καὶ οὐκ ἠκούσαμεν, *& non audivimus*, id est non obedivimus. ET STATUISTI; id est, idcirco fecisti, ut reipsa nobis evenirent, quæ comminatus nobis fueras per Prophetas. Hebr. הקימות, *suscitasti*, ut supra vers. I. IN MANIBUS PUERORUM, id est per servos tuos Prophetas. Duplex Hebraismus, ut vers. 20. UT TRANSFERRENTUR, id est ut non sepelirentur in sepulcris patrum suorum; sed in terra aliena morerentur: aut, *ut transferrentur*, id est effoderentur, & insepulta relinquerentur sub dio, ut prædixit Ierem. cap. VIII. 12. *In illo tempore, ait Dominus, eiicient ossa regis Iuda, & ossa principum eius, & ossa sacerdotum, & ossa Prophetarum, & ossa eorum, qui habitaverunt Ierusalem de sepulcris suis. Et expandent ea ad Solem, & Lunam, & omnem militiam cæli, quæ dilexerunt, & quibus servierunt*. Quod a Chaldæis factum esse creditur, ut thesauros quærerent, quibuscum Iudæorum reges sepeliri consueverant. Qui vertunt ἐξενεχθῆναι ut alio deportarentur, non mihi placent, nam hic locus per locum Ieremiæ interpretandus est.

V. 25. IN DOLORIBUS PESSIMUS: ἐν πόνοις πονηροῖς, *in laboribus laboriosis*, id est durissima oppressi servitute. ET IN EMISSIONE, id est in exilio, in dispersione. Græc. ἐν ἀποστολῇ: Ieremias solet dicere לזועה: *in commotionem*. Alludit enim Baruch ad Prophetiam Ierem. cap. XXXIV 7. *Ecce ego prædico vobis libertatem, ait Dominus, ad gladium, ad pestem, & ad famem, & dabo vos in commotionem cunctis regnis terræ*.

V. 26. ET POSUISTI, id est redegisti in eum statum, quo hodierno die est. Heb. נתת: Gr. non est, *templum tuum*, sed, τὸν οἶκόν σου, *domum tuam*. IN QUO INVOCATUM EST, id est, ubi colebaris ut Ierem. VII. 10. 11. 14. 30. & XXV. 29. & XXXII. 34. IN IPSO, relativum redundans Hebræorum more.

V. 27. SECUNDUM OMNEM BONITATEM TUAM, id est secundum benignitatem, qua semper uteris. Gr. κατὰ πᾶσαν ἐπιείκειάν σου. Est autem ἐπιείκεια, iuris benignitas; quasi dicat: Non egisti nobiscum summo iure; si enim summo iure egisses, penitus nos abolevisses. Hoc enim est quod per Ieremiam Deus promiserat IV. 27. *Deserta erit omnis terra, sed tamen consummationem non faciam*,

siam, & cap. v. 10. *Ascendite muros eius, & dissipate; consummationem autem nolite facere*. Hoc ipsum ait Ierem. Thren. III. 22. *Misericordia Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes eius. Cum enim iratus fueris, misericordiæ recordaberis*, Habacuc. III. 2. & Psal. LIX. 3. *Iratus es, & misertus es nobis*. Alius potest esse sensus, ut ipsam punitionem misericordiam Dei vocat, quia per eam factum est, ut populus peccata sua recognosceret, & Dei misericordiam imploraret, ut videtur declarari vers. 31. 32. 33. *Et laudabunt me in terra captivitatis suæ, & memores erunt nominis mei. Et avertent se a dorso suo duro, & a malignitatibus suis*.

V. 28. IN MANU PUERI, id est per servum tuum Moysem. Duplex Hebraismus, ut vers. 20. & 24. CORAM FILIIS ISRAEL, id est ut eam in libertate filiorum Israel poneres. Quid hæc phrasis significet, supra exposuimus vers. 10.

V. 29. MULTITUDO HAEC MAGNA. Gr. ἢ μὴν ἡ βόμβησις ἡ μεγάλη, ἡ πολλὴ αὕτη ἀποςρέψει εἰς μικρὰν ἐν τοῖς ἔθνεσιν. *Profecto multitudo hæc magna, & copiosa instar examinis apum, redigetur in parvam inter Gentes*. Alludit ad locum Deut. XXVIII. 62. *Et remanebitis pauci numero, qui prius eratis sicut astra cæli præ multitudine, quoniam non audisti vocem Domini Dei tui*, non enim refert verba, sed sensum. QUO EOS DISPERGAM, οὗ διασπερῶ αὐτοὺς ἐκεῖ, *ubi dispergam eos ibi*. Abundat, *ibi*, more Hebræorum.

V. 30. QUIA SCIO. Hæc verba nusquam apud Moysem legimus, quamvis sæpe legamus, populum vocem Domini non audivisse, ut Deut. I. 43. & IX. 13. quod autem sequitur, POPULUS EST ENIM DURA CERVICE, legimus Exod. XXXIII. 3. & Deut. IX. 13. ET CONVERTETUR AD COR SUUM, id est resipiscet, vexatio dabit illi intellectum, Isai. XXVIII. 19. *Cum* enim *occideret eos quærebant eum, & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum*, Psalm. LXXVII. 34. Hoc est quod Deus per Ier. prædixerat, cap. II. 27. *Verterunt ad me tergum, & non faciem & in tempore afflictionis suæ dicent, Surge, & libera nos*. Testimonium autem hoc sumptum est ex Levit. cap. XXVI. vers. 39. 40. 41. *Propter peccata patrum suorum, & sua affligentur, donec confiteantur iniquitates suas, & malorum suorum recordentur*: & Deut. IV. 30. *Postquam te invenerint omnia, quæ prædicta sunt, novissimo tempore reverteris ad Dominum Deum tuum, & audies vocem eius*.

V. 31. ET DABO EIS COR. Nec hæc verba apud Moysem leguntur, quamvis simile quiddam legatur, Deuter. XXX. 6. *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui: ut diligas Dominum tuum in toto corde tuo*. Coniungit autem cum testimoniis Moisis testimonia Prophetarum. Hæc enim verba non sunt nisi apud Ezech. cap. XXXVI. 25. 26. qui posterior fuit, tamen a Baruch eodem spiritu prædicebantur.

V. 32. ET LAUDABUNTUR ME. Neque hæc legimus.

V. 33. ET AVERTENT SE A DORSO SUO DURO. Hebraismus, pro, relinquent contumaces suos mores. Per dorsum contumacia, & durities morum significatur, sicut per cervicem, ut Psalm. LXVIII. 24. *Et dorsum eorum semper incurva*. Neque hæc verba alibi legimus. QUIA REMINISCENTUR. Græc. ὅτι μνησθήσομαι, *quia reminiscar*. Noster interpres legit μνησθήσονται, *reminiscentur*, ut etiamnum in aliis, Græcis exemplaribus legitur; sensusque est melior.

V. 35. ET STATUAM: hæc ex Ieremia sumpta sunt cap. XXXI. 31. 32.

S A.

Vers. 1. STATUIT, id est executus est.
Vers. 4. Eos, scilicet de quibus sup. MANU, id est potestate.

V. 6. IUSTITIA. Vide sup. cap. I. EST DIES HAEC, id est apparet hodie.

V. 8. UT REVERTEREMUR, id est animo revertendi.

V. 9. VIGILAVIT, scilicet qui videbatur dormire.

V. 10. ANTE FACIEM NOSTRAM, id est palam; nec enim possumus excusare ignorantiam.

V. 12. IUSTITIIS, id est præceptis.

V. 15. INVOCATUM, &c. quasi dicat, Quod Israel te coluit, & nos eius posteri.

V. 16. DOMO, scilicet cælo.

V. 17. INFERNO, id est sepulcro. SPIRITUS, id est anima. IUSTIFICATIONEM, id est iustitiam, quasi dicat. Te iustum prædicabunt.

V. 18. INFIRMA, id est agnoscens suam infirmitatem; vel, ex castigatione corporis debilis. ESURIENS, scilicet iustitiam, vel abstinentia se macerans.

V. 20. PUERORUM, id est servorum.

V. 21. OPERA FACITE, id est servite.

V. 22. DEFECTIONEM, &c. quasi dicat, Faciam vos deficere.

V. 23. AB INHABITANTIBUS, id est ob defectum inhabitantium.

V. 25. EMISSIONE, id est exilio.

V. 26. HAEC DIES, id est apparet hodie, scilicet destructum.

V. 27. FECISTI; pro, facies.

V. 35. ALTERUM. Id plane pertinet ad Testamentum novum, scilicet. Legis Evangelicæ: nam etiam sempiternum dicitur, & additur, non movendum loco amplius populum: certe enim Iudaicus per Romanos postea valde motus est, Deo puniente.

E S T I I.

Nulla Annotatio.

L A N S S E L I I.

Vers. 1. PROPTER QUOD SUATUIT. Græce, ϰ ἔστησεν, *& statuit*; sed idem est sensus; ϰ enim respondet *vau* causali, ut dixi cap. I. 20. 21. Notandum vero est, *statuit* significare hoc lovo *stare fecit*, *stabilivit*, *excitavit*, sicuti apud Daniel. IX. 12. *& statuit sermones suos*, id est ipso eventu confirmavit: respondet Hebræo קום *koum*, quod in *Piel*, seu verbo activo קים *kiiiem* significat *erexit*, *stabilivit*, sicuti in *Hiphil* seu altera verbi activi forma הקים *hekim*; ideo Septuaginta reddunt ἐγείρω *excito*, ἐξεγείρω *suscito*, κυρόω *confirmo*, πιστόω *fidele præsto*, &c.

V. 2. IN LEGE MOYSI, id est similia illis quæ Moyses comminatus est legis prævaricatoribus. Deut. XXVII. & XXVIII. 53. *Et comedes fructum uteri, & carnes filiorum tuorum & filiarum tuarum, quas dederit tibi Dominus Deus tuus in angustia & vastitate qua opprimet te hostis tuus*. Iudæos carnes filiorum & filiarum comedisse in obsidione Ierosolymitana, patet ex Thren. II. 20. & cap. IV. 10. Et quamvis Libro IV. Reg. cap. XXV. & II. Paralip. XXXVI. ubi agitur de obsidione Ierusalem per Nabuchodonosorem, nulla tantæ famis sit memoria, *tamen credendum est*, ait Lyranus, *hoc factum fuisse, ut dicit hic Propheta Baruch* (addo, & antea eius præcepto in Threnis) *quia non omnia sunt in illis libris scripta*. Unde corrigendus Vatablus, qui negat ullam esse in Scriptura huius tantæ atrocitatis mentionem.

V. 4. ET DEDIT EOS SUB MANU, id est subiecit eos omnibus Regibus vicinis: modo enim ab Egyptiis, modo ab Assyriis, modo a Chaldæis, modo a Syris sub iugum mittebantur. IN IMPROPERIUM, ET IN DESOLATIONEM. Græce, εἰς ὀνειδισμὸν, ϰ εἰς ἄβατον, *in improperium, & in invium*: idem est sensus, quia in desolatione seu vastatione nullus aditus recessusque hominibus relictus est. IN QUIBUS NOS DISPERSIT DOMINUS, id est quo; est Hebraismus, expressus in Dan. IX. 7. *His qui prope sunt, & his qui procul in universis terris*, אשר הדחתם שם *aser biddachtam sam, ad quas eiecisti eos* (illuc.) Adverbium hoc omisit Vulgata. Sept. habent ἐκεῖ: sic etiam habent hic, & vers. 13.

V. 5. ET FACTI SUMUS SUBTUS. Deut. XXVIII. 13. *Constituet te Dominus in caput, & non in caudam; & eris semper supra, & non subter; si tamen audieris mandata Domini*, id est semper eris dominus, & numquam servus: ergo Baruch simili phrasi indicat, Iudæos e summa Regni dignitate, quam consecuti erant tempore Iosue, Davidis, Salomonis, delapsos esse propter peccata sua in abiectissimam servitutem.

V. 7. QUIA LOCUTUS EST. Verum quidem est, omnes Græcos Codices habere ἃ ἐλάλησεν, *quæ locutus est*, tamen dicendum est, vel ἃ relativum positum esse pro coniunctione ὅτι, *quia*, sicuti apud Hebræos אשר *aser* est relativum, & nihilominus frequenter sumitur pro coniunctionibus *ut, quia, si, cum, & quando*: vel Interpretem nostrum legisse ὅτι, & sane clarior erit connexio; quasi dicat: Ideo nobis & patribus nostris confusio faciei, & Deo iustitia: quia Etsi Deus nobis omnia mala hæc comminatus fuerit per Moysen & Prophetas, tamen non sumus deprecati faciem eius ut reverteremur a viis nostris pessimis.

V. 9 ET VIGILAVIT DOMINUS. Theodoretus: *Evigilationem Dei vocat vindictam, nam Scriptura divinæ mos est, longanimitatem eius appellare somnum*. Similis Hebraismus

ismus Ierem. I. 12. & XXXI. 28. & XLIII. 27. & Danielis IX. 14. unde hæc sententia sumpta est.

V. 10. QUAE DEDIT ANTE FACIEM NOSTRAM. Hebraismus significans, vel quæ nostræ libertati reliquit; vel potius communis & familiaris modus loquendi, significans Deum ita clare & manifeste præcepta sua nobis proposuisse, ut nullam possimus ignorantiam prætexere.

V. 11. ET FECISTI TIBI NOMEN; id est, per prodigia facta in eductione populi ex Egypto, & deductione per desertum, gloria tua totum orbem pervagata est. Olympiodorus: Κατὰ τὰ διηνεκῆ σου θαυμάσια. τῶν γὰρ προφήτῃ καὶ πᾶσι τοῖς ἁγίοις οὐ διαλιμπάνει θαυματουργῶν ὁ Θεὸς. ἀλλ' ἀεὶ θαυμαστὸς παρ' αὐτοῖς. εἰ μὴ ποιήσῃ σημεῖα οὐ θαυμάζεται: quæ verba sic verto & expleo: *Iuxta continua mirabilia tua; apud Prophetam enim & omnes Sanctos non desinit mira operans Deus, sed semper apud illos mirabilis; nisi signa fecerit, admirationi non est*; scilicet παρ' ἄλλοις, *apud alios*; id est, Deus apud vulgus tantum admirationi est, cum signa ostendit; sed apud viros sanctos semper est admirationi, etsi prodigium aliquod novum non exhibeat; quia omnia eius opera sunt admiranda, ipseque in illis conservandis & producendis maxime admirandus, propter suam infinitam potentiam, bonitatem, sapientiam quæ in ipsis elucent. Interpres sic verterat: *Per ea quæ continentur patrasti mirabilia: in gratiam enim Prophetæ & Sanctorum omnium Deus non desinit mira efficere, sed semper in ipsis mirabilis est: nisi ostendat signa, admirationi non est.*

V. 12. IN OMNIBUS IUSTITIIS TUIS. Græce, ἐπὶ πᾶσιν τοῖς δικαιώμασίν σου, Mandata Dei vocantur *iustitiæ*, quia præscribunt id quod iustum est, & quia eorum observatione homines iustificantur, iuxta S.Thom. 1. 2. quæst. 100. art. 12. seu δικαιώματα, cuius dictionis proprietatem apposite ad nostram mentem explicat Aristoteles, dum dicit: Ἀδύνατον ἀδικεῖσθαι μὴ ἀδικοῦντος, δικαιοῦσθαι μὴ δικαιοπραγοῦντος: *Fieri nequit aliquem iniuriam accipere, nisi aliquis eam inferat; neque aliquem id quod iustum est accipere, nisi aliquis id quod æquum est agat*. Brevitati studeo, alioquin pluribus evincerem, hæreticos frustra reprehendere Interpretem nostrum, quod δικαίωμα, & similia reddat *iustitia*.

V. 16. RESPICE DOMINE DE DOMO SANCTA TUA. Incertus in Catena: Τὸν ναὸν φησι τὸν ἐν Ἱερουσαλὴμ, ᾧ μόνῳ Θεὸς ἐπεφαίνετο, ἀνθρωπίνως εἶπεν, ὡς τοῦ Θεοῦ τοὺς ἡμαρτηκότας οὐ βλέποντος: *Templum dicit Ierosolymitanum, in quo solo Deus apparebat. Humano more locutus est, veluti Deo peccatores non inspiciente*. Iudæi ad templum conversi orabant, ut patet Dan. VI. 10.

V. 17. APERI OCULOS TUOS. Theodoretus: *Solent molestia aliqua affecti claudere oculos, statim ut conspecti fuerint illi, qui iniuriam fecerunt: & pupillas oculorum avertere, dum ii qui iniuria eos affecerunt, precantur. Hæc igitur posuerunt, humano more loquentes. Numen enim divinum non est comprehensibile*. QUIA NON MORTUI; QUI SUNT IN INFERNO; id est, neque illi qui sunt in gehenna æterna, neque qui sunt in temporanea seu purgatorio, neque qui sunt in limbo, glorificabunt & iustum prædicabunt Dominum, ore scilicet, ac lingua, quia corpore carent, aut cum quotidie novum a Deo non accipiant beneficium, non provocantur ad gratiarum actiones, sicuti viventes qui quotidie plurima recipiunt beneficia.

V. 18. SED ANIMA, QUAE TRISTIS EST. Græce, Ἀλλ' ἡ ψυχὴ ἡ λυπουμένη ἐπὶ τὸ μέγεθος, ὃ βαδίζει κύπτον καὶ ἀσθενοῦν. Editio Romana: *Sed anima quæ tristatur in magnitudinem, qui incedit curvus & infirmus*. In notis significatur deesse τὸ πνεῦμα, *spiritus*, ante relativum ὃ Olympiodorus: Οἱ μεγάλα φορτία βαστάζοντες, ἀσθενοῦντες κύπτουσι. ψυχὴ οὖν φησὶν ἡ διὰ τὰς ἁμαρτίας κακουμένη. καὶ μέγεθος ἔχουσα λύπης, κύπτουσα καὶ ἀσθενοῦσα ὀλολύζει: *Qui magna portant onera, non sustinentes curvantur: anima igitur inquit, quæ iniquitatibus affligitur, & magnitudinem tristitiæ habet, curvata & infirma confitetur*. Hanc Olympiodori expositionem adduxi, quod existimarem lucem adferre ad explicationem textus τοῦ ὃ, quem aliqui depravatum censet: aut μέγεθος *magnitudinem* referunt ad statuam corporis ingentis, quod debilitatum & incurvum incessum habet. Alii ex Theodoreto adiiciunt πνεῦμα: ego cum Olympiodoro sentio μέγεθος *magnitudinem* non referri ad corporis molem, sed ad peccatorum gravitatem, quæ animam deprimit & incurvat; atque ad humilem peccatorum cognitionem flectit. Theodoretus habet quidem πνεῦμα, *spiritus*,

tus, sed posuit pro *anima*; sic enim loquitur: *Spiritus curvus & infirmus, oculi deficientes, & anima esuriens dabunt tibi gloriam & iustitiam, Domine.* Quæ verba si eum Vulgata conferas; statim advertes, *spiritum* pro *anima* positum: quare nequit coniungi eum ὁ tamquam aliud ab *anima* orationis membrum; ac si primum protenderetur usque ad μέγεθος, & τὸ πνεῦμα inchoaret secundum: quod velle debent, qui asserunt πνεῦμα desiderari, & reddunt relatistum ὁ *qui*, veluti ad illud pertinens, ut integra sit oratio. *Sed anima quæ tristatur in magnitudinem spiritus qui incedit curvus.* Alii denique putant in Græco scribendum, ἡ βαδίζει κύπτουσα καὶ ἀσθενοῦσα, quia Vulgata videtur sic legisse, habet enim; *& incedit curva & infirma.* Nimia fit in textu Græco mutatio, ut hanc lectionem probare queam. Dico igitur, Vulgatam legisse ut modo habetur, nisi quod pro ὃ, scriptum fuerit ᾧ, retineo κυπτὸν & ἀσθενοῦν; sed plurali Græca explicanda sunt adverbialiter, quare ita vertendum existimo: *Sed anima quæ tristatur super magnitudine, qua incedit curve & infirme*, id est propter quam incedit curva & infirma. Qui Canones Græcæ Grammaticæ consulent, ultro huic sententiæ acquiescent, quare pluribus abstineo. OCULI DEFICIENTES: Olympiodorus: Εἴτε αἰσθητῶς διὰ τὰς συμφορὰς, εἴτε καὶ ἐκ τῆς νοητῆς θεωρίας ἀμαυρούμενοι: *sive sensibiliter propter calamitates* (*lacrymis exeduntur*) *sive etiam ex spirituali contemplatione* (*oculi mentis*) *offuscantur.* ET ANIMA ESURIENS. *Anima* ponitur pro toto homine; sicuti frequenter in Scriptura sumitur.

V. 21. INCLINATE HUMERUM VESTRUM. Vide Ierem. XXVII. 8. XI. 12. ex quibus Baruch sententiam concinnavit, verba non appendit.

V. 22. DEFECTIONEM VESTRAM. Vide Ierem. cap. VII. 34. XVI. 9. XXV. 10. & XXXIII. 8. ET A FORIS IERUSALEM. Ita vocat suburbana Ierosolimæ, vicosque & civitates illi subiectas.

V. 24. TRANSFERRENTUR. Olympiodorus: Εἰς δεῖγμα τῆς μελλούσης κρίσεως, κατετιλάττω τὰ ὀστᾶ αὐτῶν τιμωροῦντο: *In signum futuri iudicii post mortem ossa eorum puniebantur.* Chaldæi ut thesauros e sepulcris Iudæorum eruerent, cadavera effodiebant, & sub dio aeris iniuriis exponebant. Vide Ierem. VIII. 1. & 2. Hanc expositionem confirmat Incertus, vel potius Theodoretus, quem ille expilare solet: Οὐ μόνοι ἡμεῖς οἱ ζῶντες παρεδόθημεν δοῦλοι, ἀλλὰ καὶ τῶν πατέρων ἡμῶν οἱ τάφοι, καὶ μὴν καὶ τῶν βασιλέων ἀνεσπάσθησαν ἐκ βάθρων, ὡς τὰ ἐκείνων ὀστᾶ ὑπαίθρια εὑρίσκεσθαι καὶ ταῖς ἐναντίαις τοῦ ἀέρος μεταβολαῖς διαφθείρεσθαι. *Non solum nos qui vivimus servi tui traditi sumus, sed & patrum nostrorum sepulcra, quinimo etiam Regum ex fossis extracta sunt, ut illorum ossa sub dio protecta fuerint, & contrariis aeris mutationibus ad corruptionem exposita.*

V. 25. ET IN EMISSIONE. Ierem. XXXIV. 17. *Propterea hæc dicit Dominus. Vos non audistis me, ut prædicaretis libertatem unusquisque fratri suo, & unusquisque amico suo: ecce ego prædico vobis*, &c.

V. 26. ET POSUISTI. Hunc versum confer cum Ieremia VII. 10. *Et venistis, & stetistis coram me in domo hac, in qua invocatum est nomen meum, & dixistis*, &c. Consule insuper cap. XXV. 29. & cap. XXXII. 34.

V. 27. SECUNDUM OMNEM BONITATEM TUAM. Græce est ἐπιείκειαν, de qua Aristoteles in Ethicis Lib. IV. cap. XIV. per totum, in quo subtiliter ex more distinguit ἐπιείκειαν, & δικαιοσύνην, cuius disputationis summa est, ἐπιείκειαν esse Iuris legitimi correctionem seu moderationem, qua aliquid ei deest, propterea quod generaliter loquitur, quare licet illud facere, quod Legislator permitteret si adesset, vel quod statuisset si illud præscivisset: isque ἐπιεικὴς dicitur, qui Legem non extreme urget. Vide infra ad caput III. 1. testimonium Gellii de Chilone. Incertus vel Theodoretus, Καὶ ταῦτα μέντοι οὐ πρὸς ἀξίαν τῆς ἡμετέρας ἀσεβείας ἐπήγαγες, ἀλλὰ κεράσας φιλανθρωπίᾳ τὸ δίκαιον: *Et hæc quidem merito impietatis nostræ nequaquam digna intulisti; sed temperasti iustitiam cum benevolentia erga homines.*

V. 29. MULTITUDO HAEC MAGNA. Græce, ἡ βόμβησις ἡ μεγάλη ἡ πολλὴ αὕτη, *turba magna multa hæc.* Incertus: Ὅτε ὁ νόμος ἐδίδοτο, φωναὶ, καὶ κτύποι, καὶ ἀστραπαὶ ἐγένοντο, ταῦτα λέγει βόμβησιν: *Quando lex ferebatur voces, & strepitus, & fulgura fuerunt: hæc appellat* βόμβησιν, *turbam seu fremitum.* Homerus & Poetæ sæpissime comparant multitudinem hominum cum exa-

mi-

mine apum quod *bombare*, *bombitare*, *bombizare* dicimus, cum sonum emittit. Vide Deut. XXVIII. 62.

V. 35. ET STATUAM ILLIS TESTAMENTUM ALTERUM SEMPITERNUM. Hæc ex Ieremia sumpta sunt cap. XXXI. 31. 32. Testamentum hoc, est illud quod nobiscum Christus inivit; illud enim solum est sempiternum.

MALVENDAE.

Vers. 1. PRopter quod statuit Dominus &c. Alii ex Græco: I. *Quapropter re comprobavit Dominus sermonem suum, quem adversum nos, iudicesque nostros, qui iurisdictionem exercuerunt inter Israelitas; tum adversum reges, & principes nostros, singulosque Israelitas, & Iudæos pronuntiavit.* II. *Ideo præstitit Dominus verbum suum, quod prolocutus erat contra nos, & contra iudices nostros, qui iudicabant Israelem, & contra reges nostros, & contra principes nostros, denique contra Israelitas, & contra Iehudæos*: vide Daniel. IX. 12.

V. 2. UT ADDUCERET DOMINUS SUPER NOS, &c. Alii: I. *Eo quod mala magna immisit nobis* &c. II. *Se adducturum contra nos mala magna* &c. III. *Ut nobis importaret mala magna* &c. Vide Daniel. IX. 12. SECUNDUM QUAE SCRIPTA SUNT IN LEGE MOYSI: Quidam: *quæ plane responderunt iis, quæ scripta sunt in Lege Moysi*. Sic Daniel. IX. 13. nimirum adversus eos, qui legem non servant, Deuteronom. XXVIII. 54. & sequent.

V. 3. UT MANDUCARET HOMO, &c. Alii: I. *adeo, ut carnem filiorum suorum & filiarum suarum quidam ex nostris hominibus comederent.* II. *Vesciturós nos quemque carnibus filii sui, & quemque carnibus filiæ suæ.* Vide Lamentation. II. 20. & IV. 10.

V. 4. ET DEDIT EOS SUB MANU REGUM OMNIUM &c. Alii: I. *Et reddidit eos subiectos omnibus regnis circumstantibus nos* &c. II. *Præterea reddidit eos obnoxios omnibus regnis, quæ circumiecta sunt nobis.* III. *Præterea dedit eos in manum servitutemque regnorum omnium undique nobis conterminorum.* IV. *Et dedit nos mancipia omnibus regnis, quæ in circuitu nostro* &c. IN IMPROPERIUM ET IN DESOLATIONEM. Græce: *in opprobrium & in invium*, seu *in desolationem invium, inaccessam*; in qua nullus aditus accessusque hominibus relictus sit. Quidam reddunt: *in errationem*; id est, vagi, errantes, palabundi, seu palantes. Sic infra vers. 23.

V. 5. ET FACTI SUMUS SUBTUS, ET NON SUPRA. Alii: I. *Depressique sunt, nedum evecti.* II. *Fueruntque inferiores, ac non superiores.*

V. 6. DOMINO DEO NOSTRO IUSTITIA &c. Vide de hoc versu supra cap. I. 15.

V. 7. QUIA LOCUTUS EST DOMINUS SUPER NOS, &c. Hunc versum alii ex Græco reddunt: I. *Quæ prædixit nobis Dominus mala, nobis evenerunt omnia.* II. *Quæ elocutus fuerat Dominus contra nos, omnia mala ista supervenerunt nobis.*

V. 8. ET NON SUMUS DEPRECATI FACIEM DOMINI &c. Alii ex Græco hunc versum convertunt: I. *Non enim precati sumus faciem Domini, ut averteret unumquemque a cogitationibus cordis sui nequam.* II. *Nec tamen precibus iram Domini placavimus, ita ut a pravis quisque cordis sui cogitationibus converteretur.* Vide Daniel. IX. 13.

V. 9. ET VIGILAVIT DOMINUS IN MALIS, &c. Alii hunc versum ex Græco reddunt: I. *Idcirco invigilavit Dominus malis istis, quæ adduxit Dominus super nos. Nam iustus est Dominus in omnibus operibus suis, quæ mandavit nobis.* II. *Et cum evigilaret Dominus in malis illis, de quibus ad nos mandata dedit (quia factis suis omnibus iustus est Dominus:) dictis tamen eius non auscultavimus*, &c. ut sententia cadat in sequentem versum: vide Daniel. IX. 14.

V. 10. ET NON AUDIVIMUS VOCEM IPSIUS, &c. Alii: *Nos vero non auscultavimus voci eius, ut ambularemus in præceptis Domini, quæ exposuerat in conspectu nostro*: vide Daniel. IX. 10.

V. 11. ET FECISTI TIBI NOMEN SICUT EST HODIE. Alii: I. *& comparasti tibi ipsi nomen prout est hodie.* II. *nomenque tibi, quale apparet hodie, peperisti.* Vide Daniel. IX. 15.

V. 12. PECCAVIMUS, IMPIE EGIMUS, &c. Alii hunc versum reddunt: I. *Et nos quidem, Domine Deus noster, peccavimus, & impie egimus, atque in tuis omnibus iudiciis scelerate versati sumus.* Vide Daniel. IX. 5. Eadem verborum congeries habetur Psalm.

Psalm. cv. 6. quæ mire exprimit dolorem animi detestantis peccatum. II. *Peccavimus, impie fecimus, iniusti fuimus, Domine Deus noster, in omnibus statutis tuis.* III. *Peccavimus quidem, & impie iniusteque versati sumus in iustis constitutionibus tuis omnibus, Domine Deus noster.*

V. 13. AVERTATUR IRA TUA A NOBIS, &c. Alii: *Avertatur indignatio tua a nobis, quandoquidem reliqui sumus*, vel *relicti sumus pauci in gentibus, ubi dissemnavisti nos.* Sic Daniel. IX. 16.

V. 14. ET EDUC NOS PROPTER TE. Alii: *Et libera nos*, vel *extrahe nos propter te*; nempe a misera ista captivitate, & servitute, in qua sumus. II. *Tuaque causa nos assere.* ET DA NOBIS INVENIRE GRATIAM ANTE FACIEM, &c. Alii: I. *& da nobis gratiam in conspectu eorum, qui nos domo abduxerunt.* II. *Gratiamque nobis concilia apud eos, qui nos a patria abduxerunt.* III *Et redde nos gratiosos, apud eos qui nos abduxerunt.* IV. *Et redde nos gratiosos, apud eos qui nos abduxere.* V. *Et inde nobis gratiam in conspectu eorum, qui deportaverunt nos.*

V. 15. ET QUIA NOMEN TUUM INVOCATUM EST SUPER ISRAEL, ET SUPER GENUS IPSIUS. Alii: *& de nomine tuo vocari Israelem, & genus illius.* Sic Daniel. IX. 19.

V. 16. RESPICE DOMINE DE DOMO SANCTA TUA, &c. Alii: *Respice nos Domine ex æde sanctuarii tui.* Hinc patet hæc scripta esse stante adhuc templo, ante casum Tzidkiiæ. Nam alia forma loquitur Daniel IX 17. de everso templo. ET INCLINA AUREM TUAM. Omisit ante hanc, unam clausulam quam Græca habent: *& cogita in nos*, vel *& cogitationem adverte in nos*, seu *atque ad nos attende: inclina, Domine, aurem tuam*; id est, suscipe curam & cogitationem nostri. Vide Daniel. IX. 18.

V. 17. APERI OCULOS TUOS. Sic Daniel. IX. 18. QUIA NON MORTUI, QUI SUNT IN INFERNO, &c. Alii: I. *quoniam non mortui, qui sunt apud inferos, quorum assumptus est spiritus ipsorum ex visceribus eorum*, sive *quorum visceribus evocatus est*, seu *ablatus est spiritus eorum, gloriam, laudemque iustitiæ Domino tribuerit.* II. *Non enim, qui mortui sunt in sepulcro, quorum receptus est spiritus ex visceribus ipsorum, ii tributuri sunt gloriam & laudem iustitiæ Domino.* III. *neque enim mortui apud inferos, quorum visceribus ademptus est spiritus, gloriam aut iustitiam tibi tribuerint.* Hæc sententia habetur Psalm. VI. 6. & CXIII. 26. & Isaiæ XXXVIII. 18.

V. 18. SED ANIMA QUAE TRISTIS EST, &c. Varie hunc versum ex Græco reddunt: I. *Sed super magnitudine corporis, quæ magnitudo incurva debilitataque inceait, animus mœstus, & oculi deficientes, animaque esuriens gloriam & iustitiam, Domine, tibi dabunt.* II. *Sed super magnitudine, quæ declinans & labescens abit*; id est, super magnificentia & decore Israelitico, quod periit; *mœstus animus, oculique deficientes, & esuriens anima gloriam tuam, Domine, prædicarint & iustitiam.* III. *Sed anima dolens de magnitudine depressa & infirma*, seu *de magnitudine depressionis & infirmitatis, in qua ambulat; & oculi deficientes, animaque famelica cedent tibi gloriam, & iustitiam, Domine.* Quidam hunc sensum ex Græcis eiiciunt: sed animus mœrens hominis, qui statura ipsa & magnitudine sua corporis, incurvus & debilitatus incedit, nempe vi malorum oppressus & oculi deficientes, &c.

V. 19. QUIA NON SECUNDUM IUSTITIAS PATRUM NOSTRORUM, &c. Hunc versum alii ex Græco reddunt: I. *Neque enim rectefactis patrum, regumque nostrorum freti, Domine, apud te supplices, miserabilesque preces nostras effundimus.* II. *Non enim recte factorum a maioribus nostris, regibusque nostris nomine effundimus nos, miseram deprecationem nostram in conspectu tuo, Domine Deus noster.* Vide de hoc versu Dan. IX. 18.

V. 21. INCLINATE HUMERUM VESTRUM. Ita recte correctiora Græca exemplaria. Quædam habent: *Inclinate legem vestram*, non tam recte. ET OPERA FACITE REGI BABYLONIS. Græce, *operamini*. Plerique: *servite*. Vide similem sententiam Ieremiæ XXVII. 11. & 12. Sic vers. 22. ET SEDEBITIS IN TERRA, QUAM DEDI PATRIBUS VESTRIS. Quidam: *& sedes terræ, quam maioribus vestris tradidi, retinebitis.* Alii: *& considete in terra, quam dedi maioribus vestris*; id est, si non deficietis ab obsequio regis Babyloniæ, estote certi vos minime deportatum iri: sed in hac terra vestra cum bona regis venia permansuros: sic Genes. XX. 7.

V. 22. & 23. QUOD SI NON AUDIERITIS, &c. Hos duos versus alii ex Græco reddunt: I. *Sin est, ut dicto mihi non sitis audientes, ad serviendum regi Babyloniæ; abolebo vocem lætam & iucundam, vocem sponsi, sponsæque ex urbibus Iudaicis ac Ierosolymis, terraque tota deserta erit habitatoribus*. II. *Quod si non auscultaveritis voci Domini, serviendo Regi Babyloniæ; faciam ut deficiat ex civitate Iehudæ, & extra Ieruschalaima, vox lætitiæ & vox gaudii, vox sponsi & vox sponsæ, sitque tota terra invia, deserta habitatoribus*. Vide Ierem. VII. 24.

V. 24. UT OPERARENTUR REGI BABYLONIS. Alii: I. *serviendo Regi Babyloniæ*. II. *ut obsequium servitiumque regi Babyloniæ præstaremus*. ET STATUISTI VERBA TUA. Alii: I. *itaque re ipsa verba tua comprobasti*, vel *confirmasti*. II. *præstitisti verba tua:* ut vers. 1. UT TRANSFERRENTUR OSSA REGUM NOSTRORUM, &c. Alii: I. *adeo ut ossa regum & maiorum nostrorum locis suis sint eruta*. II. *videlicet ut ossa regum, patrumque nostrorum suo ex loco translata alio deportarentur*. III. *fore ut efferrentur ossa regum nostrorum, & ossa maiorum nostrorum, e suo loco*. Vide Ierem. VIII. 1. & 2.

V. 25. ET ECCE PROIECTA SUNT, &c. Alii hunc versum ex Græco reddunt: I. *Nam ecce sunt proiecta ad æstum diei & gelu noctis, & mortui sunt in laboribus gravissimis, fame, gladio, atque disiectione*. II. *Nam ecce æstui diurno, pruinæque nocturnæ iacent exposita, & illi per labores diros, per famem, per gladium, perque exilium mortui sunt*. III. *En eadem ad ardorem solis glaciemque noctis proiecta iacent*; id est, sunt insepulta: *illique acerbissimis doloribus, fame, gladio, atque exilio interierunt*. ET IN EMISSIONE: seu *dispersione, disiectione, exilio, captivitate*; quod Ieremias XXXIV. 17. ait, *in commotionem:* nam ad illum Ieremiæ locum respicere hic videtur Baruch.

V. 26. ET POSUISTI TEMPLUM, &c. Alii hunc versum ex Græco convertunt. I. *Domum autem tuam, in qua invocatum est nomen tuum, redegisti in eum statum, quem hæc dies ostendit, propter pravitatem domus Israel & domus Iuda*. II. *Templum autem de nomine tuo dictum redegisti, quo res declarat hodie, propter domus Israeliticæ Iudaicæque malitiam*. III. *Et posuisti domum tuam, quæ vocatur de nomine tuo, prout est hodie, propter improbitatem domus Israelis & domus Iehudæ*.

V. 27. SECUNDUM OMNEM BONITATEM TUAM. Græca vox hæc omnia continet: *secundum omnem moderationem, benignitatem iuris tuam; secundum omnem æquitatem, clementiam, lenitatem, indulgentiam tuam*.

V. 29. MULTITUDO HAEC MAGNA CONVERTETUR IN MINIMAM, &c. Alii ex Græco: I. *sane magnum hoc examen & frequens ad paucos redigetur inter gentes, quo illos dispersurus sum*. II. *utique examen illud magnum ac multum illud convertetur in numerum parvum, in gentibus, ubi dissеminabo eos*. III. *profecto turba hæc*, vel *hæc tanta hominum multitudo, quæ quasi examen apum bombat* (vox Græca βόμβησις, proprie dicitur *examen apum* a sono, seu bombo quem edit. Festus: *Bombitatio est sonus apum, ab ipso sonitu dictus: sicut mugitus boum, hinnitus equorum*.) *ad summam paucitatem redigetur inter gentes, ad quas ego eos dispergam*. Vide Deut. IV. 27. & cap. XXVIII. 62.

V. 30. & 31. ET CONVERTENTUR AD COR SUUM, &c. Alii hunc versum ex Græco reddunt: I. *Ut resipiscant vel in terra peregrinitatis suæ, & me Dominum Deum suum agnoscant: tum cor dabo eis, ut intelligant, & aures attentas*. II. *Sed si reversi ad se ipsos in terra deportationis suæ, agnoverint me esse Dominum Deum ipsorum, me indente ipsis cor, & aures audientes*. Volunt pendere sententiam usque ad vers. 34. quo & sequente completur.

V. 32. ET LAUDABUNT ME, &c. Hunc versum alii ex Græcis reddunt: I. *Et laudaverint*, seu *prædicaverint me in terra deportationis suæ, recordantes nominis mei*. II. *Ut me prædicent in terra exilii sui, ut celebrent nomen meum*.

V. 33. ET AVERTENT SE A DORSO SUO DURO, &c. Ex Græco hunc versum convertunt: I. *Atque illud suum contumax deponent dorsum, improbaque facinora abiicient, quum in memoriam revocabunt viam patrum suorum, qui coram Domino peccaverunt*. II. *Utque dorsum illud suum contumax deponant, una cum pravis facinoribus: recordabuntur enim quo evaserint patres eorum, qui peccaverunt in Dominum*. III. *Et reversi fuerint ab aversatione humeri sui obdurati, & ab improbitatibus actionum suarum, eo quod re-*

cor-

cordati fuerint vix maiorum suorum, qui peccaverunt coram Domino.

V. 34. ET REVOCABO ILLOS, &c. Alii hunc versum ex Græco exponunt: I. *Etiam reducam eos in terram, quam iuratus promisi maioribus ipsorum, Abrahamo, Iitzchako, & Iahakobo, ut dominentur ei; & multiplicabo eos, ac nullo pacto minuentur.* II. *Et reducam eos in terram, quam iureiurando pactus sum maioribus eorum, Abrahamo, Isaaco, & Iacobo, ut ea potiantur: tum etiam multiplicabo eos, ut ne diminuantur.*

V. 35. ET STATUAM ILLIS, &c. Alii hunc versum e Græco transferunt: I. *Fœdusque perpetuum inibo cum ipsis, ut ego Deus sim ipsorum, & ipsi mihi populus: nec postea pellam populum Israeliticum e terra, quam ei tradidero.* II. *Denique constituam, stabiliam, firmabo, eis fœdus æternum, me fore ipsis Deum, ut ipsi mihi sint populus; neque amovebo amplius populum meum Iisraelem a terra, quam dedero eis.* Hæc proprie ad Evangelium pertinent: vide Ierem. XXXI. 31. & sequentibus.

MENOCHII.

Vers. 1. STATUIT VERBUM SUUM, id est stabilivit ipso eventu. Fecit ut eveniret quod prædixerat. QUOD LOCUTUS EST AD NOS. Quod nobis, aut contra nos minatus est in lege, versiculo 20. superioris capitis. AD IUDICES NOSTROS. Proceres reipublicæ, quales erant Phylarchi, qui præerant tribubus, magistratus populi.

V. 2. QUAE NON SUNT FACTA: qualia non sunt facta. SUB OMNI: ullo in loco sub cælo. SECUNDUM QUAE SCRIPTA SUNT; id est, quæ Deus super nos adduxit, similia sunt iis, quæ scripta sunt in lege Moysis, adversus eos qui legem non servant.

V. 3. UT MANDUCARET, &c. Hoc factum esse Ierosolymis sub Chaldæis patet Threnorum II. 20. & IV. 10. HOMO; unusquisque; hoc enim significat frequenter vox Hebraica איש *isc.*

V. 5. SUBTUS ET NON SUPRA: subditi, & servi, & non domini. Alludit ad illud Deut. XXVIII 13. *Constituit te Dominus in caput, & non in caudam, & eris semper supra, & non subter; si tamen audieris mandata Domini.*

V. 6. DOMINO DEO NOSTRO IUSTITIA, &c. Explicatus est versiculus hic superiori capite n. 15.

V. 7. QUIA LOCUTUS EST, &c. propterea iustitia illi tribuenda, quia prius admonuit nos, quam puniret.

V. 8. ET NON SUMUS DEPRECATI FACIEM: non sumus Deum precati supplices prostrati ante conspectum eius. UT REVERTEREMUR, id est rogantes eum, ut converteret nos.

V. 9. VIGILAVIT IN MALIS: acceleravit mala, & citius super nos adduxit, quam nos timeremus. IN OMNIBUS QUAE MANDAVIT NOBIS: quæ vel dedit olim mandata, vel comminatus est supplicia, parcere recusantibus.

V. 10. NON AUDIVIMUS: non obedivimus. UT IREMUS: ut ambularemus. QUAE DEDIT ANTE FACIEM NOSTRAM, id est quæ nostræ libertati, & electioni proposuit, ut ea vel amplecteremur, vel respueremus: vide Deut. XXX. 15.

V. 11. SICUT EST DIES ISTE: cuius hoc etiam tempore memoria viget.

V. 12. IN OMNIBUS IUSTITIIS TUIS: contra omnia præcepta tua.

V. 14. PROPTER TE: non nostris quidem meritis, quæ nulla sunt, sed tua misericordia, quæ magna est. QUI NOS ABDUXERUNT, Chaldæos.

V. 15. NOMEN TUUM INVOCATUM EST SUPER ISRAEL: ut sciant omnes te non sine causa Deum Israelis, & Iudæorum appellari, & nos te Deo non frustra gloriari. Vel sensus est, quia Israel nomen tuum, id est te invocat, colit, & obsecrat super se, ut scilicet eius miserearis. ET SUPER GENUS IPSIUS: filios scilicet Israelis, populum Hebræum.

V. 16. DE DOMO SANCTA TUA: de cælo, vel de templo tuo, sive templi diruti loco, quo te quasi præsentem colimus.

V. 17. APERI OCULOS TUOS: significat Deum quodammodo dormire, aut connivere. ET VIDE: considera. QUIA NON MORTUI, &c. Mortui non possunt ore ac lingua Deum laudare, quia & os & lingua, & totum corpus ipsorum in pulverem redactum est. Nec etiam possunt Deum laudare propter nova beneficia, quæ quotidie ab eo accipiunt, obtinendo ut mirabiliter eripiantur ab ærumnis, & miseriis in quibus deprehensi sunt, quod tamen possunt

vi-

viventes. In inferno. Infernum vocat omnem inferum locum, ubi tunc mortui tenebantur, sive damnatorum, sive purgatorium, sive eum ubi tunc sancti Patres commorabantur. Quorum spiritus acceptus est a visceribus suis: quorum animus a corpore separatus est. Dicitur, *visceribus suis*, pro *ulceribus suis*. Dabunt iustificationem: Deum iustum esse prædicabunt.

V. 18. Super magnitudinem: propter magnitudinem. Incedit curva: gemens, pœnitens, & depressa magnitudine ærumnarum, & afflictionum. Oculi deficientes: præ fame, lassitudine, & lacrymis. Anima esuriens: homo ieiunio exhaustus. Dat tibi gloriam, et iustitiam: te gloriosum, & iustum prædicat.

V. 19. Non secundum iustitias: non propter iustitias, non præfidentes iustitiis patrum nostrorum. Non nostris, aut patrum nostrorum meritis nostræ nituntur preces.

V. 20. Sed quia misisti, &c. Fundimus preces quia ærumnis a te missis urgemur, & cogimur ad te confugere. Puerorum tuorum: servorum tuorum.

V. 21. Inclinate humerum: supponite, submittite collum, & humeros iugo regis Babylonis. Testimonium quod hic citat Baruch est apud Ierem. xxvii. 8. 11. & 12. Opera facite: operamini, servite. Sedebitis, habitabitis.

V. 22. Defectionem vestram faciam: faciam vos deficere, & expelli ab urbibus Iuda. Et a foris Ierusalem: ita vocat suburbana Ierusalem, vicosque, & civitates ei subiectas.

V. 23. Auferam a vobis vocem iucunditatis, &c. desumptum est hoc testimonium ex cap. vii. Ierem. num. 34. vide ibi dicta. Erit omnis terra sine vestigio; id est, non cernetur in tota terra ullum hominis vestigium, quia nemo erit, qui per eam transeat.

V. 24. Ut operentur: ut servirent. Et statuisti; id est, idcirco fecisti ut re ipsa nobis evenirent, quæ comminatus nobis fueras per prophetas: vide superiori cap. num. 20. & hoc eodem cap. num. 1. Puerorum tuorum: servorum tuorum. Ut transferentur, id est ut non sepelirentur in sepulcris patrum suorum, sed in terra aliena morerentur. Vel, ut effoderentur, & insepulta relinquerentur sub dio, ut prædixit Ier. viii. 1. 2. quod a Chaldæis factum esse creditur, ut thesauros quærerent, quibuscum Iudæorum reges sepultos esse credebant.

V. 25. In emissione: in exilio, in dispersione.

V. 26. Et posuisti templum, &c. id est, redegisti templum ad eum statum, in quo hodie conspicitur; est enim eversum, & desolatum. In quo invocatum est: in quo colebaris. In ipso: relativum redundans more Hebræorum.

V. 27. Secundum omnem benignitem tuam: punivisti nos benigne, & remisse; graviores enim pœnas scelera nostra postulabant.

V. 28. In manu pueri, id est per servum tuum Moysen. Coram filiis Israel: proponendo eam filiis Israel, ut eam libere acceptarent, vel respuerent: vide num. 10.

V. 29. Dicens multitudo haec, &c. Alludit ad locum Deut. xxviii. 62. *Et remanebitis pauci numero*, &c.

V. 30. Quia scio quod me non audiet populus. Citat non verba, sed sensum Deut. xxxi. 29. Populus est enim dura cervice: cervicosus, contumax, obstinate iussis meis resistens. Convertetur ad cor suum: resipiscet; vexatio enim dabit intellectum Isai. xxviii. 19. Testimonium hoc sumptum est ex Levitico xxvi. 39. 40. 41.

V. 31. Dabo eis cor: novum, & docile; citat non verba, sed sensum Deut. xxx. 6. Aures, et audient: aures, quæ Domini iussa audiant libenter, & prompte exequantur.

V. 33. Avertent se a dorso suo duro, id est relinquent contumaces mores suos. Qui peccaverunt, &c. qui eorum scilicet parentes, peccaverunt in me, & peccata relinquentes, & detestantes salutem consecuti sunt.

V. 35. Statuam. Hæc ex Ier. sumpta xxxi. 32. vide ibi dicta. Testamentum alterum. Testamentum hoc sempiternum, & testamentum novum, quod nobiscum iniit Christus, & cum Ecclesia sua æternum duratura, hoe est usque ad mundi finem.

TI-

TIRINI.

Vers. 1. STATUIT *a*; id est, stare fecit, reipsa posuit & stabilivit ipso eventu, VERBUM, id est promissum SUUM, de puniendis sceleratis; quasi dicat: Deus implevit per Chaldæos, & de facto nobis intulit clades quas per Moysen & Prophetas minatus fuit.

V. 2. SECUNDUM QUAE SCRIPTA SUNT, id est plane easdem clades, quæ in libro Deuteronomii XXVII. 28. prævaricatoribus inferendæ dicuntur, v. g.

V. 3. UT MANDUCARET HOMO CARNES FILII SUI: quod Ierosolymis accidisse, supra *b* vidimus.

V. 4. DEDIT EOS SUB MANU, id est subiectos manui, seu potestati, REGUM OMNIUM IN CIRCUITU. Iudæi enim nunc a Syris, nunc ab Ammonitis, nunc ab AEgyptiis, nunc ab Assyriis, nunc a Chaldæis atterebantur & subiugabantur.

V. 5. FACTI SUMUS SUBTUS, ET NON SUPRA *c*, id est subditi prorsus & servi. Sic futurum prædixerat Deus Deut. XXVIII. 13. & 43. Mox decem rationibus conatur Deum inflectere, ut populo iam pœnitenti benignum ac benevolum sese exhibeat. Primam proponit:

V. 11. Iudæi POPULUS TUUS sunt, quem tanto labore, tanta cura, tanto affectu eduxisti ex AEgypto, tibique adgregasti. Secunda est:

V. 13. DERELICTI SUMUS PAUCI ex tot centenis millibus. Tertia ratio desumitur ex innata Deo clementia:

V. 14. EDUC NOS PROPTER TE. Propter infinitam tuam bonitatem, cui proprium est misereri & parcere. Quarta, ex amplificatione gloriæ divinæ.

V. 15. UT SCIAT OMNIS TERRA QUIA TU ES DOMINE DEUS NOSTER, & singulari favore nos tamquam filios tuos prosequeris. Videat ergo reipsa sentiatque totus orbis Israelem eiusque posteros non solum vocari, sed & de facto esse filios tuos, & ut tales a te haberi & tractari. Ergo oculo propitio,

V. 16. RESPICE IN NOS DE DOMO SANCTA TUA, id est de cælo, inquit Lyranus & Dionysius: vel etiam de loco templi, ut Theodoretus & Hugo exponunt. Etsi enim dirutum esset templum; divina tamen præsentia, auris & favor loco non excesserat: unde etiam Daniel. VI. 10. & Iudæi alii passim inter orandum convertebant se ad locum templi. Sequitur Quinta ratio:

V. 17. MORTUI quicumque sive pii, sive impii, NON DABUNT HONOREM ET IUSTIFICATIONEM DOMINO; id est, non prædicabunt gloriam & iustitiam divinam, nempe ore suo & lingua sua; idque (ut alibi *d* exposui) apud homines huius mundi: nam horum respectu, laus quam sola anima dat Deo, nulla est, uti nec vox, nec vita, quia non sentitur a viventibus. Laus ergo Dei, quam inculcat toties vetus Scriptura, per antonomasiam est externa illa & perceptibilis laus, quæ alios ædificet & excitet, qualis est publica pœnitentium oratio, vel divinam misericordiam pro se, pro aliis implorantium, vel laudantium, v. g. in templo, in synagogis, & aliis locis. Ut ergo non plane intereat hæc publica laudatio & glorificatio, ne sinas nos miseriis & ærumnis huius exilii; & captivitatis emori atque exstingui: nam nobis exstinctis, a quibus solis publice coleris, nobiscum extinguetur omnis cultus publicus, omnis laudatio, omnis glorificatio nominis tui in terris. Quod si nos miseros & ærumnosos salvaveris, en tibi segetem uberrimam laudis & glorificationis,

V. 18. Ab ANIMA TRISTI, id est afflicta & gemente præ MAGNITUDINE & multitudine MALI hactenus sibi incumbentis: item onusta nimio pondere, indeque CURVA sub onere, ET INFIRMA, nec ferre potentes. OCULI quoque DEFICIENTES præ fame, debilitate, lacrymis: ET ANIMA ESURIENS, id est homo ieiuniis & inedia exhaustus (quales nos hactenus in hoc exilio) GLORIAM TIBI ET IUSTITIAM, seu iustitiæ laudem, *dabit*. Sexta ratio, qua captivi Babylone conantur Deum sibi reconciliare: Cogimur, inquiunt, & urgemur ipsa ærumnarum vehementia ad te, qui solus potes iuvare nos:

V. 19. NON accedimus armati vel præfisi bonis operibus, SECUNDUM IUSTITIAS PATRUM NOSTRORUM, sed stimulati & coacti

V. 20. IRA TUA, id est afflictionibus & miseriis ab *ira & furore tuo* immissis; hæc enim

enim cogunt filios recurrere ad finum paternum patris. Septima, iussis tuis obtemperavimus:

V. 21. OPERA FECIMUS, id est, servivimus *e*, REGI BABYLONIS, uti iusseras, comminatus alioqui nobis

V. 22. & 23. DEFECTIONEM nostram, id est quod nobis deficeret ac subtraheretur. Primo, omnis *civitas*, ET OMNE A FORIS, id est, omne suburbanum etiam Ierosolymæ: deinde omnis *vox* GAUDII [ET IUCUNDITATIS.

V. 24. ET quia patres nostri NON AUDIERUNT, id est non obediverunt huic tuo mandato, STATUISTI, id est reipsa stare fecisti & *f* complevisti minas tuas, usque eo, UT etiam TRANSFERRENTUR e sepulcris in aerem, & dispergerentur huc illuc sub dio, OSSA REGUM ET PATRUM NOSTRORUM. Hoc enim a Chaldæis factum constat ex Ieremiæ VIII. 1. Alii vero in Chaldæam deportati,

V. 25. MORTUI SUNT IN DOLORIBUS PESSIMIS, IN EMISSIONE, id est in exilio, in dispersione, inquit Theodoretus. Nos vero qui obedivimus iam tibi, subdendo nos ultro Chaldæis cum Iechonia rege nostro, oramus ut mitius castigare digneris.

V. 27. FECISTI IN NOBIS SECUNDUM OMNEM BONITATEM. Græce, ἐπιείκειαν, TUAM; id est, punivisti nos benigne ac remisse. Est enim ἐπιείκεια iuris quædam remissio, seu indulgentia. *Misericordiæ g* enim *Domini quia non sumus consumpti*. Hac benignitatis divinæ laudatione, & humili bonitatis eius confessione conantur excitare Deum ad maiorem misericordiam. Subduntque Octavo, promissionem divinam:

V. 28. SICUT LOCUTUS ES, id est promisisti nobis *h*, si quando pœniteremus, misericordiam, benignitatem & pacem. Nono, aliam subiungunt promissionem,

V. 34. ABRAHAE, ISAACO ET IACOBO factam de curandis eorum posteris, & multiplicandis in immensum, sibique aggregandis

V. 35. TESTAMENTO, id est fœdere, SEMPITERNO; quasi dicat: Non illo quod per Moysen pepigit nobiscum, quia hoc non erit sempiternum; sed *altero* novo fœdere, quod per Christum panget nobiscum: ita Hugo, Lyranus & alii. Et hic decimam rationem insinuant, puta merita Messiæ, seu Christi, quorum intuitu optant sibi parci & indulgeri.

(a) Hic vers. 24. & Isaiæ XLIV. vers. 24. Ierem. XXVIII. 6.
(b) Thren. II. 20. & IV. 10.
(c) Proleg. de Idiotismis Hebr. num. XLIX.
(d) Psal. LXXXVII. 11. & Ps. CXIII. 17. & Eccli. XVII. 26.
(e) Baruch. I. 22.
(f) Sup. cap. II. 2.
(g) Thren. III. 22.
(h) Deut. XXX. vers. 1. & cap. XXXI.

GORDONI.

Vers. 11. ET NUNC DOMINE DEUS, &c. Pars altera est in qua ad petendam veniam venitur, & septem proferuntur rationes ad implorandam misericordiam in hac dura captivitate.

V. 17. QUIA NON MORTUI, &c. Non mortui, inquit, qui sunt in inferno laudabunt Deum: intelligi per infernum hic potest locus omnis mortuorum, sive sit sepulcrum, sive gehenna aut infernus; sive limbus patrum vel puerorum; nam ne quidem in limbo erat laus meritoria, & utilis ut nunc est hic. Hærent Novatores, negantes orationes Sanctorum qui fruuntur vita beata: inepta est consecutio; loquitur enim Baruch de mortuis qui sunt in locis inferis, nihil hic de beatis, qui sane & possunt & volunt Deum laudare: sic Apoc. V. 14. Ioannes vidit 24. *Seniores laudantes Deum*. Immo locus Baruch nec beatos, nec viventes excludit ab hac laude: nam recte inter homines & publice in Ecclesia militante, ut tunc erat consuetudo; ita adhuc perseverat Dei laus.

V. 21. Alludit hic ad id quod dixit Ieremias cap. VII. 34. & inculcatur hic vers. 22. & 23.

V. 35. ET STATUAM ILLIS TESTAMENTUM ALTERUM, &c. Prophetia hæc omnino novum testamentum respicit, quod sempiternum vocat, & futurum post captivitatem: hoc testamentum nobiscum interposuit Christus. Certe nec aliud conditum testamentum legitur post reditum a captivitate, nec ullum invenietur aliud sempiternum.

EX EIUSDEM AUCTARIO.

Verſ. 11. Poſt finitam confeſſionem inſti-
tuitur deprecatio, & plures ſubnectuntur
cauſæ ad movendam Dei bonitatem.
Multum Iudæis profuit hic libellus, præ-
ſertim experientia nunc ſcientibus hæc
vera eſſe. Ita etiam vexatio dedit intel-
lectum, ut deinceps ab idololatria abſti-
nuerint.



CAPUT III.

Perſeverant confiteri peccata ſua & patrum ſuorum, obſecrantes Deum pro miſericordia: Iſrael in captivitatem ductus eſt, eo quod dereliquerit viam ſapientiæ quæ non invenitur a potentibus, divitibus, aut gigantibus: ſed populo Iſrael tradita fuerat a Deo, cui omnes ſuæ creaturæ obediunt: additurque de Chriſti adventu in carnem.

1. ET nunc Domine omnipotens, Deus Iſrael, anima in an-
guſtiis, & ſpiritus anxius clamat ad te: 2. audi Domi-
ne, & miſerere, quia Deus es miſericors, & miſerere
noſtri: quia peccavimus ante te. 3. Quia tu ſedes in
ſempiternum, & nos peribimus in ævum? 4. Domine
omnipotens, Deus Iſrael, audi nunc orationem mortuo-
rum Iſrael, & filiorum ipſorum, qui peccaverunt ante
te, & non audierunt vocem Domini Dei ſui, & agglu-
tinata ſunt nobis mala. 5. Noli meminiſſe iniquitatum patrum noſtrorum,
ſed memento manus tuæ, & nominis tui in tempore iſto: 6. quia tu es
Dominus Deus noſter, & laudabimus te Domine: 7. quia propter hoc dedi-
ſti timorem tuum in cordibus noſtris, & ut invocemus nomen tuum, & lau-
demus te in captivitate noſtra, quia convertimur ab iniquitate patrum no-
ſtrorum, qui peccaverunt ante te. 8. Et ecce nos in captivitate noſtra ſu-
mus hodie, qua nos diſperſiſti in improperium, & in maledictum, & in pec-
catum, ſecundum omnes iniquitates patrum noſtrorum, qui receſſerunt a te
Domine Deus noſter. 9. Audi Iſrael mandata vitæ: auribus percipe, * ut
ſcias prudentiam. 10. Quid eſt Iſrael quod in terra inimicorum es? 11. in-
veteraſti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis: deputatus es cum de-
ſcendentibus in infernum. 12. Dereliquiſti fontem ſapientiæ, 13. nam ſi in
via ambulaſſes, * habitaſſes utique in pace ſempiterna. 14. Diſce ubi ſit pru-
dentia, ubi ſit virtus, ubi ſit intellectus: ut ſcias ſimul ubi ſit longiturnitas
vitæ & victus, ubi ſit lumen oculorum, & pax. 15. Quis invenit locum e-
ius? & quis intravit in theſauros eius? 16. Ubi ſunt principes Gentium, &
qui dominantur ſuper beſtias, quæ ſunt ſuper terram? 17. qui in auribus cæ-
li ludunt, 18. qui argentum theſaurizant, & aurum, in quo confidunt ho-
mines, & non eſt finis acquiſitionis eorum? qui argentum fabricant & ſoli-
citi ſunt, nec eſt inventio operum illorum? 19. exterminati ſunt, & ad infe-
ros deſcenderunt, & alii loco eorum ſurrexerunt. 20. Iuvenes viderunt lumen,

& habitaverunt super terram: viam autem disciplinæ ignoraverunt, 21. neque intellexerunt semitas eius, neque filii eorum susceperunt eam, a facie ipsorum longe facta est: 22. non est audita in Terra Chanaan, neque visa est in Theman. 23. Filii quoque Agar, qui exquirunt prudentiam quæ de terra est, * negotiatores Merrhæ, & Theman, & fabulatores, & exquisitores prudentiæ & intelligentiæ: viam autem sapientiæ nescierunt, neque commemorati sunt semitas eius. 24. O Israel, quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius! 25. Magnus est, & non habet finem; excelsus & immensus. 26. Ibi fuerunt gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt, statura magna, scientes bellum. 27. Non hos elegit Dominus, neque viam disciplinæ invenerunt: propterea perierunt. 28. Et quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam. 29. Quis ascendit in cælum, & accepit eam, & eduxit eam de nubibus? 30. Quis transfretavit mare, & invenit illam? & attulit illam super aurum electum? 31. Non est qui possit scire vias eius, neque qui exquirat semitas eius: 32. sed qui scit universa, novit eam, & adinvenit eam prudentia sua: qui præparavit terram in æterno tempore, & replevit eam pecudibus, & quadrupedibus: 33. qui emittit lumen, & vadit: & vocavit illud, & obedit illi in tremore. 34. Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis, & lætatæ sunt: 35. vocatæ sunt, & dixerunt: Adsumus: & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas. 36. Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversus eum. 37. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. 38. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

V. *Ut scias prudentiam*. Non mutes singulare *scias* in plurale *sciatis*.

V. 13. *Habitasses utique in pace sempiterna*. Unam vocem *sempiterna*, male quidam distrahunt in duas *super terram*.

V. 23 *Negotiatores Merrhæ & Theman*. Egregia correctio, qua restitutum est nomen proprium *Merrhæ*, pro appellativo *terræ*.

C O M M E N T A R I A

M A L D O N A T I.

Vers. 1. ET NUNC. Hæc duo verba Græce non sunt; sed absolute incipitur, κύριε παντοκράτωρ. ET SPIRITUS ANXIUS: καὶ πνεῦμα ἀκηδιῶν. Noster interpres solet vertere *anxiari*, ubi hoc verbum legitur, aut עטף, ut Psalm. LX. 3. ἐν τῷ ἀκηδιάσαι τὴν καρδίαν μου, ἐν πέτρᾳ ὕψωσάς με, *Cum anxiaretur cor meum in petra exaltasti me*. Hebr. בעטף; & Psalm. CXLII. 4. καὶ ἀκηδίασεν ἐπ' ἐμὲ τὸ πνεῦμά μου, *Et anxiatus est super me spiritus meus* Hebr. ותתעטף רוחי עלי. Proponit autem animi anxietatem ad movendam Dei misericordiam.

V. 2. ANTE TE. Hebraismus, נגדך, *coram te*, id est contra te, vel, te sciente ac vidente, ut supra cap. I. 17. *Peccavimus ante Dominum*, & Isai. LIX. 12. *Multiplicatæ sunt enim iniquitates nostræ coram te*, Psal. L. 6. *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci*. Valet etiam quod re vera, quia quod coram Deo tale est, re vera tale est: sicut esse iustum coram Deo, est re vera iustum esse.

V. 3. QUIA TU SEDES, id est permanes. Hebr. שבת, *sedere* pro עמוד, *stare*, *durare*,

re, *permanere*, ut Pſalm. XXVIII. 10. *Et ſedebit Dominus rex in æternum* וישב. ET NOS PERIBIMUS : καὶ ὑμεῖς ἀπολλύμενοι τὸν αἰῶνα, *& nos peribimus in æternum*. Noſter interpres idem verbum αἰῶνα, priori loco vertit, *in ſempiternum*; poſteriori, *in ævum*; non alia, ut opinor, ratione, quam quod ſæpe varietate delectetur. Senſus eſt: Miſerere noſtri Domine, quia tu æternus es, nos mortales; quaſi dicat: Nec tu indiges noſtra miſeria, & nos valde indigemus tua miſericordia. Valet plurimum ad impetrandam miſericordiam, & petentis infirmitas, & eius, a quo poſtulatur ſignificata facultas, ut Pſalm. CII. 13. 14. 15. *Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe, quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum. Recordatus eſt, quoniam pulvis ſumus. Homo ſicut fœnum dies eius, tamquam flos agri ſic efflorebit.*

V. 4. MORTUORUM ISRAEL, id eſt eorum qui & dum viverent, & nunc mortui non deſiſtunt te orare pro huius populi ſalute. Sicut Iudas Machabæus Ieremiam Prophetam iam mortuum orantem vidit, Lib. II. Mach. XV. 14. Poteſt etiam alius eſſe ſenſus. ORATIONEM MORTUORUM, id eſt noſtram, qui adeo afflicti, & vexati ſumus, ut nihil a mortuis differre videamur, ut infr. verſ. 11. *Inveteraſti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis, deputatus es cum deſcendentibus in infernum*; ut idem ſit, *Mortuorum Iſrael*, ET FILIORUM IPSORUM, id eſt eorum, QUI PECCAVERUNT, ut Græce conſtat, τῶν ἁμαρτανόντων. ANTE TE: vide verſ. 2. ET AGGLUTINATA SUNT, καὶ, *&*, pro, idcirco, ut ſæpe alias adnotavimus. *Agglutinata ſunt*, ἐκολλήθη, *adhæſerunt*. Hebraiſmus, ותדבק; id eſt, ita nos occuparent, ita nos perſequuntur, ut non poſſimus nos ab illis explicare, ut ſup. I. 20. & Ierem. XLII. 16.

V. 5. MANUS TUA, id eſt potentiæ tuæ, frequens & notus Hebraiſmus; quaſi dicat: Ne conſideres, quid nos mereamur; ſed quid tu facere poſſis, & quid gloriam tuam deceat. Ut Pſal. CXIII. 9. 10. *Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Super miſericordia tua & veritate tua; ne quando dicant Gentes, ubi eſt Deus eorum?* IN TEMPORE ISTO, ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ; tempore hoc maxime ad miſerendum opportuno, quia hoc tempore maxime affligimur.

V. 7. DEDISTI TIMOREM TUUM, id eſt terrefeciſti nos multis calamitatibus affligens, ut vexatio nobis daret intellectum; vide cap. præcedens verſ. 30. ET UT INVOCEMUS. *Et*, non eſt Græce, neque ad ſenſum, eſt neceſſaria. QUIA CONVERTIMUR. Alia exemplaria habent, quia converteremur; atque ita legunt veteres interpretes, ſenſuſque eſt melior, ut ſi dicat: Hac enim ratione fiet, ut ab iniquitatibus patrum noſtrorum diſcedamus, ut dixerat Deus Levit. XXVI. 39. 40. 41. *Propter peccata patrum ſuorum, & ſua affligentur, donec confiteantur iniquitates ſuas, & malorum ſuorum recordentur*; & Deuter. IV. 30. *Poſtquam te invenerint, omnia, quæ prædicta ſunt, noviſſimo tempore reverteris ad Dominum Deum tuum, & audies vocem eius*. Græc. aliter legitur, ὅτι ἀπεστρέψαμεν ἐπὶ καρδίαν ἡμῶν πᾶσαν ἀδικίαν πατέρων ἡμῶν τῶν ἁμαρτηκότων ἐναντίον σου: quod aliqui ita interpretantur; *Quia in memoriam revocavimus iniquitatem patrum noſtrorum, qui peccaverunt coram te*, id eſt quia recordati ſumus, quod patres noſtri peccaverint ideoque nos pœnas dare. Alii *quia renovavimus*, vel, *quia imitati ſumus iniquitatem patrum noſtrorum*. Ego ſic; *Quia redieramus ad ingenium noſtrum*, (& ad) *omnem iniquitatem patrum noſtrorum, qui peccaverunt coram te*. Ut ſic interpreter facit illa dictio ὅτι, *quia*, reddit enim cauſam cur a Deo multis pœnis perterriti eſſent. Deinde ἀόριστος, ἀπεστρέψαμεν; qui non poteſt alio ſenſu bene convenire.

V. 8. IN PECCATUM, id eſt in pœnam peccati, ut I. Petr. II. 24. *Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum*; id eſt pœnas peccatorum noſtrorum. Græc. καὶ εἰς ὄφλησιν, *& in debitum*, id eſt in tributum: hoc enim proprie verbum ſignificat, quod ærario debetur. Sicut Ieremias dixit Thren. I. 1. *Et princeps provinciarum facta eſt ſub tributo*.

V. 9. AUDI ISRAEL. Apoſtrophe ad populum, qua eum exhortatur, ut ſaltem pœnis vexatus reſipiſcat, & faciat cum tentatione proventum.

V. 10. QUID EST: emphatica interrogatio; quaſi dicat: Cogita quid cauſæ ſit, cur tam diu in terra aliena verſere, & intellige te propter peccata tua exulare. INVETERASTI; id eſt, diu, uſque ad ſenectutem in exilio verſatus es.

V. 11. COINQUINATUS ES; id eſt, fa-

ctus es similis mortuis, qui coinquinati esse putantur. Sicut dixit vers. 4. *Audi nunc orationem mortuorum Israel*. ET DEPUTATUS ES: repetitio, & explicatio est eiusdem sententiæ. Solent Hebræi homines nimium afflictos mortuis comparare, ut Psal. XXVII. 1. *Ne quando taceas a me, & assimilabor descendentibus in lacum*, id est mortuis descendentibus in foveam sepulcri: & LXXXVII. 5. *AEstimatus sum cum descendentibus in lacum; factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber*; id est, cum adhuc vivam; vel liberatus ab hoc mundo, ut R. Salo. & alii Hebræi explicare solent: & Psal. CXLII. 7. *Non avertas faciem tuam a me: & similis ero descendentibus in lacum*.

V. 12. DERELIQUISTI FONTEM SAPIENTIAE, id est Deum, subiectio est: respondet enim interrogationi, qua versu 10. usus fuerat: imitatur autem Ieremias cap. II. 13. *Duo enim mala fecit populus meus; me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas: cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas*. Sapientiam enim vocat aquam vivam. Apud Deum enim est fons vitæ, Psal. XXXV. 10.

V. 13. NAM SI IN VIA DEI. Græci nunc aliter verba coniungunt: nam in fine superioris versus ponunt hæc verba, τῇ ὁδῷ τοῦ θεοῦ, *Via Dei*; & initio huius versus, εἰ ἐπορεύθης, *si ambulasses*; quod vix sensum habere potest. Itaque melius noster interpres verba connexuit. HABITASSES UTIQUE IN PACE SUPER TERRAM. Gr. ἐν εἰρήνῃ τὸν αἰῶνα, *In pace in æternum*. Atque verisimile est nostrum interpretem vertisse, *In pace sempiterna*; vitio autem scriptorum positum esse, *super terram*. Nam & Hugo Cardinalis adnotavit in nonnullis exemplaribus legi, *sempiterna*. Porro nomine pacis Hebræorum more omnium rerum copiam, omnemque felicem statum significat, ut Psal. XXXVI. 11. *Mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis*, & CXXI. 7. *fiat pax in virtute tua & abundantia in turribus tuis*.

V. 14. DISCE: tuo damno, quemadmodum si quis ægroto, qui propter intemperantiam gravi morbo opprimeretur, diceret; Disce ubi sit temperantia; disce ubi sit sobrietas; ut scias ubi sit sanitas. UBI SIT LUMEN OCULORUM. Sæpe adnotavimus lumen oculorum res prosperas, sicut tenebras res adversas significare, lege quæ diximus, cap. I. 12.

V. 15. QUI INVENIT. Docet veram sapientiam nulla arte inveniri, nulla potentia obtineri posse, nisi in Deo, quasi in eius fonte quæratur, ab eoque postuletur, ut admonet Iacobus I. 5. *Si quis indiget sapientia postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat*. Simile quiddam apud Iob XXXVIII. 36. *Quis posuit in visceribus hominis sapientiam: vel quis dedit gallo intelligentiam?* vel, ut Hebræi interpretantur, quis dedit intellectui intelligentiam. Et cap. XXVIII. 20. *Unde ergo sapientia venit? & quis est locus intelligentiæ?*

V. 16. UBI SUNT PRINCIPES? quasi dicat: Non poterunt eam sua potentia consequi nisi a Deo petant: aut, quid prodest principibus quod non solum hominibus, sed etiam bestiis dominentur, quod in avibus cæli ludant, &c. si sapientia careant, nec eam consequi possint? *Exterminati enim sunt, & ad inferos descenderunt*, ut ait vers. 19.

V. 17. QUI IN AVIBUS CAELI LUDUNT; id est, qui adeo potentes sunt, ut non solum in bestias terræ, ut paulo ante dixit; sed etiam (quod difficilius est) in aves cæli pro suo arbitrio dominari videantur. Ludere est, sine ulla difficultate, & quasi ludendo aliquid facere. Hebr. שחק ut Prov. VIII. 30. 31. *Cum eo eram cuncta componens, & delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore; ludens in orbe terrarum*; id est, orbem terrarum feci quasi nihil agendo.

V. 18. QUI ARGENTUM FABRICANT. Græc. ὅτι οἱ τὸ ἀργύριον τεκταίνοντες, *quia argentum fabricans*. Lectio nostri interpretis magis mihi placet: nam si, ὅτι legamus, nominativus est sine verbo; quamvis non ignorem Hebraismum esse posse; quasi dicat: Quamvis argentum fabricentur, &c. Argentum autem fabricari dicit, non solum eos, qui argentum conflant; sed etiam omnes, qui pecuniam quibusvis modis, quibusvis artibus corradunt; qui adeo subtiles rationes excogitant inveniendæ pecuniæ, ut eam excudere videantur. NEC EST INVENTIO OPERUM ILLORUM: Aliqui interpretantur, ita ut non possint eorum opera animo comprehendi. Alii, & pereunt opera eorum, ita ut non inveniantur.

amplius, ut Psalm. LXXV. 6. *Et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus eorum*. Alii, *non est inventio*, id est nullus finis est, *operum illorum*, acquirendæ pecuniæ: ac sensus quidem bene convenit: sed phrasis non est usitata. Ergo ex aliorum locorum observatione: Nihil lucri percipiunt ex operibus suis. Nam εὕρεμα, aut εὕρεσις, aut, ἐξεύρεσις, *Inventio*, *lucrum*, *&* *emolumentum* significat: quia quod invenimus, in lucro ponimus, ut Ecclesi. XX. 9. ἔστι εὕρεμα εἰς ἐλάττωσιν, *est inventio in detrimentum*, id est damnosum lucrum, lucrum quod detrimentum affert, cap. XXIX. 4. πολλοὶ ὡς εὕρεμα ἔδοξαν δάνος: *Multi quasi inventionem* (id est lucrum) *æstimaverunt fœnus*, & vers. 7. καὶ λογιεῖται αὐτὸ ὡς εὕρεμα, *et computabit illud quasi inventionem*, id est pro lucro habebit.

V. 19. Et alii. *Relinquent alienis divitias suas: et sepulchra eorum domus illorum in æternum*: Psalm. XLVIII. II. 12.

V. 20. Iuvenes viderunt lumen, id est nati sunt, qui illis successerunt; sicut Latini dicunt, in lucem editi sunt. Ita Iob III. 16. *Aut sicut abortivum absconditum non subsisterem, vel qui concepti non viderunt lucem*, & vers. 20. *Quare misero data est lux, et vita iis, qui in amaritudine animæ sunt:* & Iob XXXIII. 28. *liberavit animam suam, ne pergeret in interitum; sed vivens lucem videret*; quasi uno verbo diceret. Nati sunt iuvenes stulti, qui illis succederent, & omnes opes, quas collegerant, dilapidarent.

V. 21. A facie ipsorum longe facta est: longe eam repulerunt. Græc. υἱοὶ αὐτῶν ἀπὸ τῆς ὁδοῦ αὐτῶν πόῤῥω ἐγενήθησαν, *filii eorum a via ipsorum longe absuerunt*. Alii melius legunt ἀπὸ τῆς ὁδοῦ αὐτῆς, *a via ipsius, longe absuerunt*.

V. 22. In terra Chanaan: in terra promissionis, ubi Iudæi habitabant. Neque visa est in Theman, id est in Idumæa. Theman enim princeps Idumææ civitas est, ut constat ex Ierem. XLIX. 20. sic appellata ex Theman filio Eliphaz filii Esau, Genes. XXXVI. II. 15. Ponit autem principem civitatem pro tota regione, & duas regiones Chanaan, & Idumæam pro toto terrarum orbe; quasi dicat: Sapientia Dei non est visa, neque audita umquam in terris, non quo non eam aliqui habuerint, sed quod non ex terra, sed ex cælo habuerint. *Desursum enim est, descendens a Patre luminum:* Iacob I. 17. Similis apud Iob sententia, cap. XXVIII. 12. 13. 14. *Sapientia vera ubi invenitur? & quis est locus intelligentiæ? Nescit homo pretium eius: nec invenitur in terra suaviter viventium. Abyssus dicit, non est in me: & mare loquitur, non est mecum;* & Proverb. II. 6. *Dominus dat sapientiam, & ex ore eius prudentia, & scientia*. Propterea autem nominat Chanaan & Idumæam, potius quam alias regiones, quia in Chanaan habitabant Iudæi filii Iacob, in Idumæa filii Esau, inter quas duas gentes ex Isaac, & Abraham originem ducentes, credibile erat sapientiam potius, quam alibi reperiri: quasi tacite a maiori ad minus argumentetur: In Chanaan & Idumæa non reperitur, igitur nusquam in terris reperitur. Eademque ratione versu sequenti Agarenos seu Israelitas nominat, quia filii erant Abraham ex Agar ancilla & sapientiam mundanam maxime profitebantur.

V. 23. Filii quoque Agar, id est Ismaelitæ, quos negotiatores fuisse constat Gen. XXXVII 25. solent autem negotiatores humanæ sapientiæ, quæ in dolis, fraudibusque consistit plurimum habere. Qui exquirunt prudentiam, quae de terra est. Græc. ἐκζητοῦντες τὴν σύνεσιν οἱ ἐπὶ τῆς γῆς: *qui exquirunt prudentiam, qui super terram*. Clarius noster interpres: aut sic, *qui super terram prudentiam exquirunt*. Negotiatores terrae. Gr. οἱ ἔμποροι τῆς μεῤῥὰν, *negotiatores Meran*. Quod manifestum est nomen esse loci, sicut quod sequitur Theman; quod nomen cum nusquam alias, quod sciam, in Scripturis legatur, suspicor esse Merom, quod apud Iosu. XI. 5. 7. nomen quoque loci est, aut quem Hieron. in locis Hebraicis Merrum appellat, vicumque fuisse dicit iuxta Dothain: quamquam minus verisimile est Buruch hoc loco obscurum vicum nominasse. Et fabulatores, οἱ μυθολόγοι, fabularum interpretes, aut scriptores, qui morales fabulas ad informandam hominum vitam aut componebant, aut compositas explicabant, qualis AEsopus fuit, aut quisquis eas fabulas scripsit. Nam ii non solum sapientes, sed etiam Theologi habebantur, unde genus illud Theologiæ apud veteres natum est, quod, ut Euseb Lib. III. præpar. Evan. cap. II. & III. & August. Lib. VI. de Civit.

Civit. cap. v. 6. 7. scribunt μυθικὸν, fabulosum appellabatur, in quo genere Fulgentius, nonnullique alii Christiani laborarunt.

V. 24. O ISRAEL. Postquam docuit sapientiam nulla potentia, nullis artibus teneri posse, convertit orationem. Israel, ut per aliorum hominum comparationem ostendat, quantum beneficium Dei sit, quod illis potius, quam aliis gentibus vera sapientia per legem, & Prophetas patefacta sit. QUAM MAGNA EST DOMUS DEI. Aliqui domum Dei cælum interpretantur; quod mihi non placet, quia versu 26. dicitur, *Ibi fuerunt gigantes*. Alii templum, quod eadem ratione non probo; in templo enim non fuerunt gigantes: & præterea non diceret, non habere finem. Credo ergo domum Dei, & locum habitationis eius totam terram appellari, quæ finem non videtur habere; quasi dicat: Cum tota terra Dei sit, & tam late pateat, tamque multi in ea essent homines potentes, ac nobilissimi gigantes, non alios Deus elegit, quam Iudæos, ut illis sapientiam impertiretur, qui cum aliis comparati adeo exiguæ staturæ erant, ut non homines; sed locustæ esse viderentur, Num. XIII. 34.

V. 27. NON HOS ELEGIT DOMINUS: singularis commendatio divini beneficii. Ita Moyses Deuter. IV. 34. 38. *Dilexit patres tuos & elegit semen eorum post eos. Eduxitque te præcedens in virtute sua magna ex Ægypto, ut deleret nationes maximas, & fortiores te in introitu tuo*, & cap. VII. 6. 7. *Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris, de cunctis populis, qui sunt super terram. Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis iunctus est Dominus & elegit vos, cum omnibus sitis populis pauciores*. Hæc est consuetudo Dei, non numerum, non vires, non staturam, sed mores eligere, ut in electione Davidis declaravit, I. Reg. XVI. 7.

V. 29. QUIS ASCENDIT IN CAELUM? Sic difficultatem declarat divinam sapientiam obtinendi. Videtur autem Moyses eisdem verbis dicere contrarium Deuter. XXX. 11. 12. 13. 14. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, nec procul positum, nec in cælo situm: ut possis dicere quis nostrum valet ad cælum ascendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus, atque opere compleamus? Neque trans mare positum, ut causeris & dicas; quis e nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos usque deferre, ut possimus audire & facere, quod præceptum est? sed iuxta te est sermo valde, in ore tuo, & in corde tuo ut facias illum*. Ceterum hæ duæ sententiæ non sunt contrariæ. Eadem enim sapientia, eadem lex & difficilis nobis est sine gratia Dei, & facillima cum gratia; quæ quia semper parata est, facilis ubique lex dicitur, ut Matth. XI. 30. *Iugum meum suave est, & onus meum leve*, & I. Ioan. V. 3. *Et mandata eius gravia non sunt*. Tantum abest, ut sint impossibilia, ut novi hæretici delirant.

V. 30. ET ATTULIT: καὶ οἴσει αὐτὴν, *& afferet eam*. SUPER AURUM ELECTUM, id est potius quam aurum electum Græc. καὶ οἴσει αὐτὴν χρυσίου ἐκλεκτοῦ, ad verbum, *& afferet eam auri electi*, id est ἀντὶ χρυσίου ἐκλεκτοῦ, *præ auro electo*, sicut Hebr. מזהב, quem Hebraismum expressit noster interpres dicens, *super aurum electum*. Potest etiam esse genitivus pretii, quod apud Grecos est usitatum, & in hunc locum valde congruit. Alludit enim ad mercatores, qui mare traiicientes merces ad nos magno pretio emptas apportant; quasi dicat: Quis transfretabit mare, & sapientiam quasi margaritam aliquam multo pretiosoque auro emptam deferet? ut apud Iob XXVIII. 12. 13. *Sapientia vero ubi invenitur? & quis est locus intelligentiæ? nescit homo pretium eius*, id est non potest ullo pretio emi, & versu 15. *Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius*, & Proverb. III. 14. *melior est acquisitio eius negotiatione auri & argenti, primi & purissimi fructus eius*.

V. 31. NEQUE QUI EXQUIRET SEMITAS EIUS. Græce, οὐδὲ ὁ ἐνθυμούμενος τὴν τρίβον αὐτῆς, *neque qui animo comprehendat semitam eius*.

V. 32. SED QUI SCIT UNIVERSA. Descriptio Dei est; postquam enim docuit homines non posse sapientiam invenire, docet solum Deum illam invenire, & cui vult impertiri, ut Proverb. II. 6. *Dominus dat sapientiam, & ex ore eius prudentia, & scientia*. QUI PRAEPARAVIT TERRAM IN AETERNO TEMPORE. Græc. εἰς αἰῶνα χρόνον, *in æternum tempus*; quasi dicat; *Qui firmavit orbem terræ, qui non commovebitur*, Psal. XCII. 1.

V. 33.

V. 33. QUI EMITTIT LUMEN, id est, qui *solem suum oriri facit super bonos, & malos*: Mat. VI. 45.

V. 34. IN CUSTODIIS SUIS, id est in suis stationibus locisque a Deo designatis. Solet Scriptura loqui de Deo tamquam de Imperatore, de stellis tamquam de eius militibus, ideoque stellarum multitudinem passim militiam cæli appellat, Deuter. XVII. 3. & IV. Reg. XVII. 16. & XXI. 35. & XXIII. 4. 5. & Isai. XXIV. 21. & XXXIV. 4. & Ier. XIX. 13. Ideo dicit, *in custodiis suis*, quod militare verbum est. ET LAETATAE SUNT, id est splenduerunt; vel, promptæ & alacres fuerunt ad obediendum, sicut statim dicit, *Et luxerunt ei cum iucunditate*.

V. 35. ADSUMUS. Ita Iob de fulguribus, cap. XXXVIII. 35. *Numquid mittes fulgura, & ibunt, et revertentia dicent tibi, adsumus?*

V. 36. NON AESTIMABITUR ALIUS ADVERSUS EUM; id est, nemo alius Deus iudicabitur, si cum Deo comparetur. Hebraismus נגדו.

V. 37. HIC ADINVENIT. Conclusio est superioris descriptionis.

V. 38. IN TERRIS VISUS EST. Non est dubium quin hic locus de Christo vero Deo intelligatur, quemadmodum omnes veteres auctores interpretati sunt. Oratio autem Græca ambigua est. ὤφθη, καὶ συνανεστράφη: potest enim referri vel ad Deum, vel ad sapientiam. Atque uterque sensus verus est: sed melius noster interpres retulit ad Deum, ut significaret illum ipsum Deum, qui legem Iudæis dederat, cum venit plenitudo temporum in terris visum esse, natum ex muliere, factum sub lege, ad Galat. IV. 4. Christus enim erat, qui Iudæis per Mosem legem dabat, ut docet D. Paul. ad Gal. III. 19. Si ad sapientiam referatur, ut alii referunt, sensus erit, Christum Dei sapientiam, & Dei iustitiam, ut vocat D. Paulus, in terris visum esse, & cum hominibus conversatum, ut cum olim Deus multifariam multisque modis locutus nobis esset in Prophetis, nobis ad extremum per filium suum, id est per suam ipsius sapientiam loqueretur, ut ait D. Paul. ad Hebr. I. I.

S A.

Vers. 3. IN AEVUM? quasi dicat, In perpetuumne deferes nos? Græc. τὸ αἰῶνι quod proxime vertit *in sempiternum*.

V. 4. MORTUORUM: Sanctos, qui e vita discesserant, intelligit.

V. 5. MANUS, id est potentiæ. NOMINIS, scilicet misericordis & benigni.

V. 6. LAUDABIMUS, scilicet liberati agemus gratias.

V. 7. ET UT. Græc. *ut*.

V. 8. PECCATUM, id est pœnam peccati. Græc. *debitum*. SECUNDUM OMNES, id est prout merentur omnes.

V. 11. INVETERASTI, id est consenuisti. CUM MORTUIS; pro, velut si iam cum mortuis esses, ut statim explicat; quasi dicat, Perinde sordes, ut si esses mortuus. DEPUTATUS; pro, reputatus, seu adnumeratus.

V. 14. VICTUS. Græc. *vita*.

V. 15. EIUS, scilicet sapientiæ, seu disciplinæ. Vide infra.

V. 17. LUDUNT, id est delectantur. Forte venationem intelligit (& hic & sup.) ferarum.

V. 18. INVENTIO, scilicet numeri; vel quasi dicat, Perierunt eorum opera.

V. 19. EXTERMINATI SUNT, id est perierunt, e mundo sublati.

V. 20. LUMEN, scilicet lucem hanc solis, sed non divinam.

V. 22. THEMAN: est Idumææ civitas.

V. 23. MERRHAE, nomen regionis. FABULATORES, id est fabularum interpretes. COMMEMORATI, id est recordati.

V. 26. IBI, scilicet in mundo, vel locis supradictis. SCIENTES BELLUM, id est bellicosi.

V. 29. NUBIBUS, id est cælo: repetitio.

V. 30. SUPER, id est pretiosiorem quam.

V. 31. POSSIT, scilicet nisi duce Deo.

V. 32. ADINVENIT, id est fecit inveniri. PRUDENTIA, id est sapientia. PRAEPARAVIT, id est stabilivit. TEMPORE, scilicet duraturam.

V. 33. IN TREMORE, id est statim, more servi timentis herum.

V. 34. CUSTODIIS, id est stationibus: me-

metaphora a militibus: dicuntur enim stellæ *militia cæli*. LAETATAE SUNT; pro, lætificarunt homines, scilicet luce sua, vel hilares & promptas se exhibuerunt ad Dei imperium.

V. 35. Et, id est ad eius obsequium. CUM IUCUNDITATE, id est hilaritatem præseferentes luce.

V. 36. AEstimabitur, id est ullo erit in pretio. ADVERSUS EUM, id est cum eo collatus.

V. 37. VIAM, id est rationem, scilicet scientiæ Dei inventum, & donum: ipso enim donante ab hominibus inventæ. IACOB, id est populo Israelitico, ut statim explicat, vel patriarcha intelligitur. PUERO, id est servo.

V. 38. Visus, scilicet factus homo, qui antea, & semper Deus.

E S T I I.

Vers. 32. SED QUI SCIT UNIVERSA,..... QUI PRAEPARAVIT TERRAM IN AETERNO TEMPORE. Quæritur quomodo terram præparavit in æterno tempore? cum terra sit creata in initio temporis: tempus autem ipsum non sit æternum, sed una cum rebus creatis esse cœperit? Respondeo, incommoda versio parit obscuritatem. Græce sonat: *Qui præparavit terram in tempus æternum*; id est, ut in æternum permaneret, & numquam esse desineret. Itaque tempus æternum non ad præteritum, sed ad futurum est referendum. Et non aliud hic significatur, quam quod Sapiens dicit, Ecclesiastæ I. *Generatio præterit, & generatio advenit, terra autem in æternum stat.*

V. 36. 37. & 38. HIC EST DEUS NOSTER..... HIC ADINVENIT OMNEM VIAM DISCIPLINAE, ET TRADIDIT ILLAM IACOB PUERO SUO. POST HAEC IN TERRIS VISUS EST, ET CUM HOMINIBUS CONVERSATUS EST. De hac postrema sententia quæstio movetur, & plures ad Deum referunt, quia de eo præcessit, *Hic est Deus noster*, &c. sed nonnulli dicunt, illud: *Post hæc in terris visus est*; impletum fuisse eo tempore, quo post datam legem in monte Sina, Moses, Aaron, Nadab, & Abiu, & septuaginta seniores, & alii quidam ex multitudine, Exod. XXIV. leguntur Deum vidisse; quando etiam deinceps per quadraginta annos proximus fuit generationi illi, ut est Psalm. XC. id est, cum iis familiari modo est conversatus. Alii ad Deum quidem referunt, sed accipiunt tamquam vaticinium de Christo, qui in plenitudine temporum, in terris visus est, & cum hominibus conversatus. Ut autem hic locus plenius intelligatur, sciendum est, has voces *visus est*, *conversatus est* apud Græcos ad omne genus referri posse, cum non sint participia, sed verba. Proinde cum tota superiori deductione disputaverit Baruch de sapientia, non est improbabile hæc verba de sapientia dicta esse. Atque ita litteraliter quidem significabitur sapientiam traditam Israeli, deinde a tota eius posteritate fuisse visam, & cum iis conversatam, *quia notus in Iudæa Deus*. Mystico autem sensu, eoque haud dubie a Spiritu sancto intento, significabitur, ipsam Dei Sapientiam, id est Verbum Dei & Filium Patris post consummatam umbraticam populi veteris sapientiam, hominem esse factum; & in terris apparuisse, & cum hominibus fuisse conversatum: atque ita quoque per universum Israel spiritualem, veram sapientiam, id est verum Dei cultum Apostolorum prædicatione fuisse disseminatum.

L A N S S E L I I.

Vers. 3. ET NUNC. Græcus hæc omisit. ET SPIRITUS ANXIUS. S. Athanasius in Epistola ad Serapionem hunc locum refert, postquam regulas certas præscripsit ad dignoscendum, num Scriptura de Spiritu sancto vero Deo loquatur, easque diversis Scripturæ testimoniis confirmasset, concludit & quærit ab iis qui negabant Spiritum sanctum esse Deum: *Ecce quomodo Spiritus sanctus in universa Scriptura certis notis describitur; quid igitur tale in Propheta* Amos cap. IV. vers. ult. *conspexistis? siquidem* πνεῦμα, *id est spiritus, apud Prophetam, ne articulum quidem sibi adiunctum habet, ut vel inde occasionem captaretis* opinandi; agit de Spiritu sancto, quem nos Deum confitemur. ἀλλ' ἁπλῶς ἐτολμήσατε πρὸς ἑαυτοὺς ἐπινοεῖν, καὶ εἰπεῖν τὸ λεγόμενον κτίζεσθαι πνεῦμα αὐτὸ εἶναι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. *Verum sine adiectione seu absolute ponitur: ausi tamen estis rationes vobis comminisci & dicere, Spiritum qui* in Amos *creari dicitur, esse Spiritum sanctum: quamvis*

vis possetis ex viris eruditis differentias spirituum cognoscere. Dicitur enim etiam hominis Spiritus: Ὁ Βαρὺχ δ᾽ εὐχόμενός φησι· ψυχὴ ἐν στενοῖς καὶ πνεῦμα ἀκηδιῶν ἀνέκραγε (γρ. ἐξέκραγε ἢ κέκραγε) πρὸς σέ. *Baruch orans dicit: Anima in angustiis & spiritus anxiatus clamat ad te.* Hactenus S. Athanasius. Quod ad vocem *anxius* aut ἀδημονῶν attinet, notandum est, his vocibus explicari dictionem Hebræam עטף *ataph*, quæ proprie significat *operiri*, *obrui*, sed per metaphoram significat ingenti mœrore & calamitate obrui, & deficere viribus animæ & corporis. Septuaginta reddunt: ἀκηδιάζω, *anxius sum*; ὀλιγοψυχέω, *examinis prope fio*; ἐκλείπω, *deficio*. Vulgatus Latinus Interpres ab ἀκηδία, unde manat ἀκηδιάζω, formavit verbum *acedior*. Ecclesiastici VI. 26. *Subiice humerum tuum* sapientiæ *& ne acedieris vinculis eius*. Græcus loco *acedieris* habet προσοχθίσῃς, vel ut Romana, προσοχθίσῃς, *indigne feras*; tamen Interpres Romanus vertit *acedieris*: sic cap. XXII. 16. *Deflecte ab illo* stulto *& invenies requiem, & non acediaberis in stultitia illius*. Græce, καὶ μὴ ἀκηδιάσῃς; cuius dictionis propria notio est duplex, quando componitur ex α στερητικῷ, seu *privativo*, significat *negligens fio*, seu *mœrore*, *cura*; *solicitudine careo*. κῆδος enim explicatur *cura mœror*: si vero componatur ex α ἐπιτατικῷ, seu *intensivo*, significat *magna cura*, *magno mœrore afficior*. Existimo *acediari* in Ecclesiastico cap. VI. explicandum *mœrore afficiaris*, seu *graviter feras*, quod proprie est προσοχθίσῃς, in cap. XXII. eodem modo sumitur. Nunc originationem dictionis *anxius*, quam Vulgata pro ἀκηδιῶν posuit perpendamus. Notum est, *angere* fuisse olim in usu. Diomedes: *Angere proprie significat prefocare, sive strangulare, unde & Angina dicta est.* Notum etiam est, illud deduci a Græco ἄγχω, quod non tantum significat *fauces constringo*, sed *quovis modo premo*, *coerceo*. Ita usurpavit Gellius: *Chilo præstabilis homo sapientiæ, quonam usque debuerit contra legem contraque ius pro amico progredi, dubitavit: eaque res in fine quoque vitæ ipso animum anxit. Anxius* autem ab *ango* seu ἄγχω dimanavit. Huius significationem explanat Cicero IV. Tuscul. *Dicimus gravedinosos quosdam torminosos, non quia semper sint, sed quia sæpe sint: alii ad metum, alii ad aliam perturbationem proclives. Ex quo in aliis anxietas, unde anxii: in aliis iracundia dicitur, quæ ab ira differt: estque aliud iracundum esse, aliud iratum, ut differt anxietas ab angore. Neque enim omnes anxii, qui anguntur aliquando; neque anxii semper anguntur.*

V. 3. QUIA TU SEDES, id est permanes. Hebraismus, ישב, *iasab*, *sedet*, accipitur pro עמד *amad*, *permansit*, *perstitit*. Vide S. Dionysium de Divinis nominibus, cap. IX. in quo subtiliter & eleganter de Divino statu & motu docet. Manum abstineo, ne longior fiam.

V. 4. AUDI NUNC ORATIONEM MORTUORUM. Triplex huius loci explanatio. Prima: Audi orationem sanctorum Patriarcharum & Prophetarum, qui dum viverent; pro posteris suis orabant, & iam mortui adhuc orant pro illis in limbo. Sic Iudas Machabæus Ieremiam iam vita functum pro populi salute deprecantem vidit: II. Machab. XV. 14. Secunda: Audi orationem eorum qui proxime & nuper obierunt, qui etsi peccaverint, tamen pœnitentes decesserunt, ut idem sit mortuorum Israel, & filiorum ipsorum, id est eorum qui peccaverunt, sicut ex Græco patet, τῶν ἁμαρτανόντων. Tertia: Audi orationem nostram, qui adeo affligimur ut similes mortuis simus, & coinquinati cum mortuis iudicemur: vide vers. 11. Quartam suppeditat Olympiodorus. Τεθνηκότων φησὶ τῶν ὑπὸ τὴν ἀπόφασιν γενομένων διὰ τὴν ἁμαρτίαν: *Mortuorum, ait, eorum, in quos sententia lata est propter peccatum vel eorum qui propter peccatum a iustis Israelitis divisi sunt, seu qui propter peccatum negantur esse veri Israelitæ.* Ἀπόφασις pro *divisione* sumitur a Themistio Διαιρέσει, inquit, ἔοικε ἡ ἀπόφασις, συνθέσει δὲ ἡ κατάφασις. *Divisioni comparatur* ἀπόφασις, *compositioni vero* κατάφασις. Aristoteles III. Metaphys. Οὐσίας στέρησις ἀπόφασίς ἐστιν ἀπό τινος ὡρισμένου γένους: *Essentiæ privatio, divisio est ab aliquo definito genere* (substantiæ. Divisio autem & negatio hic pro eodem sumuntur. S. Dionysius docet τὴν καταφατικὴν θεολογίαν, esse *sermonem aliquid Deo attribuentem*. Contra vero τὴν ἀποφατικὴν, *sermonem aliquid a Deo removentem*. Vide de Mystica Theologia cap. III. IV. V. Quarta hæc interpretatio ceteris præferenda videtur, tum quia secundam & tertiam includit; tum quia melius cum

sequentibus cohæret : comprehendit enim simul superstites qui hanc orationem pronuntiant, & maiores eorum, qui omnes ob peccata sua indigni censetur ut exaudiantur a Deo Israel; quandoquidem opera Iacob, qui a Deo appellatus est Israel, & super quem nomen Dei invocatum fuit (cap. II. vers. 15.) non sectentur; quapropter adduci nequeo ut idem membrum existimem, *Mortuorum Israel & filiorum ipsorum qui peccaverunt ante te*, sicuti secunda sententia supponebat : sed duo distincta, priori defuncti, posteriori superstites, eorum posteri complectuntur. Quia cogitatio ac recordatio peccatorum a Patribus commissorum adiuncta ad propria peccata plurimum valet ad veniæ remissionem. Vide Danielem cap. IX. 4. &c.

V. 7. QUIA CONVERTIMUR. Græc. Ὅτι ἀπεστρέψαμεν ἀπὸ καρδίας ἡμῶν ἀδικίαν πατέρων ἡμῶν τῶν ἡμαρτηκότων ἐναντίον σου. *Quia avertimus a corde nostro omnem iniquitatem patrum nostrorum qui peccaverunt ante te*. Quidam legunt ἐπὶ καρδίαν, & vertunt, *Ut qui patrum nostrorum qui coram te peccaverunt, omnem iniustitiam in memoriam & cogitationem nostram reduximus*. Alii, *Quia renovavimus*, vel *quia imitati sumus iniquitatem patrum nostrorum*. Alius vertit : *Quia redieramus ad ingenium nostrum* (& ad) *omnem iniquitatem patrum nostrorum qui peccaverunt coram te*. Prima traductio tenenda, eamque exposcit nostra Vulgata editio Latina, aliæ vitiosa lectione nituntur. Vitiosam dico. Primo, quia Codex Vaticanus, & alii melioris notæ illam reiiciunt. Secundo, quia ἀποστρέφω numquam coniungitur apud probatos Auctores cum præpositione ἐπὶ, sed genitivum solum habet, vel præpositionem ἀπὸ, aut πρὸς cum accusativo. Tertio *convertimur* in Vulgata Latina idem est, quod *convertimus cor ab iniquitate*, idque in idem recidit cum *avertimus a corde iniquitatem*, sicuti Græce habetur. Quarto, Ἀόριστος seu indefinitum tempus, pro præsenti quandoque usurpatur, quod hic factum. Quinto, dictio, ὅτι, *quia*, non reddit causam cur a Deo multi pœnis perterriti essent Iudæi : sed ostendit quare laudare debeant in captivitate Dominum; nimirum quia Deum trementes peccata sua deseruerunt.

V. 9. AUDI ISRAEL. S. Oresiesis monachus Regulas de Institutis Monasticis, quas S. Hieronymus *Librum divino conditum sale* appellat, ab hoc versu exorditur, in quo & sequentibus usque ad 16. paululum a Vulgatæ textu discedit, postea argumentum huius libri adducit, quæ sic se habent vers. 9. *Audi Israel mandata vitæ: auribus percipe, & intellige prudentiam*. 10. *Quid est Israel quoniam in terra inimicorum es?* 11. *Inveterasti in terra aliena, commaculatus es cum mortuis, comparatus cum his qui in inferno sunt*. 12. *Et dereliquisti fontem sapientiæ*. 13. *Per viam Dei si ambulasses, forsitan habitareris in pace*. 14. *Disce* (ergo, ait) *ubi est prudentia tua, ubi est fortitudo gloriæ atque virtutis, ubi est intelligentia, ubi est lux oculorum, & pax*. 25. *Quis invenit locum eius? & quis ingressus est ad thesauros illius? Hæc loquebatur Baruch, propter eos qui in terram Babylonis & inimicorum suorum ducti sunt in captivitatem, quia noluerunt Prophetarum suscipere mandata, & obliti sunt legis Dei, quæ data est per Moysen. Idcirco induxit Deus super eos pœnas atque supplicia, & captivitatis subdidit iugo. Erudiens ergo eos ut suos, & quasi pater filios emendans, nolensque perire correctos, sed salvare cupiens per pœnitentiam*.

V. 10. QUID EST ISRAEL. Hunc versum S. Cyrillus Alexandrinus de Festis Paschalibus Homil. XXI. circa medium adfert, ut Iudæorum pervicaciam contundat. Græcolatine referam, ut melius S. Patris sententiam percipias; eam enim Interpres minime assecutus est. Postquam protulisset testimonium Isai. XXXV. 5. de cæcis, surdis, claudis, mutis per Christum sanitati restituendis, compellat Iudæos, dicens : Οὐκ ἐπὶ τῇ τοῦ Ἐμμανουὴλ παρουσίᾳ ἐλπίζειν ἀεὶ θέλεις, καὶ προσδοκᾷν ἅπερ ἐπιτελεσθέντα τεθέασαι; οὐδέν σε τῶν ἐνεργηθέντων εἰς πληροφορίαν ἄγει τοῦ θαύματος. ἀλλὰ κρύπτειν θέλεις τὰ πᾶσι διεγνωσμένα; μύεις τοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ τὰς ἀκοὰς κεκλεισμένας φυλάττεις ταῖς Χριστοῦ θαυματουργίαις; ἔχεις τοίνυν ἀξίαν τῶν σαυτοῦ πλημμελημάτων ἀντίδοσιν. οὐκ ἔτι γὰρ παρὰ σοὶ τὰ σύμβολα τῆς εὐσεβείας, οὐ πόλις, οὐχ ἑορτὴ, θυσία, πανταχοῦ δὲ τῆς οἰκουμένης διεσπαρμένος ἐμβιβίμενος, ἀκούσῃ δὲ καὶ παρά τινος ὀνειδίζοντος τῶν ὀρθὰ φρονεῖν ᾑρημένων ἐκεῖνο τὸ τοῦ Βαροὺχ προηγγελμένον. Τί ἐστιν Ἰσραὴλ ὅτι ἐν γῇ τῶν ἐχθρῶν εἶ; ἐπαλαιώθης ἐν γῇ ἀλλοτρίᾳ. συνεμιάνθης τοῖς νεκροῖς, προσελογίσθης κατὰ τῶν εἰς ᾅδου. ἐγκατέλιπες τὴν πηγὴν τῆς σοφίας. Quæ ita verto : *Num in Emmanuelis præsentia vis semper sperare? atque expectare quæ perfecta vidisti? Nihil te patratorum* (a Chri-

Christo) *in persuasionem miraculi* (quod Isaias prædixerat) *ducit , sed occultare cupis quæ omnibus pernota ? connives oculis , & aures occlusas Christi prodigiis custodis ? habes igitur dignam tuorum peccatorum retributionem , non amplius enim apud te insignia pietatis , non civitas , non solemne sacrificium , ubique autem terrarum palabundus dispersus es . Audies vero etiam ab aliquo exprobante illis qui sibi recta sapere assumunt , illud a Baruch prænuntiatum : Quid est Israel quod in terra inimicorum es , inveterasti in terra aliena , coinquinatus cum mortuis , deputatus es cum iis qui in inferno : dereliquisti fontem sapientiæ .* Præcipua Interpretis errata sunt : *Nihil te eorum quæ gesta sunt summa admiratione percellit .* Et , *Audies igitur a quopiam eorum qui rectos gerunt sensus .* Denique , *Contabuisti cum mortuis .*

Nota , S. Athanasium in epistola ad Serapionem hoc testimonium Baruch contraxisse : ita enim refert : Καὶ πάλιν ἐν τῷ Βαρὰχ. Τί ἐστιν Ἰσραὴλ ὅτι ἐν γῇ τῶν ἐχθρῶν ἐγκατέλιπες τὴν πηγὴν τῆς σοφίας ; *Et rursus in Baruch : Quid est Israel , quod in terra inimicorum dereliquisti fontem sapientiæ ?* quia tantum intendebat confirmare ex hoc loco , Deum Patrem vocari fontem , ideo cetera prætermisit . Et Oratione tertia contra Arianos (ubi ab Interprete male vertitur .) Ἰουδαῖοι κατὰ τούτων (Ἀρειανῶν) ἀρνούμενοι τὸν Υἱὸν οὐκ ἔχουσι οὐδὲ τὸν Πατέρα · καταλείψαντες γὰρ (ἀλλ. γὰρ) τὴν πηγὴν τῆς σοφίας , ὡς ὀνειδίζων αὐτοὺς εἶπεν ὁ Βαρούχ : ἀπέβαλον ἀφ' ἑαυτῶν , καὶ τὴν ἐκ ταύτης σοφίαν τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν , λέγοντες · Οὐκ ἔχομεν βασιλέα εἰ μὴ Καίσαρα . Ἰουδαῖοι μὲν οὖν ἔχουσι τῆς ἀρνήσεως τὰ ἐπίχειρα τῆς (γρ. τὰς) ἐπιτιμίας ἀπωλέσαν γὰρ σὺν τῇ πόλει καὶ τὸν λογισμόν · οὗτοι δὲ κινδυνεύουσι λοιπὸν καὶ περὶ αὐτὸ τὸ πλήρωμα τοῦ μυστηρίου , φημὶ δὴ τὸ Βάπτισμα εἰς γὰρ ὄνομα Πατρὸς καὶ Υἱοῦ δίδοται ἡ τελείωσις . Quæ ita verto *Iudæi una cum his* (*Arianis*) *Filium abnegantes , ne Patrem quidem habent . Postquam enim fontem Sapientiæ dereliquerunt , sicut eis exprobans dixit Baruch , abiecerunt quoque a se Sapientiam ex hoc* (fonte promanantem) *Dominum nostrum Iesum Christum , dicentes , Non habemus regem nisi Cæsarem . Iudæi quidem habent abnegationis præmium , castigationes ; perdiderunt enim cum civitate ipsam quoque rationem : hi autem* (Ariani) *periculum incurrunt in posterum etiam circa plenitudinem Sacramenti : dico autem Baptismum : nam sacramentum in nomine Patris & Filii conficitur .* Interpres hallucinatus videtur maxime in sequentibus : *Obturantes enim fontem , ut illis exprobrat Baruch .* Et , *Pro ista inficiatione egregium superpondium auctariumque suæ pœnæ adiecerunt .*

V. 11. INVETERASTI . Iacobus Capellus hæreticus reiicit librum Baruch , quod post undecimum annum a captivitate Iechoniæ , & XIX. a captivitate Ioakim , dicat Israelem inveterasse in terra aliena . Mirum est , virum qui cognitionem linguæ Hebraicæ iactitat , rudem adeo esse , ut nesciat dictiones עתק *atak* , נבל *nabel* , בלה *bala* , ישן *iasan* , quarum aliquam Baruch usurpavit , variis in locis verti a Septuaginta παλαιόομαι , *inveterasco* : sed sæpius μεταφορικῶς , sumi in Scriptura , sicuti apud Cæsarem ipsum *invetero* : dicit enim Lib. I. de Bello civili : *Inveteravit in locis miles* ; pro , diu remansit . Sane si Capellus ad 11. aut 19. annos molestias captivitatis tolerasset , puto quod de *inveteratione* conquereretur . Adde , squalorem , tristitiam , & alia captivitatis incommoda , canitiem præmaturam adferre . Cetera eiusdem argumenta , aut potius blasphemias in sanctum Prophetam omitto , quia indigna quæ refellantur : quis enim ferat debacchantem in Prophetam , quia dicit cap. 1. 3. se legisse librum suum ad aures Iechoniæ & universi populi , quod sit crimen læsæ maiestatis , collectas facere in subsidium adversariorum Regis . Illud sæpe factitatum a Calvinianis in Gallia contra Regem suum , negare non potest : ne fratrum suorum factum approbare videatur , affingit Prophetæ quod improbet , sicuti quod rebellis fuerit erga Regem Babyloniorum .

V. 14. UBI SIT VIRTUS , id est fortitudo . Græce , ἰσχύς . ET VICTUS , Græce , καὶ ζωή . Recte Interpres noster vertit ζωὴ , *victus* , etsi communiter significet *vitam* , quia Homerus eodem modo accepit in Iliade , ζωὴν ἐδάσαντο , *cibum diviserunt* , & præcesserat μακροβίωσις *longævitas vitæ* , quæ a ζωὴ pro *vita* sumptum vix differret . Adde , apud Hebræos חיה *chaia* significare & *vitam* & *victum* : quare Septuagint. reddunt βρωτὸν , *comestibile* ; ψυχὴ , *anima* ; πνεῦμα , *spiritus* , ζῶον , *animal vivum* . Nota effectus sapientiæ , pacem sempiternam , prudentiam & fortitudinem , re-

rum agendarum intelligentiam, longævitatem, necessaria ad victum.

V. 15. QUIS INVENIT LOCUM EIUS? scilicet sapientiæ. Iob cap. XXXVIII. 36. *Quis posuit in visceribus hominis sapientiam, vel quis dedit gallo intelligentiam?*

V. 16. UBI SUNT PRINCIPES GENTIUM. Clemens Alexandrinus Lib. II. Pædag. cap. III. hunc versum cum 4. sequentibus adfert, tacito Prophetæ nomine; ubi cum erudite, iuxta consuetudinem suam, mores instituat, & aliquantulum a textu Romano discedat, huc transferendum iudicavi; attamen ne longior sim Latine tantum referam; postea errores Interpretis & textuum discrepantias indicabo; sic igitur ait: *Sequere Deum nudus ab arrogantia, nudus a pompa momentanea, quod tuum est, quod bonum est, quod solum auferri nequit, in Deum fidem, in passum confessionem, beneficentiam in homines possidens; quæ quidem est possessio pretiosissima. Ego autem laudo etiam Platonem, qui lege lata aperte decernit, quod neque ut opes aureas & argenteas habeas laborare oportet, neque vas inutile, quod non cum usu necessario moderatum quoque sit, ut sit idem ad multa accommodatum: multiplex autem & varia possessio tollatur. Pulcherrime itaque alicubi dicit divina Scriptura, ad eos qui sunt sui amantes & arrogantes pertinens. Ubi sunt principes Gentium, & qui dominantur bestiis, quæ sunt super terram? qui in avibus cæli ludunt, qui argentum thesaurizant, & aurum in quo confidunt homines, & non est finis acquisitionis eorum? qui argentum & aurum fabricant, & sollicitii sunt? nec est inventio operum illorum. Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt.* Interpres corrigendus potissimum: Primo, omisit μόνον; Secundo, ἀναπτυσσόμενα, vertit *verba dirigens*; Tertio. ἔργων, vertit *verborum*. Quod ad textum attinet, versum 17. producit ad medium decimi octavi; & pro καὶ τὸ ἀργύριον, habet οἱ τὸ ἀργύριον; pro οἱ γὰρ τὸ ἀργύριον, habet οἱ τὸ ἀργύριον τε. καὶ τὸ χρυσίον.

V. 17. QUI IN AVIBUS CÆLI LUDUNT: Olympiodorus: *Auguria observantes; quandoquidem sapientia eorum terrena est, animalis, & diabolica.*

V. 18. QUI ARGENTUM FABRICANT. Olympiodorus: *Qui argentum per varias personas sibi colligunt*, id est quibusvis modis & artibus corradunt, sive suum conflando, sive alienum exigendo.

V. 19. EXTERMINATI SUNT. Theodoretus: *Illi etiam, inquit, traditi sunt corruptioni; & qui descenderunt ex illis, sunt quidem connumerati cum viventibus, eiusdemque luminis sensibilis splendorem participarunt; non tamen adepti sunt radium intellectus & notitiæ divinæ.* AD INFEROS DESCENDERUNT; sicuti Baltassar, Isai. XIV. 4. Daniel. cap. V. Rex Tyri, Ezech. cap. XXVIII. Pharao, Exodi XIV. & alter Pharao, Ezech. cap. XXIX.

V. 22. IN TERRA CHANAAN. Chananæa regio nomen accepit a *Chanaan* filio Cham, qui ab avo suo Noe maledictus est: quo nomine etiam dicta fuit, postquam ab Israelitis occupata fuit, etiam tempore Isaiæ. Vide cap. XIX. 18. & XXIII. 11. & Ezechielis XVI. 3. ibi tamen Phœnices eo nomine intelliguntur. Sic in Evangelio eadem mulier appellatur *Chananæa* & *Syrophœnissa*. *Chanaan* explicatur *Mercator, contritus, recte respondens, recte affligens, quasi commovens.* Rationem existimo, quia verbum כנע *canah* in passivo significat *curvatur*, & per metaphoram, *humiliatus, contritus*. Quia autem incolæ terræ Chanaan ob maris viciniam mercaturæ dediti fuerunt, כנען *Cenaan* pro *mercatore* usurpatur. Isaiæ XXIII. 8. Zachar. XIV. 21. Alii componunt ex כן *cen*, id est *recte*, & ענה *hana*, id est *respondit*, quod in *Piel* seu activo significat, *afflixit*. Alii componunt ex כ *Caph* similitudinis, id est *quasi*, & נע *nova*, id est *movit*: & S. Hieronymus de Nominibus Hebraicis. *Canaan σάλος*, hoc est, *motus eorum*, vel *negotiator*, vel *humilis*; itaque ad ιυ *nova* affixum tertiæ personæ, quod indicatur per ן *Nun* in fine. De his agemus ex instituto in Libello de Nominibus Hebraicis, Chald. &c. quem Deo volente postea habebis: eum consule, si plura desideres. Hoc unum omittere nequeo, Chaldæos seu Phœnices a sapientia bene audivisse, & primos litterarum inventores creditos. Lucanus Lib. III.

Phœnices primi (famæ si creditur) ausi
Mansuram rudibus vocem formare figuris.

Euse-

Eusebius Libro I. de Præparat. VII. eruditissime explicat Phœnicum Theologiam, quem legisse operæ pretium erit. Olympiodorus: *Pares iudicati sunt* (Iudæi] *his Gentilibus qui legem non audierunt, illi qui solam litteram legis secuti sunt: videntes enim non vident, & audientes non audiunt*. Hanc expositionem confirmat S. Hieronymus in caput XVII. Ezech. ubi docet, *Chanaan* significare *Gentilitatem*. NEQUE VISA EST IN THEMAN. Erat metropolis Idumææ, quæ a *Theman* filio Eliphaz ex Ada uxore, nomen accepit, per synecdochen totam Idumæam intelligit; quasi dicat: Etsi Chananæi & Themanitæ habeantur sapientissimi in cognitione rerum naturalium, tamen veram sapientiam ignorarunt; illa enim non a terra, sed e cœlo accipitur, quia *desursum est, descendens a Patre luminum*. Iacobi I. 17. Nota hic antiquitatem Academiarum. *Theman* fuit Academia Idumææ, & *Thecua* Chananææ. S. Gregorius III. Moral. XVIII. & VII. 17. *Theman interpretatur Auster, & designat fervorem hæreticorum, quo appetunt sapere plusquam oportet*. Apud illos igitur non est quærenda sapientia. Variis dictionis *Theman* interpretationes, ut brevior sim, in Libellum nostrum de Nominibus Propriis reiicio.

V. 23. FILII QUOQUE AGAR. *Qui quasi filii Abrahæ sapientiam venditabant*: Theodoretus. Recenset Chananæos, Idumæos, & Ismaelitas qui gloriabantur de sapientia. *Theman* enim est Idumæa: *Agar* autem, mater Ismaelis. Hos vocat fabulatores, quia parabolice disputare consueverunt. Verumtamen neque hi viam sapientiæ agnoverunt, utpote qui numquam impietati servire desierunt. Ex Incerto, quem Theodoreti compilatorem dixi, supple in Theodoreti Codice post *fabulatores*, ἢ διὰ τὴν μυθώδη θεοποιΐαν, ἢ, *vel ob fabulosam Deorum fictionem, vel*. Vide S. Bonaventuram in Sermone I. Dominicæ III. Adventus, Damascenum Lib. III. Parall. cap. XLIV. Petrum Damiani Lib. VIII. Epistolarum, Epistola IX. ad Bonifacium; qui pulcherrimam instituunt comparationem inter sæcularem prudentiam & spiritualem sapientiam. NEGOTIATORES MERRHAE. Forte *Merrha* est *Maara Sidoniorum*, de qua Iosue XIII. 4. ubi pro *& Maara Sidoniorum*, Hebræus habet ומערה אשר לצידנים *umara aser Lasidonim*, *Et prata quæ Sidoniis*. Alii, *& Magora quod est Sidoniorum*. Alii, *& spelunca quæ est Sidoniis*. Alii, *& Sidonius recessus*. Alii, *& Megarah, quæ est Sidoniorum*. Sept. ἀπὸ Γάζης, καὶ Σιδώνιοι, *a Gaza, & Sidonii*. Chaldæus, ומערתא צידונאי דכל, *umarta decal Sidonae, & spelunca omnium Sidoniorum*. Duo in hac interpretationum & lectionum varietate quærenda videntur. Unum, unde tanta diversitas: alterum, an *Merrha* melius cum *Maara* conveniat, quam *Marom* Utrumque eo lubentius discutiam, quod necdum ab alio examinatum credam. Quod ad primum attinet, sciendum, *Maara*, si ab ענה *ara*, *nudari* deducatur, significat *speluncam*, quia est locus nudus & quasi evacuatus. Si ab ערה *ara*, id est *viriditas*, sumitur pro *pratis*, *planitie*. Sic usurpavit Chaldæus Iudicum XX. 33. si a רעה *raa*, id est *pascere*, significat *pascua*: & quia idem verbum per metaphoram significat *consociare*, *amicum se præbere*, usurpatur quoque pro *vicinia*, seu *locis circumiacentibus*. De scriptionis varietate, dicere sufficiat, litteram ע aliquando vocali aliqua exprimi, sicuti hic in *Maara*; aliquando per *g* indicari, unde quidam scribit *Magora*, putatque *Maaram* esse *Magoram* fluvium in ora Libano subiecta inter Sidonem & Berythum: adfert Plinium Lib. V. cap. XX. Quod ad Secundum quæsitum spectat, num *Merrha* sit *Maara*, an *Marom*; dico, probabilius esse, *Merrham* & *Maaram* eumdem locum designare. Primo, quia *Merrha* est vicinior Sidoniis, sicuti ex tabula Adrichomii patet, qui per antonomasiam *negotiatores* hic vocantur. Secundo, *Maara*, teste Adrichomio, postea *cavea Tyri* dicta est: spelunca inexpugnabilis, atque Christianorum municipium in Sidoniensi territorio, quod anno post Christum natum 1167. præsidiarii milites pecunia corrupti Saracenis tradiderunt: Tyr. XIX. Bell. sacr. XI. Unde coniicio, Sidonios mercatores eo thesauros suos tamquam in locum munitum transportare solitos. Tertio, *Merom*, seu *Merrom*, quæ hodie *Aquæ Maron*, vocantur, lacus est nullo mercimonio celebris, sed tantum quia propter silvam, ad quam feræ propter herbarum copiam se conferunt, Regibus ac Principibus gratam præbet venationem. Itaque non convenit cum *Merrha*, quamvis propter scri-

scripturam Græcam Μερὰν, qua *Merrha* indicatur, & quod sita sit in terra Chanaan, sicuti ex cap. XI. Iosue patet, probabilius sit accipi posse pro *Merrha* potius quam *Merome*, quæ longius à Sidoniis distat, neque ob negotiationem aut sapientiam celebratur. Quarto, ad maiorem litterarum affinitatem inter *Maara*, & *Merrha*, quandoquidem locum eumdem denotent, puto scribendum esse *Meera*. Ratio est, quod ע etiam per *e* exprimatur, & facile sit *r* pro *e* legisse. Adde, perraro poni Daghes forte in ר *Res*, itaque *r* non fuit geminandum. Disputationi huic finem imponam, si prius causam, cur Septuaginta habeant ἀπὸ γάζης loco *Maara*, attulero. Arias & quidam alii existimant eos legisse מעזה pro מערה quod literæ *r* & *z* apud Hebræos non ita dissimilem figuram sortiantur. Ego existimo illos legisse, sicuti modo habetur, sed *Gazam* & *Maaram* pro eodem accepisse, quandoquidem *Gaza* fuerit limes Chananææ, de qua ibi agebatur, & respectu Iudææ ad Meridiem sita. Adde, *Maara* pro nomine proprio alibi non usurpari, quare prudenter eam per nomen notissimum interpretati fuere: itaque dicendum est, illos litteram מ *m*, accepisse pro præpositione מין *min*, ἀπὸ, *de*; & ערה *ara*, quod alibi pro nomine proprio non occurrit, per γάζη *Gaza* expressisse.

V. 24. ISRAEL, QUAM MAGNA EST DOMUS DEI. S. Ambrosius Lib. I. de Cain & Abel cap. V. videtur accipere vel de cælo aut Paradiso, vel potius de Ecclesia; nam post aliqua de Ecclesiæ convivio dicit: *Succede ergo in hoc convivium: an metuis, ne angustior domus, & brevis convivii locus te comprimat? O Israel, quam magna est*, (&c. usque, *non hos elegit Deus*.) *Et merito non elegit, quia prælium, non pacem sciebant*, (scilicet vel Angeli apostatæ, vel primi parentes, vel hæresiarchæ) *& ideo tu pacem disce ut eligaris a Deo*. Ceterum idem S. Doctor Lib. VI. Hexaem. VIII. per *domum Dei* intelligit mundum istum universum. S. Damescenus Lib. II. Parall. cap. IV. explicat de Templo Dei, sed Lib. I. Parall. cap. LXXXII. sumpsit de mundo hoc universo. Olympiodorus de Ecclesia exponit: *Ecclesia & mysterii ratio; quia nunc ex parte cognoscimus, cognitioque necdum perfecta est*. Locum vero pietatem appellat: ingentem vero (dicit) *propter augmentum quod semper in melius fit*. Possessionis, *quoniam cælestis Regis mysteria continet*. Gigantes: *de dæmonibus loquitur, qui ab initio una cum Angelis enumerati, propria temeritate a cælesti culmine deturbati sunt*. Nominati *autem, quia de illis prænuntiatum fuerat*. Statura magna, *tamquam fastuosi*: scientes bellum, *indigni enim pace Christi, bellum exercuerunt & dæmones & hæretici*.

V. 25. MAGNUS EST. S. Dionysius Areopagita Lib. de Divinis Nominibus, pluribus in locis divine nos docet, quomodo Dei locus sit immensus, præcipue cap. IX. in quod vide S. Maximi Scholia a nobis Latine reddita. Et cap. III. præscribit modum quo ad Deum accedamus. *Etsi enim*, ait, *Deus omnibus præsens adsit, non tamen ei præsentia sunt omnia*.

V. 26. GIGANTES. Vide Genes. VI. 4. Hebræi vocant גבר *gibbor*, נפילים *nephilim*, ענק *anak*, רפאים *rephaim*, quas Septuaginta reddunt per γίγας *gigas*; quia scilicet Scriptura per istas dictiones Gigantes designat: etsi diversa ratio sit nominum, quam Interpretes exprimere non debent, sed Scholiastis explicandas relinquunt: quia Baruch videtur alludere ad cap. VI. Genes. ubi pro *Gigas* Hebraice habetur נפילים *nephilim*, satis fuit indicasse interpretationem ibi allatam. Tamen, quia etiam respexisse videtur ad Numer. XIII. 33. 34. ubi dictio *anak* habetur, quam Septuaginta sæpe γίγας reddunt; de illa breviter dico, deduci ab ענק *anak*, *torques*, *collum*, quia torque ornabatur; fortassis ubi nomen illi impositum, quod torquem alteri post pugnam detraxerit, sicuti Cicero III. Officiorum de Manlio, *Qui ad Anienem Galli, quem ab eo provocatus occiderat, torque detracto, cognomen invenit*. Vide Gellium Lib. IX. cap. XIII.

V. 27. NON NOS ELEGIT DOMINUS. Hoc est quod ait Moyses Deuter. IV. 37. & cap. VII. 6. Incertus: *Vos igitur Gentibus antepositi fuistis, qui Legem & Prophetiam accepistis*. Tandem etiam ad eos incarnatus advenit: hoc enim per consequentia verba (vers. 36.) significat.

V. 29. QUIS ASCENDIT. Hæc sententia desumpta est ex Deuteronomio cap. XXX. 12. ad alium usum accommodata, & quodammodo contrarium. Ceterum, non sunt contrariæ: nam Moyses dicit Legem facilem,

quia

quia gratia Dei, quæ semper parata est, nobis eam, alioqui difficilem, facillimam reddit, ideo Christus Matth. XI. 30. *Iugum meum suave est, & onus meum leve*, & I. Ioan. V. 3. *Mandata eius gravia non sunt*. Errant igitur hæretici, asserentes mandata Dei impossibilia.

V. 30. Quis transfretavit. Olympiodorus: *Dominus qui dixit*, (Ioan. XVI. 13) *Confidite, ego vici mundum; solus enim ipse transnavit peccatum; illud vero, Invenit illam, est ac si diceret: Ostende nobis quomodo inveniamus illam: quoniam sapientia omne pretium superat: mystico vero sensu, Aurum electum est fides, per quam Filium cognoscimus*. In textu Græco subintelligenda præpositio, aut comparandi particula, quæ in Hebræo per מין *min* insinuatur.

V. 31. Non est qui possit scire vias eius. Olympiodorus: *Si quis enim aliquid nosse videtur, nondum novit, uti nosse oportet*.

V. 32. Sed qui scit universa. Olympiodorus: *Solus namque Pater Filium novit; patefecit vero illum & nobis per sapiens incarnationis mysterium*. Vera igitur sapientia a solo Deo communicatur. De modo communicationis consule S. Dionysium Areopagitam in epistola IX. ad Titum, & variis locis quæ in eius Indice suggessi. Replevit eam pecudibus. Olympiodorus: *Probos namque & improbos ad nuptias Dominus convocavit: iumenta vero eos ait, qui antea iumentis insipientibus comparati sunt*.

V. 33. Qui emittit lumen. Incertus seu Theodoretus: *Omnia, inquit, factori obediunt, custodias autem stellarum vocat tempora: stato enim tempore unaquæque oritur, vel cuiusque earum velut corpus & sedem luminis*. Stellæ, instar militum, obediunt Deo imperatori suo; ideo stellarum multitudo passim in Scriptura appellatum *militia cæli*: Deuter. XVII. 3. & IV. Reg. XVII. 16. & XXI. 3. Isaiæ XXIV. 21. Ierem. XIX. 13. ideo dicit *in custodiis suis*, quod militare verbum est; sicuti apud Hebræos אשמורה *asmura, custodia, vigilia*. Notum est, noctem apud Romanos in quatuor vigilias divisam, quarum singulæ ternas durarent horas: quam divisionem tempore Christi a Iudæis observatam, patet, ex cap. XIII. S. Marci vers. 35. cum antea tantum tres haberent vigilias, quarum singulæ quatuor horas complectebantur. Primæ fit mentio cap. II. Lam. vers. 9. Secundæ, seu Mediæ, Iudicum cap. VII. 19. Tertiæ, seu Matutinæ, Exodi XIII. 24.

V. 36. Hic est Deus noster. Testimonium est luculentum Incarnationis Verbi in his tribus versibus, ideo sancti Patres frequenter eo utuntur: sicut Cyprianus Lib. II. Testam. adversus Iudæos. Hilarius Lib. IV. & V. de Trinitate. Basilius Magnus Lib. IV. contra Eunomium. Gregorius Nazianzenus Orat. IV. de Theologia. Ambrosius Lib. I. de Fide, cap. II. & Bernardus Serm. LIII. in Cantica. Denique, ut plurimos omittam, Petrus Cluniacensis Tractatu contra Iudæos, cap. II. fusissime exponit: idem subtilissime præstiterunt Etherius & Beatus libro primo de Adoptione Christi Filii Dei, in Bibliotheca SS. Patrum editionis Coloniensis.

V. 38. Conversatus est. S. Athanasius refertur ad hunc locum in Catena Græca; sed tacetur ubi illa dixerit. Ea reperi in fine Orationis de Humana natura suscepta, & adverti Auctorem Catenæ quædam mutasse, ideo ipsissima S. Athanasii verba afferre volui. Postquam igitur hæc verba Scripturæ Arianis opposuisset, ipsos interrogat: *Quando vero cum hominibus conversatus est? nisi cum genitus, sicuti illi ex muliere, & æque ac ipsi infantulus fuit, incrementaque ac alimenta æque ac illi sumpsit*.

MALVENDAE.

Vers. 1. Anima in angustiis. Alii: *anima in angustiis posita*, seu *versans*. Quidam: *animus contractus*. Et spiritus anxius. Græce: *& spiritus gravi mœrore*, seu *angore & sollicitudine affectus*, sive *laborans*.

V. 3. Quia tu sedes in sempiternum, et nos peribimus in aevum? Alii I. *Tu enim degis ævum, nos vero vitam amittimus*. II. *Tu enim sedes in sæculum, nos vero an periemus in sæculum?* III. *Tu enim in æternum permanes, nos vero perimus in perpetuum*. Hæc, inquiunt, ratio fragilitatis humanæ, mortalitate cum æternitate Dei comparata, maximam ad orandum habet vim. Itaque in Psalmis, atque aliis locis Scripturæ ea adhibetur: habet enim humi-

milem confessionem humanæ conditionis.

V. 4. AUDI NUNC ORATIONEM MORTUORUM ISRAEL. Alii: I. *Exaudi quæso preces mortuorum Israelitarum*. II. *Exaudi iam orationem mortuorum Israelitarum*: nempe in peccatis, ut loquitur Apostolus Ephesior. II. 1. quod sequentium verborum exegesis docet: nam de his, qui vita functi sunt, accipiendum negat ipse Baruch, supra cap. II. 17. Vel *mortuorum*, id est versantium in morte præsentissima, ut infra vers. 11. Sed apte & vere possit accipi de mortuis Sanctis Patribus, qui pro populo in altera vita orabant: ut II. Machabæor. XV. 14. Sed Calvinistæ Iunio Catholica expositio non congruebat: vide Ierem. XV. 1. ET FILIORUM IPSORUM, QUI PECCAVERUNT ANTE TE. Quidam: *et filiorum eorum, qui peccant coram te*. Hæc posterior clausula, *qui peccant coram te*, potest referri & ad patres, & ad filios: quod est rectius. Alii: *& filiorum, qui peccaverint in te*. Nonnulli: id est, *filiorum, qui peccant coram te*. ET NON AUDIERUNT VOCEM DOMINI DEI SUI. Alii: I. *qui non auscultaverunt voci Domini Dei sui*. II. *monitisque Domini Dei sui non paruerunt*. ET AGGLUTINATA SUNT NOBIS MALA. Alii I. *& impacta sunt* &c. II. *unde nobis adhærent hæc mala*. III. *quamobrem malis sumus implicati*. Vide supra cap. I. 20.

V. 5. SED MEMENTO MANUS TUAE: id est, virtutis & potentiæ.

V. 7. QUIA PROPTER HOC DEDISTI, &c. Alii hunc versum e Græco reddunt: I. (*Nam propterea indidisti cordibus nostris timorem tui ad invocandum nomen tuum*) *& laudabimus te in loco deportationis nostræ, quandoquidem revocavimus in animum nostrum totam iniquitatem maiorum nostrorum, qui peccaverunt coram te*. Hæc omnia respiciunt ad promissionem, quæ ex Deuteronomio posita est supra cap. II. 29. & sequentibus. II. *Nam ideo terrore corda nostra percussisti, ut nomen tuum invocaremus, & te laudaremus in exilio nostro, ut qui omnem iniustitiam parentum nostrorum qui in te peccaverunt, animo recoluerimus*.

V. 8. ET ECCE NOS IN CAPTIVITATE NOSTRA SUMUS HODIE, &c. Alii ex Græco hunc versum efferunt: I. *Ecce nos in exilio nostro sumus hodie, quo nos dispersisti, opprobrio, maledictis, & debitis obnoxios, iuxta omnem iniustitiam patrum nostrorum, qui a Domino Deo suo defecerunt*. II. *Ecce nos hodie in deportatione nostra, ubi dissiminavisti nos, probro, & execratione, ac exactione infesti sumus, secundum omnes iniquitates maiorum nostrorum*.

V. 9. AUDI, ISRAEL, &c. Alii hunc versum reddunt: I. *Audi, Israel, præcepta vitæ, atque ad prudentiam cognoscendam aures præbete*. II. *Audi, o Israelita, præcepta vitalia, auresque adhibete percipiendæ sapientiæ*. III. *Audi, Israel, mandata vitæ, auribus percipite, ut cognoscatis prudentiam*. Altera pars litterarum seu libelli huius, ut diximus supra cap. I. 1. qua Iisraelitis gratia a Deo oblata exponitur, hoc capite & principio sequentis: deinde ad obsequium & fidem revocantur, reliquo libello.

V. 10. QUID EST, ISRAEL, QUOD &c. Alii: I. *Unde est, Israelita, quod in hostili terra degis, quod in peregrina regione consenuisti?* II. *Quid est, Iisrael, cur verseris in terra inimicorum, consenueris in regione aliena?*

V. 11. COINQUINATUS ES CUM MORTUIS &c. Alii: I. *Quod mortuorum commercio pollutus es, quod inferos petentibus es annumeratus?* II. *inquinatus, contaminatus, habearis cum mortuis, reputeris inter eos, qui sunt in sepulchro?* Fuit enim in illa captivitate quasi mortuus, & in Babylonia quasi in sepulchro quodam. Hac forma loquendi solent Hebræi significare extremas calamitates, & quasi desperatam salutem.

V. 12. DERELIQUISTI FONTEM SAPIENTIAE. Nempe Deum, seu legem Dei, ex qua sapientia in homines erat manatura, ut ipse narrat toto capite reliquo, & concludit disertis verbis principio capitis IV.

V. 13. IN PACE SUPER TERRAM. Sic olim legebatur; iam nunc Ecclesiæ auctoritate restituta est vera lectio, *in pace sempiterna*. Alii, *in pace æterna*, id est prosperitate, felicitate &c.

V. 14. DISCE UBI SIT PRUDENTIA &c. Alii hunc versum ex Græco reddunt: *Disce ubi sit prudentia, ubi sit robur, ubi sit intelligentia, ut cognoscas pariter ubi sit longævitas ac vita, ubi sit lux oculorum, & pax*. Ergasia præcedentis sermonis de præceptis vitæ & prudentiæ ad vitam consequendam; quasi dicat: Iam ex tuis calamitatibus cognosce non esse vitam, prudentiamque in manu aut industria hominum;

num; neque in corporum vastitate; sed a Deo accipiendam esse: ac non esse quidem in manu hominum industriaque, ostenditur usque ad vers. 24. non esse penes homines proceros, usque ad vers. 32. sed penes Deum esse docetur, sequentibus. Utrique autem, prudentiæ, inquam, ac vitæ, adiunguntur attributa duo, hoc versu, ad exornationem pertinentia.

V. 15. QUIS INVENIT LOCUM EIUS, &c. Alii hunc versum exponunt: *Quis investigavit sedem eius? aut quis in thesauros ipsius penetravit?* Nempe, quis hominum, qui aut potestate freti sunt, vers. 16. & tribus sequentibus; aut exemplis, vers. 20. 21. aut industria & arte, vers. 22. & 23.

V. 17. QUI IN AVIBUS CAELI LUDUNT, &c. Quidam hunc versum reddunt. I. *Qui aves cæli ludos faciunt, qui recondunt thesauros argenti & auri, quo fidunt homines, nec acquirendi finem faciunt*. II. *Qui volucribus cæli illudunt, & argentum recondunt atque aurum, cui confidunt homines, quorum denique non est finis possessionis*; seu, *innumera est possessio*. III. *Qui avibus cæli ad ludos iocosque suos abutuntur, qui recondunt thesauros argenti atque auri, quo homines maxime confidunt, nec ullum acquirendi finem faciunt*. QUI IN AVIBUS CAELI LUDUNT. Alii: *Qui avibus cæli illudunt*, scilicet aucupio capientes eas, vel ipsas captas in deliciis habentes, earum cantu, vel forma, vel raritate sese oblectantes: ut passim fa cere videmus potentes.

V. 18. QUI ARGENTUM FABRICANT, &c. Hinc & sequentem versum coniungunt, redduntque: I. *Nam qui argentum fabrefaciunt, & curant sollicite, & quorum non est pervestigatio operum, sive & quorum opera non possunt pervestigari, deleti sunt, & in sepulcrum descenderunt, aliique extiterunt pro eis*. II. *Nam argenti fabricatores illi studiosissimi, nondum confectis operibus suis extincti sunt, & inferos petierunt, exortis in locum eorum aliis*. QUI ARGENTUM FABRICANT; id est, vel *congerunt, comparant, corradunt*, ut divites, vel ex eo varia opera fabrefaciunt, nempe diversa vasa & instrumenta ex argento; vel ex argento monetam vel pecuniam cudunt. Quidam reddunt: *Argenti enim pecuniæque fabricatores*. ET SOLICITI SUNT: Græce *& curantes sollicite*, vel *anxie*. Aliqui reddunt: *qui ea summa cura sollicitudineque parant*. NEC EST INVENTIO OPERIS ILLORUM. Varie alii ex Græco: I. *nec est excogitatio*, seu *animi comprehensio operum ipsorum*; vel *& non est pervestigatio operum eorum*, seu *& quorum opera non possunt pervestigari*. II. *quæ nec cogitatione quidem comprehendi possunt*, quasi dicat: Tanta est amplitudo divitiarum operumve eorum, ut nemo eam animo suo complecti queat. III. *nec est inventio operum illorum*; id est, non amplius inveniuntur opera eorum, sed dispereunt & e medio abeunt. IV. *& non est lucrum, emolumentum operum illorum*; id est, nihil lucri aut emolumenti ex operibus suis percipiunt. Sic enim vocem Græcam interdum usurpari notant, nam quod invenitur, in lucrum ponitur. V. *nondum confectis operibus suis*, & cum sequentibus nectunt, *Extincti sunt*, &c.

V. 19. EXTERMINATI SUNT, &c. Alii hunc versum reddunt: I. *Iam evanuerunt, ad inferosque descenderunt, aliique in eorum locum successerunt*: quod reipsa fieri videmus. II. *Extincti sunt, & inferos petierunt, exortis in locum eorum aliis*. III. *Deleti sunt, & in sepulcrum descenderunt, aliique extiterunt pro eis*.

V. 20. IUVENES VIDERUNT LUMEN, &c. Alii ex Græco hos duos versus elucidant, I. *Iuniores lucem quidem aspexerunt*; id est, iuniores, qui extinctis illis, de quibus superiore versu, successerunt, hanc quidem vitam vixerunt, ut Iob III. 16. & XXXIII. 28. *& terram incoluerunt; sed ignoraverunt viam scientiæ: Non observaverunt semitas ipsius, nec eam exceperunt, filiique ipsorum procul absuerunt ab itinere eius*. II. *Iuvenes quidem hanc lucem aspexerunt, atque habitaverunt super terram; viam vero scientiæ non cognoverunt: Neque intellexerunt semitas eius, nec filii eorum eam sunt amplexi, longe ab ea absuerunt*. Commemorari quidam hic putant aliud genus hominum a superiore, qui nimirum suaviter hac vita perfruuntur, sed sapientia iucundissima animi luce destituuntur. III. *Iuniores viderunt lucem habitantes in terra, sed viam scientiæ non agnoverunt: Neque intellexerunt calles eius, neque susceperunt eam filii eorum; a via eius procul absuerunt*. Ac si dicat: Nihilo meliores fuerunt iuniores, qui superioribus illis successerunt. Quidam postrema verba cum

cum vulgato Interprete ex Græcis ita restituunt: *a via eorum procul facta est*, scilicet scientia.

V. 22. In terra Chanaan. Chananæos, seu Syro Phœnices intelligunt, primos literarum & theologiæ inventores, apud Eusebium Lib. I. Præparationis Evangelicæ Lib. VII. & Lib. X. cap. II. In Theman. Themanitæ olim celebres sapientiæ nomine fuere: vide Ieremiæ XLIX. 7. Sic versu sequente.

V. 23. Filii Agar. De quibus vide in Psalm. LXXXII. 7. & in Genes. XXXVII. 25. Negotiatores Merrhae. Græce: *mercatores Meran*. Varie explanatores divinant de hoc loco. Aiunt esse vel regionem, aut oppidum, unde ortus fuit Iechdeiahu *Merothices*, I. Paralipom. XXVII. 30. & Iosue XI. 5 vel *Maara Sidoniorum*, de qua Iosue XIII. 4. quod Sidonii insignes negotiatores essent. Sed mirum est hic Sidonios cum Themanæis iungi. Iunius insita audacia in Græci pro *Meran*, *Medan*, seu *Midian* substituit, redditque: *mercatores Medanei*: de quibus Genes. XXXVII. 28. & 36. Sane Hebræis *Daleth* & *Resch* propter similitudinem facile permutantur, ut *Medan*, *Meran*: vide I. Paralip. I. 6. Et fabulatores. Græci: *& mythologi;* id est, fabularum enarratores, interpretes, explanatores, elucidatores, vel scriptores, qui morales fabulas ad informandam hominum vitam vel componebant, aut compositas explicabant, qualis AEsopus fuit, aut quisquis earum fabularum, quæ nomine eius circumferuntur, auctor extiterit. Nam ii non solum sapientes, sed etiam theologi habebantur: unde genus illud theologiæ apud veteres natum est, quod mythologicum, id est fabulosum appellabant, quo rerum divinarum expositiones fabulis adumbrabant, de quo Plutarchus Lib. I. de Placitis philosophorum, cap. VI. Eusebius Lib. III. Præparationis Evangelicæ, cap. II. & III. & in Præfatione Lib. IV. & fuse S. Augustinus ex Varrone, Lib. VI de Civitate Dei, cap. V. VI. & VII. Hinc Mythologiea Palæphati & Fulgentii, quæ hodieque extant. Iunius solemni sua argutia reddit: *& rhetores*. *Sic interpretamur*, inquit, *Græcam Mythologorum vocem, ex antiqua significatione μῦθος, id est verbi, sermonis, dicti; nam Themanai ubique in Scriptura Sapientia nomine celebrantur, quæ ex Philosophorum omnium consensu, in verbis & rebus sita est*. Et exquisitores intelligentiae. Alii ex Græco: I. *ceterique prudentiæ conquisitores*. II. *& scrutatores intelligentiæ*. III. *prudentiæ licet exploratores*. Vox Græca proprie est, *examinatores*, *probatores*, *tentatores*, *exquisitores*, *scrutatores*, *pervestigatores*, *exploratores*, *æstimatores*, *comparatores*. Neque commemorati sunt semitas eius. Alii: I. *neque recordati sunt calles eius*. II. *haud callium eius meminerunt*. III. *nec in memoria semitas eius habuerunt*. Vox Græca proprie significat *semitam a viatoribus tritam*, *callem*.

V. 24. Et ingens locus. Græce: *& oblongus*, *prolixus*, *procerus*, *amplus*, *longe patens*, *spatiosus locus*, *&c.*

V. 25. Magnus est, et non habet finem, &c. Alii hunc versum ex Græco reddunt: I. *Locus magnus est & infinitus*, *excelsus atque immensus*. II. *Quam amplus est & infinitus*, *altus & immensus*. III. *Magna*, *adeo ut infinita sit*: *alta adeo ut immensa*. Nempe dignitate & præstantia, quia in ea solum sapientia & vita emicant, ut ostenditur Deuter. IV. 6. & sequentibus, & XXX. 15. Domum & possessionem Dei vocat, ut quidam volunt, vel terram, vel omnem ditionem Dei, in qua immensa & infinita eius sapientia elucet.

V. 26. Ibi fuerunt gigantes, &c. Hunc versum varie ex Græco convertunt: I. *Ibi fuerunt gigantes*, *homines iam inde ab initio nobiles*, *sublimes*, *proceri*, seu *ingenti corporis magnitudine præditi*, *reique bellicæ scientissimi* II. *Ibi extiterunt gigantes illi iam inde ab initio nobiles*, *ingentes*, *artisque bellicæ periti*. III. *Illic fuerant gigantes illi nominati*, *qui principio erant permagni*, *periti rei militaris*. Alter locus amplificationis ab hominum magnitudine, ut dictum est in vers. 14. de quibus Genes. VI. Simile argumentum vide Iob XXVIII.

V. 28. Interierunt propter suam insipientiam. Quidam reddunt: *perierunt propter vacuitatem consilii*, *ex qua laborabant*.

V. 29. Et accepit eam. Alii I. *&* *comprehendit illam?* II. *eamque adeptus est?* Confer hunc locum cum Deuter. XXX. 12. Ibi dicitur divina sapientia seu doctrina captu facilis, Dei gratia: hic difficilis, viribus humanis.

V. 30.

V. 30. QUIS TRANSFRETAVIT MARE, &c. Alii hunc versum ex Græco reddunt, I. *Quis traiecit mare, qui invenerit eam, auroque puro compararit?* vel, *ut inde eam potius quam aurum electum asportet?* II. *Quis traiiciens mare invenit eam, & allaturus est eam pro auro lectissimo?*

V. 31. NEQUE QUI EXQUIRAT SEMITAS EIUS. Alii ex Græco: I. *non, qui animum advertat ad callem eius*. II. *haud, qui callem eius perpensum habeat*. III. *nec, qui animo semitam illius comprehendat*. Verbum Græcum proprie significat: *in animo versare, volutare, animo concepire, animadvertere, considerare, expendere, reputare*.

V. 32. SED QUI SCIT UNIVERSA, NOVIT EAM, &c. Alii hunc versum e Græco edunt: *Sed, qui novit omnia*, vel *cui nota sunt omnia, is cognoscit eam, invenit eam intelligentia sua: qui comparavit*, seu *stabilivit terram in æternum tempus, qui implevit eam iumentis quadrupedibus*.

V. 33. QUI EMITTIT LUMEN, ET VADIT, &c. Hunc versum alii ex Græco convertunt: I. *Qui cum lucem emittit, ea progreditur; cum revocat eamdem, cum tremore ei obsequitur*. II. *Quo emittente lumen, procedit, vadit, & tremebundum obsequitur revocanti*. III. *Quo mittente lucem abit, revocante obsequitur ei tremens*.

V. 34. STELLAE AUTEM, &c. Hunc versum ex Græco reddunt. I. *stellæ vero suis in stationibus*, vel *in custodiis suis*; id est, locis unicuique tamquam militi assignatis: sunt enim a Deo ordinatæ, & quasi milites in statione ita collocatæ, ut ad imperium summi ducis Dei præsto sint: unde passim in Scriptura militia, seu exercitus cælorum appellantur: *luxerunt, lætataque sunt*. II. *stellæ ipsæ splenduerunt in stationibus suis lætantes*. III. *stellæ vero relucentes in stationibus suis hilares fuerunt*.

V. 35. VOCATAE SUNT, &c. Alii hunc versum reddunt. I. *Simulatque ab eo sunt vocatæ, dixerunt, Præsto sumus: ac cum lætitia suo luxerunt creatori*. II. *Quas si vocet, Adsumus, aiunt; suoque creatori fulgent cum lætitia*. III. *Quo vocante dixerunt, Adsumus: splenduerunt cum lætitia coram factore suo*.

V. 36. HIC EST DEUS NOSTER, &c. Alii: I. *Hic est Deus noster, neque est alius, qui cum ipso comparetur*. II. *Hic est Deus noster, cui non est comparandus alius*. III. *Is Deus noster est, non æstimatur alius cum ipso comparatus*.

V. 37. ADINVENIT OMNEM VIAM DISCIPLINAE, &c. Hunc versum nonnulli accipiunt de lege & doctrina Dei populo Israelitico a Deo data in monte Sinai, quæ veram sapientiam & scientiam Dei contineret. Alii, universe de vera scientia & cognitione Dei hominibus a Deo inspirata.

V. 38. POST HAEC IN TERRIS VISUS EST, ET CUM HOMINIBUS CONVERSATUS EST. Græca possunt referri masculine ad Deum: *Post hoc in terris visus est, & inter homines conversatus est*, vel feminee ad Sapientiam Dei: *Postea in terra visa est, & inter homines ea conversata est*; vel *quæ deinde comparuit in terra, & egit inter homines*. Quidam illud de lege data in Sinai exponunt. Unde Hispanicus Interpres: *Despues que el dio su ley y palabra a su pueblo, hay sabiduria entre los hombres: antes no*. Sed non est dubium, quin AEternum Dei Filium in carne revelatum intelligat; is enim est Patris Sapientia, per quam & in qua universa sunt condita: qui postquam Patribus in Sinai legem dedisset, indutus carne humana, & homo factus, in mundo visus est, & cum hominibus conversatus est, ab iisque contrectatus Ioan. 1. 14. & Ioan. 1. 1. Quam explanationem probat Patrum consensus.

MENOCHII.

Vers. 2. ANTE TE: coram, vel contra te, Te etiam vidente, & sciente; vel sensus est, vele peccavimus, quia quod coram Deo tale est, revera tale est.

V. 3. SEDES, permanes. IN AEVUM: in æternum non amplius ad huius mortalis vitæ officia reversuri.

V. 4. MORTUORUM ISRAEL, id est eorum, qui & dum viverent, & nunc mortui non desistunt te orare pro huius populi salute. Potest etiam esse sensus, *Orationem mortuorum*, id est nostram, qui ita afflicti sumus, ut nihil a mortuis differre videantur. ET FILIORUM: orationem nostram, qui filii sumus eorum, qui in te quidem peccaverunt; sed tamen pœnitentes decesserunt. AGGLUTINATA SUNT NOBIS MALA: adhæserunt nobis, ita nos oc-

ruparunt, ita nos persequuntur; ut ab illis nos explicare non possimus, vide sup. cap. num. 20.

V. 5. MANUS TUAE: potentiæ tuæ; quasi dicat: Ne consideres quid nos mereamur, sed quid tu facere possis, & quid gloriam tuam deceat. IN TEMPORE ISTO: maxime ad miserendum opportuno, quia hoc tempore maxime affligimur.

V. 6. LAUDABIMUS TE: hoc miserabili statu soluti.

V. 7. DEDISTI TIMOREM TUUM; id est, terrefecisti nos multis cladibus, & erumnis affligens, ut disceremus te timere & revereri. CONVERTIMUR. Græce ἀπεστρέψαμεν, *aversati sumus*, peccata patrum nostrorum, & ad te redimus. IN IMPROPERIUM ET MALEDICTUM: nobis enim illudunt, & insultant populi, & maledictis, & convitiis proscindunt. IN PECCATUM: pœnam peccati. SECUNDUM OMNES INIQUITATES, &c. quasi dicat: Nec nos hæc immerito patimur, quia parentum nostrorum, qui a mandatis tuis recesserunt, & mores expressimus, & vestigia tenuimus a salute devia.

V. 9. MANDATA VITAE: mandata, & documenta salutaria quæ vitam afferant. PRUDENTIAM, veram, qua dirigas actiones, & studia tua.

V. 11. INVETERASTI; id est, diu & usque ad senectutem in exilio, & captivitate fuisti COINQUINATUS ES CUM MORTUIS; quasi dicat: In Babylone versaris velut in sepulcro, quasi cum mortuis iam esses mortuus, adeo sordes, & squales. Mortui enim sive cadavera sunt coinquinata tum naturaliter tum moraliter ex lege veteri. DEPUTATUS ES, &c. Est repetitio eiusdem sententiæ. DESCENDENTIBUS IN INFERNUM, id est in foveam sepulcri: sic Psalm. XXVII. 1. *Assimilabor descendentibus in lacum*.

V. 22. DERELIQUISTI FONTEM SAPIENTIAE, id est Deum. Respondetur hoc versiculo interrogationi supra positæ num. 10. *Quid est Israel*, &c.

V. 14. DISCE, tuo damno. VIRTUS, id est fortitudo ad resistendum hostibus; Græce enim est ἰσχύς. INTELLECTUS, rerum agendarum intelligentia. LUMEN OCULORUM: lumen, quod oculos mentis illuminat. Aliqui per lumen oculorum res prosperas intelligunt.

V. 15. QUIS INVENIT LOCUM EIUS? Docet veram sapientiam nulla arte inveniri, nulla potentia obtineri posse, nisi in Deo, quasi in eius fonte quæratur, & ab eo postuletur.

V. 16. UBI SUNT PRINCIPES, &c. quasi dicat, Non poterunt eam sua potentia consequi, nisi a Deo petant. Vel sensus est: Quid prodest principibus, quod non solum hominibus, sed etiam bestiis dominentur, quod avibus cæli ludant, &c. si sapientia careant, nec eam consequi possint?

V. 17. QUI IN AVIBUS CAELI LUDUNT. in Græco est ἐμπαίζοντες, *illudunt*, cantu aut esca decipientes, ut faciunt aucupes. Vel sententia est: Qui adeo potentes sunt, ut hoc solum in bestias terræ, ut paulo ante dixit, sed etiam (quod est difficilius) in aves cæli pro suo arbitrio dominari videantur. Ludere enim est sine ulla difficultate, & quasi ludendo aliquid facere, sic Proverbior VIII. 30. dicitur, *Cum eo eram cuncta componens, coram eo omni tempore ludens in orbe terrarum*.

V. 18. NEC EST INVENTIO OPERUM ILLORUM. Non est invenire numerum, aut terminum excellentium operum illorum. Non est invenire, id est comprehendere quanta, & qualia sint opera illorum.

V. 20. IUVENES VIDERUNT LUMEN, id est nati sunt, qui illis successerunt, editi sunt in lucem, ut Latini loquuntur. VIAM DISCIPLINAE IGNORAVERUNT: prudenter se, & moderate non gesserunt, sed opes a parentibus relictas dilapidaverunt.

V. 21. SEMITAS EIUS, scilicet prudentiæ, & sapientiæ. A FACIE IPSORUM LONGE FACTA EST. Longe eam repulerunt; longo intervallo ab illa abfuerunt.

V. 12. NON EST AUDITA, &c. Sententia est, sapientiam Dei non esse visam, neque auditam unquam in terris, non quod eam aliqui non habuerint, sed quod non ex terra, sed ex cælo habuerint. IN TERRA CHANAAM, &c. quasi dicat: In Chanaan (id est in terra promissionis, inter Hebræos filios Iacob) non invenitur, neque inter Idumæos filios Esau; ergo in terra non invenitur; si enim alicubi inveniretur, certe inter hos, qui ex Isaac, & Abraham viris sapientissimis originem ducunt. Vel sensus est: Sapientiæ huius nomen, quam humana facultas non invenit, neque auditum est inter Chananæos, vi-

ros

ros solertes, industrios, navigationique deditos, qui multas lustrant regiones: neque inter Themanitas, qui inter Idumæos censentur esse sapientissimi. IN THEMAN. Theman erat Metropolis Idumææ ut constat ex Ierem. XLIX. 20. sic appellata ex Theman filio Eliphaz, filio Esau Genes. XXXVI. 11. 15.

V. 23. FILII QUOQUE AGAR, id est Israelitæ, quos negotiatores fuisse constat Genes. XXXVII. 25. solent autem negotiatores humanæ sapientiæ, quæ in dolis fraudibusque consistit, plurimum habere. QUI EXQUIRUNT QUAE DE TERRA EST; & ideo huius sapientiæ humanæ non expertes esse creduntur. NEGOTIATORES MERRHAE: fortasse Merrha est Maara Sidoniorum, de qua Iosue XIII. 4. hi enim præcipui erant mercatores, a quibus Tyrii sunt orti. FABULATORES. Qui genus illud Theologiæ sequuntur, quod μυθικὸς dicitur, id est fabulosum, qualis fabulator est Hesiodus in Theogonia, & passim alii poetæ. Vel intelligit scriptores, & interpretes fabularum ad mores informandos inventarum, quales sunt AEsopi fabellæ & aliæ huiusmodi. De h s vere dicitur illud Psalm. CXVIII. 85. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.* EXQUISITORES PRUDENTIAE, &c. Investigarunt naturalem, & profanam sapientiam, & in ea admodum sapientes habiti sunt; sed tamen viam veræ, & divinæ sapientiæ nescierunt.

V. 24. O ISRAEL, &c. Postquam docuit sapientiam nulla potentia, nullis artibus humanis teneri posse, convertit orationem ad Israel, ut per aliorum hominum comparationem ostendat, quantum beneficium Dei sit, quod illis potius quam aliis genribus vera sapientia per legem, & prophetas patefacta sit. DOMUS DEI: nomine domus Dei totum terrarum orbem intelligit.

V. 25. NON HABET FINEM. Est hyperbole, qua significatur terræ spatium maximum, & capacissimum esse.

V. 26. IBI FUERUNT GIGANTES, &c. Sententia est: Cum tota terra Dei sit, & tam late pateat, & tam multi in ea fuerint homines, potentes, nobiles, eximiaque corporis proceritate, non tamen alios Deus elegit quam Iudæos, ut illis sapientiam impertiretur, qui cum aliis hominibus comparati adeo exiguæ staturæ erant, ut non homines sed locustæ esse viderentur: Num. XIII. 14.

V. 27. NON HOS ELEGIT DOMINUS, &c. Deus enim non staturam, non robur, non numerum eligit, sed mores. Immo in prima vocatione ad gratiam mores non eligit, sed eligendo eos facit, & format bonos.

V. 29. QUIS ASCENDIT, &c. quasi dicat: Ab homine nusquam nec in cælo, nec in terra inveniri potest sapientia, sed tantum apud Deum, qui est fons & pelagus sapientiæ.

V. 30. SUPER AURUM, id est potius quam aurum.

V. 32. SED QUI SCIT UNIVERSA, &c. quasi dicat: Solus Deus, qui est ipsa sapientia æterna, & increata, eam invenit, & cui vult communicat. PRAEPARAVIT TERRAM, id est firmavit, stabilivit, hoc enim significat Hebraica vox כון *con*. IN AETERNO TEMPORE: ut duret æterno tempore, id est semper.

V. 33. EMITTIT LUMEN. *Qui solem suum oriri facit super bonos & malos*: Matth. V. 45. OBEDIT ILLI IN TREMORE: statim, celerrime, ad nutum, ut servi faciunt, qui heros suos timent.

V. 34. IN CUSTODIIS SUIS, in suis stationibus, & locis a Deo designatis; est metaphora ab excubiis militum desumpta; quare in Scripturis sæpe stellæ dicuntur, *Militia cæli*. LAETATE SUNT; id est splenduerunt, vel promptæ, & alacres fuerunt ad obediendum.

V. 35. DIXERUNT: non verbo sed facto. LUXERUNT EI CUM IUCUNDITATE: clare illo iubente splenduerunt; lætam cæli faciem suo lumine reddentes.

V. 36. NON AESTIMABITUR ALIUS ADVERSUS EUM; id est, nemo alius Deus iudicabitur, si eum Deo comparetur.

V. 37. ET TRADIDIT ILLAM IACOB: Iacobi filiis Israelitis, eum scilicet legem dedit per Moysen, & viam salutis docuit per prophetas, &c.

V. 38. POST HAEC IN TERRIS VISUS EST, &c. Ipse legislator, quod maximum fuit omnium beneficium.

T I R I N I.

Vers. 3. TU SEDES IN SEMPITERNUM, vitam vivens in perpetua felicitate; ET NOS PERIBIMUS IN AEVUM; quasi dicat: Permittes ne ut dilecti filii tui per-

perpetuo miseri sint, & pereant æternum? illudne perpetuo ferre poterit pectus paternum?

V. 4. AUDI ORATIONEM MORTUORUM ISRAEL; nempe fletum, gemitum, clamorem & preces eorum, qui manu Chaldæorum occisi sunt; qui licet peccarint, pœnituerunt tamen, & iam in limbo supplicant tibi pro filiorum suorum liberatione, inquit Theodoretus. Sed Maldonatus per mortuos mavult intelligere captivos Iudæos afflictos, ut nihil a mortuis differre viderentur, ut ait vers. 11. &, id est idcirco, AGGLUTINATA SUNT, id est tenacissime adhærent, NOBIS MALA.

V. 5. MEMENTO MANUS, id est potentiæ, TUAE; quæ immensa est, & toties pro populo tuo tutando exserta; quasi dicat: Ne attendas quid nos mereamur, sed quid deceat tuam omnipotentiam, gloriam & maiestatem.

V. 7. DEDISTI TIMOREM TUUM IN CORDIBUS NOSTRIS; id est, effecisti tot flagellis & cladibus, ut timeamus, revereamur & colamus te.

V. 8. DISPERSISTI NOS IN PECCATUM, id est in pœnam & opprobrium peccati; nempe, ut ab omnibus habeamur & vocemur eximii peccatores, egregie scelerati, quod tantas cogamur pœnas dare, inquit Hugo & Lyranus.

V. 9. AUDI ISRAEL. Est apostrophe ad populum. Et hic incipit secunda pars libri Baruch e Babylone in Iudæam transmissi, nempe admonitio ad pœnitentiam & sapientiam, ut dixi in argumento capitis.

V. 10. & 11. QUID putas EST causæ, o ISRAEL, QUOD IN Chaldæa, in exilio, in extremis miseriis *inveterascis*, COINQUINATUS CUM MORTUIS, id est abiectus, squalens, sordidus si ac cum mortuis versareris in sepulcro: immo *reputaris* ipsemet iam mortuus, & IN INFERNUM, id est ad locum & statum mortuorum, *descendisse*: ita Theodoretus. Hac metaphora *a* designantur extremæ miseriæ & squalores. Vis nosse causam tanti mali?

V. 12. DERELIQUISTI FONTEM SAPIENTIAE; scilicet Deum *b*, deserendo legem eius, quæ instar rivi ex isto fonte promanat.

V. 14. DISCE vel nunc saltem ex his flagellis, UBI SIT PRUDENTIA, unde haurienda & quam tu egeris imprudenter. Indicat hic septem fructus & effectus *sapientiæ*, seu obedientiæ & observantiæ legis divinæ. Primus est PAX, id est felicitas, *sempiterna*. Secundus, *prudentia* in rebus gerendis. Tertius, VIRTUS; Græce, *robur*, ad resistendum hostibus, inquit Theodoretus & Hugo. Quartus, est INTELLECTUS, id est æstimatio rerum ut in se sunt singulæ. Quintus, est LONGITURNITAS *vitæ*. Sextus, copia VICTUS, id est alimoniæ, & omnium rerum necessariarum. Septimus, LUMEN OCULORUM; seu mentis illuminatio: *Lex* enim est *lux*, inquit Sapiens *c*. Nisi cum Maldonato malis per *lumen* accipere res prosperas, ut alibi dixi *d*. Alios fructus sapientiæ recenset Sapiens toto libro qui Sapientia inscribitur, sed maxime cap. x.

V. 15. QUIS hominum INVENIT LOCUM EIUS? scilicet sapientiæ. Decet veram *sapientiam* quæ hominem beatum reddat, nulla humana potentia, nulla arte, nullo ingenio acquiri *e* posse, sed in Deo, quasi in proprio fonte quærendam, ab eoque postulandum *f*.

V. 18. NON EST INVENTIO OPERUM ILLORUM principium; id est, nemo facile inveniat, aut comprehendat numerum, terminum, artificium operum illorum. Tamen per nulla sua opera eiusmodi potuerunt consequi veram sapientiam; sed cum vana sua scientia & potentia.

V. 19. AD INFEROS DESCENDERUNT, æternum istic torquendi pro sceleribus suis. Sic & filii illorum, exemplis parentum nihilo meliores facti.

V. 20. IUVENES, animosi ac generosi, VIDERUNT quidem LUMEN *g* prosperitatis mundanæ, dilapidantes bona paterna; sed VIAM DISCIPLINAE, seu sapientiæ, æque ac parentes IGNORAVERUNT.

V. 22. NON EST AUDITA IN CHARAN, ubi tamen Phœnices, v. g. Tyrii, nauticæ rei & mercaturæ sunt scientissimi: NEQUE VISA EST IN THEMAN, id est in Idumæa cuius metropolis & academia *h* est *Thomaa*, sic nominata a filio Eliphaz Genes. XXXVI. 11. & xv. quasi dicat: Nullæ insulæ, nulla externa regna, nullæ academiæ, quantumvis florentissimæ, subministrabunt veram solidamque sapientiam.

V. 23. FILII QUOQUE AGAR, seu Agareni, nunc Saraceni etsi terrena & humana sapientia polleant: & NEGOTIATORES MERRHAE: forte est *Maara* Sidoniorum, de

de qua Iosue I. 4. FABULATORES, id est fabularum & parabolarum explicandarum peritissimi: verbo uno, EXQUISITORES & indagatores omnis humanæ ac naturalis PRUDENTIAE ET INTELLIGENTIAE; tamen VIAM veræ, solidæ, divinæ SAPIENTIAE nec calcarunt, nec *sciverunt*, quia Deum, unicum fontem sapientiæ ignorarunt.

V. 24. & 25 Quam felix tu, o ISRAEL, cui soli ex omnibus gentibus obtigit, ut hanc sapientiam per Dei legem & Prophetas assequereris! QUAM MAGNA, vasta, ampla EST DOMUS DEI, id est universum hoc, in quo Deus tamquam in domo sua habitat instar rectoris & patris familias! INGENS EST hic LOCUS POSSESSIONIS Dei; ET NON HABET FINEM. Hyperbole est, quasi dicat: Est maximus & capacissimus, adeoque & immensus respectu aciei oculorum humanorum, ut optime demonstrat Christophorus Clavius *i* & alii Mathematici.

V. 26. IBI FUERUNT GIGANTES ILLI AB INITIO: de quibus Genesis VI. 4. quasi dicat: Nec in vastissima mundi machina, nec apud robustissimos mundi incolas reperire est veram sapientiam; sed apud solum mundi opificem, rectorem & doctorem Deum. Ad quem si voles ascendere, debes desertis creaturis quærere creatorem, eique inhærere, & ab illius ore pendere. Nam si inter homines hæreas,

V. 29. QUIS ASCENDIT ex illis IN CAELUM, ET inde EAM ad nos deduxit?

V. 30. QUIS traiecto *mari*, INVENIT ILLAM, nobisque ATTULIT pretiosam SUPER *k* AURUM ELECTUM? cui comparandæ merito quivis omnem suam substantiam opesque impendat.

V. 32. QUI SCIT UNIVERSA, nempe solus Deus, ADINVENIT EAM. Nimirum ex increata SUA PRUDENTIA, seu sapientia æterna, elicuit creatam hanc sapientiam creaturis communicandam: ab ipso enim quasi primo fonte omnia promanant: ipse PRAEPARAVIT, id est firmavit, stabilivit, TERRAM, ut duret AETERNO TEMPORE, id est perpetuo.

V. 33. Ipse *mittit* LUMEN *l* solis, lunæ & aliorum siderum, ET VADIT quo emittitur: IN TREMORE, id est statim celerrime, & ad nutum, ut solet servulus ad heri sui imperium tremens currere & accelerare.

V. 34. CUSTODIAE STELLARUM sunt stationes earumdem, & loca illis a Deo consignata, ut solent militibus consignari ad agendas excubias. Stellæ enim sunt militia cæli, & milites Dei.

V. 35. VOCATAE, id est iussæ SUNT lucere, ET DIXERUNT, ADSUMUS *m*: non verbo, sed facto ipso, lucentes, & sic Deo obedientes.

V. 36. HIC ergo qui sapientiam solus adinvenit, EST DEUS NOSTER, omnipotens, immensus, æternus: ET NON AESTIMABITUR ALIUS ADVERSUS EUM. Græce, *ad eum comparatus*; quasi dicat: A nullo alio speranda est sapientia.

V. 37. HIC enim solus ADINVENIT OMNEM VIAM DISCIPLINAE, id est leges commodas hauriendæ, fovendæ, exercendæ sapientiæ: inventas TRADIDIT IACOB, id est Israelitis per Moysen, per Prophetas; quin & per semetipsum quoque, & per propriam personam: nam

V. 38. POST HAEC, id est post datam legem per Moysen in monte Sinai, post explicatam viam salutis per tot Prophetas, ipsemet Deus IN TERRIS VISUS EST, nempe cum Dei Filius, qui est ipsa divina Sapientia, carnem humanam induit, ET CUM HOMINIBUS in terra per 34. annos CONVERSATUS EST: ita Tertullianus, Cyprianus, Chrysostomus, Athanasius, Eusebius, Hilarius, Nazianzenus, Ambrosius, Augustinus, Basilius, Cyrillus, Bernardus *n*, & alii SS. Patres ac Doctores. Et S. Paulus *o* pluribus locis huc alludit, ut & Ioannes *p* Evangelista, & alii.

(a) Psal. xxiv, 1. & Psal. lxxxvii. 3.
(b) Eccl. ii. 1. & Psal. xxxv. 10.
(c) Prov. vi. 23.
(d) Psal. iv. 7. &c.
(e) Iob xxviii. 36.
(f) Iacobi i. 5.
(g) Hic vers. 14. fructu vii.
(h) Iosue xv. 15. Vide Middendorpe de Academiis.
(i) Clavius in Sphæra.
(k) Iob xxvii. 15. & Prov. iii. 14.
(l) Matth. v. 45.
(m) Iob xxxviii. 35.
(n) Tert. Lib. cont. Prax. cap. vi. Cypr. Lib. II. cont. Iud. cap. v. Chrys. hom. ii. in Matt. Ath. q. xxxvi. ad Antiochum. Eus. Lib. V. Demonstrat. cap. xix. Hilar. Lib. V. de Trin. in fin. Naz. orat. iv. de Theologia. Amb. Lib. I. de Fide cap. ii. August. Lib. XVIII. Civit. cap. xxxiii. Basil. Lib. IV. cont. Eunom. Cyrill. Lib. X. cont. Iulian. Bern. serm. XIII. in Cant.
(o) Ad Heb. i. 1. & ad Tit. iii. 4. & cap. ii. 11. & I. Tim. iii. 16.
(p) Ioan. i.

GOR-

GORDONI.

Verſ. 9. AUDI ISRAEL, &c. Poſt orationem finitam, hinc incipitur libri pars altera, ubi habetur paræneſis ad pœnitentiam, & legem Dei diligentius ſervandam: nec omittuntur exempla quæ docent niſi ita fiat, nihil vel Iudæis vel aliis in hac vita ſolidum eſſe; præſertim a verſ. 16. & deinceps: & ſine ſapientia (in qua eſt cognitio, amor & cultus Dei) non inveniri Deum: quod ſatis apparet in gentibus, qui divitiis & potentia delectati ſunt, & luxerunt in avibus cæli, ſeu venatione delectati. Hinc Vatabl. *qui aves cæli ludos faciunt:* ac demum (verſ. 18.) NON EST INVENTIO OPERUM ILLORUM; hoc eſt, vel comprehenſio, vel finis, & tamen (verſ. 19.) EXTERMINATI SUNT; delitiæ quantumvis magnæ finem habent.

V. 24. O ISRAEL QUAM MAGNA EST DOMUS DEI, &c. Pleraque his ſimilia ſunt explicata in libris Salomonis. Docuit hactenus ſapientiam non eſſe inventam apud gentes: iam ſub hac apoſtrophe docet quantum beneficium acceperit per datam ſibi ſapientiam populus Iſrael: probat quoque immenſitatem Dei.

V. 34. VOCATAE SUNT. Locus Theol. pro Dei potentia, & cognitione non exiſtentium.

V. 36. HIC EST DEUS NOSTER, &c. Hine uſque ad finem capitis concludit Deum eſſe a quo petenda eſt ſapientia; ab eo datam eſſe vivendi rationem & legem, ac tandem eum apparuiſſe HOMINIBUS IN TERRIS, verſ. 38. Ex quo recte Patres contra Arrianos concludunt Chriſtum Dei filium, eſſe verum Deum. Loquitur enim Baruch prophetice intuens rem futuram ut præteritam: vide Auguſt. Lib. XVIII. civit. cap. XXXIII. Cyril. Lib. X. contra Iul. Baſil. IV. contra Eunom. Tertull. contra Praxeam cap. VI. Chryſoſt. hom. II. in Matth.

CA-

CAPUT IV.

Ierusalem suam luget desolationem, hortaturque filios suos ut forti sint animo: nam sicut propter ipsorum peccata Deus eos tradidit adversariis, ita eis liberatis puniet hostes ipsorum.

1. HIc liber mandatorum Dei, & lex, quæ est in æternum:
omnes qui tenent eam, pervenient ad vitam; qui autem
dereliquerunt eam, in mortem. 2. Convertere Iacob,
& apprehende eam, ambula per viam ad splendorem
eius contra lumen eius. 3. Ne tradas alteri gloriam
tuam, & dignitatem tuam genti alienæ. 4. Beati sumus
Israel: quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis. 5.
Animæquior esto populus Dei, memorabilis Israel: 6.
venumdati estis Gentibus non in perditionem: * sed propter quod in ira ad
iracundiam provocastis Deum, traditi estis adversariis. 7. Exacerbastis enim
eum qui fecit vos, Deum æternum, immolantes dæmoniis, & non Deo. 8.
Obliti enim estis Deum, qui nutrivit vos, & contristastis nutricem vestram
Ierusalem. 9. Vidit enim iracundiam a Deo venientem vobis, & dixit: *
Audite confines Sion, adduxit enim mihi Deus luctum magnum: 10. Vidi
enim captivitatem populi mei, filiorum meorum, & filiarum, quam super-
duxit illis æternus. 11. Nutrivi enim illos cum iucunditate: dimisi autem
illos cum fletu & luctu. 12. Nemo gaudeat super me viduam, & desolatam:
a multis derelicta sum propter peccata filiorum meorum, quia declinaverunt
a lege Dei. 13. Iustitias autem ipsius nescierunt, nec ambulaverunt per vias
mandatorum Dei, neque per semitas veritatis eius cum iustitia ingressi sunt.
14. Veniant confines Sion, & memorentur captivitatem filiorum, & filia-
rum mearum, quam superduxit illis æternus. 15. Adduxit enim super illos
gentem de longinquo, gentem improbam, & alterius linguæ: 16. qui non
sunt reveriti senem, neque puerorum miserti sunt, * & abduxerunt dilectos
viduæ, & a filiis unicam desolaverunt. 17. Ego autem quid possum adiuva-
re vos? 18. Qui enim adduxit super vos mala, ipse vos eripiet de manibus
inimicorum vestrorum. 19. Ambulate filii, ambulate: ego enim derelicta
sum sola. 20. * Exui me stola pacis, indui autem me sacco obsecrationis,
& clamabo ad Altissimum in diebus meis. 21. Animæquiores estote filii,
clamate ad Dominum, & eripiet vos de manu principum inimicorum. 22.
Ego enim speravi in æternum salutem vestram: & venit mihi gaudium a
sancto super misericordia, quæ veniet vobis ab æterno salutari nostro. 23.
Emisi enim vos cum luctu & ploratu: reducet autem vos mihi Dominus cum
gaudio & iucunditate in sempiternum. 24. Sicut enim viderunt vicinæ Sion
captivitatem vestram a Deo, sic videbunt & in celeritate salutem vestram a
Deo, quæ superveniet vobis cum honore magno, & splendore æterno. 25.

Filii patienter sustinete iram, quæ supervenit vobis: persecutus est enim te
inimicus tuus, * sed cito videbis perditionem ipsius: & super cervices ipsius
ascendes. 26. Delicati mei ambulaverunt vias asperas: ducti sunt enim ut grex
direptus ab inimicis. 27. Animæquiores estote filii, & proclamate ad Dominum:
erit enim memoria vestra ab eo qui duxit vos. 28. Sicut enim fuit sensus
vester ut erraretis a Deo: decies tantum iterum convertentes requiretis
eum. 29. Qui enim induxit vobis mala, ipse rursum adducet vobis sempiternam
iucunditatem cum salute vestra. 30. Animæquior esto Ierusalem, exhortatur
enim te, qui te nominavit. 31. Nocentes peribunt, qui te vexaverunt: & qui
gratulati sunt in tua ruina, punientur: 32. civitates, quibus servierunt filii tui,
punientur; & quæ accepit filios tuos. 33. Sicut enim gavisa est in tua ruina,
& læta est in casu tuo, sic contristabitur in sua desolatione. 34. Et amputabitur
exultatio multitudinis eius, & gaudimonium eius erit in luctum. 35. Ignis
enim superveniet ei ab æterno in longiturnis diebus; & habitabitur a dæmoniis
in multitudine temporis. 36. Circumspice Ierusalem ad Orientem, & vide iucunditatem
a Deo tibi venientem. 37. Ecce enim veniunt filii tui, quos dimisisti
dispersos, veniunt collecti ab Oriente usque ad Occidentem, in verbo sancti
gaudentes in honorem Dei.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 6. *Sed propter quod in ira ad iracundiam provocastis Deum*. Nomini *ira* non est addenda vox *Dei*.

V. 9. *Audite confines Sion*. Cave pro *confines* scribas *civitates*.

V. 16. *Et abduxerunt dilectos viduæ*. Legendum est *abduxerunt*, quod est separarunt, non *adduxerunt*, quod est contrarium, accedere fecerunt.

V. 20. *Exui me stola pacis*. Nequaquam scribendum est *te* pronomen secundæ personæ, pro *me* primæ.

V. 25. *Sed cito videbis perditionem ipsius*. Non mutes singulare *videbis* in plurale *videbitis*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Vers. 1. HIC LIBER MANDATORUM DEI; id est, sapientia, de qua superiori capite locutus sum, nihil aliud est, quam *liber mandatorum Dei*: ut explicatur Deuter. IV. 6. *Hæc est enim vestra sapientia, & intellectus coram populis, ut audientes universi præcepta hæc, dicant; En populus sapiens & intelligens, gens magna*. ET LEX QUAE EST IN AETERNUM, id est perducens homines ad æternam vitam, sicut statim dicit, OMNES QUI TENENT EAM, PERVENIENT AD VITAM: vel quæ nullum finem habitura est, quæ semper vera & iusta est; quæ veras non fallaces continet promissiones; hoc enim sensu lex dicitur æterna, non quod mutanda non esset; sed quod *cælum & terra transibunt, verba autem Dei non præteribunt*: Matthæi XXIV. 35. Ps. CXVIII. 89. *In æternum Domine verbum tuum permanet*.

V. 2. CONVERTERE IACOB: ita omnes Iudæos vocat. AMBULA PER VIAM, id est Incede recta via. AD SPLENDOREM EIUS, id est quam lex tibi suo lumine, & splendore monstrat: Hæc enim natura legis est, ut quasi lucerna rectam nobis virtutis viam demonstret, ut ait David, Psal. CXVIII. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*, & Salomon Prov. VI. 23. *Mandatum lucerna est, & lex lux*. CONTRA LUMEN EIUS, id est e re-

regione luminis eius, sicut cum præcedentem tædam sequimur.

V. 3. GLORIAM TUAM. Gloriam & dignitatem Iudæorum legem vocat, qua fiebat, ut Dei populus dicerentur, & apud omnes nationes, sapientes, & magni habebantur, Deuter. IV. 6. quasi dicat, *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam*, ut ait Ioan. Apoc. III. 11. Atque hoc est, quod illis postea revera accidit, ut quia non bene vineam Domini colebant, auferretur ab eis, & daretur aliis agricolis, id est Gentibus, Matth. XXI. 41.

V. 4. QUIA QUAE DEO PLACENT. Declarat, quæ sit illa gloria, quam dixerat, quod scilicet, præ omnibus gentibus Dei voluntatem per legem cognoscerent. *Non enim fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestavit eis*, Psal. CXLVII. 9. & ad Rom. III. 1. *Quid ergo amplius Iudæo est? aut quæ utilitas circumcisionis? Multum per omnem modum. Primum, quia credita sunt illis eloquia Dei*, & Deuter. IV. 8. *Quæ est enim alia gens sic inclyta, ut habeat ceremonias, iustaque iudicia, & universam legem quam ego proponam hodie ante oculos vestros?*

V. 5. MEMORABILIS ISRAEL. *μνημόσυνον* Ἰσραήλ, *monimentum Israelis*, quod noster interpres memoriale vocare solet. Ita appellat populum, quod ad exiguum numerum redactus esset, & qui superstites erant, quasi reliquiæ a Deo fuissent conservati, ne populi memoria penitus aboleretur, ut ait Isai. cap. 1. 9. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus.*

V. 6. VENUMDATI ESTIS GENTIBUS: Chaldæis, vel, a Chaldæis, qui eos ceperant omnibus gentibus, quæ eos emere volebant. NON IN PERDITIONEM; id est, non ut vos penitus, memoriamque vestram aboleret; sed ut propter peccata vestra, quibus eius iram provocastis, castigaret. Reddit rationem, cur vocaverit populum memorabilem Israel. Ita Deus promiserat per Ierem. cap. IV. 27. *Deserta erit omnis terra, sed tamen consummationem non faciam*, & cap. V. 10. *Ascendite muros eius, & dissipate: consummationem autem nolite facere.*

V. 7. EXACERBASTIS ENIM EUM, QUI FECIT VOS. Deuter. XXXII. 15. 16. 17. 18. *Dereliquit Deum factorem suum & recessit a Deo salutari suo. Provocaverunt eum in diis alienis, & in abominationibus ad iracundiam concitaverunt. Immolaverunt dæmoniis & non Deo: diis quos ignorabant. Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.*

V. 8. QUI NUTRIUIT VOS. Græc. τὸν φύσαντα ὑμᾶς θεὸν αἰώνιον, *Deum æternum, qui vos genuit.* Sicut Moses dixit, *Deum, qui te genuit, dereliquisti*; quasi dicat, Obliti estis patrem vestrum; φύσας enim patrem significat ut apud Græcum poetam, ἡ μοῖρα τὸν φύσαντά με καθεῖλε, *fatum patrem meum abstulit.* Hoc est quod Deus queritur apud Isaiam I. 2. *filios enutrivi, & exaltavi; ipsi autem spreverunt me.* Et apud Ose. XI. 3. *Et ego quasi nutricius Ephraim portabam eos in brachiis meis: & nescierunt, quod curarem eos.* NUTRICEM VESTRAM IERUSALEM. Non vocat Ierusalem urbem, quam tristitia afficere non poterant, neque civitatem, quæ ipsa peccaverat; sed Ecclesiam, quæ eos spiritu genuerat, & divinæ legis lacte nutriverat. Vocat enim Deum patrem, Ecclesiam matrem; & tamen loquitur de synagoga; & nunc nos novi hæretici rident, quod Ecclesiam Catholicam matrem nostram appellamus. Nos vero Ecclesiam Catholicam, non eorum synagogam matrem nostram appellabimus, *non* enim *sumus ancillæ filii, sed liberæ*; ad Gal. IV. 31.

V. 9. VIDIT, Ierusalem, id est Ecclesia mater vestra iram Dei advenientem; vidit autem per Prophetas, qui veluti oculi sunt Ecclesiæ, quibus res præsentes, præteritas & futuras videt. ET DIXIT: AUDITE CONFINES, αἱ πάροικοι Σιών, *finitimæ Sionis.* Intelligitur, πόλεις *civitates*; quasi dicat: Cum vidisset futuram captivitatem impendere, monuit vos, luxitque orbitatem suam, & non resipuistis.

V. 11. DIMISI: in captivitatem, id est amisi; quasi dicat: Extrema gaudii mei luctus occupavit, ut ait Salomon, Prov. cap. XIV. 13. Auget autem plurimum dolorem instantis mali præteritorum bonorum recordatio; sicut instantis boni iucunditatem præteritorum malorum memoria.

— *Hæc* (inquit quidam) *olim meminisse iuvabit:*

propterea mentionem facit iucunditatis, qua eos enutriverat.

V. 12. NEMO GAUDEAT SUPER ME; id

id est, nemo mihi insultet, *μηδεὶς ἐπιχαιρέτω μοι*. Ecclesia dum maxime affligitur, monet hæreticos, aut infirmos in fide, ne propterea sibi insultent, existimantes eam propterea vexari, quod non sit vera Ecclesia, neque Deum rectorem & patronum habeat. Et ne dicat, *non est salus ipsi, in Deo eius*, ut afflicto Davidi dicebatur, Psal. III. 3. aut, *Ubi est Deus eorum?* Psal. XLI. II. & LXXVIII. 10. & CXIII. 10. Non enim propterea vexari, quod Deum parentem & tutorem non habeat; sed quod eum offenderit, ad tempus puniri. VIDUAM ET DESOLATAM. Viduam vocat, quasi a Deo, tamquam a marito suo derelictam, aut, tamquam filiis viduatam, ut Thren. I. 1. *facta est quasi vidua domina Gentium*.

V. 13. ET MEMORENTUR; id est, lugendo mecum commemorent captivitatem filiorum meorum. Solent enim qui lugent, mala, quæ sibi acciderunt, commemorare; vel, commemorent, id est lugubri carmine ad sempiternam posteritatis memoriam transferant.

V. 15. SUPER ILLOS. Contra eos. *ἐπ' αὐτοὺς*. Hebraismus, עליהם. DE LONGINQUO. Ex Chaldæa. GENTEM IMPROBAM, *ἀναιδῆ*, *impudentem*, id est crudelem, quæ nullam ætatem, nullam dignitatem revereretur, ut declarat statim versu sequenti. ET ALTERIUS LINGUAE, id est barbaram, *ἀλλόγλωσσον*: ponitur hoc in miseriis, ut Psal. LXXX. 6. *linguam quam non noverat, audivit*. Alludit ad illud, quod in Deuteronomio cap. XXVIII. 49. scriptum est, *Adducet Dominus super te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus in similitudinem aquilæ volantis cum impetu: cuius linguam intelligere non possit*, & Ierem. V. 15. *Ecce ego adducam super vos gentem de longinquo domus Israel, ait Dominus: gentem robustam, gentem antiquam, gentem, cuius ignorabis linguam, nec intelliges quod loquatur*.

V. 16. QUI NON SUNT REVERITI SENEM. Ita Deuteron. XXVIII. 50. *Gentem procacissimam, quæ non deferat seni, & non misereatur parvuli*, & Thren. IV. 16. *Facies sacerdotum non erubuerunt, neque senum miserti sunt*, & cap. V. 12. *Principes manu suspensi sunt: facies senum non erubuerunt*. DILECTOS VIDUAE, id est filios meos, quæ vidua sum; vel, viduam me relinquentes. ET A FILIIS. Græc. *καὶ ἀπὸ τῶν θυγατέρων*, *& a filiabus*, *τὴν μόνην ἠρήμωσαν*, *unam desolaverunt*, id est desertam ac solam me reliquerunt.

V. 16. AMBULATE FILII; id est, ite in captivitatem, & ego sola relinquar. Concessio est, qualis illa apud Poetam.

I, sequere Italiam ventis. —

aut vero, *Ambulate*, id est redite ad me ex captivitate; *ego enim derelicta sum sola*, id est sine filiis.

V. 20. EXUI ME STOLA PACIS; id est, abieci pretiosam & iucundam vestem, qua in rebus prosperis utebar; induique cilicium, qui orantis habitus est, ut clamem ad Deum omnibus diebus vitæ meæ, ut vos ab exilio reducat. Loquitur ad modum feminæ, quæ septuaginta tantum annos victura esset, quo tempore captivitas erat duratura, Ierem. XXV. 11. 12. & XXIX. 10. & Daniel IX. 2.

V. 21. CLAMATE AD DOMINUM. Exhortatur etiam Iudæos, ut ipsi pro se orent. Orat enim pro nobis Ecclesia, & nos ad orandum hortatur.

V. 22. EGO ENIM SPERAVI IN AETERNUM: *ἐπὶ τῷ αἰωνίῳ*, *in æterno*, id est in Deo. Sic enim Deum appellare solet, ut supra vers. 10. & 14. & in fine huius versus; quasi dicat: Spem habeo futuræ salutis vestræ non ob merita mea, sed Dei misericordiam atque clementiam. ET VENIT MIHI GAUDIUM A SANCTO, id est a Deo. Sæpe adnotavimus nomen Sanctus, & nomen Iustus, absolute positum pro Deo accipi solere, ut Iob VI. 10. *Nec contradicam sermonibus Sancti*, id est Dei. Sensus ergo est: Cum ego a Deo salutem vestram expectarem magna me lætitia recreavit, significans mihi per Prophetas fore, ut nostri misereretur brevi post tempore, *ἐν τάχει*, *brevi*, quod noster interpres, aut, quod malo credere, aliquis scriptor prætermisit. AB AETERNO; *παρὰ τοῦ αἰωνίου σωτῆρος ἡμῶν*, *ab æterno salvatore nostro*, id est a Deo, ut paulo ante dixit, *Venit mihi gaudium a Sancto*.

V. 23. EMISI ENIM VOS, in captivitatem; antithesis est opposita superiori vers. 11. *Nutrivi enim illos cum iucunditate, dimisi autem illos cum fletu, & luctu*. Tunc gaudium luctus; nunc luctum gaudium consecutum est, ut Psal. CXXV. 6. *Euntes ibant & flebant mittentes semina sua. Venientes*

au-

autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Ita Deus promiserat per Ier. cap. XXXI. 13. *Et convertam luctum eorum in gaudium, & consolabor eos, & lætificabo a dolore suo;* & per Isai. cap. LVII. 18. *Sanavi eum, & reduxi eum, & reddidi consolationes ipsi, & lugentibus eius*.

V. 24. CAPTIVITATEM VESTRAM A DEO, id est in quam Deus vos duxit. Græc. hic non est *a Deo*; sed paulo post, οὕτως ὄψονται ἐν τάχει τὴν παρὰ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν σωτηρίαν. *Ita videbunt brevi vestram a Deo salutem*, id est quam vobis Deus afferet: ut quemadmodum ante magno dolore, ignominiaque affecti estis, quod viderunt vicinæ gentes vos duci captivos; ita nunc magna lætitia, honoreque afficiamini, qud vos reduci videant: παροίκοις Σιών, vicinas Sionis (civitates) vocat non civitates Iudææ, sed vicinas aliarum gentium civitates, & Moabitarum, quæ Iudæos, cum captivi ducerentur, irridebant, ut scribit Ier. cap. XLVIII. 47. ET SPLENDORE AETERNO, id est qui numquam a vobis auferetur: non quod non esset auferendus, ut nunc reipsa videmus; sed quod longo tempore duraturus erat. Appellant autem Hebræi æternum aliquando, quod longo tempore duraturum est.

V. 25. QUAE SUPERVENIET VOBIS. Græc. τὴν παρὰ τοῦ Θεοῦ ἐπελθοῦσαν ὑμῖν ὀργὴν, *iram, quæ vobis a Deo superventura est*. ET SUPER CERVICES IPSIUS ASCENDES, id est conculcabis illum, dominaberis in illum, subiicies, & subiugabis tibi illum, qui te sibi prius subiugaverat, ita apud Isai. LX. 14. *Et venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi*. Id non est factum usque ad tempus Christi, quo tempore omnes gentes Ecclesiæ subiectæ sunt: quare eo usque tendenda est prophetia.

V. 26. DELICATI MEI, id est filii delicate nutriti. Propterea vocat delicatos, ut ex eorum qualitate, & viarum asperitate laborem exaggeret, quo in captivitate ducti sunt. Intelligitur altera pars antithesis sicut in præcedentibus: inimicus duxit delicatos meos per vias asperas; Deus autem reducet eos per vias planas. Hoc enim est, quod Deus per Isaiam promittit cap. XL. 4. *Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons, & collis humiliabitur, & erunt prava in directa, & aspera in vias planas*; de reductione enim populi loquebatur, & cap. XLII. 16. *Et ducam cæcos in viam, quam nesciunt: & in semitis quas ignoraverunt ambulare eos faciam: ponam tenebras coram eis in lucem, & prava in recta*, & cap. XLIX. 11. *Et ponam omnes montes meos in vias & semitæ meæ exaltabuntur*.

V. 27. MEMORIA VESTRA: vestri, passive, id est, recordabitur vestri Deus, qui vos in captivitatem duxit, ut aliquando reeucat. Cum enim iratus fuerit, misericordiæ recordabitur Habacuc. III. 2. quasi dicat: Qui percussit vos, ipse sanabit, Deut. XXXII. 39.

V. 28. SICUT ENIM FUIT SENSUS VESTER; id est, decuplo maiore studio atque conatu quærite Deum, convertentes vos ad illum, quam ante ab eo discesseratis. Dictio causalis, *Enim*, hunc habet usum hoc in loco, ut si diceret Propheta: Non enim debent vos præterita peccata in desperationem inducere; sed potius incitare, ut maiore studio pœnitentiam agatis. Hunc enim fructum ex peccatis percipere debemus, ut fortiores resurgamus. REQUIRETIS. Gr. *requirite*.

V. 30. ANIMAEQUIOR ESTO. Verba sunt Ierusalem, id est Ecclesiæ ad Ierusalem, id est ad civitatem Ierosolymitanam, ut ego quidem interpretor. Alii putant verba esse Dei, alii Prophetæ. EXHORTATUR ENIM TE; παρακαλέσει σε, *consolabitur te*. QUI TE NOMINAVIT, id est, ille, cuius nomen geris, qui te de suo nomine vocavit Civitatem Dei. Vocabitur enim Ierusalem, *Civitas sancti*, id est Dei, Isai. LII. 1. *Et civitas Domini*, Isai. LX. 14.

V. 31. NOCENTES PERIBUNT, Gr. δείλαιοι οἵ σε κακώσαντες, *Miseri* (sub erunt) *qui te vexaverunt*. Hanc unam sententiam tractat Ier. a cap. XLVI. usque ad LI. & Isai. cap. XIII. & cap. XV. & XVII. & XVIII. & XIX. & XXI. & XXII. & XXIII. & XXXIII. *Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? & qui spernis, nonne & ipse sperneris? cum consummaveris deprædationem, prædaberis, & cum fatigatus desieris contemnere, contemneris*.

V. 32. CIVITATES. Gr. δείλαιαι αἱ πόλεις. *Miseræ* (sub erunt) *civitates*. QUIBUS SERVIERUNT FILII TUI. ET QUAE ACCEPIT. Gr. δειλαία ἡ δεξαμένη τοὺς υἱούς σου, *Misera, quæ filios tuos cepit*, id est Babylon, quæ cives tuos captivos duxit.

V. 33. SICUT ENIM GAVISA EST. Similis prophetia apud Ier. cap. L. 10. *Et erit*

Chal-

Chaldæa in prædam: omnes vastantes eam, replebuntur, ait Dominus. Quoniam exultatis & magna loquimini diripientes hæreditatem meam, & vers. 29. *Reddite illi, secundum opus suum, iuxta omnia quæ fecit, facite illi: quia contra Dominum erecta est, adversum sanctum Israel*, & cap. LI. 49. *Quo modo fecit Babylon ut caderent occisi in Israel: sic de Babylone cadent occisi in universa terra*. Huc allusit Ioannes in Apocalypsi de spiritali Babylone loquens cap. XVIII. 6. 7. 8. *Reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis: & duplicate duplicia secundum opera eius. In poculo, quo miscuit, miscete illi duplum: quantum glorificavit se & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum & luctum*. Quæ allusio non parum huius libri auctoritatem confirmare potest.

V. 34. ET AMPUTABITUR. Gr. ϗ περιελῶ αὐτῆς τὸ ἀγαλλίαμα τῆς πολυοχλίας, & amputabo, id est auferam exultationem frequentis multitudinis eius, id est qua eius populus exultat; vel, qua ipsa exultat ob frequentiam, & multitudinem populi, quo abundat. ET GAUDIMONIUM, ϗ τὸ γαυρίαμα, & superbia, iactantia, & sese insolenter efferens eius lætitia in luctum convertetur. Antithesis est inter Babylonios, & Iudæos; nam de Iudæis dixit vers. 23. fore ut luctum lætitia consequeretur, de Babylonis dicit nunc fore ut extrema gaudii luctus occupet, ut ait Salomon Proverb. cap. XIX. 13.

V. 35. SUPERVENIET AB AETERNO, id est, a Deo, παρὰ τῦ αἰωνίου. ut supra vers. 22. & capite præcedente vers. 10. 14. hoc est, Mittet Deus in Babylonem ignem quo comburatur, εἰς ἡμέρας μακρὰς, *in longum tempus*; id est, ita ut longo tempore restaurari non possit, quemadmodum Babylonii Ierusalem igne cremaverant, Ierem. XXXIX. 8. & LII. 13. & IV. Reg. XXV. 9. Eodem modo Isaias vaticinatur cap. XIII. 19. unde hic locus sumptus videtur, *Et erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldæorum, sicut subvertit Dominus Sodomam, & Gomorrham*, id est incendetur. Simile quiddam prædicit de Edom cap. XXXIV. 9. *Et convertentur torrentes eius in picem, & humus eius in sulphur: & erit terra eius in picem ardentem*. ET HABITABITUR A DAEMONIIS: id est a Satyris, aut Faunis sylvestribus, qui non solent nisi in locis maxime solis, ac desertis habitare; ita significat Babylonem fore maxime desertam. Quæ septuaginta & noster interpres dicunt dæmonia, putant quidam esse apud Hebræos אִיִּים, quod ego non probo. Nam אִיִּים Septuaginta aliquando vertunt, ὀνοκενταύρους, *onocentauros*, ut Isai. cap. XIII. 22. & cap. XXXIV. 14. Noster interpres aliquando ululas, ut Isai. XIII. 22. aliquando sicut Sept. onocentauros, ut Isai. cap. XXXIV. 14. Dæmonia autem haud scio ullpiam, vel Sept. vel nostrum interpretem vertisse. Quare potius credo Baruch Hebraice dixisse צִיִּים, quod quamvis eiusdem fere significationis sit, atque אִיִּים; (utrumque enim bestias sylvestres & in locis aridis habitantes significat) tamen Sept. solent vertere δαιμόνια, ut Isai. XXXIV. 14. aut (quod idem fere est) ἰνδάλματα, *phantasmata*, ut Iere. L. 39. Noster interpres aliquando dæmonia, ut Esa. XXXIV. 14. aliquando Faunos, (ut ego legendum esse arbitror) Ierem. cap. L. vers. 39. aliquando Septuaginta θηρία, noster interpres, bestias, ut Isai. cap. XIII. vers. 21. Quærunt aliqui, quando hæc prophetia perfecta fuerit: nam Babylonem quidem a Medis captam, & habitatam legimus, Daniel. V. 31. incensam autem, & desertam non legimus. Ego simpliciter respondeo, credendum esse multas domos, non totam urbem incensam a Medis fuisse, cum caperetur; sicut non fuit incensa tota Ierusalem; sed templum, & regia, & palatia, IV. Reg. XXV. 9. & Ier. XXXIX. 8. & LII. 13. Quamquam absolute Prophetæ prædixerant, fore ut igne urbs incenderetur, Ier. XVII. 27. & XXI. 10. & XXXII. 29. & XXXIV. 2. 22. & XXXVII. 7. 9. & XXXVIII. 18. 23. Quod autem dicit Satyros ibi habitaturos, hyperbole est, quales nonnullæ apud Prophetas reperiuntur. Non enim necesse est, ut vera sit prophetia, ut ibi Satyri habitaverint, neque ut ab habitatoribus deserta fuerit, sed ut deserta fuerit a Chaldæis, quamvis a Medis habitata; hoc enim agebatur.

V. 36. ORIENTEM. Non erat Babylon Ierosolymis orientalis, sed septemtrionalis, ut ex multis locis Ieremiæ perspicuum est. Itaque videtur mihi ponere certum locum pro incerto, & unum pro omnibus; quasi dicat: Converte oculos in omnes partes orbis terrarum, ubicumque exulant filii tui; undique enim ad te redibunt: quamvis ab oriente Sole, usque ad occidentem venturi essent, ut apud Isai. XLIX. 12. *Ecce isti de lon-*

longe venient, & ecce illi de Aquilone, & mari, & isti de terra australi. Similis locus infra cap. sequenti vers. 5. Meam sententiam confirmat verbum περίβλεψαι, *circumspice*.

V. 37. DISPERSOS. Hoc verbum non est Græce, sed necessario intelligendum est ad complendam antithesin, ut sit sensus, qui non simul, sed diversis temporibus in captivitatem ducti sunt: primum enim decem tribus, IV. Reg. XVIII. 9. 10. Dein Iechonias cum principibus Ierusalem, IV. Reg. XXIV. 12. Postremo omnes simul Iudæi, exceptis agricolis, IV. Reg. XXV. 11. Qui ergo non simul abierunt, simul redierunt, ut constat Lib. I. Esdr. cap. II. IN VERBO SANCTI. Gr. τῷ ῥήματι τοῦ ἁγίου, *in verbo sancti* id est Dei. Sanctus enim absolute dicitur Deus, ut supra vers. 22. & Iob VI. *Nec contradicam sermonibus Sancti*, id est Dei; quasi dicat: Secundum verbum Dei; quemadmodum Deus per Prophetas promisit, ut per Isaiam cap. XLIX. 12. Ierem. cap. XXX. & XXXI. Aut *in verbo Sancti*, id est Dei præcepto, quia Deus præcepit, & inspiravit Cyro, ut Iudæos remitteret in patriam, Isai. XLV. 1.

S A.

Vers. 1. IN AETERNUM, scilicet duratura, vel in æternam vitam ducens.

V. 2. CONTRA; pro, coram, seu ad.

V. 3. NE TRADAS, &c. quasi dicat: Ne te subiicias cuiquam præter Dei voluntatem, huic enim obedire gloria tua est, & dignitas; scilicet servire Deo, regnare est; vel, ne cultum Deo debitum alii tribuas.

V. 5. ANIMAEQUIOR ESTO, id est bono esto animo. Græc. *confide*. MEMORABILIS. Græc. *memoriale*, seu *monimentum*, scilicet in quo servatur memoria Israelis, id est Iacob; vel quasi dicat, Insignis, dignusque memoria.

V. 6. PROPTER; pro propterea.

V. 9. IRACUNDIAM, id est ultionem. CONFINES, id est vicini. Vide inf. ubi vertit *vicinos*.

V. 10. SUPERDUXIT, id est super eos induxit.

V. 13. IUSTITIAS, id est præcepta.

V. 14. MEMORENTUR, id est recordentur; quasi dicat, Cogitent.

V. 16. DILECTOS, scilicet filios. A FILIIS pro, privatam filiis. UNICAM, id est solam relictam. DESOLAVERUNT, id est destituerunt prorsus.

V. 20. PACIS, id est prosperitatis.

V. 21. ANIMAEQUIORES ESTOTE. Græc. *confidite*.

V. 22. SPERAVI; pro, spero. IN AETERNUM. Græc. *in æterno*, scilicet Deo: sic enim solet vocare Deum. SUPER MISERICORDIA, id est ob misericordiam.

V. 24. VICINAE, scilicet gentes. Supra idem verbum Græcum vertit *confines*. AETERNO. Græc. τοῦ αἰωνίου, *æterni*, scilicet Dei.

V. 25. IRAM, id est punitionem. ASCENDES; quasi dicat, calcabis.

V. 27. AB EO; pro, apud eum; scilicet Deum.

V. 28. REQUIRETIS; pro, requiritis.

V. 30. EXHORTATUR. Græc. *consolabitur*, παρακαλέσει. NOMINAVIT, id est ex nomine novit, scilicet familiariter, vel, fecit nominatam, id est celebrem.

V. 35. IGNIS, id est punitio. AETERNO, id est Deo. LONGITURNIS DIEBUS; pro, multos dies. IN MULTITUDINE, &c. pro diutissime.

V. 37. USQUE AD OCCIDENTEM, id est & etiam ex Occidente; quasi dicat: Ex omni orbis parte. Id præcipue ad Evangelii tempus & Christianos pertinet. SANCTI Græc. τοῦ ἁγίου, *sancti*, scilicet Dei.

E S T I I.

Vers. 22. EGO ENIM SPERAVI IN AETERNUM SALUTEM VESTRAM. *In æternum*: Græce est ἐπὶ τῷ αἰωνίῳ, id est *in æterno*. Et sic intelligi potest, in æterno; scilicet Deo; quomodo sæpe in Scripturis dicuntur pii in Deo sperare, tamquam auxiliatore, & auctore bonorum quæ speramus. Vatabli versio quoque sic habet: Nam eo iam ab æterno illo sperare cœpi salutem vestram. Et constat hoc cap. sæpius Deum designari hoc epitheto *Æternus*, sicut & isto, *Altissimus*. Ita paulo post: ET VENIET MIHI GAUDIUM A SANCTO SUPER MISERICORDIA, QUAE VENIET VOBIS AB AETERNO SALUTARI NOSTRO. Et prius vers. 20. ET CLAMABO AD ALTISSIMUM IN DIEBUS MEIS.

V. 28.

V. 28. SICUT ENIM FUIT SENSUS VESTER, UT ERRARETIS A DEO: DECIES TANTUM ITERUM CONVERTENTES REQUIRETIS EUM. Hoc referunt quidam ad tempus illius populi post reditum ex captivitate. Non enim leguntur Iudæi post illud tempus idola coluisse, præter paucos quosdam tempore Antiochi Epiphanis; de quibus in Lib. Machab. qui tamen timore magis, quam voluntate id fecerint; itaque putant de eius temporis Iudæi dictum; immo prædictum, quod decies tam multum requisituri essent Dominum, quantum antea ab erraverant per idololatriam. Græce quoque sic sonat: *Sicut enim fuit cogitatio vestra ad errandum a Deo, decuplate conversi quærere eum*, id est decuplo tantum nunc deinceps quærite eum, ut possitis habere placatum. Et secundum hanc lectionem præceptum magis est, quam prophetia. Si tamen prophetice dictum intelligere libet, rectius referetur ad Israel secundum spiritum, quam secundum carnem: id est, ad Apostolos, & eos qui per Apostolorum prædicationem crediderunt in Christum. Nam de Iudæis secundum carnem post reditum e Babylone usque ad adventum Christi, dictum est illud: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*. Et iterum: *In vanum colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum*. Licet enim hoc colerent idola gentium, sibi tamen fabricant in cordibus suis idola perversarum opinionum.

LANSSELII.

Vers. 1. HIC LIBER MANDATORUM DEI, id est Sapientia, quam a Deo solo accipiendam docui, est liber mandatorum Dei. ET LEX, QUAE EST IN AETERNUM. Theodoretus & Olympiodorus in Catena existimant per *Librum* & *Legem* significari doctrinam Evangelicam, quia vetus Testamentum finem habuit, illa vero in æternum persistet: ideo Olympiodorus accommodat omnia quæ hic dicuntur Apostolis & Christi discipulis. Verum, dicendum est, sensum litteralem huius loci esse de Lege Moysaica, quæ a Iudæis tum temporis erat observanda, & quoad moralia præcepta est æterna, & observatores suos ad vitam æternam perducebat, iuxta dicta cap. II. 12. ex S. Thoma: etiam quoad cærimonialia, æterna dici potest, si eorum finem spectemus, nimirum ritus in Sacramentis & aliis Ecclesiasticis exercitiis, in æternum duraturos præsignificare.

V. 2. CONTRA LUMEN EIUS. Græce, κατέναντι, quod quidem communiter vertitur *contra*, sed clarius reddetur *e regione*, seu *iuxta præcedens*, scilicet *lumen eius*, uti sequitur.

V. 3. GLORIAM TUAM. Per *gloriam* quidam accipiunt veri Dei cultum, in quo vera Iudæorum gloria: alii, Dei Legem quia propter eam erant Iudæi apud Gentes gloriosi: alii, eorum Ecclesiam, sacerdotium, &c. quibus gloriosus erat populus Dei. Ego existimo significari legem a Deo per Moysem acceptam: illa enim sapientiam divinam, de qua hactenus egit, complectebatur, & ipsis, non autem principibus Gentium neque gigantibus, sicuti dixit cap. III. 16. 26. veluti posteris Iacob (uti habes vers. 37.) tradita fuit. In ea vero lege Summi Pontificis auctoritas & augusta maiestas declaratur, Sacerdotum & Levitarum munia præscribuntur, & benevolentia divina omnibus observantibus promittitur. Deu. IV. 7. *Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris*, aiebat Moyses. Recte igitur *gloria* & *dignitas* appellatur. *Quæ est enim alia gens sic inclyta, ut habeat cærimonias, iustaque iudicia, & universam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros?* dicebat Moyses Deuter. IV. 8. Itaque monentur, caveant ne peccatis suis a Deo reiiciantur, & ad alios lex ista transferatur: etsi enim captivi Chaldæis subiecti sint, tamdiu tamen quam legem istam observabunt, gloriam suam & dignitatem retinebunt, & spem liberationis obtinebunt, quia Deum placabunt, qui eos Gentibus tradidit, sed non ut penitus perderet & aboleret.

V. 5. MEMORABILIS ISRAEL. Græce, μνημόσυνον, *memoriale*, id est in quo memoria populi Israel conservatur: nam si penitus periisset, memoria Israelis prorsus abolita fuisset; itaque illud Isaiæ I. 9. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus*, locum hic obtinet.

V. 6. VENUMDATI ESTIS GENTIBUS NON IN PERDITIONEM; id est, Chaldæi vos in servitutem redactos pro lubitu vendiderunt,

sed

ſed ita tamen ut memoria veſtri conſervaretur; ſic enim præcepit Dominus Deus Gentibus, Ierem. v. 10. *Aſcendite muros eius, & diſſipate; conſummationem autem nolite facere.*

V. 8. Qui nutrivit vos. Græce in editione Aldina, τὸν ποιήσαντα ὑμᾶς, *qui fecit vos*. In Bibliis Regiis, τὸν φύσαντα ὑμᾶς, *qui genuit eos;* ſed in editione Romana Sixti V. τὸν ἐκθρέψαντα ὑμᾶς, *qui nutrivit vos*: neque alia in Manuſcriptis Vaticanis lectio reperta, quantum ex Notationibus colligere licet. Fortaſſis diverſitas lectionis orta eſt, quod in omnibus exemplaribus poſtea ſubſequatur de civitate Ieruſalem, τὴν ἐκθρέψασαν ὑμᾶς, *nutricem veſtram:* & iterum verſ. 11. ἐξέθρεψα γὰρ αὐτούς, *enutrivi enim illos:* ideo exiſtimarunt librarii ſcribendum fuiſſe, dum de Deo ſermo habebatur, vel φύσαντα, vel ποιήσαντα; præſertim cum Deuteron. xxxii. quo Baruch reſpexiſſe videtur, extet τὸν γεννήσαντα, quod idem cum φύσαντα aut ποιήσαντα. Certum eſt, Interpretem antiquum legiſſe ἐκθρέψαντα, ſicuti editio Sixtina poſtea confirmavit; & illud eſt quod Deus queritur apud Iſaiam cap. 1. 2. *Filios enutrivi & exaltavi: ipſi autem ſpreverunt me:* ubi quidem pro Hebraico גדלתי *giddalti*, *enutrivi* vel *magnificavi*, Septuaginta habent ἐγέννησα, *genui*, & quidem ſimiliter omnes editiones: tamen, ſicuti monet S. Hieronymus, Symmachus & Theodotio verterunt *enutrivi*, id eſt ἐξέθρεψα. Exiſtimo Septuaginta, qui alibi reddiderunt גדל *gadal*, τρέφω, ἐκτρέφω, συνεκτρέφω, ὑψόω, αὐξάνω, μεγαλύνω, κατισχύω, μεγαλαύω, quæ omnia nutritionem & educationem deſignant, hic vertiſſe γεννάω, propter ſequens verbum ὕψωσα *exaltavi*, quod acceperunt aliquando pro *enutrivi*, itaque ne idem repeterent, poſuerunt ἐγέννησα loco ἐξέθρεψα. Nutricem veſtram Ieruſalem, id eſt Synagogam, ſeu Eccleſiam veſtram, quæ vos in fide & cultu divino per Prophetas educaverat, peccatis veſtris contriſtaviſtis, quia punitionem vobis imminentem per Prophetas oculos ſuos vidit, & vos monuit ut reſipiſceretis; ſed contempſiſtis, ideo tamquam mater filiis orbata luget.

V. 9. Confines. Olympiodorus: *Vicinas vocat ad videndum luctum, ut eas exemplo (ſuo) cautiores reddat.* Eſt autem genus orationis ἐλεεινὸν κατεπαθητικὸν ad pium dolorem populo commovendum adaptatum. Pro *confines*, Græce πάροικοι, de qua dictione ita Budæus in Annotat. poſterior. in Pandectas: *Πάροικοι ſunt accolæ: quare qui fanum aliquod accolunt, parœci dicti ſunt, eiuſdem ſcilicet fani conſortes; & parœcia accolarum conventus & accolatus, ſacraque vicinia; nam πάροικοι etiam οἱ πρόσοικοι, id eſt vicini.* Hæc ille. Si vero uſum huius dictionis apud Septuaginta conſideremus, advertemus, *parœcos* denotare illos qui vicini ſunt, ſive ſint advenæ, ſive ſint incolæ, ſive eandem religionem, ſive diverſam profiteantur. Illud manifeſtum evadit ex dictionibus Hebraicis, quas Septuaginta per πάροικος, παροικία exponunt, ut ſunt נגד *nagad*, שוב *ſub*, גלה *gala*, גור *gor*, שכן *ſacan*, ישב *iaſab*, גוי *goi*, גדוד *gedud*, טפף *taphaph*, בית *baith*, quarum ſignificationes diſcutere nimis longum eſſet, inde caſſe ſatis erit, ut Lexica conſulat quiſquis voluerit. Nec tamen omittendum eſt, aliquos παροχίαν & παροικίαν, πάροχον & πάροικον pro eodem ſumere: ſed certum eſſe multum diſcrepare, ſicuti ex ἔχω, ὄχος, & οἶκος, ex quibus dictiones iſtæ componuntur, clarum eſt. Adde, nullibi in Scriptura reperiri πάροχος, παροχία, etſi frequenter legatur πάροικος, παροικία.

V. 12. Nemo gaudeat super me viduam. Forma orationis ἀπαγορευτική, qua voluptatem improborum ſuæ calamitati inſultantium deprecatur & avertit. Olympiodorus: *Appellat vero ſe viduam, uti divina cura orbatam. Vidua vero proprie Synagoga tunc fuit, cum in ſponſum ſuum Chriſtum debacchata, derelicta fuit.* Interpres vertit ἐξυβρίσασα *debacchata*, hic tamen potius ſignificat *iniurioſa fuit*, fidem coniugalem violando; quaſi dicat: Tunc Chriſtus Synagogam repudiavit, cum illa ſponſo vero contempto, ſe alteri per idolollatriam & peccata adiunxit.

V. 15. Adduxit enim super illos gentem. Olympiodorus: *Dicitur ipſe adducere, eo quod Deo permittente nihil fiat.* Immo dici poteſt, Deum proprie adduxiſſe, quia hic agitur de pœna peccati, quam Deus per ſe infligit. Iſai. xiv. Gentem improbam. Olympiodurus: *Primum Babylonicam, poſtremo Romanam.* Græce, ἔθνος ἀναιδές, *gentem impudentem*; id eſt, quæ nullius ætatis, dignitatis rationem habebit, ſed omnem pudorem exuit, ſicuti ex verſu ſe-

quenti constat. Nonius: *Pudet*, *verecundiæ est*; *piget*, *pœnitentiæ*.

V. 16. ET ABDUXERUNT. Monent quidam Interpretes non esse legendum *adduxerunt*, ut habent Plantiniani. Sufficiebat dixisse alteram lectionem correctam: & merito, quia Græce ἀπήγαγον. Plantiniani enim Vulgatam semper excuderunt, quam Romanus Pontifex approbavit; quare modo cum eius iussu Vulgata emendata sit, & ab erroribus quibusdam qui sensim irrepserant expurgata, Plantiniani eam unicam ediderunt, & porro recudent, donec alia eiusdem Summi Pontificis mandato ipsis edenda tradatur.

V. 9. AMBULATE FILII. S. Ambrosius Serm. XVIII. in Psalm. CXVIII. in principio, quatuor versus sequentes ita refert: *Ite*, *proficiscimini filii*, *ego enim derelicta sum deserta*: 20. *Exui me stola pacis*, *indui autem stolam precationis meæ*, *&* *clamabo ad Excelsum in diebus meis*: 21. *Animo æquo estote filii*, *clamate ad Deum*, *&* *extrahet vos de manu principum inimicorum*: 22. *Ego enim speravi in illo æterno salutem vestram*. Facile erit ex collatione versuum illorum cum Vulgata observare, sanctos Patres frequenter verba Scripturæ recitare ex memoria, ideoque verba aliquantulum immutare; quare iudicio magno utendum in definienda germana sacræ Scripturæ lectione, eamque potius ex variis Bibliorum codicibus inter se convenientibus stabiliendam, quam ex sanctorum Patrum Operibus; quia illi sæpe ad sententiam attendunt, minus de verbis solliciti, & modo Latinam ex Græco, modo eamdem ex Hebræo versam proferunt.

V. 20. EXUI ME STOLA. *Stola*, inquit Isidorus Lib. XIX. cap. XXV. *matronale operimentum*, *quod cooperto capite & scapula*, *a dextro latere in lævum humerum mittitur*. *Stola autem Græce vocatur*, *quod superemittatur*. Horatius:

Ad talos demissa stola & circumdata palla.

Stola igitur pallæ suberat, & stolæ supparus, ac denique intra tunicas omnes indusium. Verum quidem est, *stolam* pro veste muliebri communiter sumi; tamen etiam viris apud Medos communis erat, & Vulgata iisdem similiter tribuit. INDUI AUTEM ME SACCO. *Stolæ* opponitur *saccus*, vestis vilis, densa & dura, insigne temporis calamitosi indumentum, eo enim utebantur in pœnitentia, supplicatione, servitute: ideo dicit Ierusalem, se exutam stola pacis, & indutam sacco obsecrationis, clamaturam ad Altissimum. *Stola* derivatur a Græco στέλλομαι, *induo*; & *saccus* ab Herbæo שק *sak*, quæ postea in omni lingua retenta fuit; nam Syri & Chaldæi *saka* dicunt. Arabes diversis quidem dictionibus exprimunt *saccum*; tamen nulla ex illis affinitatem habet cum Hebræo שק *sak*, quod valde miratus fui, quandoquidem illa opinio invaluerit, reperiri in omni idiomate vestigium illius dictionis *sak*: & bene: Græci enim dicunt σάκκος, Latini *saccus*, Itali *sacco*, Hispani *saco*, Galli *sac*, Germani *sack*, Angli *sacke*, Dani *saeck*, Poloni *zako*. Quis igitur credat, Arabes, qui Hebræis & Chaldæis seu Assyriis viciniores quam sint ceteræ Septemtrionales, Occidentales, Australes nationes, nullum eius dictionis in suo idiomate conservasse vestigium. Quapropter adyta linguæ istius penetranda existimavi, & penitissime perscrutari tentavi; quem laborem subivi, ut simul ostenderem utilitatem linguæ Arabicæ, ad quam excolendam Diplomate suo Paulus V. viros doctos hortatur, sicuti ante ipsum fecerat Clemens V. in Concilio Viennensi. Primum igitur accurate inquisivi, quot modis Arabes rem per saccum significatam appellarent; postea rationem nominis perpendi, denique consideravi num in radicibus ex analogia dictionem aliquam *sacco* affinem eruere possem: tandem, uti spero, usurpare mihi licuit, Εὕρηκα, εὕρηκα. Dico igitur, Arabes appellare *saccum* duodecim his nominibus: *sarraton*, *michlaton*, *Charita*, *masechon*, *vveahon*, *garabon*, *mezudon*, *hamin*, *cison*, *idal*, *zecb*, *saccavon*.

Singula ordine perpendamus. Prima appellatio est *sarraton*, quod saccus, ne quid effluat, constringatur. Secunda, *michlaton*, quia saccus inanis est & vacuus, nisi cum aliquid ei imponitur. Tertia, *charita*, quia saccus dum plenus & probe est saburratus, teres rotundusque videtur. Quarta, *maschon*, quia saccus mensuram certam continet. Hinc credo apud Nicandrum, asserente Hesychio, *μίσχος κώδιον* (scribo κώδιον) χρῆται Νίκανδρος, id est *Nicander usurpat μίσχος pro pelle ovina*. Fortassis opinabatur rationem nominis esse, quod viatores noctu saccos ad quietem sibi substernerent, origineque

que dictionis a κεῖμαι, *iaceo* deducebat. Quinta, *vvealson*, quia in sacco reconduntur, quæ in itinere conferuntur. Sexta, *garabon* (quæ dictio perperam expressa fuit in Pentaglotto Schindleri Lexico litteris hisce Hebraicis גראר, scribendum erat גראב quia saccus communiter ex corio conficiebatur, quapropter erit bursa, vel ςράχτης, saccus quo pugiles in umbratili certamine decertabant. *Garab* enim significat *experiri vires alterius dimicando, concertando*. Septima, *mezudon*, quia in sacco cibus ad viam necessarius reponitur. Schindlerus iterum corrigendus venit: scribendum enim מזודא non מזורא, cum radix sit manifeste זוד זאד vel זיד. Octava, *hamin*. Hanc adiunxi, ne Lector in eumdem errorem cum Schindlero inducatur; ille enim fallus est in dictione המיאנא tum in Scriptura, tum in explicatione; scribendum enim erat ex Arabico הםיינא, & explicandum non *saccus*, sed *balteus*: nam apud Chaldæos & Syros (a quibus Arabes acceperunt) *hemian*, non significat *saccum*, sed *balteum*: & Iosephus Lib. III. Antiq. cap. VIII. de zona sacerdotali agens, ita loquitur: *Quam Moyses nominavit Abaneth, nos vocabulo a Babyloniis mutuato Emian dicimus: sic enim illi nominant*. Nona, *cison*, quod saccus certam & definitam portionem complectatur. Decima, *idal*; quod saccis æqualitas mensuræ & portionis cuique tribuatur. Hic quoque lapsus fuit Schindlerus; confundit enim עדל & עדל, diversa tamen significant; nam עדל valet *declinare, æquare*: עדל vero significat *corripere, arguere, castigare*. Excusari tamen poterit, si interpretemur de sacco pœnitentium, illo enim peccata castigabantur. Undecima, *zek*, quod per saccum vinum & liquores colentur; sic Græci dicunt ςακκίζειν ςακκίζειν, & Latini usurpant verbum *facco*, id est per saccum colo. Duodecima, *sacaron*, quæ a Lexicographis quidem omissa, sed frequenter in Scriptura reperitur, poniturque Hebræo אמתחת *amtachat*, id est *saccus*, quod expandatur. Credo Arabes hac voce *saccum* expressisse, vel quia sacco pleno gratias datori agimus, eiusque liberalitatem prædicamus; vel quia homo cibo fartus & saburratus, saccum turgidum præ se fert. Hactenus de Arabicis, apud quos aliquod etiam vestigium dictionis שק *sak* extare demonstrare volui, ut vulgarem opinionem de voce *sak* ab omnibus Gentibus usurpata in præcipuis saltem linguis confirmarem. Ad AEthiopes & Indos transeo, qui etsi charactere diverso ab Hebræis utantur, & scribant ac legant a sinistra sicut Græci & Latini; eorum tamen dictiones sunt Hebraicæ aut Chaldaicæ: quare *saccum* dicunt *sak*: nam Psalmo XXVIII. 14. pro *saccum meum*, dicunt *saki*, ubi Hebræus שקי *saki*. Armeni, qui etiam a sinistra scribunt ac legunt, & linguam conflatam habent ex dictionibus Hebraicis, Chaldaicis, Arabicis, Græcis, appellarint *saccum*, *sac*, aut *sak*. AEgyptii, Samaritani, Phœnices scripsissent *sak*: idioma enim commune habebant cum Hebræis, sed characteres diversos. De ceteris linguis, cum sint harum traduces, idem ferri potest iudicium: nimirum aliquod dictionis שק *sak* aut *sac* conservasse monimentum.

V. 22. SPERAVI IN AETERNUM. Græce, ἤλπισα ἐπὶ τῷ αἰωνίῳ, *speravit in æterno*, scilicet Deo; quare videtur scribendum in Vulgata nostra *in AEternum* littera maiuscula, sicuti *Sanctus*, *Altissimus* quandoque scribuntur, quando Deum designant, ne *æternum* de tempore & non de Deo, sicuti debet, intelligatur. GAUDIUM A SANCTO, id est Deo: sæpe enim in Scriptura nomen *Sanctus* absolute positum accipitur pro Deo; sicuti Iob VI. 10. *Nec contradicam sermonibus Sancti*. Isaiæ VI. 4. Seraphini accinunt Deo *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*. *Sanctus* Hebraice dicitur קדוש *Cados*: קדש *Cadas* est dictio quæ apud Hebræos oppositas producit significationes, veluti *sanctum esse*, & *impurum esse*, inde in Vocabulario veteri *Cadesa*, *scortum*. S. Ambrosius Exhortat. ad Virgines, contrarium dicit: *Cades innupta est*. [illegible] *est sancta corpore & spiritu, & Domino se dicavit, quæ reliquit parentes, & non facit voluntatem eorum, qui solent dicere, Debet nobis filia nepotes. Cades est, quæ filios nescit*. Idem observavi apud Hebræos in סכן *sacan*: est enim *prodesse*, & *ad paupertatem redigi*: רגע *raga*, est *moveri subito*, & *quiescere*: חתב *chatab*, *consecrare*, *execrari*: תאב *taab*, *optare*, *abominari*: דשן *desen*, *pinguedo*, *cinis*: אטר *atar*, *aperire*, *claudere*: גאל *gaal*, *appropinquare*, *elongare*; שרש *saras*, *radicare*, *eradicare*: בוא *bo*, *venire*, *abire*: דעך *dahac*, *extinguere*, *ardere*; תמם *tamam*, *perfici*, *destrueres*. Quintilianus Lib. I. Instit. Orat. cap. X. idem in Latinis notat:

Etiamne, inquit, *a contrariis aliqua finamus trahi, ut lucus; quia umbra opacus parum luceat; & lusus, quia sit longissime ab lusu; & Dis, quia minime dives*. Olympiodorus *gaudium* interpretatur redemptionem per Christum factam: utraque liberatio a captivitate, scilicet Chaldaica, sensu itterali; & diabolica, sensu mystico intelligi potest, & quæ sequuntur utrique accommodari possunt.

V. 24. Cum honore magno. Olympiodorus: *Redemptio enim facta per Christum illustrius reddidit genus nostrum, quam esset ab initio conditum*.

V. 25. Perditionem ipsius: Olympiodorus: *Quæ per pretiosam crucem diabolo contigit*. Et super cervices ipsius ascendes. Olympiodorus: *Ecce enim ait*, (Lucæ x. 19.) *Dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici*. Cervicem alicuius conculcare, est victorem Dominum esse, plenamque potestatem in victum habere; ut quemadmodum dominus servum cervicosum, refractarium, qui cervicem erigebat, cervicem incurvare & terram intueri & osculari cogat, sic victor victum terram mordere compellit, apud Homerum & Poetas: nec desunt exempla in Scriptura. Isaias xxvi. 6. *Conculcabit eam pes, pedes pauperis, gressus egenorum*.

V. 26. Delicati mei. Olympiodorus: Οἱ κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς δημιουργίαν τρυφεροὶ καὶ ἀδβαφεῖς γενόμενοι τὰς ἀνωμάλους καὶ δασείας ὁδοὺς ἐπορεύθησαν: verto: *Qui in prima creatione delicati & coloris vividi*, (in Adamo ob iustitiam originalem) *fuerunt, inæquales asperasque vias* (ob peccatum originale & actuale) *ambulaverunt*. Interpres verterat: *Qui olim creati fuerant delicati & molles, inæquales asperasque vias ambulaverunt*.

V. 28. Decies tantum iterum. Rationem huius dicti affert S. Thomas in cap. vi. Epistolæ ad Romanos, ubi Apostolus huc respexisse videtur, dum explicat ista verba, *Humanum dico*, &c. *Dicit autem*, inquit S. Doctor, *hoc esse humanum, quia secundum rectum iudicium exigeretur, ut homo multo plus serviret iustitiæ, quam antea servierit peccato*. *Baruch* iv. *Sicut fuit sensus vester ut erraretis a Deo, decies tantum iterum convertentes requiretis eum*. Cuius dicti rationem afferri inquit ab ipso Apostolo, præferendo statum gratiæ statui culpæ: Si enim plura nobis bona ex iustitia proveniunt quam ex culpa, magis debemus insistere ad serviendum iustitiæ, quam studuerimus ad serviendum peccato.

V. 30. Exhortatur enim te. Græce in editione Romana, Complutensi, Regia Plantini, παρακαλέσει σε, *consolabitur te*. Aldina, παρακαλεῖ σε, sic etiam VVecheliana; quomodo Vulgatam legisse autumo. S. Augustinus in Psalmum cxviii. explicans παρεκλήθην, quod communiter ibi redditur, *consolatus sum*, ita loquitur, *Vel sicut alii Codices habent, Et exhortatus sum, id est exhortationem accepi, utrumque enim potuit interpretari de verbo Græco παρεκλήθην*. Quapropter *exortatus est*, exortationem d. t: nescio cur Interpres τῶν ὁ expofuerit hic παρακαλέσει, *consolabitur*; quandoquidem in Scriptura sæpius significet *exhortari*. Qui te nominavit, id est qui tibi illud nomen imposuit, cum antea *Salem* & *Iebus* appellareris. Secundo, Theodoretus: *Qui te præ cunctis civitatibus in honore habuit*. Tertio, Olympiodorus: *Deus Verbum, qui pro nobis incarnatus est, qui sponsam suam vocare Ecclesiam dignatus est*. Quarto, qui te nominavit nomine novo, *civitatem Domini, Sion sancti Israel*, ut Isaiæ lx. 14. Quinto, & optime, qui te nomine tuo compellat, exhortatur te ut confidas in eius benignitate: fiet enim ut reducat te in pristinam felicitatem; adversarios autem tuos pessumdet; uti præclare prædixit Isaias cap. xvii. cap. xviii. cap. xix. & Ieremias cap. xlvi. cap. xlvii. cap. xlviii. cap. xlix. cap. l.

V. 32. Gaudimonium eius. *Gaudimonium* idem quod *gaudium*; terminatio enim diversa non mutat significationem, sicuti *testimonium*, idem quod *testatio*: nisi dicamus, particulam *monium* denotare *durationem*, a Græco μένω, *manere*: nam *patrimonium*, *matrimonium*, *vadimonium*, *sanctimonium*, durationem includunt, significant enim bona post patrem, matrem relicta, & in posteris manentia, fideiussionem, & sanctitatem constantem iuramento aut promissione confirmatam. *Gaudimonium* igitur hic fortassis est *gaudium manens & perdurans*; quasi dicat: Sicuti Chaldæi annis aliquot exultarunt, captivis & gementibus Iudæis; ita vicissim ipsi, Chaldæis (sicut hic prædicitur) in servitutem redactis gaudebunt, dum a Cyro in patriam suam, cum facultate restaurandi templum & civitatem remis-

mittentur. Græce, γαυρίαμα, *exultatio*, pro eodem sumuntur: immo Festus ait, *Gaudium* ἀπὸ τοῦ γαυριᾶν, *dictum*. Et Iulius Scaliger Exercitat. 317. 2. *Gaudium est voluptas faciens effusis spiritibus animum se efferentem*. Græca omnino origo est, sive καὶ χάω velit quis, sive malit γαυριάω: ita *exultatio* est *gaudium gestuosum*, γάνυσθαι & ἀγαλλιάζειν. Dicerem ego esse ab Hebræo חדה *chada*, id est *gaudeo*; inde γάδομαι. Hesychius γάδησθαι. ἥδεσθαι, γάδονται. εὐφραίνονται. γαδιω χαρά, *gaudium*: ab eodem חדה *chada* est γηθω. Hesychius γήθειν, χαίρειν, *gaudere*; γηθοσυνοι. χαίροντες, *gaudentes*.

V. 35. IGNIS .... AB AETERNO. Deus, qui solus est æternus, igne Babylonem comburet, sicuti ipsi Ierusalem combusserunt. Isaias cap. XIII. 19. *Et erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta superbia Chaldæorum, sicut subvertit Dominus Sodomam & Gomorrham*, id est incendetur. AD DAEMONIIS. Vide Scholia P. Marianæ ad cap. XXXIV. Isaiæ, & ad cap. L. Ieremiæ.

V. 36. AD ORIENTEM. Babylon quidem est ad Septemtionem Iudææ; sed Persia, Media, & regio Babylonica erant ad Orientem: quare oculos convertit ad Orientem, ut filios suos reduces cum gaudio contempletur.

V. 37. IN VERBO SANCTI, id est Dei. Theodoretus: *Non enim propriis viribus superaverunt hostes; sed qui tradidit eos Deus, restituit libertatem*. Irenæus Lib. V. Adversus hæreses cap. XXXV. accommodat versum hunc & præcedentem temporibus post Antichristi persecutiones in hunc modum: *Circumspice ad Orientem Ierusalem, & vide lætitiam, quæ adveniat tibi ab ipso Deo. Ecce venient filii tui, quos emisisti, venient collecti ab Oriente usque ad Occidentem, ver-* [illegible] *qua a Deo tuo est, claritate*. *Sanctus* absolute dicitur Deus, uti dixi vers. 22. ergo *in verbo sancti* est, iuxta promissum Dei per Prophetas prænuntiatum, ut per Isaiam cap. XLIX. vers. 12. Ierem. cap. XXX. vers. 31. reipsa præstitum, cum eius iussu Cyrus Iudæos remisit in patriam, quod prædixerat Isaias cap. XLV. 1. Esdras autem rem peractam narrat cap. II. 66. & cap. V. vers. 2. ideo gaudent ob gloriam quam Deus illis contulit (ita explico *gaudentes in honorem*) vel ut Sept. *honore* (*Dei*) dum illos qui exierant pedibus ducti ab inimicis, adduxit in patriam portatos in honore sicut filios regni. Capite sequenti vers. 5. habetur *gaudentes Dei memoria*. Accipio pro eodem; nam Deum recordari alicuius, est ei benefacere, & a miseria liberare, luctumque in gaudium commutare, atque ex consideratione beneficii excitare sui in homine recordationem, quæ omnem excludit mærorem.

MALVENDAE.

Vers. 1. HIC LIBER MANDATORUM DEI, &c. Exponunt: Id est, sapientia, de qua superiore capite disserui, nihil aliud est quam liber mandatorum Dei, & lex ipsa hominibus a Deo data, ut dicitur Deuteronom. IV. 8. Iunius annotat: *Hæc verba omnino cum superioribus coniungenda sunt: ut pessime distributa sunt permultis locis capita*. Sic iste pessime solet pro suo iudicio capita dilacerare. Sed hic satis apte. ET LEX, QUAE EST IN AETERNUM. Alii: I. *& lex in æternum duratura*. II. *& lex subsistens in sæculum*. OMNES QUI TENENT EAM. Græce: *omnes obtinentes, continentes, valide & firme prehendentes eam*, vel *potientes eam*. PERVENIENT AD VITAM. Alii: *I. vitam ingressi sunt*, vel *ingredientur*. II. *ad vitam pertinent*.

V. 2. AMBULA PER VIAM AD SPLENDOREM EIUS CONTRA LUMEN EIUS. Alii ex Græco: I. *atque ad splendorem in lumine eius ambula*. II. *perge obviam lumini eius ad claritatem*. III. *perge ad splendorem coram lumine eius*. IV. Hispanicus Interpres: *y camina en su lux al splendor de ella*.

V. 3. NE TRADIDERIS ALTERI GLORIAM TUAM, &c. Alii: I. *Gloriam tuam ne cesseris alii; nec commoda tua genti alienæ*. II. *Ne cedas alteri gloriam tuam, & genti alienæ ea, quæ conferunt tibi*. Legem intelligunt, quæ gloria erat & decus, atque unicum commodum gentis Israeliticæ.

V. 5. ANIMAEQUIOR ESTO POPULUS DEI, MEMORABILIS ISRAEL. Alii: I. *Bono esto animo populares mei, monumentum Israelis*; id est, tenues reliquiæ Israelitarum, quæ nunc tantum quoddam veluti monumentum estis, vestigiumque populi, si cum priore frequentia comparemini.

V. 9. VIDIT ENIM IRACUNDIAM A DEO VENIENTEM VOBIS. Alii: I. *vidit enim*

vin-

vindictam a Deo importatam. II. *vidit enim, quæ vos invaserit ira Divina*. III. *videns enim superventuram vobis iram a Deo*, &c. Similem Ecclesiæ prosopopœiam vide IV. Esdræ II. AUDITE CONFINES SIONIS. Græce; *incolæ, advenæ, inquilinæ, vicinæ, iuxta habitantes Sionis*. Civitates Tzijoni subiectas & vicinas intelligunt. Sic infra verf. 14. & 24.

V. 12. NEMO GAUDEAT SUPER ME VIDUAM ET DESOLATAM. Alii: I. *Nemo insultet mihi viduæ, & a multis desolatæ*. II. *Nequis gaudia celebret mihi viduæ & desertæ a multis*. III. *Nemo lætetur de me, quod vidua sum & derelicta a multis*.

V. 13. IUSTITIAS AUTEM IPSIUS NESCIERUNT. Alii: I. *Iudicia autem ipsius cognoverunt*. II. *Et non agnoverunt iura ipsius*. III. *Non autem statuta eius agnoverunt*. NEQUE PER SEMITAS VERITATIS EIUS CUM IUSTITIA INGRESSI SUNT. Alii: I. *nec calles disciplinæ coniunctæ cum iustitia ipsius institerunt*. II. *neque callibus institerunt disciplinæ traditæ iustitia eius*.

V. 15. ADDUXIT ENIM SUPER ILLOS GENTEM DE LONGINQUO, &c. Hic locus sumptus est ex Deuteron. XXVIII. 49. GENTEM IMPROBAM. Græce, *impudentem, inverecundam, procacem*; id est, duram, crudelem, sævam, quæ nullius ætatis rationem habebit: vide Deuteron. XXVIII. 50. ET ALTERIUS LINGUAE: vel diversa lingua utentem, quam non intelligent, barbaram: vide Deuteron. XXVIII. 49. Intelligitur autem Chaldæos.

V. 16. ET A FILIIS UNICAM DESOLAVERUNT. Alii: *& a filiabus solam desolaverunt*. Quidam legunt: *& e filiabus unigenitam desolaverunt*.

V. 17. EGO AUTEM QUID POSSUM ADIUVARE VOS. Alii: I. *Ego autem quid opis possum vobis afferre?* II. *Ego vero quid possem adiumenti afferre vobis?*

V. 18. QUI ENIM ADDUXIT SUPER VOS MALA, &c. Alii hunc versum reddunt: *Nam qui induxit vobis mala ista, is vos e manu inimicorum vestrorum excempturus est*.

V. 19. AMBULATE, FILII &c. Alii: I. *Ite, liberi, ite: ego quippe orba relicta sum*. II. *Abite, liberi, abite. Ego vero derelicta sum desolata*.

V. 20. EXUI ME STOLA PACIS &c. Alii, I. *Exui stolam pacis, & indui cilicium deprecationis meæ, inclamaturus æternum diebus meis*. II. *Habituque prosperitatis exuto, cilicium supplex indui, AEternum illum, quoad vivam, inclamatura*.

V. 21. ANIMAEQUIORES ESTOTE, FILII &c. Alii ex Græco: I. *Bono animo estote, liberi, & clamores ad Deum tollite, qui vos a potentia, manuque hostium liberaturus est*. II. *Bono animo estote, liberi, inclamate Deum, & eximet vos a potestate & e manu inimicorum vestrorum*.

V. 22. EGO ENIM SPERAVI, &c. Alii hunc versum ex Græco traducunt: I. *Ego enim iam concepi spem in AEterno salutis vestræ, advenitque mihi lætitia a Sancto, propter misericordiam quæ vobis eventura est brevi ab AEterno, servatore nostro*. II. *Nam ego iam ab AEterno illo sperare cœpi salutem vestram, & a Sancto lætitia mihi obiecta est, fore ut brevi obtingat vobis ab AEterno Servatore nostro venia*. III. *Ego enim iam a Deo sempiterno salutem vestram speravi, lætitiaque mihi a Sancto allata est propter misericordiam, quæ ab æterno Servatore nostro quamprimum vobis obveniet*.

V. 25. FILII PATIENTER SUSTINETE IRAM, QUAE SUPERVENIT VOBIS. Alii ex Græco: *o Filii*, seu *o liberi, patienter ferte, æquo animo tolerate iram*, seu *acerbitatem*, vel *vindictam a Deo in vos profectam, immissam, illatam*, vel *quæ a Deo supervenit vobis*. ET SUPER CERVICES IPSIUS ASCENDES. Alii: I. *atque impositus cervicibus eius insultabit*. II. *calcabisque cervices eorum*. III. *& eorum cervicibus supergredieris*.

V. 26. DUCTI SUNT ENIM UT GREX DIREPTUS AB INIMICIS. Alii: I. *quasi grex direptus ab inimicis sublati sunt*. II. *& tamquam grex præda partus abacti sunt*. III. *sublati sunt tamquam grex direptus ab inimicis*.

V. 27. ANIMAEQUIORES ESTOTE, FILII &c. Alii hunc versum e Græco reddunt: I. *Bono animo estote, liberi, & inclamate Deum; erit enim recordatio vestri ab eo, qui induxit ista*. II. *Bono animo estote, liberi, & Deum invocate; nam in expeditionem egressus memor erit vestri*. III. *Confidite filii, ad Deumque clamate; qui enim vos in hanc fortunam conditionemque adduxit, is vestri quoque memoriam suscipiet*; id est, is, qui hæc vobis induxit tanta mala, vestri recordabitur; ex eis liberans vos.

V. 28. SICUT ENIM FUIT SENSUS VE-

STER

ITER &c. Alii hunc versum e Græco transferunt: I. *Nam quemadmodum eo intentum habuistis animum, ut a Deo declinaretis; ita ad eumdem conversi, decies tanto magis ipsum quærite*. II. *ut enim ad declinandum a Deo intentum vestrum habuistis animum; ita conversi, decies tanto magis ipsum requirite*. III. *Quemadmodum enim fuit vobis animus aberrandi a Deo, nunc conversi decies amplius requirite eum*.

V. 29. QUI ENIM INDUXIT VOBIS MALA, &c. Alii: I. *Qui enim hæc mala vobis importavit, is quoque lætitiam sempiternam cum vestra salute coniunctam afferet*. II. *Nam qui induxit vobis mala ista, inducet vobis æternum gaudium cum salute vestra*. III. *Nam qui mala vobis immisit, idem vos cum salute vestra perfundet iucunditate perpetua*.

V. 30. ANIMAEQUIOR ESTO, IERUSALEM &c. Alii: I. *Bono animo esto, urbs Ierufchalaimorum; nominatim vocans te, consolabitur te*. II. *Fac adsit animo, Ierusalem; qui te optavit nominatim, is consolatur te*. QUI TE NOMINAVIT: id est, qui tibi nomen novum imposuit, Isai. LXII. 2. vel *quæ de nomine eius vocaris*, quæ diceris civitas Dei, civitas Sancti &c.

V. 31. NOCENTES PERIBUNT &c. Alii: *Miseri, qui te affligunt, & qui lætantur de casu tuo*.

V. 32. QUAE ACCEPIT FILIOS TUOS: id est, Babylon, quæ cives tuos captivos abduxit.

V. 34. ET AMPUTABITUR EXULTATIO, &c. Alii: I. *Et amputabo* aut *rescindam exultationem eius multitudinis*, vel *atque exultantem eius frequentiam circumcidam*; id est, auferam ei eam lætitiam & voluptatem, quam ex summa sua frequentia capit, diminuam eam civibus, atque ad interitum deducam: *& in luctum ipsius gloriationem convertam*. II. *Exultantem frequentiam eius auferam, & in luctum convertam gloriationem eius*. III. *Cum auferam eius exultationem de frequentia multa, & gloriatio eius vertetur in luctum*.

V. 35. IGNIS ENIM SUPERVENIET EI, &c. Hunc versum ex Græco reddunt, I. *Per longos enim dies ignis ab AEterno illo Deo immittetur in ipsam, plurimoque tempore coletur a dæmonibus*. II. *Ignis enim superveniet ei ab AEterno diutissime, & habitabitur a dæmoniis per multum tempus*. Confer hæc cum Isai. XIII. 19. & sequentibus, & Ierem. L. 39. & 40. Observant Baruchum hic vocem Hebraicam אִיִּים *iiim*, exposuisse *dæmonia*: alii malunt reddidisse vocem צִיִּים *tziiim*, ut solent LXX. Interpretes.

V. 36. CIRCUMSPICE IERUSALEM, &c. Quidam reddunt: *Circumspice ad orientem urbs Ierufchalaimorum, & vide lætitiam tibi evenientem a Deo*. Hypotyposis, tamquam si reliquiæ Ierufchalaimorum spectantes orientem versus observarent Iehudæos a Babylonia gloriose revertentes: quo etiam totum sequens caput pertinere docent verba evidentissime.

V. 37. ECCE ENIM VENIUNT FILII TUI, &c. Alii hunc versum e Græco transferunt: I. *Ecce veniunt filii tui, quos emiseras*, vel *dimiseras*: *veniunt congregati ab ortu ad occasum usque, verbo Sancti, & lætantes de gloria Dei*. II. *Ecce filii tui quos amiseras, adveniunt; adveniunt ab oriente & ab occidente usque, verbo Sancti Dei congregati, & ipsius lætabundi gloria*. Hæc omnia, ut etiam quæ sequente capite, tametsi proprie de restitutione populi e deportatione Babylonica dicta sunt, altius tamen de spirituali congregatione filiorum Dei e toto orbe in unam Sanctam Ecclesiam Catholicam proculdubio accipere debemus.

MENOCHII.

Vers. 1. HIC LIBER MANDATORUM DEI, id est sapientia, de qua superiori capite locutus sum, nihil aliud est, quam liber mandatorum Dei. LEX QUAE EST IN AETERNUM: quia longissimo tempore duravit, & quia quoad moralia præcepta æterna est, licet ceremonialia essent abolenda; æterna etiam, quia semper vera, & iusta, & continens veras, & non fallaces promissiones. PERVENIENT AD VITAM, æternam.

V. 2. CONVERTERE IACOB: ita vocat omnes Israelitas. AMPLA PER VIAM: relictam divinæ legis. AD SPLENDOREM EIUS: per viam quam tibi lex suo lumine, & splendore demonstrat. CONTRA LUMEN EIUS, id est e regione luminis eius, sicut eum præcedentem tædam sequimur.

V. 3. NE TRADAS ALTERI GLORIAM TUAM: ne cultum divinæ legis negligas, sed hanc gloriam tuam tuere, ut sis omnium

gen-

gentium religiosissima, & Dei mandatorum tenacissima.

V. 4. QUIA QUAE DEO PLACENT, &c. quia scilicet voluntatem suam, per legem quam nobis dedit, declaravit.

V. 5. ANIMAEQUIOR ESTO: bono & æquo animo esto. MEMORABILIS ISRAEL. Græce, μνημόσυνον Ισραὴλ, *monumentum Israelis*. Noster interpres *memoriale* vocare solet. Ita appellat populum, quod ad exiguum numerum redactus esset; & qui superstites erant: quasi reliquiæ a Deo essent conservati, ut populi memoria penitus aboleretur, ut ait Isaias cap. I. 9. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus.*

V. 6. VENUMDATI ESTIS: traditi estis: quæ enim venduntur emptori traduntur. NON IN PERDITIONEM: non ut vos penitus, & memoriam vestram aboleret, sed ut castigaret, & expiaret. IN IRA. Abundant hæ duæ voces, ex dialecto Hebræorum.

V. 8. QUI NUTRIVIT VOS. In Græco est, τὸν φύσαντα ὑμᾶς *qui vos genuit*; sic Moyses dixit Deuteron. XXXII. 18. *Deum, qui te genuit, dereliquisti*. NUTRICEM VESTRAM IERUSALEM: Synagogam, sive Ecclesiam intelligit, quæ eos spiritu genuerat, & divinæ legis lacte nutriverat.

V. 9. VIDIT: Ierusalem, id est Ecclesia. Vidit autem pee prophetas, qui sunt quasi oculi eius. CONFINES SION. Græce αἱ πάροικοι Σιὼν, *finitimæ Sionis*, scilicet πόλεις, *civitates*.

V. 11. DIMISI, in captivitatem.

V. 12. GAUDEAT SUPER ME, insultet mihi. VIDUAM, ET DESOLATAM: derelictam a Deo sponso meo. A MULTIS DERELICTA SUM: filiis meis.

V. 13. NESCIERUNT: neglexerunt.

V. 14. CONFINES SION: vide dicta num. 9. MEMORENTUR, id est lugendo mecum commemorent captivitatem filiorum meorum.

V. 15. SUPER ILLOS, contra illos. ALTERIUS LINGUAE, id est barbaram.

V. 16. QUI NON SUNT REVERITI SENEM. Ita Deuteron. XXVIII. 50. *Gentem procacissimam, quæ non deferat seni, & non misereatur parvuli:* vide Lamentat. IV. 4. 16. & c. V. 12. DILECTOS VIDUAE: filios meos, quæ vidua sum. A FILIIS UNICAM DESOLAVERUNT, id est filiis privatam, me deseriam, ac solam reliquerunt.

V. 17. ADIUVARE VOS: captivos filios meos.

V. 23. AMBULATE FILII: ite in captivitatem, & ego sola relinquar, fortiter tolerabo meam desolationem, ut vos fortiter, & æquanimiter captivitatem toleretis, donec Deus vos ex illa liberet, & mihi restituat.

V. 20. STOLA PACIS: veste lætitiæ. SACCO OBSECRATIONIS: cilicio, quod supplicibus convenit. CLAMABO AD ALTISSIMUM IN DIEBUS MEIS. Loquitur quasi femina, quæ septuaginta annis esset victura, quibus duratura erat captivitas.

V. 21. ANIMAEQUIORES ESTOTE: sic supra num. 5. Bono estote animo.

V. 22 IN AETERNTM: Deum sic eum appellavit supra num. 10. & 14. VENIT MIHI GAUDIUM A SANCTO, &c. quasi dicat: Sentio mihi a Deo ingentem infundi lætitiam, dum benignitatem, ac misericordiam considero sancti Dei Salvatoris, & vindicis nostri.

V. 23. EMISI: in captivitatem, sicut supra num. 11.

V. 24. VICINAE SION: vicinæ civitates; vide supra num. 9. A DEO: in quam vos duci noluit Deus. SPLENDORE AETERNO, id est diuturno tempore duraturo. Appellant enim aliquando Hebræi æternum, quod longo tempore duraturum est.

V. 25. IRAM, Dei, qua vos punit. INIMICUS TUUS: Nabuchodonosor cum Chaldæis. SUPER CERVICES EIUS ASCENDES: conculcabis illum, vide Isai. LX. 14.

V. 26. DELICATI MEI: filii a me in deliciis educati.

V. 27. ANIMAEQUIORES, &c. Idem fere versiculus cum vigesimo primo. MEMORIA VESTRA, id est vestri, passive; id est, recordabitur vestri Deus, ut vos e captivitate reducat. QUI DUXIT vos, in captivitatem duci permisit.

V. 28. SENSUS. Græce διάνοια, id est cogitatio, conceptus, & voluntas vestra. DECIES TANTUM, &c. Decuplo maiore studio, atque conatu quærite Deum, convertentes vos ad illum.

V. 30. EXHORTATUR TE: ut bono sis animo, & spem bonam concipias: in Græco est παρακαλέσει σε, *consolabitur te*. QUI

TE

TE NOMINAVIT: ille cuius nomen geris; qui te de suo nomine vocavit, civitatem Dei Israel, & *civitatem sancti* Isai. LII. 1. VI. 14.

V. 31. NOCENTES: qui tibi nocuerunt, & te vexarunt.

V. 32. QUAE ACCEPIT, &c. Babylon, quæ filios tuos captivos duxit.

V. 34. ET AMPUTABITUR, &c. Auferetur exultatio qua ipsa gaudet ob frequentiam & multitudinem populi quo abundat. MULTITUDINIS EIUS. Græce est, πολυοχλίας *multæ turbæ*, frequentis populi. GAUDIMONIUM. Græce γαυρίαμα, id est superbia, & iactantia qua insolenter exultat.

V. 36. IGNIS, &c. nam Babyloni Persæ ignem iniecerunt, ut patet ex Isai. XIII. 19. & Ierem. L. 39. Vel metaphorice per ignem intelligit acerbam castigationem, qua Deus Babylonem erat puniturus. AB AETERNO: scilicet Deo, ut supra 22. & cap. præcedente num. 10. & 14. IN LONGITURNIS DIEBUS. Græce εἰς ἡμέρας, *in longum tempus*, ita ut longo tempore instaurari nequeat. HABITABITUR A DAEMONIIS: a Satyris, & Faunis. Vide Ierem. L. 39. & Isai. XXXIV. 14.

V. 37. AB ORIENTE AD OCCIDENTEM, id est ex Persia, Media, Babylonia, quæ ad orientem sunt Ierusalem (licet ipsa Babylon proprie esset ad septentrionem Ierosolymæ) redibunt Iudæi ad Ierusalem. IN VERBO SANCTI: ut Deus per prophetas promisit. Vel in Dei præcepto, quia Deus præcepit, & inspiravit Cyro, ut Iudæos remitteret in patriam; Isai. XLV. 1.

TIRINI.

Vers. 1. HIC LIBER; quasi dicat: Sapientia; quam adeo commendavi cap. præced. continetur libro MANDATORUM DEI, immo est ipsa LEX per Moysen vobis tradita, QUAE EST duratura IN AETERNUM, in seipsa, quoad præcepta moralia: in antitypo suo, quoad ceremonialia, quæ per ea, & in eis quæ præsignificabant & adumbrabant, puta mysteria Christi & Ecclesiæ Christianæ, complentur & durant æternum: & OMNES QUI TENENT & observant hanc legem, PERVENIET AD VITAM æternam. Salvabantur enim quicumque eam ex caritate & obedientia observabant, inquit Maldonatus.

V. 2. AMBULA, o Israel, PER VIAM AD SPLENDOREM EIUS; id est, sequere in omnibus legem, quasi facem *a* tibi prælucentem, CONTRA LUMEN EIUS, id est e regione luminis eius, supple, sequere.

V. 3. NE TRADAS ALTERI genti GLORIAM TUAM ET DIGNITATEM; id est, ne patiaris tibi ab ulla gente quatumcumque blandiente vel urgente, eripi gloriam obsequii mandatorum Dei, & dignitatem cultus divini ac religionis, qua tam celebris es ac splendes apud omnes gentes; ita fere Maldonatus & a Lapide. Hac enim præ omnibus aliis,

V. 4. BEATI SUMUS, O ISRAEL, QUIA per illam MANIFESTA NOBIS fiunt QUAE DEO PLACENT, id est voluntas & decreta divina.

V. 5. MEMORABILIS; Græce, μνημόσυνον, id est memoriale vel monimentum; quasi dicat: *O populi Dei*, o Synagoga Iudæorum, etsi bellis pene excisa, tamen reliquiæ tuæ Deo charæ sunt & curæ, instar optatissimi memorialis in memoria divina reconditi.

V. 6. VENUMDATI, id est plene traditi *b*, ESTIS GENTIBUS Chaldæis in servitutem, perinde ac si pretio ab eis empti essetis; sed NON IN PERDITIONEM, ut penitus exscindamini e terris, sed in punitionem & expiationem scelerum vestrorum, quibus

V. 8. CONTRISTASTIS NUTRICEM VESTRAM IERUSALEM, id est Synagogam, seu Ecclesiam Dei, cuius caput & nobiliora membra residebant Ierosolymis; sed ipsa se extendebat ad omnem Iudæam, immo & extra Iudæam, ad omnia loca in quibus Iudæi commorabantur. Hanc vocat NUTRICEM, seu *matrem* Iudæorum, quia illos in fide & lege divina, eiusque cultu enutrierat. Et merito quidem contristata hæc fuit tum ob scelera vestra, tum ob pœnas sceleribus debitas.

V. 9. VIDIT ENIM, nempe per Prophetas, quasi per oculos suos, IRACUNDIAM divinam VOBIS VENIENTEM, qua nunc obruimini. ET DIXIT, nempe per ora eorumdem Prophetarum suorum, præmonens & corripiens vos; sed monita eius non curastis.

V. 14. VENIANT vicini populi CONFINES & contermini Israeli, & una mecum lugendo ac plangendo MEMORENTUR, seu

commemorent, cladem FILIORUM meorum, & hac sua compassione allevient ex parte tristitiam meam.

V. 15. ALTERIUS LINGUAE vocat Chaldæos, eo quod a Iudæis non intelligerentur. Quæ causa erat cur Iudæi, dum sinistre exequerentur iussa dominorum suorum, sæpius vapularent. Et hoc comminatus fuerat Deus per *c* Moysen & Ieremiam *d*. Hi excita Ierosolyma, in captivitatem

V. 16. ABDUXERUNT VIDUAE; id est, charissimos filios meos quæ vidua sum, a marito meo Deo quasi derelicta: atque ita A FILIIS UNICAM DESOLAVERUNT, id est filiis orbatam me reliquerunt solitariam & desertam.

V. 19. AMBULATE FILII; id est, ite, ite in captivitatem, æquanimiter & fortiter tolerate omnia adversa. Ego, interim lugebo.

V. 20. EXUI ME STOLA PACIS, id est veste prosperitatis ac lætitiæ, & INDUI ME SACCO OBSECRATIONIS, id est veste lugubri & cilicina, quali utuntur qui pro venia obsecrant & alteri supplicant, & ego supplico Deo pro vestra relaxatione.

V. 22. SPERAVI semper IN AETERNUM, id est in Deum qui est æternus: patet ex Græco, & ex altero membro huius versiculi. Nec frustra speravi vel oravi. Mox enim per ora Prophetarum *venit* MIHI GAUDIUM denuntiatum a Deo cui Seraphini accinunt *e* Sanctus, sanctus, sanctus: Gaudium, inquam, SUPER MISERICORDIA VObis impertienda A SALUTARI, id est salvatore, NOSTRO: & quidem ἐν τάχει, id est brevi, nempe finis 70. annis servitutis & captivitatis.

V. 24. CUM SPLENDORE AETERNO, id est longissimo tempore *f* duraturo.

V. 25. SUPER CERVICES INIMICI TUI, puta Chaldæorum, ASCENDES, quasi victor & dominus, adeo ut iis tibi substratis, quasi suppedaneis ut possis: sicut Sapores rex Persarum usus est Valeriano Imperatore Romanorum, & Tamberlanes Baiazete Imp. Turcarum. Ita Daniel, ita tres eius socii, ita Mardochæus & alii Iudæi ascenderunt super cervices Chaldæorum. Sed plenius id factum a Messia, qui Ecclesiam & vicarium suum dominari fecit cunctis *g* Gentibus, antea sibi inimicis.

V. 28 SICUT FUIT SENSUS; Græce, διάνοια, id est cogitatio, conceptus & volitio vestra, ut per inobedientiam *aberraretis* & deviaretis A DEO: ita resumptis post paulo animis, conversi ad Deum, DECIES TANTUM REQUIRETIS *h* & coletis EUM. Generosi enim ac vere pœnitentis animi est, in compensationem offensæ decuplare cursum in stadio virtutum.

V. 30. EXHORTATUR TE ad spem & gaudium, QUI TE NOMINAVIT civitatem sancti, ut Isaias *i* explicat, id est civitatem suam, sibique propriam fecit te, in qua tamquam in regia, seu metropoli sua resideret. E contrario

V. 32. PUNIETUR QUAE ACCEPIT FILIOS TUOS, id est Babylon, quæ Idumæos in Chaldæam devectos sinu & carcere suo excepit.

V. 34. GAUDIMONIUM; Græce, χαυρίαμα, id est superbia & iactantia, EIUS, qua insolenter exultat, convertetur IN LUCTUM.

V. 35. IGNIS non modo metaphoricus acerbæ punitionis, sed & materialis ac physicus, SUPERVENIET EI AB AETERNO, nempe Deo. Exustam enim pluribus locis Babylonem constat ex Isaia, Ieremia, k & historicis. ET HABITABITUR A DAEMONIBUS, id est a satyris & faunis, ut alibi *l* dixi.

V. 37. ECCE, o Ierosolyma, FILII TUI indulto Cyri redeunt ad te ex omnibus angulis orbis, AB ORIENTE, (ubi Persia & Media, respectu Ierosolymæ,) per Septemtrionem, (ubi Chaldæa,) USQUE AD OCCIDENTEM, (ubi aliæ gentes, ad quas Iudæi non pauci profugerant:) nempe ex omnibus exilii locis redibunt in patriam IN VERBO SANCTI, id est iuxta promissum Dei per Prophetas inquit Theodoretus. Sed hoc Allegorice verius impletum sub Messia, quando ex omni orbis parte fideles ad ipsum ipsiusque Ecclesiam confluxerunt.

(a) Psal. cxviii. 105. & Proverb. vi. 23.
(b) III. Reg. xxi. 25. & Rom. vii. 14.
(c) Deut. xxviii. 49.
(d) Ierem. v, 15.
(e) Isaiæ vi. 2.
(f) Proleg. de Idiotismis Hebr. num. xxvii.
(g) Isai. lx. 24.
(h) Rom. vi. 19.
(i) Isaiæ lxi. 1. & lx. 14.
(k) Isaiæ xiii. 19. Ierem. l. 39.
(l) Isaiæ xxxiv. 14. & Ierem. sup.

GOR-

GORDONI.

Verſ. 1. & 2. HIC LIBER, &c. Legem hanc veterem vocat æternam: non ſolum more Hebræorum, quia longiſſimi temporis erat; ſed quia continebat moralia præcepta æterna: ac demum per ceremonialia in antitypo & myſteriis Chriſti, diuturnior eſt. Ergo, inquit (verſ. 2.) AMBULA CONTRA LUMEN EIUS; hoc eſt, ſequendo lumen eius. Sept. κατέναντι τοῦ φωτὸς αὐτοῦ, *coram lumine eius*.

V. 9. En nunc Ieruſalem deplorantem (ut præfatus ſum) orbitatem ſuam, uſque ad verſ.30. non ſine præclara exhortatione ad bonum.

V. 30. ANIMAEQUIOR ESTO, &c. Verba ſunt Dei, vel Prophetæ ad Ieruſalem: familiaris eſt Prophetis talis perſonarum enallage. Habet hæc pars capitis conſolatoriam orationem ad Ieruſalem, cum prophetia de hoſtium calamitate.



CAPUT V.

Iubetur Ieruſalem luctum exuere, eo quod filii eius cum ignominia ducti in captivitatem, cum gloria ſint ad eam reducendi.

1. EXue'te Ieruſalem ſtola luctus, & vexationis tuæ: & indue te decore, & honore * eius, quæ a Deo tibi eſt, ſempiternæ gloriæ. 2. Circumdabit te Deus diploide iuſtitiæ, & imponet mitram capiti honoris æterni. 3. Deus enim oſtendet * ſplendorem ſuum in te, omni qui ſub cælo eſt. 4. Nominabitur enim tibi nomen tuum a Deo in ſempiternum: Pax iuſtitiæ, & honor pietatis. 5. Exurge Ieruſalem, & ſta in excelſo: (*a*) & circumſpice ad Orientem, & vide collectos filios tuos ab oriente ſole uſque ad Occidentem, in verbo ſancti gaudentes Dei memoria. 6. Exierunt enim abs te pedibus ducti ab inimicis: adducet autem illos Dominus ad te * portatos in honore ſicut filios regni. 7. Conſtituit enim Deus humiliare omnem montem excelſum, & rupes perennes, & convalles replere in æqualitatem terræ: ut ambulet Iſrael diligenter in honorem Dei. 8. Obumbraverunt autem & ſilvæ, & omne lignum ſuavitatis, Iſrael * ex mandato Dei. 9. Adducet enim Deus Iſrael cum iucunditate in lumine maieſtatis ſuæ, cum miſericordia, & iuſtitia, quæ eſt ex ipſo.

(*a*) Sup. IV. 36.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 1. *Eius quæ a Deo tibi eſt ſempiternæ gloriæ*. Nec hic mutes genitivos *ſempiternæ gloriæ* in nominativos.

Verſ. 3. *Splendorem ſuum in te, omni qui ſub cælo eſt*. Non eſt omittenda vox *omni*.

Verſ. 6. *Portatos in honore*. Præferendus eſt ablativus accuſativo *honorem*.

Verſ. 8. *Ex mandato Dei*. Alii libri omittunt *ex*.

COMMENTARIA

MALDONATI.

Verf. I. **E**XUE TE STOLA LUCTUS. Habitus mutatione conditionis mutationem declarat. Stolam luctus κατάχρηστικῶς dixit, pro, veste: non enim quamlibet vestem significat, sed talarem, eamque muliebrem, pretiosam potius quam lugubrem. Magis proprie dixit capite superiore vers. 20. *Exui me stola pacis; indui autem sacco obsecrationis*. Hic contrarium dicere voluit: Exue te sacco lugubri, & indue te stola pacis. INDUE TE DECORE, id est amplectere decorem, καὶ ἔνδυσαι εὐπρέπειαν τῆς παρὰ τοῦ Θεοῦ δόξης εἰς τὸν αἰῶνα, *in decorem eius gloriæ, quæ tibi a Deo* (sub. veniet) *in æternum*. Nostrum interpretem credibile est vertisse, *quæ a Deo tibi est sempiternæ gloriæ*, convenienter Græcæ lectioni. Induere decorem Hebraismus est, לבש הוד, id est arcte amplecti, tenereque ut Psal. XCII. I. *Dominus regnavit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se*; & Psal. CIII. I. *Confessionem & decorem induisti*: phrasis inde ducta, quod vestis nobis arcte hærere soleat, ut declaratur Psal. CVIII. 18 *Induit maledictionem, sicut vestimentum*. Similis sententia apud Isaiam cap. LII. I. *Consurge, consurge, induere fortitudine tua Sion, induere vestimentis gloriæ tuæ Ierusalem, civitas sancti*, & Isai. cap. LXI. 3. *Ut ponerem lugentibus Sion* (misit me Deus) *ut darent eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris*.

V. 2. CIRCUMDABIT TE. Græc. περιβαλοῦ τὴν διπλοΐδα τῆς παρὰ τοῦ Θεοῦ δικαιοσύνης, *Indue diploidem iustitiæ, quæ a Deo est*, id est amplectere iustitiam, quam tibi Deus mittet, tamquam diploidem. Hebraismum versu præcedenti declaravimus. Iustitia autem hoc loco misericordiam significat, quæ ideo iustitia vocatur, quod eam Deus, sicut promiserat, ita præstet: Iustus enim dicitur quia facit quod promittit, ut Psalm. LXX. 2 *In iustitia tua libera me, & eripe me*: & Isai. LXI. 10. *Induit me vestimentis salutis: & indumento iustitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis*. ET IMPONE MITRAM. Mitra mulieris capitis ornamentum est, sicut stola vestis muliebris; loquitur enim de Ecclesia tamquam de femina.

V. 3. QUI SUB CAELO EST. Græc. ὁ γὰρ Θεὸς δείξει τῇ ὑπ᾽ οὐρανὸν πάσῃ τὴν σὴν λαμπρότητα, *Deus enim ostendet omni, quæ sub cælo est* (γῇ terræ) *splendorem tuum*; id est, efficiet, ut toto orbe terrarum clarissima sis, ut explicatur duobus versibus sequentibus. Idem aliis verbis prædicit Isai. cap. LX. I. 2. 3. *Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populus: super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui*.

V. 4. NOMINABITUR ENIM TIBI NOMEN. Hebraismus est: ויקרא לך, *& imponetur tibi nomen a Deo*, aut mutabitur nomen tuum, vocaberisque, PAX IUSTITIAE, ET HONOR PIETATIS; id est, civitas, in qua abundat pax & iustitia, & misericordia nata, & gloria ex pietate proveniens. Solet Scriptura nominum mutatione mutationem status significare, ut in Abraham, Gen. XVII. 5. in Iacob, Genes. XXXII. 28. in Petro, Ioan. I. 42. factum videmus. Idipsum in Ierusalem, id est in Ecclesia faciendum esse, non solum hoc loco Baruch, sed etiam Isai. cap. LXII. 2. vaticinatur: *Et vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit*. Simile quiddam apud Ezech. cap. XLVIII. 35. *Et nomen* [illegible] *die. Dominus ibidem*. Porro illud quod sæpe alias adnotavimus, in memoriam revocandum est; vocari apud Hebræos idem significare, quod esse. Numquam enim Ierusalem aut Ecclesia, quæ per eam significatur hoc nomine appellata est, *Pax iustitiæ*; aut, Dominus ibidem: sed quia revera talis fuit, dicit Propheta ita esse nomen eius vocandum: sicut Isaias VII. 14. dicitur Christus vocandus *Emmanuel*, id est *Nobiscum Deus*, Matth. I. 23. non quod ita vocandus esset, sed quod revera Emmanuel, id est nobiscum Deus futurus esset, & Ie-

& Ierem. XXIII. 6. fore ut vocetur, *Dominus iustus noster*, id est ut sit Deus iustus noster.

V. 5. EXURGE. Hic locus supra expiicatus est cap. superiori vers. 36. 37. Nisi quod illic dixit, χαίροντες τῇ τῶ θεοῦ δόξῃ, *Gaudentes Dei gloria;* hic autem, χαίροντες τῇ τῶ θεοῦ μνείᾳ, GAUDENTES DEI MEMORIA, id est magnam lætitiam percipientes, ex recordatione divini beneficii, quo a captivitate liberabuntur.

V. 6. PORTATOS IN HONOREM. Grec. αἰρομένες κατὰ δόξης, *cum gloria*, id est equis, & curribus honorifice vectos. SICUT FILIOS REGNI, id est, sicut reges, aut sicut filios regum regni successores, ut apud Isai. cap. LXVI. 20. *Et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino, in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis ad montem sanctum meum Ierusalem*, & cap. XLIX. 22. *Ecce levabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum. Et afferent filios tuos in ulnis, & filias tuas super humeros portabant*. Neque vero putandum est prophetiam impletam non esse, si vel non omnes Iudæi pedites in captivitatem abierint; vel nulli in curribus & carrucis, aut humeris gestati redierint: tantum enim significat, miserabiliter abiisse, honorifice autem redituros, ut Psal. CXXV. 6. *Euntes ibant, & flebant; venientes autem venient cum exultatione*.

V. 7. CONSTITUIT ENIM DOMINUS HUMILIARE OMNEM MONTEM. Hoc versu nihil aliud significat, quam fore ut Deus omnia impedimenta removeat, facilemque Iudæis reditum præbeat: non quod re ipsa montes complanaturus, valles vero aggeraturus erit, sicut David dicit, cum Deus populum suum educeret ex AEgypto, montes exultavisse sicut arietes & colles sicut agnos ovium, Psal. CXIII. 4. id est, omnia prompte atque libenter ad facilitatem itineris Deo paruisse. Similis apud Isaiam prophetia est cap. XL. 3. 4. *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt prava in directa, & aspera in vias planas*. UT AMBULET ISRAEL DILIGENTER, id est celeriter, sine ullo impedimento. Græc. ἀσφαλῶς, *tuto, sine periculo*. IN HONOREM DEI, τῇ τῶ θεοῦ δόξῃ, *ad gloriam Dei*; id est, ut ex ea re Dei gloria demonstretur, ut Psal. CXIII. 1. 2. *In exitu Israel de AEgypto, domus Iacob de populo barbaro. Facta est Iudæa sanctificatio eius, Israel potestas eius*, id est ex liberatione Iudææ, & Israelis sanctitas, & potentia Dei apparuit.

V. 8. OBUMBRAVERUNT: præteritum pro futuro Hebraico, propheticoque more; id est, non solum sylvæ non erunt illis redeuntibus impedimento, sed potius erunt adiumento; sua enim umbra eos tegent, & ab æstu defendent; sicut in exitu ab AEgypto columna nubis umbram populo præbebat, Exod. XIII. 21. In quibusdam codicibus legitur ἐσκίρτησαν, *exultaverunt*; atque ita nonnulli interpretantur, ut alludat ad illud Psal. CXIII. 4. *Montes exultaverunt sicut arietes*. Noster interpres legit ἐσκίασαν, *obumbraverunt*; sicut alii codices habent; quod mihi multo magis placet & quia de montibus iam dixerat, & quia statim sequitur, OMNE LIGNUM SUAVITATIS, εὐωδίας, *suave olens:* quod epithetum ad obumbrandum accommodatum est, ad exultandum non item; & quia manifestum est ad columnam nubis, ut diximus alludere voluisse.

V. 9. ADDUCET ENIM DOMINUS ISRAEL. Sensus nostræ versionis facilis est, ut cap. superiori vers. 23. *Emisi enim vos cum luctu & ploratu; reducit autem vos mihi Dominus cum gaudio, & iucunditate in sempiternum*. Tamen Græce aliter legitur, ἡγήσεται γὰρ ὁ θεὸς Ἰσραὴλ, *adducet enim Deus Israel*. Sensus idem est, τῷ φωτὶ τῆς δόξης αὐτῶ, *lumine gloriæ suæ*; sicut ante allusit ad columnam nubis, ita nunc alludere videtur ad columnam ignis; quæ per noctem Iudæos ex AEgypto redeuntes præcedebat, Exod. XIII. 21. lumen autem gloriæ vocat non naturale, sed divina virtute factum, ut ex eo Dei gloria, & maiestas declaretur; eadem phrasi, qua dixit vers. 7. ἵνα βαδίσῃ Ἰσραὴλ ἀσφαλῶς τῇ τῶ θεοῦ δόξῃ, *ut Israel ambulet tuto in gloria Dei*. ET IUSTITIA QUAE EST EX IPSO. Iustitiam vocat misericordiam, & beneficentiam Dei eius promissis respondentem, ut sup. vers. 2.

S A.

Vers. 2. **A**ETERNI, id est Dei, ut patet ex Græco, τῆς δόξης τοῦ αἰῶνος.

V. 3. QUI. Græc. *omni quæ*, scilicet terræ.

V. 4. A DEO: scilicet datum; quasi dicat, Consequeris honorem summum. PAX, &c. id est, nomen, de quo proxime. IUSTITIAE, scilicet præmium, & finis. PIETATIS, scilicet in Deum; scilicet præmium.

V. 5. USQUE AD, &c. Vide sup. cap. 4. SANCTI, scilicet Dei.

V. 6. PEDIBUS, id est pedestres. IN HONORE. Græc. *cum gloria*: sic inf.

V. 7. HUMILIARE, &c. quasi dicat, Tollere omnia impedimenta viæ, scilicet spiritualis. Huc enim hæc præcipue pertinent. DILIGENTER. Græc. *secure*.

V. 8. OBUMBRAVERUNT; pro, obumbrabunt. SUAVITATIS; pro, suave, scilicet odoriferum; quasi dicat: Omnia iustis servient, viamque ad Deum suavem facient.

V. 9. EX IPSO, scilicet Dei donum est.

E S T I I.

Vers. 4. **N**OMINABITUR ENIM TIBI NOMEN TUUM A DEO IN SEMPITERNUM: PAX IUSTITIAE ET HONOR PIETATIS. Hæc prophetia manifeste ad Christi Ecclesiam pertinet; quæ in hoc sæculo pacem iustitiæ cum Deo habet inchoatam (unde illud in nativitate Salvatoris ab Angelis publicatum: *Et in terra pax hominibus*) & postea perfectissimam [illegible] in vita futura. De hac pace regni Christi numquam finienda, etiam Isaias cap. IX. *Multiplicabitur eius imperium & pacis non erit finis*. Quod autem dicitur: *Nominabitur tibi nomen*; per nomen significatur proprietas & specialis nota. Hæc enim pax iustitiæ ecclesiæ propria est; & ab ea numquam auferetur, etiamsi aliquando variis persecutionibus exerceatur.

L A N S S E L I I.

Vers. 1. **S**TOLA LUCTUS. *Stola*, uti diximus cap. IV. 20. cum proprie sumitur, vestem talarem lætitiæ convenientem significat, hic igitur καταχρηστικῶς accipitur, seu secundum originem potius (quia στέλλομαι est *induor* quacumque veste) quam secundum usum Auctorum, pro veste pretiosa & festiva. DECORE, ET HONORE RIUS, &c. Sept. paucioribus rem exprimunt: *Decore gloriæ, quæ a Deo in sempiternum*.

V. 2. CIRCUMDABIT TE .... ET IMPONET. Sept. *Circumda te .... & impone*. DIPLOIDE. Vulgata duobus in locis dictionem istam usurpavit. Alter locus est Psal. CVIII ubi pro *diploide*, Hebr. מעיל *mehil*. Chald. מעילא *mehila*. Arab. *alredaon*. AEthiop. *atspha*. Græc. διπλοΐδα. Singulas strictim tangam. Dico igitur, מעיל *mehil* esse vestem quæ super alias vestes induebatur. Ratio est, quia deducitur a radice עלה *halah*. quasi מעל *mahal*, *desuper*, quia vestis hæc ceteris imponebatur. Sept. vertunt ποδήρης, ἐπενδύτης, διπλοΐς, στολή, ἱμάτιον, χιτών, ὑποδύτης, μίτρα: quæ voces designant aliquam, sit verbo venia, superioritatem, sicuti ipsa dictio Latina *vestis*, quæ a Græco ἐσθής, quia supra corpus mittitur seu ponitur, nomen accepit; ἕω enim valet *mitto*: sola dictio ὑποδύτης, quæ vestem inferiorem & interiorem denotat, videtur huic explicationi repugnare: facilis est conciliatio. Dicendum enim, מעיל *mehil* dici subuculam & vestem interiorem vel inferiorem, respectu *Ephod*: quæ erat extima & suprema vestis; respectu autem tunicæ byssinæ qua primum induebatur Pontifex, esse vestem superiorem. Si quis tamen cum quibusdam aliis velit deducere a מעל *mahal*, id est *prævaricari*, hanc ei suggero rationem, quod Adam post prævaricationem veste usus fuerit, ut turpitudinem, quam in membrorum rebellione adverteba, tegeret. Arabicum *alredaon*, deduco a radice *radada*, *reddo reduco*; vel *rada*, *amicio*; unde *ridi*, vel *redaon*, *pallium*, & cum articulo *alridi*, *arridi*, *alredaon*, vel *arredaon*. AEthiopicum *atspha*, deduco ab Hebræo צפה *tsapha*, quod in *Piel* significat *texit*, *operuit*; unde צפוי *tsippui*, *operimentum*. Potest etiam deduci a צוף *tsoph*, *superfluxit*, sicut Græcum χιτών, quia ob laxitatem fluere & supra corpus diffundi videtur. Græcum διπλοΐδα, quo Latini etiam utuntur, Hesychius explicat διπλουμένην χλανίδα ἐν τῷ φορεῖσθαι, *duplicatam lænam dum gestatur*: quæ verba sic interpretor, ut velit διπλοΐδα vestem esse amplam & folli-

licantem, cuius partium anteriorum una alteri superponitur, quando induta sive pro ealore augendo, sive ad expeditionem corporis motum: quare parum interest, sive sit vestis unius simplicis panni, sive duplicis; sufficit enim illam duplicari in ipsa gestatione; convenit igitur omni vesti fissili, quæ duplicari possit, sive sit pallium, sive toga, sive læna, sive chlamys. Hæc attuli, ut ostenderem non esse necessarium, restringere *diploidem* ad vestem sacerdotalem, aut militarem, neque ad lænam, *quæ* (Varrone teste) *duarum togarum instar*, & secundum Servium, *est proprie toga duplex, & amictus auguralis*; sed modo sacerdotalem, modo militarem, modo communem esse, prout oratio postulabit; tantum requiri ut induta duplicari possit. Hoc significat vestem sacerdotalem, non muliebrem, quia Deus alloquitur Ierusalem tamquam recepturam ornamenta sacerdotalia. Per *diploidem* insinuat superhumerale corporis ornamentum, sicut per *mitram* capitis ornamentum. Dicit *diploide iustitiæ*, quia per Ierusalem non tantum intelligitur Synagoga Iudæorum, sed etiam Ecclesia Christianorum. Utramque vero circumdedit diploide iustitiæ, id est meritis passionis Christi, quibus non solum peccata deleta fuere, sed omnes virtutes collatæ, quibus tamquam diploide & mitra decorata fuit, & gloria æterna, quæ hic aliquoties promittitur eidem comparata. Ratio, quare minus probem *diploidem* & *mitram* accipi pro ornatu muliebri, est, quod illi ipsi qui ita sentiant, dicunt, hoc capite continuari superiorem exhortationem, & tamen versum 30. & sequentes capitis præcedentis accommodant Ierusalem tamquam Ecclesiæ vel civitati. Α'κολούθως itaque dicendum videtur, Prophetam prædicere Ecclesiæ decorem, restituta ipsi a Deo dignitate pristina, quam obtinebat cum templum & vera in eo religio floreret, immo Deum ipsi dignitatem istam adducturum & perpetuam stabiliturum; quod sane luculente præstitit, dando ipsi Pontificem, qui æternum pro illa offert sacrificium, & apparet vultui Dei, ut mundet sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Theodoretus meam confirmat sententiam; dicit enim *Induit eam habitu sacerdotali; in mitra enim inerat lamina aurea, in qua insculptum erat nomen Dei* (*pax iustitiæ, & honor pietatis.*) Et Incertus: *Resume prius tuum sacerdotium*. ET IMPONET MITRAM CAPITI. Explicata proprietate dictionis *diploidis*, quam ostendi esse vestem sacerdotalem, non autem tantum muliebrem; aggredior interpretationem dictionis *mitra*, quam aliqui hic tegumentum capitis mulieris seu calanticam exponunt, ideoque Ierusalem tamquam mulieri attributam volunt. Paucis rem longam expediam: *Mitra*, *Cidaris*, *Tiara* in Scriptura Græca & Latina pro eodem capitis tegumento sumuntur. Biblia Hebræa pro istis dictionibus, habent פאר *peer*: rad. פאר *peer*, *decoravit*, quod mitra eximium sit capitis ornamentum. Isaiæ vi. 10. pro *μίτρα*, Aquila, Symmachus, Theodot. habent *στέφανον*, *coronam*: צניף *tsaniph*; rad. צנף *tsanaph*, *involvit*, *circumdat*, quia mitra caput circumdat: סרוח *saruah*, rad. סרח *sarach*, *luxuriat*, *extendit se*, *superfluit*, quia de mitra (teste Servio in IV. AEneidos) *pendebat baccarum tegimen*, superfluum scilicet capitis tegumentum. Et Iosephus Lib. III. Antiq. Iud. cap. viii. agens de Pontificis habitu, dicit: *Super caput autem gestat pileum non fastigiatum, neque totum caput comprehendentem, sed paulo plus quam medium: hic vocatus masnaemphthes* (corrigo *misnephethes* a Chaldæo מצנפת *misnephesh*; addita terminatione Græcas ης.) Interpretem in sequentibus aberrantem ita reduco: *Est autem tali apparatu, ut corona videatur, vitta ex textura linea crassa effecta: etenim cum variis adsumentis distinguatur, sæpe consuitur*, &c. Et ibidem: *Porro pileo quali ceteri sacerdotes utebantur, super quem extabat alius consutilis ex hyacintho variatus; hunc aurea corona triplici ordine circumdabat, in qua pullulat calyculus aureus: ex hoc* (hyacintho) *confecta est corona ab occipitio ad utrumque tempus longa; nam frontem ἐφιελὶς, sic enim dicatur calyx, non ambiebat. Est autem fascia aurea, quæ sacris characteribus Dei nomen incisum habebat*. Appellatur etiam מגבעה *migbaha*: rad. גבע *gabah*, *collis*, *tumulus*, quod sit instar tumuli in quo caput tumuletur seu recondatur. Falluntur enim qui mitram similem tiaris Turcicis, quas *Torbant* dicimus, existimant, aut potius mitras Episcoporum isto nomine significari quam Cardinalium galeros volunt. Audiant S. Hieronymum epistola cxxviii. ad Fabiolam: *Quartum genus est vestimenti*,

ti, *rotundum pileolum*, *quale pictum in Ulysseo conspicimus*, *quasi sphæra media sit divisa*, *& pars una ponatur in capite*, *non habet acumen in summo*. Sept. Ezech. XXVI. 16. pro מעיל *mehil* posuerunt λίτρας. Vulgata, *exuvias*: attenderunt illi ad radicem עלה *hala*, quia scilicet mitra supra caput ponebatur, ideo fortassis aliqui Codices Græci addunt; ἀπὸ τῶν κεφαλῶν, *de capitibus*: sed non fuit necesse, quandoquidem dici possit μίτρας posuisse, quia sequebatur, καὶ τὸν ἱματισμὸν τὸν ποικίλον αὐτῶν ἐκδύσονται. Vulgata, *& vestimenta sua varia abiicient*. Voluerunt igitur prius significari ornamenta capitis, & postea totius corporis ab eis abiicienda.

Hactenus de Hebraicis dictionibus, in quibus ostendi, *Mitram* apud Hebræos non fuisse tegumentum capitis muliebris, idem in Græcis & Latinis præstandum. Μίτρα apud Eustachium Ὀδυσσ. κ. Οὐκ ἀεὶ πολεμικὸν σκεῦος δηλοῖ, ἀλλὰ καὶ τι περίθεμα κεφαλῆς, *non sempre instrumentum militare*, *se aliquid quod capiti circumponitur significat*. Et Ἰλιάδ. δ postquam explicasset μίτραν esse cingulum militare: Σημείωσαι δὲ ὅτι μίτρα παρὰ τοῖς μεθ' Ὅμηρον, καὶ ἐπὶ τῆς περὶ κεφαλὴν ταινίας λέγεται, ἤτοι κεκρύφαλον εἰπεῖν, ἐπὶ φασκίας: *Nota autem*, *mitram post Homeri tempora dici de vita capitis*, *seu ut vulgariter loquar*, *de fascia*. Adfert exempla ex Euripide & Herodoto: deducit a μίτος, *filum*, quasi μιτήρα, id est *ex filis contexta*. Ἰλιάδ. π, dicit μίτραν esse *cingulum*, & multos recte interpretari *coronam*. De κίδαρις dicit Ἰλιάδ. γ. aliquos opinari, Homerum tantum semel ista dictione usum, atque esse πίλου γένος, *genus pilei*. Hesychius dicit esse *pileum regium*, quem etiam τιάραν, nonnulli vero κίταριν, aut στόφιον (*vitam* seu *mitram*) quod ferunt sacerdotes. Τιάρα non extat quantum memini apud Eustathium, Hesychius dicit esse κυρβασίαν, seu *erectam mitram*; qua soli Reges apud Persas utebantur, Duces vero inclinatam gestabant. Quidquid ceteri Græci de his dictionibus adferunt, in his tetigimus; alia brevitas excludit, sicuti earum originationem ab Hebræis deduci מיתר *methar* כתר *cether*, תור *thor*; & quædam alia recondita: sufficiat probasse, *mithram* neque apud Hebræos, neque apud Græcos (ex quibus Latini acceperunt, & quorum usum Scriptura usurpavit) restringi ad vestem muliebrem, profanam, sed convenire Ierusalem tamquam typo Ecclesiæ sponsæ Christi, Pontificis supremi, ideoque vestes non Regiæ, sed Pontificiæ ei attribuendæ. Olympiodorus *mitram* interpretatur *crucem Christi*, *quæ in fronte credentium imprimitur*; *vel & ipsum Dominum*; *caput quippe Ecclesiæ Christus*.

V. 3. Deus enim ostendet. Sept. addunt, τῇ ὑπ' οὐρανὸν πάσῃ, *universis* seu *omni quæ sub cælo*. Baruch Ierusalem tamquam Christi Pontificis summi sponsam alloquitur; alludit enim ad Isaiæ LX. 2. & 3. *Super te orietur Dominus*, *& gloria eius in te videbitur*; *& ambulabunt Gentes in lumine tuo*, *& Reges in splendore ortus tui*.

V. 4. Pax iustitiae. Theoderetus: *Hæc autem nomina nunc habet*: *propterea concurrunt ad eam cuncti*. *Salvatoris enim passio reddidit illam splendidam*, *& illustrem*. Incertus: *Hæ sunt novæ Ierusalem notæ*. *Iustitiæ vero apposuit*; *nam quia est & peccatorum pax secundum Davidem* (Psal. XXVII. 3.) *ideo & Salvator ait* (Ioan. XIV. 27.) *Pacem meam do vobis*.

V. 5. Usque ad Occidentem. Sept. *ab occasu solis usque ad ortum*. Theodoretus: *Sciendum est*, *redeuntibus illis*, *qui erant in Babylone*, *tamquam pace genti præstita*, *reversos etiam esse eos*, *qui aufugerant tempore belli*, *& devenerant ad partes Australes & Occidentales*: *ideo meminit etiam redeuntium ab Occidente*. In verbo sancti gaudentes Dei memoria. Irenæus Lib. V. Adversus hæreses, cap. XXXV. ita profert; *Verbo illius Sancti gaudentes ipsam Dei recordationem*. Vide vers. 22. & 37. capitis præcedentis. Aliqui coniungunt *in verbo* cum *gaudentes*: alii referunt ad *collectos*: utraque sententia probabilis videtur.

V. 6. Pedibus ducti. Olympiodorus: *Pedibus ire*, *ad luctum pertinet*, *ut ostendit David Absalonem fugiens*: *& sane lacrymis digna gerebant*, *qui dæmonibus inserviebant*, *& variis eorum desideriis ducebantur*. Sicut filios. Sept. *sicut solium*, ὡς θρόνον. Codices alii, Ald. Complut. Reg. VVech. ὡς υἱὲς, *sicut filios*, quare puto librarii errorem, qui propter sequens τῆς βασιλείας, *regni*, legendum existimavit *solium*, θρόνος.

V. 7. Omnem montem. Theodoretus intelligit *Babylonios*, *qui videbantur esse similes montibus excelsis*. Olympiodorus omnia my-

ftice explicat, per *montem*, *omnem altitudinem extollentem se contra Dei cognitionem*: per *rupes*, *dæmones qui nobis ab initio sæculi bellum inferunt*: per *valles*, *cavas olim terrenasque animas bonis operibus repleri*, *sublatis scandalis*. ET RUPES. Sept. ῥῆγας θῖνας, *& cumulos*. Conveniunt: quia ficuti *rupes* a *rumpo* deducitur, ficuti Græcum ῥώξ a ῥήσσω: quia etsi percutiatur a fluctibus, non facile rumpitur; fic θὶν a θείνω derivatur, & fignificat *littus*, *cumulus*, *ripa*; quia a ventis littora & ripæ percutiuntur, & arenæ congeruntur.

V. 8. OBUMBRAVERUNT. Sept. edit. Romanæ, ἐσκίασαν, *obumbraverunt*: alii Codices ἐσκίρτησαν, *exultaverunt*; ficuti Pfal. CXIII. 4. *Montes exultaverunt*. Prior lectio tenenda, quia conformis omnibus Codicibus Latinis: & S. Irenæus loco fupra allato habet: *Umbracula autem intexuerunt filvæ*. Incertus accommodat Apoftolis; ait enim: *Qui fideles obumbrant fuis doctrinis, ne affligantur a fpiritali æftu*. Adde, per *obumbraverunt* infinuari nubem opacam, quæ Ifraelitis ex AEgypto redeuntibus in deferto adverfus folis ardorem commodum iter præbuit.

V. 9. IN LUMINE. Sicuti umbram filvarum & arborum comparavi cum nube opaca, ita *lumen maieftatis* comparandum exiftimo cum columna ignis quæ Ifraelitarum caftra in deferto illuminabat.

MALVENDAE.

Verf. 1. EXUE TE, IERUSALEM, &c. Hunc verfum alii ex Græco reddunt: I. *Exue veftem luctus atque afflictionis tuæ, o Ierufalem, & indue decorem gloriæ, quam Deus fempiternam tibi tribuit*. II. *Exue, urbs Ierufchalaimorum, ftolam luctus & afflictionis tuæ, ac indue decorem gloriæ a Deo collatæ in fæculum*. III. *Exue habitum lugentis & afflictæ Ierufalem, & datæ a Deo gloriæ fempiternæ decus indue*.

V. 2. CIRCUMDATO TE DIPLOIDE, &c. Alii: I. *Vefti te diploide iuftitiæ tibi a Deo datæ, capiti tuo impone mitram eius honoris, quo Deus æternus te ornare voluit*. II. *Amici diploidem iuftitiæ donatæ a Deo, impone capiti tuo mitram gloriæ Dei AEterni*. III. *Vefti te diploide divinæ iuftitiæ, capitique tuo mitram gloriæ AEterni illius impone*. Quid fit *diplois*, & quid *mitra*, abunde te docebunt poft alios Lazarus Bayfius, & Carolus Stephanus de Re Veftiaria.

V. 3. DEUS ENIM OSTENDET, &c. Alii: I. *Deus enim fplendorem tuum omni nationi, quæ fub cælo eft, declarabit*. II. *Quia Deus fplendorem tuum toti fubiectæ cælo terræ oftenfurus eft*. III. *Deus enim demonftrabit omni genti, quæ fub cælo eft, fplendorem tuum*.

V. 4. NOMINABITUR ENIM, &c. Alii: I. *Nam nomen tibi ab eo tribuetur fempiternum, Pax iuftitiæ, & gloria pietatis*. II. *Imponetur enim a Deo tibi nomen fempiternum, Pax iuftitiæ, gloriaque pietatis*. III. *Nam vocaberis nomine tuo a Deo in fæculum, Pax iuftitiæ, & gloria pietatis*.

V. 5. GAUDENTES DEI MEMORIA. Alii: I. *memoriaque Dei lætabundos*. II. *& lætantes ad Dei recordationem* III. *memoriamque Dei celebrantes*.

V. 6. EXIERUNT ENIM ABS TE, &c. Alii: I. *Nam egreffi funt a te pedites abducti ab inimicis; adducit vero Deus eos ad te, elatos cum gloria ut filios regni*. II. *Nam qui ex te pedeftres cum ab hoftibus abducerentur, egreffi funt; eos Deus fublimes glorioſe reducit ad te, ut filios regios*. PORTATOS IN HONORE, αἰρομένους, *fublatos*, *evectos*, in equis & curribus; vel elatos dignitate & honore. Quædam exemplaria habent: ἐῤῥωμένους, *corroboratos*, *confirmatos*, *valentes*, *robuftos*, *&c.* SICUT FILIOS REGNI: id eft, cum ea gloria, quos filios regum ac principum decet. Alia exemplaria non tam recte legunt, *ficut folium regni*.

V. 7. CONSTITUIT ENIM DEUS HUMILIARE, &c. Alii hunc verfum ex Græco efferunt: I. *Conftituit enim Deus omnes montes excelfos, perennefque fcopulos deiicere, ac valles complere in æquabilem planitiem, ut Ifrael tutum iter cum gloria Dei habeat*. II. *Conftituit enim Deus, ut deprimatur omnis mons excelfus, fcopulique perennes, & valles expletæ folo adæquentur, qua Ifraelitæ protecti gloria Dei tuto commeent*. III. *Conftituit enim Deus deprimi omnem montem excelfum, & littora perennia, atque convalles impleri ad æquandam terram, ut eat Ifrael fecure ad gloriam Dei*. Vaftum, inquiunt, erat defertum inter Babyloniam & Iudæam, fummaque itineris afperitas ac difficultas, quæ intercludere reditum populi videbatur: itaque ut omnis dubitatio ex piorum animis tollatur, dicit, Deum omnia

nia impedimenta sublaturum, & omnia, quæ aspera esse videbantur, ita commutaturum, & aptaturum, ut ad populi iter plana, & expedita atque accommodata sint: simile est Isaiæ XL. 3. & 4. ET RUPES PERENNES. Græce: *& littora semper fluentia, perennia, perpetuis*, seu *perennibus aquis* vel *undis subterfluentia, subscaturientia:* nam erant illis multa flumina traiicienda. Alii, θινὰς, hic *scopulos, rupes*, vel *cumulos, tumulos* reddunt.

V. 8. OBUMBRAVERUNT AUTEM, &c. Alii hunc versum ex Græco transferunt: I. *Silvæ etiam, arboresque odore suavissimo fragrantes suam Israeli umbram præbuerunt, a Deo iussæ.* II. *Arbustis etiam, omnibusque arboribus odoriferis umbram Israelitis iussu Dei præbentibus.* III. *Exilieruntque etiam silvæ, & omne lignum odoratum coram Israel, præcepto Dei.* Exemplaria Græca passim habent ἐσκίασαν: *Obumbraverunt.* Allusum putant ad umbram nubis, Exod. XIII. 21. Alia ἐσκίρτησαν, *exultaverunt, exilierunt*, ut Psalm. CXIII. 4.

V. 9. ADDUCET ENIM DEUS ISRAEL, &c. Alii: I. *Deducet enim Deus Israelem cum lætitia in lumine gloriæ suæ, cum misericordia & ea iustitia, cuius ipse auctor agnoscatur.* II. *Deducetur enim populus Israelis cum lætitia, id est lætus, lumine glorioso ipsius, per misericordiam & iustitiam, quæ ab ipso est.* III. *Præibit enim Deus Israeliticus cum lætitia & luce gloriæ suæ cum misericordia & iustitia, cuius ipse auctor est.* Respectum existimant ad columnam ignis, Exod. XIII. 21.

MENOCHII.

Vers. 1. STOLA LUCTUS: veste lugubri. VEXATIONIS TUAE: veste aspera, & cilicina, quæ corpus vexet, & significet etiam vexationem, quam ab hostibus passa est. INDUE TE DECORE, &c. Assume vestem decoram, & honestam ea honestate, & gloria quæ tibi a Deo proveniet, & æternum durabit.

V. 2. CIRCUMDABIT TE DEUS DIPLOIDE. Diplois est tunica talaris muliebris; loquitur enim propheta de Ierusalem tamquam de matrona. Dicitur diplois, id est duplex, panno scilicet, vel pelle suffulta. Itali appellant, *Veste foderata*. IUSTITIAE. id est iusta, qua Deus iuste, & fideliter, ut promiserat, compensarat, eius dedecus: gloria, tristitiam hilaritate, captivitatem libertate. MITRAM: muliebre capitis ornamentum; quasi dicat: Sicut regina, aut honesta matrona diploide ornatur, & mitra; ita Ierusalem gloria, & decore tuo iterum vestietur, & ornabitur.

V. 3. SPLENDOREM SUUM: splendebis, & eris inclyta apud omnes gentes Dei beneficio; ipse enim illuminabit te, & clarissimam reddet.

V. 4. NOMINABITUR TIBI NOMEN TUUM: imponetur tibi nomen a Deo ut scilicet appelleris, PAX IUSTITIAE, ET HONOR PIETATIS. PAX IUSTITIAE, id est civitas in qua abundat pax, & iustitia. ET HONOR PIETATIS, id est civitas cuius pietatem in Deum, & religionem omnes celebrent.

V. 5. EXURGE, &c. Hic versiculus explicatus est capite superiori num. 36. & 37. GAUDENTES DEI MEMORIA, id est magnam lætitiam percipientes ex recordatione divini beneficii, quo a captivitate liberabuntur.

V. 6. EXIERUNT: qui captivi ducebantur in Babylonem. PORTATOS IN HONOREM, id est equis, & curribus honorifice vectos. SICUT FILIOS REGNI: sicut filios regum: vide Isaiam LXVI. 20.

V. 7. HUMILIARE OMNEM MONTEM, &c. Significatur fore ut Deus omnia impedimenta removeat, facilemque viam ad reditum sternat filiis Israel. RUPES PERENNES. Græce ἀενάους, quæ semper fuerunt. DILIGENTER: celeri gradu, omni iam sublato impedimento. In Græco est ἀσφαλῶς, id est *secure*. IN HONOREM DEI, id est ut ex ea re honor Dei demonstretur. Ad gloriam Dei.

V. 8. OBUMBRAVERUNT: obumbrabunt; est præteritum pro futuro, silvæ sua umbra tegent Israelitas, & ab æstu defendent, ut olim exeuntes Israelitas ex AEgypto columna nubis eos obumbrabat. LIGNUM SUAVITATIS. Græce εὐωδίας, *suave olens*, obumbrabit Israelitas.

V. 9. IN LUMINE MAIESTATIS. Alludit ad columnam ignis, quæ per noctem Iudæos ex AEgypto redeuntes præcedebat Exod. XIII. 21. Lumen autem maiestatis vocat lumen non naturale, sed divina virtute factum, ut ex eo divina gloria, & maiestas appareat. CUM MISERICORDIA: quia Hebræos ex duro carcere liberavit:

ET

ET IUSTITIA : qua hostes Israelis punivit, & iuste fideliterque adimplevit ea, quæ populo suo promiserat. QUAE EX IPSO EST, id est cuius ipse auctor est, non nos, aut merita nostra. Vel quæ eius promissis ultronee factis respondet.

TIRINI.

Verf. 1. INDUE TE DECORE, &c. id est, læta & exultans amplectere decorem & gloriam, qua te Deus operiet & quasi vestiet, cum te gloriose ex exilio reducet in patriam.

V. 2. *Diplois*, id est duplex vestis; erat tunica talaris matronarum primæ notæ, panno & pellibus inferta ac suffulta, & ideo duplex dicta, seu duplicata. Hanc vocat *iustitiæ* diploidem, quia promissam Israeli pœnitenti; ac proinde debitam illi ex fidelitate ac iustitia. Sic per MITRAM ornamentum capitis muliebre intelligit, quod Servius *calanticam* vocat; quasi dicat: Sicut regina ornatur sua mitra *a* ac diploide, ita Ierusalem rursus sua pristina gloria ac decore revestietur atque exornabitur: ita a Castro & Maldonatus.

V. 3. DEUS ENIM OSTENDET, id est notum faciet toti orbi, SPLENDOREM *b* tuum.

V. 4. NOMINABITUR & imponetur TIBI NOMEN A DEO, scilicet PAX IUSTITIAE ET HONOR PIETATIS; quasi dicat: Eris, & merito vocaberis, *abundans pace*, id est prosperitate & rerum omnium affluentia, non ex rapinis tibi obveniente, sed ex iustitia quam coles erga omnes: eris item *honor*, id est gloria, seu gloriosa, ob tuam erga Deum pietatem & religionem: ita Theodoretus, Hugo, Lyranus.

V. 5. Explicui in fine cap. præced. GAUDENTES DEI MEMORIA: nempe recordatione tam benefici liberatoris.

V. 6. PORTATOS IN HONORE, id est reductos honorifice, curribus & equis, SICUT FILIOS *regum*. Cyrus enim redeuntibus Babylone Iudæis subministravit *equos*, *camelos*, *aurum & argentum*, inquit Esdras *c*. Darius vero *misit* insuper *cum eis equites mille*, *cum musicis*, *& tympanis*, *& tibiis*, ut etiam Iosephus testatur.

V. 7. CONSTITUIT ENIM DOMINUS HUMILIARE OMNEM MONTEM, &c. id est tollere omnem viarum inæqualitatem & asperitatem, inquit Theodoretus; UT redux ISRAEL in patriam AMBULET DILIGENTER, id est celeriter & expedite; Græce, ἀσφαλῶς id est tuto & secure; IN HONOREM DEI, id est ad gloriam divinæ potentiæ & clementiæ clarius manifestandam *e*.

V. 8. OBUMBRAVERUNT EOS SILVAE, ut olim columna *f* nubis, ET OMNE LIGNUM SUAVITATIS, id est omnes arbores suave olentes recrearunt illos, ut olim manna *g*. Significant hæc omnia lætissimum, amœnissimum, tutissimum fuisse reditum.

V. 9. IN LUMINE MAIESTATIS DEI; id est augusto & magnifico lumine divini favoris & auxilii, prælucens ipsis loco solis, & ita maiestatem ac gloriam suam omnibus manifestans, una *cum* insigni MISERICORDIA erga Iudæos, ET IUSTITIA erga hostes Iudæorum, Chaldæos, Samaritanos & alios: QUAE EST EX IPSO tamquam fonte vel Oceano promanans; quasi dicat: Non nobis id dandum, aut nostris meritis, sed soli bonitati divinæ. Porro omnes hæ felicitates redeuntium e Babylone in Iudæam, moraliter conveniunt etiam animæ e servitute peccati revertenti ad sinum gratiæ divinæ. Allegorice, populo Gentili e tenebris infidelitatis ad lumen fidei, ad Christum, ad Ecclesiam recurrenti: Anagogice, animæ sanctæ e mortali corpore ad cæleste palatium demigranti.

(a) Ezech. xvi. a verf. 2. usque [illegible]
(b) [illegible]
(c) I. Esdræ II. verf. 66. & v. 2.
(d) Ioseph. Lib. XI. Antiq. cap. IV.
(e) *Psal.* CXIII. 2.
(f) Exodi XIII. 21.
(g) Exod. XVI. 13.

GORDONI.

QUæstio est, an sensus litteralis sit de Christo seu reditu a captivitate per Christum, ut aliqui sentiunt; an vero de reditu a captivitate Babylonica, ut de typo libertatis sub Christo: hæc posterior sententia receptior est, & quam sequor libens.

CAPUT VI.

Iudæos apud Babylonios captivos vaticinatur Ieremias post ſeptem generationes liberandos: hortaturque ut ſibi caveant ab illorum idololatria, oſtendens a plurimis effectibus imbecillia eſſe idola, penituſque ſenſu carentia, ac vaniſſima.



Xemplar epiſtolæ, quam miſit Ieremias * ad abducendos
captivos in Babyloniam a rege Babyloniorum, ut annun-
tiaret illis ſecundum quod præceptum eſt illi a Deo. 1.
(*a*) PROPTER peccata, quæ peccaſtis ante Deum, ab-
ducemini in Babyloniam captivi a Nabuchodonoſor rege
Babyloniorum. 2. Ingreſſi itaque in Babylonem, eritis ibi
annis plurimis, & temporibus longis, uſque ad generatio-
nes ſeptem: poſt hoc autem educam vos inde cum pace.
3. (*b*) Nunc autem videbitis in Babylonia deos aureos, & argenteos, & la-
pideos, & ligneos in humeris portari, oſtentantes metum Gentibus. 4. Vi-
dete ergo ne & vos ſimiles efficiamini factis alienis, & metuatis, & metus
vos capiat in ipſis. 5. Viſa itaque turba de retro, & ab ante, adorantes,
dicite in cordibus veſtris: Te oportet adorari Domine. *6.* Angelus enim
meus vobiſcum eſt: ipſe autem exquiram animas veſtras. 7. Nam lingua
ipſorum polita a fabro, ipſa etiam inaurata & inargentata, falſa ſunt, &
non poſſunt loqui. 8. Et ſicut virgini amanti ornamenta; ita accepto auro
fabricati ſunt. *9.* Coronas certe aureas habent ſuper capita ſua dii illorum:
unde ſubtrahunt ſacerdotes ab eis aurum, & argentum, * & erogant illud in
ſemetipſos. 10. Dant autem & ex ipſo proſtitutis, & meretrices ornant:
& iterum cum receperint illud a meretricibus, ornant deos ſuos. 11. Hi
autem non liberantur ab ærugine & tinea. 12. Opertis autem illis veſte pur-
purea, extergunt faciem ipſorum propter pulverem domus, qui eſt plurimus
inter eos. 13. Sceptrum autem habet ut homo, ſicut iudex regionis, qui in
ſe peccantem non interficit. 14. Habet etiam in manu gladium, & ſecu-
rim; ſe autem de bello, & a latronibus non liberat. Unde vobis notum ſit
quia non ſunt dii. 15. * Non ergo timueritis eos. Sicut enim vas hominis
confractum inutile efficitur, tales ſunt & dii illorum. *16.* Conſtitutis illis
in domo, oculi eorum pleni ſunt pulvere a pedibus introeuntium. 17. Et
ſicut alicui qui regem offendit, circumſeptæ ſunt ianuæ; aut ſicut ad ſepul-
crum adductum mortuum, ita tutantur ſacerdotes oſtia clauſuris & ſeris,
ne a latronibus expolientur. 18. Lucernas accendunt illis, & quidem mul-
tas, ex quibus nullam videre poſſunt: ſunt autem ſicut trabes in domo. *19.*
Corda vero eorum dicunt elingere ſerpentes, qui de terra ſunt, dum co-
medunt eos, & veſtimentum ipſorum, & non ſentiunt. 20. Nigræ fiunt fa-
cies eorum a fumo, qui in domo fit. 21. Supra corpus eorum, & ſupra
caput eorum volant noctuæ, & hirundines, & aves etiam ſimiliter & cat-

tæ.

tæ. 22. Unde sciatis quia non sunt dii. Ne ergo timueritis eos. 23. Aurum etiam quod habent, ad speciem est. Nisi aliquis extexserit æruginem, non fulgebunt: neque enim dum conflarentur, sentiebant. 24. (c) Ex omni pretio empta sunt, in quibus spiritus non inest ipsis. 25. Sine pedibus in humeris portantur, ostentantes ignobilitatem suam hominibus. Confundantur etiam qui colunt ea. 26. Propterea si ceciderint in terram, a semetipsis non consurgunt: neque si quis eum statuerit rectum, per semetipsum stabit, * sed sicut mortuis munera eorum illis apponentur. 27. Hostias illorum vendunt sacerdotes ipsorum, & abutuntur: similiter & mulieres eorum decerpentes, neque infirmo, neque mendicanti aliquid impertiunt; 28. de sacrificiis eorum fœtæ & menstruatæ contingunt. Scientes itaque ex his quia non sunt dii, ne timeatis eos. 29. Unde enim vocantur dii? Quia mulieres apponunt diis argenteis, & aureis, & ligneis: 30. & in domibus eorum sacerdotes sedent, habentes tunicas scissas, & capita, & barbam rasam, quorum capita nuda sunt. 31. Rugiunt autem clamantes contra deos suos, sicut in cœna mortui. 32. Vestimenta eorum auferunt sacerdotes, & vestiunt uxores suas, & filios suos. 33. Neque siquid mali patiuntur ab aliquo, neque siquid boni, poterunt retribuere: neque regem constituere possunt, neque auferre. 34. Similiter neque dare divitias possunt, neque malum retribuere. Siquis illis votum voverit, & non reddiderit; neque hoc requirunt. 35. Hominem a morte non liberant, neque infirmum a potentiori eripiunt. 36. Hominem cæcum ad visum non restituunt, de necessitate hominem non liberabunt. 37. Viduæ non miserebuntur, neque orphanis benefacient. 38. Lapidibus de monte similes sunt dii illorum, lignei, & lapidei, & aurei, & argentei. Qui autem colunt ea, confundentur. 39. Quomodo ergo æstimandum est, aut dicendum, illos esse deos? 40. Adhuc enim ipsis Chaldæis non honorantibus ea: qui cum audierint mutum non posse loqui, offerunt illud ad Bel, postulantes ab eo loqui: 41. quasi possint sentire qui non habent motum, & ipsi cum intellexerint, relinquent ea: sensum enim non habent ipsi dii illorum. 42. Mulieres autem circumdatæ funibus in viis sedent, succendentes ossa olivarum. 43. Cum autem aliqua ex ipsis attracta ab aliquo transeunte dormierit cum eo, proximæ suæ exprobrat quod ea non sit digna habita, sicut ipsa, neque funis eius diruptus sit. 44. Omnia autem quæ illis fiunt, falsa sunt. Quomodo æstimandum aut dicendum est, illos esse deos? 45. A fabris autem, & ab aurificibus facta sunt. Nihil aliud erunt, nisi id quod volunt esse sacerdotes. 46. * Artifices etiam ipsi, qui ea faciunt, non sunt multi temporis. Numquid ergo possunt ea quæ fabricata sunt ab ipsis esse dii? 47. Reliquerunt autem falsa, & opprobrium postea futuris. 48. Nam cum supervenerit illis prælium, & mala; * cogitant sacerdotes apud se, ubi se abscondant cum illis. 49. Quomodo ergo sentiri debeant, quoniam dii sunt, qui nec de bello se liberant, neque de malis se eripiunt? 50. Nam cum sint lignea, inaurata, & inargentata, scietur postea quia falsa sunt, ab universis Gentibus & regibus: quæ manifesta sunt quia non sunt dii, sed opera manuum hominum, & nullum Dei opus cum illis. 51. Unde ergo notum est, quia non sunt dii, sed opera manuum hominum, & nullum Dei opus in ipsis est? 52. Regem regioni non suscitant, neque pluviam hominibus dabunt. 53. Iudicium quoque non discernent, neque regiones liberabunt ab iniuria: quia nihil possunt, sicut corni-

culæ

culæ inter medium cæli & terræ. 54. Etenim cum inciderit ignis in domum deo-
rum ligneorum, argenteorum, & aureorum, sacerdotes quidem ipsorum fugient,
& liberabuntur: ipsi vero sicut trabes in medio comburentur. 55. Regi autem,
& bello non resistent. Quomodo ergo æstimandum est, aut recipiendum quia dii
sunt? 56. Non a furibus, neque a latronibus se liberabunt dii lignei, & lapidei,
& inaurati, & inargentati, * quibus hi qui fortiores sunt, 57. aurum, & argen-
tum, & vestimentum, quo operti sunt, auferent illis, & abibunt, nec sibi auxi-
lium ferent. 58. Itaque melius est esse regem ostentantem virtutem suam; aut
vas in domo utile, in quo gloriabitur qui possidet illud; * vel ostium in domo,
quod custodit quæ in ipsa sunt; quam falsi dii. 59. Sol quidem, & luna,
ac sidera cum sint splendida, & emissa ad utilitates, obaudiunt. 60. Simili-
ter & fulgur cum apparuerit, perspicuum est: idipsum autem & spiritus in
omni regione spirat. 61. Et nubes, quibus cum imperatum fuerit a Deo *
perambulare universum orbem, perficiunt quod imperatum est eis. 62. Ignis
etiam missus desuper ut consumat montes, & silvas, facit quod præceptum
est ei. Hæc autem neque speciebus, neque virtutibus uni eorum similia sunt.
63. Unde neque existimandum est, neque dicendum, illos esse deos, quan-
do non possunt neque iudicium iudicare, neque quidquam facere hominibus.
64. Scientes itaque quia non sunt dii, ne ergo timueritis eos. 65. Neque
enim regibus maledicent, neque benedicent. 66. Signa etiam in cælo Genti-
bus non ostendunt, neque ut sol lucebunt, neque illuminabunt ut luna. 67.
Bestiæ meliores sunt illis, quæ possunt fugere sub tectum, ac prodesse sibi.
68. Nullo itaque modo nobis est manifestum quia sunt dii: propter quod
ne timeatis eos. 69. Nam sicut in cucumerario formido nihil custodit: ita
sunt dii illorum lignei, & argentei, & inaurati. 70. Eodem modo & in horto
spina alba, supra quam omnis avis sedet. Similiter & mortuo proiecto in tene-
bris, similes sunt dii illorum lignei, & inaurati, & inargentati. 71. * A pur-
pura quoque & murice, quæ supra illos tineant, scietis itaque quia non sunt dii.
Ipsi etiam postremo comeduntur; & erunt opprobrium in regione. 72. Melior
est homo iustus, qui non habet simulachra: nam erit longe ab opprobriis.

(a) Ierem. xxv. 7. (b) Isa. xliv. 10. (c) Isa. xlvi. 7.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

Ad abducendos captivos in Babyloniam. Participium futurum *abducendos* non est mutandum in participium præteritum *abductos*.

V. 9. *Et erogant illud in semetipsos.* Neque hic accusativus *semetipsos* mutandus est in ablativum *semetipsis*.

V. 15. *Non ergo timueritis eos.* Non scribas *veneremini*, pro *timueritis*.

V. 26. *Sed sicut mortuis munera eorum illis apponentur.* Cave pro *munera*, quod est dona, scribas *humeri*.

V. 46. *Artifices etiam ipsi.* Præferendum est *artifices*, ab arte dictum, ei quod alii legunt *aurifices*, ab auro.

V. 48. *Cogitant sacerdotes apud se ubi se abscondant cum illis.* Nec omittas *apud se*, nec commutes cum *post se*.

V. 56. *Quibus hi qui fortiores sunt, aurum, & argentum, & vestimentum, quo operti sunt, auferent illis.* Egregia correctio, qua nomen *iniqui*, quod vulgo scribitur, distractum est in dictiunculas duas, *hi qui*, &

id

id quod sequitur adnectitur ad perficiendam sententiam præcedentem: male enim quidam exordiuntur periodum novam ab his verbis *aurum & argentum*, &c.

V. 58. *Vel ostium in domo, quod custodit quæ in ipsa sunt*. Multi libri pro nomine *ipsa*, scribunt nomen *pace*; pessime.

V. 61. *Perambulare universum orbem*. Non addas præpositionem *in* ante *universum*.

V. 71. *A purpura quoque, & murice, quæ supra illos tineant, scietis itaque quia non sunt dii*. Pro *murice* alii legunt *marmore*. Patres prætulerunt *murice* quod eiusdem generis murex cum purpura sit, marmor vero longe alterius generis. Pro *tineant*, plerique habent *teneant*, male. Patres emendarunt *tineant*, quo verbo a tinea derivato, Interpres significare voluit, tineis agentibus corrumpuntur: nam & quæ Græce legitur vox σήπομαι quæ putrescere denotat, proxime ad σής, quod est, tinea, accedit: est enim tinea causa putrefactionis, corruptionisque. Videtur igitur loci sensus esse: Scietis quoque non esse deos (nam *itaque* ut Græce non legitur, ita videri possit superfluere) vel a vestibus purpura muriceque tinctis, quas induuntur & gestant, quibus etsi splendidissime sint ornati, non valent tamen eas, etiam dum suo corpori sunt impositæ, servare integras, quin tineis occupantibus marcescant ac putrescant. Est ergo observatu dignissima huius loci restitutio.

NOTATIONES.

EXemplar (*exemplum* MS. pleraque *incipit* o.) *epistolæ* (* *eiusdem* o.) *quam misit Ieremias ad abducendos captivos in Babyloniam &c.* Exemplaria Hentenii 14. pro *ad abducendos* legunt *ad abductos*: quibus suffragantur Carensis, & Richelius, consentiuntque manuscripta nostra universa, demptis aliquot, quæ vel epistolam vel Epigraphen epistolæ omittunt. Tantum impressos aliquot codices eosque non inter primos vidimus, qui *ad abducendos* scribant. Ceterum Græce qua sola lingua hæc extat epistola, est πρὸς τοὺς ἀχθησομένους *ad ducendos*. Præterea initio ipsius Epistolæ legitur Latine & Græce concorditer: *Propter peccata quæ peccastis ante Deum, abducemini in Babyloniam captivi*. Videtur igitur in epistolæ epigraphe legendum *ad abducendos*: nisi dicas, quod Hugo Cardinalis scriptam fuisse ad eos epistolam dum in itinere essent: quo tempore partim erant abducti, partim abducendi. Lyranus, & Richelius dicunt epistolam scriptam quidem fuisse antequam abducerentur, missam vero postquam in captivitatem abducti essent: sed nullius historiographi auctoritatem proferunt.

COMMENTARIA

MALDONATI.

EXEMPLAR EPISTOLAE EIUSDEM. Eiusdem non est Græce, neque convenientem sensum habet. Non enim est epistola Baruch, sed Ieremiæ. Itaque nostræ versioni additum puto, *Ad abductos*, πρὸς τοὺς ἀχθησομένους, *ad abducendos*; melius noster interpres. Est enim futurum pro præterito, quia iam erant abducti.

V. 2. ABDUCEMINI: abducti estis, futurum pro præterito: vel, quod magis credo, ideo per futurum loquitur, quia Ieremias hæc illis prædixerat, antequam in captivitatem ducerentur; postquam vero ducti sunt, ea Baruch in epistolam redacta ad eos detulit eisdem verbis scripta, quibus ea prædixerat Ieremias. USQUE AD GENERATIONES SEPTEM. Multi interpretes frustra mihi videntur hoc loco torqueri, ut explicent, quomodo Iudæi per generationes septem in captivitate manserint, cum generationis nomen Septuaginta, aut, ut alii dicunt, viginti annorum spatium significat. Ego simpliciter interpretor Hebræos non solere vocare דור, generationem certum annorum spatium; sed omnem insignem, & notabilem annorum numerum; aliquando centum annos, ut cum Genes. XV. 16. dicitur fore ut Hebræi generatione quarta ex AEgypto reverterentur; aliquando decem, quia cardinalis etiam numerus est. Atque ita necessario hoc loco accipiendum est generationis nomen. Manifestum enim est Ieremiam voluisse dicere Iudæos per septuaginta annos in captivitate futuros esse: quemadmodum prædixerat, cap. XXV. 11. 12. & cap. XXIX. 10.

V. 3. NUNC AUTEM: νυνὶ, ועתה, non significat tempus hoc loco, sed illationem; sicut apud Latinos aliquando. IN HUMERIS PORTARI, hoc eo spectat, ut indicet eos esse

esse mortuos, qui incedere non possint, nisi gestentur; ut aut Ierem. x. 5. *Portata tollentur, quia incedere non valent*, & Isai. cap. XLVI. 1. 2. *Confractus est Bel, contritus est Nabo: facta sunt simulacra eorum bestiis, & iumentis onera vestra gravi pondere usque ad lassitudinem*. OSTENTANTES METUM GENTIBUS, id est ad incutiendum hominibus metum; solebant enim Idololatræ deos suos in bello gestare ad terrendos religione hostes, & ut sibi auxiliarentur, ut colligitur ex Isai. cap. XLVI. 2. *Non potuerunt salvare portantem, & anima eorum in captivitatem ibit*. Eodem modo videmus Iudæos arcam Domini in bello gestasse, I. Reg. IV. 3. 45.

V. 4. NE SIMILES EFFICIAMINI FACTIS ALIENIS: *μὴ καὶ ὑμεῖς ἀφομοιωθέντες τοῖς ἀλλοφύλοις ἀφομοιωθῆτε*, *Ne & vos similes effecti alienigenis similes efficiamini*. Hebraiſ. הדמו לא דמות; id est, ne omnino similes alienigenis efficiamini timentes eos, qui nihil neque nocere, neque iuvare possunt, ut ait Ierem. cap. x. 5. *Nolite ergo timere ea, quia nec male possunt facere, nec bene*.

V. 5. IN CORDIBUS VESTRIS: *τῇ διανοίᾳ*, mente & cogitatione, si ore dicere non audetis.

V. 6. ANGELUS AUTEM. Gr. *ὁ γὰρ ἄγγελός μου*: *angelus meus*; quasi dicat: Non debetis timere hoc facere propter Chaldæos: angelus enim meus defendet vos ab illis. Alludit ad angelum, qui Iudæis ex AEgypto redeuntibus precedebat, Exod. XXXIII. 2. IPSE AUTEM EXQUIRAM ANIMAS VESTRAS, id est, vindex vester ero, ulciscar mortem vestram si quis eam vobis intulerit. Animam requirere, Hebraismus est, בקש נפש contrarios habens sensus: aliquando enim significat, vindicare, & ulcisci, ut Genes. IX. 5. *De manu fratris eius requiram animam eius*, & Psalm. CXLI. 5. *Periit fuga a me: & non est, qui requirat animam meam*, id est qui defendat, vel ulciscatur me: aliquando significat persequi ad occidendum; tunc noster interpres non solet vertere, requirere aut exquirere; sed quærere, ut Psalm. XXXVII. 23. & 39. & LIII. 5.

V. 8 ET SICUT VIRGINI; id est, tanto studio ea vestiunt, & ornant auro, quanto ea vestirent, si virgo aliqua esset *φιλόκοσμος*, quæ ornatum amaret.

V. 9. UNDE SUBTRAHUNT: *ἔστι δὲ καὶ ὅτε ἀφαιρούμενοι οἱ ἱερεῖς*. Accidit autem aliquando ut sacerdotes aurum a diis suis auferentes in suos usus convertant. Sic ostendit eos non esse deos, qui patiantur sua sibi ornamenta eripi.

V. 10. DANT AUTEM ET EX IPSO PROSTITUTIS: *δώσουσι δὲ ἀπ' αὐτῶν καὶ ταῖς ἐπὶ τοῦ τέγους πόρναις*, *Dabunt autem ex illis* (id est, ex auro deorum) *meretricibus*; *quæ sub tecto sunt*, id est quas domi habent. ET MERETRICES ORNANT: ET ITERUM, &c. Hæc omnia aliter Græce leguntur, *κοσμοῦσι δὲ αὐτοὺς ὡς ἀνθρώπους τοῖς ἱματίοις θεοὺς ἀργυροῦς καὶ χρυσοῦς, καὶ ξυλίνους*: *Ornant autem eos, ut homines, deos inquam argenteos & aureos & ligneos*. Et tamen NON LIBERANTUR AB AERUGINE, ET TINEIS, ut ait vers. 11.

V. 12. OPERTIS AUTEM: *περιβεβλημένων αὐτῶν*, licet induti sint veste purpurea, & licet faciem eorum abstergant; non, inquam, liberari possunt ærugine & tinea, propter pulverem domus, qui multus est, super eos.

V. 13. SCEPTRUM AUTEM HABET: deus falsus, idolum, numeri mutatio. Idola enim cum sceptro pingebantur, quasi omnia gubernarent. SICUT IUDEX REGIONIS, *ὥσει ἄνθρωπος κριτὴς χώρας*, *quasi iudex aliquis regionis*. Ego sic interpretor: duplex enim Hebraismus in his verbis mihi videtur esse: alter, *ἄνθρωπος κριτὴς*, *homo iudex*, id est aliquis iudex, ut איש שופט; alter, *χώρας*, regionis id est, agri, villæ, rusticus. Hebr. כפר; solet enim rusticus etiam iudex, baculum, aut virgam, quasi sceptrum gestare, cum neminem capitis damnare possit, vel, contrario sensu. *Habet* (Deus falsus) *sceptrum in manu sicut iudex χώρας*, magnæ alicuius regionis qui (Deus) in se peccantem interficere non potest.

V. 14. A LATRONIBUS; id est, ab iis, qui ipsos furantur; multi enim deos aureos & argenteos furabantur, cuius criminis Verrem accusat Cicero: id explicatur vers. 17.

V. 17. CIRCUMSEPTAE SUNT IANUAE; id est, sicut læsæ maiestatis reus in carcere clausus custoditur: aut, sicut ad sepulcrum: *ὡς ἐπὶ θανάτῳ ἀπηγμένῳ*, *Sicut ad mortem adducto*, id est sicut homo ad mortem damnatus: ita dii illorum in templis

quasi

quasi in carceribus a sacerdotibus custodiuntur, ne quis eos spoliet.

V. 18. SICUT TRABES; id est, sunt enim ligna & stipites qui lumen videre non queunt.

V. 19. CORDA VERO, id est medullam ligni, ex quo facti sunt (quam per metaphoram cor appellat (DICUNT) homines qui viderunt) ELINGERE SERPENTES, exedi a serpentibus qui ex terra oriuntur, id est vermibus, qui generali nomine, aut per catachresin serpentes appellantur, solentque medullam lignorum corrodere.

V. 24. EX OMNI PRETIO EMPTA SUNT, id est carissimo pretio empta sunt, cum mortua sint. IN QUIBUS SPIRITUS NON INEST IPSIS. Hebraismus altero relativo redundante, qui cum Græce non sit, coniectura est nostrum interpretem Hebraicum exemplar habuisse.

V. 26. PROPTERRA. *δία τὸ μή ποτε ἐπὶ γῆν πέσῃ διά αὐτῶν ἀνίστασθαι.* (propterea eorum cultores confunduntur) *quia cum in terram ceciderit* (aliquis eorum) *consurgere non potest*: *μήτε ἐάν τις αὐτὸν ὀρθὸν στήσῃ ἑαυτῷ κινηθήσεται, nec si quis eum rectum constituerit, moveri* (id est:, ambulare) *potest*: *μήτε ἐὰν κλιθῇ οὐ μὴ ὀρθωθῇ, nec si inclinatus fuerit, erigi potest.*

V. 17. MULIERES EORUM DECERPENTES: ex donis idolis oblatis Græc. *περιχύνουσι*. *condentes*, id est omnia sibi reservantes, & quasi in thesauro reponentes pauperibus nihil impertiuntur.

V. 28. FOETAE ET MENSTRUATAE: *ἀποκαθημένη ἐ λεχώ, menstruatæ & puerperæ*. Alii codices habent *μιχῶν*, *λόγω*, sed manifestum est vitium. Erat id in lege Mosis prohibitum. Levit. cap. XII. 4. & cap. XV. 10. quod non ideo idololatris obiicit, quod illi eas ceremonias deberent observare, quæ solis Iudæis tradita fuerant, sed ut ex ipsa cultorum irreverentia ostendat eos non esse deos. SCIENTES ITAQUE. *γνῶτε οὖν*, *Scitote itaque*, forte noster interpres vertit, *Scietis*.

V. 29. QUIA MULIERES APPONUNT (dona) subiectio est ad interrogationem; quasi dicat, Nihil habent unde dii appellentur, nisi quod stultæ & superstitiosæ mulierculæ dona eis tamquam diis apponunt; cum tamen argentei, aut aurei, aut lignei sint: mulieres enim faciunt eos esse deos. Sicut de fortuna Iuven. dixit Sat. x.

Nullum numen abest, si sit prudentia: sed nos
Te facimus Fortuna Deum, cœloque locamus.

V. 30. ET IN DOMIBUS EORUM, id est in templis idolorum. Affert aliam causam, quamobrem idola dii vocentur, cum non sint, quia in eorum templis sacerdotes sedeant, id est habitent, frequens Hebraismus. HABENTES TUNICAS SCISSAS, id est præ se ferentes habitum hominum lugentium, agentiumque pœnitentiam. Scitum enim est solitas illas gentes in luctu vestes discindere, & barbam, capillumque radere, quod Hebræorum sacerdotibus prohibitum erat, Levit. x. 6. & XXI. 5. 10. Notat autem hac ratione illorum hypocrisim, & simulationem.

V. 31. CLAMANTES CONTRA DEOS SUOS, id est, coram diis, *ἐναντίον τῶν θεῶν αὐτῶν*. Quemandmodum sacerdotes Baal clamasse legimus III. Regum VIII. 28. *Clamabant ergo voce magna, & incidebant se iuxta ritum suum cultris & lanceolis, donec persunderentur sanguine*. SICUT IN COENA MORTUI, id est, sicut rugire, eiulareque solent ii, qui in morte alicuius ad cœnandum cum eius cognatis conveniunt, ut eos simul plorantes consolentur: id enim fieri solebat, ut ait Ier. XVI. 7. *Et non frangent inter eos lugenti panem, ad consolandum super mortuo: & non dabunt eis potum calicis ad consolandum super patre suo, aut matre*. Clamori ergo lugubri, qui in huiusmodi conviviis erat, comparat, clamorem sacerdotum sua idola invocantium.

V. 33. NEQUE REGEM CONSTITUERE POSSUNT: quod Dei proprium est, Iob. XII. 18. *Baltheum Regum dissolvit, & præcingit fune renes eorum*. Et Daniel. IV. 14. *Dominatur Excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit, dabit illud.*

V. 34. NEQUE DIVITIAS. Græc. *ὡσαύτως. οὔτε πλοῦτον οὔτε χαλκὸν οὐ μὴ δύνωνται διδόναι, Similiter, neque divitias, neque æs dare possunt*. Neque hoc requirunt, id est non ulciscuntur. Hebraismus בקש, ut II. Paral. XXIV. 22. *Videat Dominus, & requirat*, & Psal. IX. 33. *Propter quid irritavit impius Deum? dixit enim in corde suo, non requiret*.

V. 40. ADHUC ENIM: *ἔτι δὲ καὶ αὐτῶν Χαλδαίων ἀτιμαζόντων αὐτά: Adhuc autem Chaldæis inhonorantibus*; id est præsertim cum

Chaldæi ipsi, qui eos colunt, eorum ignominiam prodant, petentes ab eis, quod vident eos numquam facere. Nam si quem mutum invenerint, eum Belo idolo suo offerunt, ab eo postulantes, ut illi loquendi facultatem restituat, quod cum non possit facere, nihil aliud hac ratione consequuntur, nisi ut appareat re ipsa eorum idolum non esse Deum. Sic videntur verba huius versus cum verbis sequentis versus coniungenda, ut congruum sensum habere possint: πρός ἐνεγκάμενοι τὸς Βῆλον, id est, ἐνεγκάμενοι πρός τὸν Βῆλον, *offerentes* (illum) *ad Bel*: ἀξιοῦσι φωνῆσαι, *postulant, ut loquatur* (mutus) id est, petunt ab idolo, ut faciat illum loqui; cum idolum ipsum loqui non possit. Hoc est quod sequitur.

V. 41. QUASI POSSINT SENTIRE, id est preces audire, vel loqui idola, quæ moveri non possunt: minus enim est moveri quam loqui: nam muta animalia moventur, sed non loquuntur Græ. ὡς δυνατοῦ ὄντος αὐτοῦ αἰσθέσθαι, *quasi possit ipse* (Bel) *sentire*. Sic legendum, ut Noster legit interpres, & ut nonnulla nunc quoque habent exemplaria, non ἔσεσθαι. Esse, ut in Complutensi vitiose legitur. ET IPSI, cultores, CUM INTELLEXERINT, idola non facere, quod ab illis putant, RELIQUUNT EA, id est contemnunt. Græce contrarius est sensus, καὶ οὐ δύνανται αὐτοὶ νοήσαντες καταλιπεῖν αὐτά: *Et non possunt ipsi intelligentes relinquere ea;* id est, cum idolorum cultores hoc videant, atque intelligant, tamen non possunt ea relinquere, adeo sunt excæcati. SENSUM ENIM NON HABENT IPSI DII ILLORUM. Græce tantum est, αἴσθησιν γάρ οὐκ ἔχουσιν, *Sensum enim non habent* (sub. eorum cultores) non enim referri potest ad deos, quia id proprietas linguæ communiter non patitur: non enim dixisset ἔχουσι, sed ἔχει, *cum processerit*, αὐτά, genere neutro.

V. 42. MULIERES. Vulgaris huius loci interpretatio est. Mulieres superstitione quadam fune succinctas, quasi aliquo magno scelere obstrictæ tenerentur, aut quasi pœnitentiam agerent, sedisse in via, qua ad idola ibatur, ossa olivarum, aut, ut alii interpretantur, πίτυρα, *furfures*, aut paleas, idolis adolentes, expectasse dum aliquis ex prætereuntibus, secum rupto fune concumberet: quod si fecisset, mulierem existimasse sibi eum adulterum a Deo missum, seque a peccato suo absolutam, atque alii exprobrare solitam, quod dignæ non fuissent, a Deo suo visitari.

V. 44. OMNIA AUTEM QUAE ILLIS FIUNT: πάντα τὰ γιγνόμενα ἐν αὐτοῖς ἐστὶν ψευδῆ *Omnia quæ in illis fiunt, falsa sunt*; id est, omnis eorum cultus simulatus est, & ab hominibus superstitiose inventus.

V. 45. QUOD VOLUNT ESSE SACERDOTES: τεχνῖται, *artifices*.

V. 46. NON SUNT MULTI TEMPORIS, id est brevis vitæ sunt, οὐ μὴ γένωνται πολυχρόνιοι, *Non diu vivent*, quomodo ergo possunt facere deos immortales?

V. 47. RELIQUERUNT AUTEM FALSA; id est, non fecerunt deos immortales, cum ipsi mortales sint: sed pro diis, erroris, & opprobrii materiam posteris reliquerunt; magnum enim opprobrium est ligna & lapides colere, ut declarat versu sequenti, quia tempore belli opus est ut abscondantur, ne eos hostes furentur.

V. 49. QUOMODO ERGO SENTIRI DEBEANT: πῶς οὖν οὐκ ἐστὶν αἰσθέσθαι ὅτι οὐκ εἰσὶ θεοί; *quomodo ergo non est sentire*, id est quomodo non manifestum est; quomodo non est perspicuum, manibusque, ut ita dicam, palpari potest, eos non esse deos?

V. 50. SCIENTUR POSTEA; id est, quamvis colantur nunc a multis, experientia tandem omnes gentes, regesque docebit, ea nihil esse, nisi *opera manuum hominum*. ET NULLUM OPUS DEI CUM ILLIS, καὶ οὐδὲν θεοῦ ἔργον ἐν αὐτοῖς ἐστίν, *Et nullum opus Dei in illis esse*, id est nihil posse facere, quod proprium Dei sit, non mutis loquendi facultatem dare, ut dixit versu 40. non Reges constituere, ut vers. 33. & statim declarat vers. 52.

V. 51. UNDE ERGO NOTUM EST? quasi si dicat, Non aliunde, quam ex ipsa experientia; quasi dicat: Quid opus est argumentis, ut id probemus. Græc. τίνι οὖν γνωστόν ἐστιν ὅτι οὐκ εἰσὶν θεοί; *Cui ergo cognoscendum est, eos non esse Deos?* id est, Quis adeo hebes est, & rudis, ut opus sit eum doceri, eos non esse deos?

V. 52. REGEM REGIONIS; id est, cum unius provinciæ regem creare, & constituere non possint, ut supra vers. 33.

V. 53. IUDICIUM QUOQUE. Græc. κρίσιν τε οὐ μὴ κρίνωσιν αὐτῶν, *Iudicium etiam ipsorum non iudicabant*; id est, non diriment edito miraculo lites hominum; quod proprium

prium est Dei. Hac enim ratione declaravit Core, Dathan, & Abiron schismaticos esse dehiscente divinitus terra, eosque absorbente Numer. XVI. 31. 32. sic iudicavit Ozam non debuisse Levitarum officium usurpare, eum occidens, II. Regum VI. 7. 8. NEQUE REGIONES LIBERABUNT: οὔτε μὴ ῥύσωνται ἀδίκημα, *Nec liberabunt iniuriam*, id est neque iniuriam propulsare poterunt. SICUT CORNICULAE; id est, non magis iuvare possunt, quam corniculæ inter cælum & terram volantes, quæ præter clamorem nihil habent. Propterea comparat corniculis, quia infirmissimæ aves sunt, aut fortassis, quia earum volatus, & crocitatio superstitiose solebat ad divinandas res futuras observare, ut poetæ scribunt.

V. 56. QUIBUS INIQUI FORTIORES SUNT; id est, qui illis iniuriam facere volunt, qui eos diripiunt ἐν περιελόμενοι.

V. 58. ITAQUE MELIUS EST. In hoc versu quædam Græce leguntur, quæ in nostra versione desiderantur: primum post hæc verba: IN QUO GLORIATUR QUI POSSIDET ILLUD, sequitur, ἢ ψευδεῖς θεοί. Deinde in fine, καὶ ξύλινος στῦλος στῦλος ἐν βασιλείοις ἢ ψευδεῖς θεοί, *Et lignea columna in domibus regum, quam falsi dii.*

V. 59. SOL QUIDEM ET LUNA: sub. meliora sunt idolis, aut si vas in domo & columna melior est illis, quanto magis sol & luna quæ suo splendore tantam hominibus utilitatem afferunt, Dei obedientes præcepto? Idemque de fulgure, & vento dicendum est, quæ aliquid habent utilitatis, seque sentiri faciunt: & de nubibus, & fulminibus, quæ montes ac sylvas Dei iussu consumunt.

V. 62. & 63. HAEC AUTEM (idola) NEQUE SPECIEBUS, *neque formis* οὔδε ταῖς εἰδέαις, *neque pulchritudine*, neque usu cum illis rebus comparanda sunt. NEQUE QUICQUAM FACERE HOMINIBUS, οὔτε εὖ ποιῆσαι ἀνθρώποις, *neque benefacere hominibus.*

V. 65. NEQUE REGIBUS MALEDICENT; id est, neque Reges prosperabunt, neque infortunatos reddent; hoc enim est hoc loco, maledicere, & benedicere: Reges autem nominat potius, quam alios homines, quia quamvis in omnibus hominibus, maxime tamen in regibus gubernandis cernitur Dei providentia. Ipse enim confert, conservat, amplificat; vel minuit, debilitat, tollit regna, ut indicavit supra vers. 33. & 52. & Iob XII. 18. & Daniel. IV. 14. aliisque Scripturæ locis significatur.

V. 66. SIGNA ENIM IN CAELO. Alludit ad officium solis & lunæ, Genes. I. 14. *fiant luminaria in firmamento, & sint in signa & tempora, & dies & annos.* Et ad gentium superstitionem, quæ a signis cæli timebant, Ierem. X. 2. *Et a signis cæli nolite metuere, quæ timent Gentes.* Probat plus posse Solem & Lunam maioremque utilitatem afferre, quam idola, quia saltem sunt signa temporum, & Gentibus metum incutiunt.

V. 69. FORMIDO NIHIL CUSTODIT, id est terriculum, quod in cucumerario poni solet, ne aves veniant: προβασκάνιον. Dicit nihil custodire natura sua, nam opinione quidem custodit, quia aves & bestiæ putant aliquem hominem esse, cum non sit nisi hominis simulacrum. Atque prorsus idolum natura quidem sua nihil potest facere, sed opinione tantum superstitiosorum hominum.

V. 71. A PURPURA QUOQUE ET MURICE, QUAE SUPER ILLOS TENEANT. Græce. ἀπό τε τῆς πορφύρας καὶ τῆς μαρμάρου, τῆς ἐπ᾽ αὐτοῖς σηπομένης. Aliqui vertunt, *a purpura & marmore, quod supra ipsos corrumpitur* Alii, *a purpura & splendore, qui supra illos putrefit.* Antiqua exemplaria versionis nostræ habent; *A purpura & marmore, quæ illos teneant.* Credo ego nostrum interpretem ad hunc modum convertisse, *A purpura & murice, quæ supra illos tineant*, id est tineis exeduntur. Sensus enim valde congruit, & cum verbis Græcis, & cum ratione. SCIETIS ITAQUE, γνώσεσθε ὅτι οὐκ εἰσὶ θεοί, (a purpura, inquam) *cognoscetis, quod non sint dii*: fortasse in nostra versione pro, *Itaque*, legendum est, *Utique*, sensusque est magis consequens. *Et erit opprobrium*; id est, erit omnibus irrisionis materia. Omnes enim rident, cum vident aliquod idolum semiexesum, sine naribus, aut sine oculis, aut sine capite, qualia etiam nunc multa Romæ visuntur.

V. 72. ERIT LONGE AB OPPROBRIIS: ταπεινώσεις est; plus enim vult intelligi, quam dicit, ut Sap. III. 1. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis.* Non enim hoc tantum iusti consequentur, ut opprobriis, & tormento mortis careant; sed illud etiam, quod maximum est, ut Deo summo, infi-

nitoque bono fruantur. Cui honor sit & gloria in sempiterna secula.

S A.

Verf. 2. GENERATIONES SEPTEM, id est 70. annos.

V. 4. IN IPSIS. Pro, ipsorum.

V. 5. ADORANTES. Græc. adorante ipsa scilicet idola, ut ad turbam referatur.

V. 6. EXQUIRAM. id est, explorabo, scilicet quid agatis. Græc. potest ad Angelum referri, quasi dicat, Ipse vestri curam habebit.

V. 7. FALSA, id est falsi dii.

V. 8. AMANTI ORNAMENTA, id est ornatus studiosæ.

V. 9. INSEMETIPSIS, id est in suum usum.

V. 12. INTER. Pro, super.

V. 17. AUT SICUT, &c. Græc. tanquam ad mortem abducendo.

V. 16. CORDA, id est interiora idolorum. COMEDUNT, id est consumunt.

V. 23. SPECIMEN, id est ornatum.

V. 24. EX OMNI, id est maximo. IN IPSIS. Abundat, more Hebræo.

V. 26. APPONENTUR, scilicet ne cadat.

V. 29. QUIA. Pro, an quia. APPONUNT, scilicet donaria.

V. 31. CONTRA. Pro, ad. MORTUI, scilicet alicuius, ubi solent audiri clamores, & gemitus.

V. 40. NON HONORANTIBUS. Sub. sed contemnentibus, scilicet cum vident non posse ferre opem.

V. 41. MOTUM, id est sensum. IPSI, scilicet Chaldæi.

V. 44. FALSA, id est vana, seu nihili.

V. 45. SACERDOTES, scilicet qui modum præscribunt ea formandi.

V. 47. FALSA, &c. id est falsam religionem, dignamque opprobrio.

V. 48. POST SE. Non est in Complut. Græc. ad se ipsos, id est inter se.

V. 49. SENTIRI, id est existimari.

V. 50. POSTEA, id est tandem. FALSA, id est falsi dii.

V. 52. SUSCITANT, id est præficiunt.

V. 53. CORNICULAE, scilicet volantes.

V. 56. INIQUI, scilicet fures.

V. 59. OBAUDIUNT scilicet Deo.

V. 60. IDIPSUM, id est similiter. SPIRITUS, id est ventus.

V. 63. SPECIEBUS, id est formis.

V. 67. PRODESSE, id est consulere.

V. 69. FORMIDO, id est terriculamentum.

V. 71. MARMORE. Complut. murice. Gr. *μαρμάρους*, id est splendore; quamquam potest etiam marmore verti. TENEANT, scilicet cognosci potest non esse deos. Forte legendum, tineant, id est tinea consumuntur. Græc. putrefactis. COMEDUNTUR, id est consumuntur. ET ERUNT, quasi dicat, & afferent. Quod si legas, & erit, quasi dicat, ex quo sequitur.

V. 72. OPPROBRIIS, id est ignominia.

E S T I I.

Verf. 3. NUNC AUTEM VIDEBITIS IN BABYLONIA DEOS AUREOS, ET ARGENTEOS ET LAPIDEOS, ET LIGNEOS IN HUMEROS PORTARI, OSTENTANTES METUM GENTIBUS, &c. Obiiciunt Catholicis hanc epistolam magno supercilio hæretici; quasi hic manifeste damnetur veneratio imaginum in Ecclesia catholica recepta. Dicunt enim omnia ea, quæ hic tribuntur idolis gentium, totidem verbis dici posse adversus imagines Christianorum, eaque verbosissime inculcare conantur imperitis. Verum perspicue refellitur eorum calumnia, si inspiciamus totius huius epistolæ scopum, & scribentis intentionem. Ea autem minime obscura est; quippe quæ frequenter reperitur. Sic mox in hoc initio (*ostentantes metum gentibus*) quod non convenit in imagines sacras. Et breviter, contra multam ipsorum verbositatem, manifestum est, quod nihil aliud docere vult propheta, quam simulacra gentium non esse deos. Hinc toties pro conclusione inculcat illud: *Unde vobis notum sit, quia non sunt dii. Ne ergo timueritis eos.* Quod ergo de idolis gentium ostendit propheta non esse deos, & proinde non esse timenda, neque pro diis veneranda, libenter concedimus, etiam in nostras imagines hoc ipsum competere: videlicet, non esse deos, utpote in quibus neque sensus insit, neque motus, & proinde eas non esse timendas neque pro diis habendas. Sed ex eo statui non potest, nullam prorsus venerationem imaginibus habendam esse, si ad suum prototypum referantur, id est ad Christum vel Sanctum a-

h-

liquem, cuius ea sit imago. Sicut enim cum proferimus illud sanctissimum nomen Iesus (de quo ad Philipp. II. *Ut in nomine* Iesu *omne genu flectatur*) non sonum vocis illius honoramus aperiendo caput & genu flectendo, sed ipsum filium Dei; ita cum Christianus procumbit ante Crucifici imaginem, non proprie imaginem adorat, sed eum cuius est imago: videlicet Iesum Christum salvatorem crucificum.

V. 5. Visa itaque turba de retro, et ab ante adorantes, dicit in cordibus vestris; Te oportet adorari Domine. Forte hanc sententiam Priscillianista quispiam, vel politicus nostri temporis: pro errore suo rapiat: quasi per eam significetur, satis esse, ut fidem quisque suam corde retineat, & in corde dicat: *Te oportet adorari Domine*, etiam opere externo aliud simulet, & voce aliud dicat. Sed respondemus non ita esse dictum; *Dicite in cordibus vestris*, quasi ore, & opere diversa & contraria liceat ostendere: sed quamdiu nondum urget profitendæ fidei necessitas, aut evidens utilitas, interim in corde solo veritatem fidei posse, & debere retinere; si vero necessitas est, ore vel opere alterutrum declarandi, tum etiam voce & facto perhibendum esse testimonium veritati. Ita scilicet fecerunt tres pueri in Babylone in historia Danielis; fortasse hac ipsa epistola Ieremiæ instructi. Statuam a rege erectam, primo tantum non adoraverunt, dicentes in cordibus suis: *Te oportet adorari Domine*, nondum tamen facto, vel verbo manifeste damnantes, quod ab aliis fiebat. Sed postquam deprehensi non adorare statuam, ad regem adducti sunt, tum manifeste fidem declarabant dicentes: *Notum sit tibi rex, quia deos tuos non colimus, & statuam auream, quam erexisti non adoramus*.

LANSSELII.

Quam misit Ieremias. Hinc confirmatur quod dixi in Præfatione, Baruch auctorem esse & composuisse quinque capita, sextum vero excepisse, dictante Ieremia; ideo ad maiorem distinctionem in editione Sept. Romana, Baruch collocatur ante Threnos Ieremiæ, sed hoc caput ponitur immediate post ipsos Threnos, quod eidem Auctori cum Threnis tribuendum sit. Improbabile mihi videtur, quod aliquis nuperorum Interpretum asserit, Baruch posse censeri auctorem non tantum huius capitis, sed totius Prophetiæ Ieremiæ, quia integram descripsit. Sicuti inquit reprehendi non debet, qui S. Lucam, quod Evangelium S. Pauli descripserit; & Platonem, quod plurima a Socrate præceptore suo excepta evulgarit, auctorem Evangelii & Dialogi affirmaret; atque vicissim S. Paulum auctorem Evangelii S. Lucæ, & Socratem Dialogi Platonis definiret. Quæ sententia mihi non probatur, Primo, quia inde sequeretur, S. Lucam non fuisse Evangelistam, quandoquidem Evangelium non composuerit, sed S. Paulo nomen istud tribuendum, sicuti Epistola ad Romanos, quam Tertius descripsit, S. Paulo adscribenda, non Tertio. Secundo, S. Lucas in Præfatione sui Evangelii dicit: *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt*. Certum est autem, S. Paulum ab initio non vidisse quæ Christus faciebat & docebat: quare de aliis Apostolis intelligendum. Dicendum igitur, S. Lucam suum Evangelinm a S. Paulo accepisse, sicuti S. Marcus a S. Petro: nimirum ex præceptoris sui doctrina & concionibus composuisse. Primo enim didicerat ab Apostolis qui initio Christum viderant, mysteria Christi conceptionis, nativitatis, & infantiæ; sed præcipue a B. Virgine Dei genitrice Maria, quia nemo sicut ipsa interfuit ab initio mysteriis Christi. Postea vero adhæsit S. Paulo, qui plenius illum instruxit, dum ipsum in comitem individuum suæ peregrinationis suscepit, cuius postea hortatu Evangelium ex omnibus quæ audiverat, Spiritu sancto dirigente composuit: quare sicuti S. Lucas auctor est Evangelii sui, sic etiam Baruch auctor dicendus quoque capitum quæ composuit: & quemadmodum Tertius, et si Epistolam ad Romanos [sicuti ex cap. XVI. patet] scripserit, eius tamen auctor non est dicendus. Sic neque Baruch epistolæ Ieremiæ, neque eiusdem Prophetiæ auctor censendus. Tertio, Si Plato solus amanuensis partes in Dialogo Socratis sustinuisset, immerito auctor eius haberetur; sed quandoquidem pauca axiomata Socratis præceptoris sui eleganti proprioque stylo dilatarit, iure merito auctor iudicandus, sicu-

ſicuti qui Chreiam aliquam exornat, etſi ſententiam ab alio acceperit, Chreiam tamen compoſuiſſe cenſetur. AD ABDUCENDOS. Hinc patet epiſtolam hanc dictatam a Ieremia in AEgypto, paulo ante mortem. Cum enim ſibi moriendum cognoviſſet, præceptumque illi a Deo fuiſſet, ſignificare populo eum in Babylonem abducendum, expertuſque fuiſſet populi aures veritati obſtruſtas, voluit Prophetiam hanc & monita adiuncta poſt mortem ſuam a diſcipulo ſuo & ſcriba Baruch referri, uti populus maiorem eius monitis fidem adhiberet, cum Prophetiam de captivitate veram experiretur. Vide Ioſephum Lib. X. Antiq. cap. XI.

V. I. PROPTER PECCATA. Iudæi in AEgypto graviter peccarunt, quod Ieremiam vera prædicentem & comminantem occiderint; deinde (ſicuti ex cap. XLIV. Ierem. patet) quia idola coluerunt.

V. 2. GENERATIONES SEPTEM. Quia *generatio* & γενεά nullum certum tempus deſignant, ideo Interpretes diverſimode hunc locum exponunt. Aliqui enim dicunt, nullum definitum poni tempus, quia *ſeptem* ponitur pro *multis*, ſicut *ſepties* pro *ſæpe*, & *generatio*, quemadmodum Hebraicum דור *dor*, ſignificat diverſum tempus pro rerum natura: nam quoties notabilis in natura alicuius ſit mutatio, nova numeratur generatio; ideo in equis, quia magna obſervatur ſingulis annis mutatio, ponitur pro uno anno, Virgil. III. Georg.

At tribus exactis, ubi quarta acceſſerit ætas,
Carpere mox gyrum incipiat, gradibuſque ſonare
Compoſitis, ——.

Sic in homine pro ſeptennio, ut docet Cenſorinus de Die natali, & Clemens Alexandr. ex Hermippo Lib. VI. Stromat. Idcirco aliquis cenſet ſignificari 49. annos captivitatis, quibus Iudæi ex AEgypto a Nabuchodonoſore abducti, Babylone hæſerunt; detrahendi enim ſunt ex annis 70. captivitatis, anni 24. quibus in AEgypto commorati fuerunt, ſeu 19. qui interceſſerunt inter quartum Ioakim & ultimum Sedeciæ, & quinque anni ab everſa civitate; tum enim Nabuchodonoſor AEgyptum ſubiugavit, & Iudæos inde abduxit. Varro vult *generationem* completi annos 30. quia ea ætate homo idoneus eſt generationi. Sic Neſtor apud Homerum dicitur vixiſſe tres ætates, id eſt 90. annos. Alii ex S. Auguſtino in Pſalm. CIV. definiunt annos 15. quia tum homo potens eſt ad generandum. Alii inde colligunt poſſe pro ſpatio decem annorum ſumi, quia Achaz decennis genuit Ezechiam, & ſignificari per ſeptem generationes, annos 70. captivitatis Iudaicæ, ab anno 11. Ioakim ad annum primum Cyri. Huic ſententiæ adſtipulatur Olympiodorus, dum monet lectorem ſuum: *Nota generationem eſſe illi decem annorum ſpatium.* Brevitatis ſtudio omittam reliquas dictionis *generatio* acceptiones: verſ. 9. apud S. Hieronymum in Pſalm. CVII. pro 42. annis: apud S. Auguſt. queſt. 2. pro ſucceſſione, nulla habita annorum ratione, ſicuti in Evangeliis ſumitur. Sententiæ quæ ad ſeptimum aut decimum quartum annum reſtringunt, ingenioſæ & novæ videntur, ſed magnas involvunt difficultates; Primo, Quia in Scriptura nullibi *generatio* pro ſeptennio accipitur, neque pro aliquo certo annorum numero, quamvis apud alios Auctores ita uſurpetur. Secundo, Verum quidem eſt, Prophetam dicere, *eritis ibi annis plurimis, & temporibus longis, uſque ad generationes ſeptem*; quibus verbis videtur ſolum agere de captivitate Babylonica, ſicuti particula *ibi* oſtendit; in Babylone autem non remanſerint annos ſeptuaginta, ſed tantum quadraginta novem, qui ſeptem generationibus reſpondent: ſed dicendum eſt, illud, *uſque ad generationes ſeptem*, explicandum eſſe de captivitate ibi tolerandæ iis qui ex AEgypto abducendi erant a Chaldæis, donec illi ſeptuaginta anni effluxerint, quibus captivitatem duraturam prædixerat cap. XXV. II. *Et ſervient omnes gentes iſtæ regi Babylonis ſeptuaginta annis*. Et cap. XXIX. 10. *Cum cœperint impleri in Babylone ſeptuaginta anni, viſitabo vos*. Itaque certum mihi videtur, Prophetam confirmare in hac epiſtola ſuam de ſeptuaginta annis captivitatis Prophetiam, & modo prædicere, eos reliquos annos qui deſiderantur ad ſeptuaginta, Babylone completuros, tamen eamdem omnibus ordine præfigere ætatem quatuordecim annorum, atque maturam generandi facultatem, parum probatur. Tertio,

tio, In Scriptura quidem *generatio*, quando numerus certus apponitur, communiter sumitur pro genitis seu posteris; sicut tertia, quarta, quinta, decima, significat tertium, quartum, quintum, decimum a primo auctore istius familiæ, de qua agitur: quare hic censeo Prophetam prædicere captivitatem solvendam, cum septimus successive seu trinepos genitus fuerit. Sic explico; Prima generatio refert filios eorum quibus hæc prædicebat; secunda, horum filios; tertia, nepotes; quarta, abnepotes; quinta, atnepotes; sexta, disnepotes: septima, trinepotes: qui postea sequuntur dicuntur minores, ut qui supra tritavum, maiores dicuntur. Quandoquidem hac ratione generationes septem enumerentur, & quidem distincte & secundum phrasim Scripturæ, nec ullum incommodum oriatur, si dicatur spatio septuaginta annorum septem generationes successive prodiisse. Quid enim vetat asserere, primo anno captivitatis genitos fuisse nepotes, seu inchoari tertiam generationem? anno decimooctavo abnepotes, seu quartam generationem; anno trigesimosexto atnepotes, seu quintam generationem; anno quinquagesimo disnepotes, quos Græci dicunt δισέγγονυς, seu *sextam generationem*; denique anno septuagesimo trinepotes, τριέγγονοι, *septimam generationem*. In hanc sententiam, etsi novam, valde propendeo, quia in aliis variæ occurrunt difficultates, hic nulla mihi occurrit.

V. 3. Et lapideos. Græcus omisit, neque Tertullianus legit, sicuti postea referam; neque deorum lapideorum fit mentio in universa Scriptura, excepto Daniel. cap. v. quare credo esse glossema. In humeris portari. Dedit rationem cap. x. 5. *Portata tollentur, quia incedere non valent*. Vide Isaiam cap. xlvi. 1. 2. Ostentantes metum Gentibus. *Metus* significat *religionem* apud Virgilium Lib. VII. AEneid.

---- *multosque metu servata per annos:*

ubi Servius: *Ex metu nata religio*.

V. 4. Similes efficiamini factis alienis. Græce, ἀφομοιωθέντες τοῖς ἀλλοφύλοις ἀφομοιώθητε, *assimilati alienigenis assimilemini*. Existimo supplendum in Græco, quod Vulgata expressit, *factis*, τοῖς ἔργοις, & hunc esse sensum: Cavete ne conversatio cum alienis seu alienigenis, quæ vos illis similes in multis efficiet, in eamdem etiam cum ipsis inducat religionem, facta seu ritus, quos in cultu deorum suorum exercent, imitando, reverentiam idolis exhibendo. Itaque *similes* coniungendum cum *alienis*, & *factis* est ablativus modi, quemadmodum loquuntur Grammatici. Et metuatis et metus vos capiat. Græce omittitur *& metuatis*, & videtur glossema a librario additum; & Tertullianus in Scorpiaco, cap. viii. ubi aliquot versus huius capitis refert, omisit.

V. 5. Adorantes. Græce, προσκυνοῦντας αὐτά, *adorantes ipsa*, scilicet idola. Noster, ait quidam, non legit αὐτά, quare *adorantes* retulit ad Iudæos, non ad Chaldæos. Ego potius existimo scribendum esse in Vulgata *adorante* pro *adorantes*, quia *visa turba adorante*, idem est cum *videntes turbam adorantes*, seu ἰδόντας ὄχλον προσκυνοῦντας. Ponitur *adorantes* in plurali, quia coniungitur cum nomine collectivo *turbam*. Hac posita lectione, pronomen αὐτά subauditur. Adde, *adorantes* non posse connecti cum *dicite in cordibus vestris*, quia est accusativi casus in Græco. Tertullianus loco indicato sic hos versus refert: *Et nunc videbitis deos Babyloniorum aureos, & argenteos, & ligneos portari super humeros, ostentantes nationibus timorem. Cavete igitur, ne & vos consimiles sitis allophylis, & timore capiamini, dum aspicitis turbas adorantes retro eos, & ante: sed dicite in animo vestro, Te Domine adorare debemus*. Cyprianus de Oratione Dominica sic postrema refert: *In sensu autem tibi debet adorari Deus*. Iulius Firmicus de Erroribus profanarum religionum, cap. xxix. *Dicite autem in corde vestro, Tibi oportet adorare Domine*. Coniicio diversitatem istam, *tibi adorari*, *te adorare*, *tibi adorare*, natam esse ex varietate Codicum Græcorum; nam editio Romano habet σοὶ προσκυνεῖν, *tibi adorare*; Complutensis, σὲ προσκυνεῖν, *te adorare*, quia προσκυνῶ in Scriptura utrumque casum admittit: quandoquidem προσκυνεῖν non sit passivum, propendeo ut legatur *adorare*, non *adorari*.

V. 6. Angelus enim; quasi dicat: Non est quod Chaldæos timeatis, si me solum adoretis, quia Angelum dabo vobis ὑπερασπιστήν, qui omnia adversa repellat, & illorum mortem quos occumbere permisero,

ul-

ulciscatur. Alludit ad Angelum qui Iudæos ex AEgypto reduxit, Exod. xxxiii. 2. & ad Psalmum ix. 13.

V. 8. Amanti ornamenta. Sicut puella nubilis ornatus amans magno studio exornatur armillis, torquibus, periscelidibus, ut procorum oculos alliciat, sic Chaldæi idolis suis ornamenta ex auro & argento apponunt: sed adeo imbecilli sunt dii ipsorum, ut nequeant se tueri contra sacerdotum rapinas & libidinem, atque adeo sunt καλλωπισαὶ, seu pulchri videri student, ut cum meretricibus desultorie seu alternatim ornamenta commutent. De vanitate & cultu idolorum erudite disputant Clemens Alexandrinus, Origenes contra Celsum, Theodoretus de Græcorum affectionibus, & alii, sed præcipue Metaphrastes in Actis Martyrum.

V. 10. Dant autem, &c. Græce, *Dabunt autem de eis etiam meretricibus quæ sub tecto. Ornantque eos, quasi homines, vestimentis deos argenteos, & deos aureos & ligneos*. Iulius Firmicus loco indicato, a versu sexto ita refert: *Angelus autem meus vobiscum est, legem autem exquiram ab animabus vestris. Lingua eorum polita fabro; ipsa etiam inaurata, & inargentata, falsa sunt, & non possunt loqui: & sicut virgini, hortatu amantis, accepto auro fabricati sunt coronas supra capita deorum suorum. Est autem quando subtrahent sacerdotes a diis suis aurum & argentum, & erogabunt illud in semetipsos, dabunt etiam ex ipso & prostitutis meretricibus, ornabuntque illos ut homines vestimentis, deos argenteos, & aureos, & ligneos*. Clarum est, Interpretem nostrum aliqua addidisse ad maiorem explicationem vanitatis idolorum, & avaritiæ ac libidinis sacerdotum ipsorum, sicuti apparet ex collatione textus Græci cum eius interpretatione. Si plura huius argumenti desideres, consule Ezech. xvi. Ierem. x. Isaiæ xliv. & lxv. De prostibulis & lupanaribus circa templa constitutis, notum est ex Scriptura & profanis Auctoribus. Vide Herodotum in Clio, Iuvenalem Satyra IX.

V. 11. Ab aerugine et tinea. Idola ex auro & argento, & lapide, ærugine corroduntur; quæ autem ex ligno, a tinea exeduntur. In Scriptura autem tantum Isai. cap. iii ϐρωμα: & Ezech. cap. xxiv. ἰὸς eodem sensu quo hic accipiuntur.

V. 13. Sceptrum autem habet. Est enallage numeri: antea enim de idolis in plurali locutus fuit, nunc in singulari de iisdem loquitur. *Sceptrum* a σκήπτομαι, *innitor*, deducitur. Eustath. Ἰλιάδ. vi. docet, *sceptrum* non solum Regibus, sed etiam Iudicibus convenire, σκῆπτρον ὐ μόνον βασιλείας, ἀλλὰ ϗ θέμιδος εἶναι σύμϐολον. Ego credo σκήπτομαι formatum esse ab Hebræo שבט, *baculus, qui nascitur ex arbore* aut *radice arboris*; & quia tribus ex uno patre tamquam baculus ex una arbore prodiit, ideo שבט *scebet* appellatur. Septuag. vertunt ῥάϐδος, σκῆπτρον, φυλή, ϐακτηρία, μάστιξ, ἄρχων, ζυγός, κριτής, id est *iudex*: sic Chaldæus dixit שפט, a *iudicando*, *scephat*. Vide Gen. xlix. 10. & sane *sceptrum* magis convenit Regi tamquam Iudici, quam bellatori, ideo Homerus & Poetæ Iovi veluti omnium Iudici tribuunt. Reges in causis diiudicandis, & feriendis fœderibus baculum cui innitebantur erigebant, & sola eius erectio vim sacramenti obtinebat: patet ex Aristotele Politic. VII. Apud AEgyptios sceptrum Regium parte superiori decorabatur ciconiarum capitibus, ungulæ hippopotami ex inferiori parte dependebant, quo hieroglyphico pietatem commendabant, & impietatem condemnabant. Existimo, idolum cum sceptro fuisse simulacrum Iovis; ille enim Rex hominum deorumque credebatur, & ab illo Reges σκηπτοῦχοι *sceptrigeri* dicti sunt: sic per idolum cui gladius & securis in manu, intelligo, simulacrum Martis, deum belli, quem Poetæ βροτολοιγὸν *homicidam* indigetant, & nomen Græcum Ἄρης, unde Latinum *Mars*, deducitur ab Hebræo ערר *arar*, *destruxit*, *diruit*, aut ערה *ara*, *denudavit*, *evacuavit*, aut ערץ *arats*, *concussit cum terrore*, quæ omnia Marti gladio, & securi armato conveniunt.

V. 16. Constitutis illis in domo. Videtur alludere ad deos Penates, quorum nomine Servius intelligit omnes deos qui domi coluntur. Virgil. I. AEneid.

Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo
Cura penum struere, & flammis adolere Penates.

Glossar. *Penates*, πατρῷοι θεοὶ, κατοικίδιοι. De Penatibus & Laribus vide Varronem Lib. XVI. Rerum divinarum, Apul. de Deo Socratis, Ciceronem II. de Natura deo-

deorum, Festum, Macrobium Saturn. Lib. III. IV. ubi varias adfert sententias ex Nigidio, Cassio Hemina, Hygino. Arnobius Lib. III. Adversus Gentes, postquam varias retulit de diis Penatibus & Laribus opiniones, demum sic concludit: *Ita labant sententiæ, alteraque opinio ab altera convellitur, ut aut nihil ex omnibus verum sit; aut si ab aliquo dicitur, tot rerum diversitatibus nesciatur*. S. Hieronymus in cap. XVII. Isaiæ: *Nullus fuit locus, qui non idololatriæ sordibus inquinatus sit, in tantum, ut post fores domorum idola ponerent, quos domesticos appellant Lares*.

V. 17. AD SEPULCRUM. Alludit ad consuetudinem Gentilium & Iudæorum, qui cum pretiosis vestibus, armis, instrumentis cadavera humare solebant, ideoque custodes adhibebantur, ne a latronibus spoliarentur. Vide Iosephum de sepulcro Davidis, Lib. VII. Antiq. cap. ultimo; Sozomenum in Historia Eccles. Lib. IX. cap. XVII. de Zachariæ Prophetæ; Sigebertum in Chronico, anno 821. de S. Cæciliæ, & Baronium in Notis ad diem 22. Novembris. Qui plura de hoc argumento desiderat, consulat Poetarum Commentatores; præcipue Homeri & Virgilii, ut ceteros omittam Auctores tum sacros tum profanos, ex quibus plura congessi in Adversariis, quæ brevitatis studio omittenda iudicavi.

V. 19. CORDA VERO EORUM. Quædam idola erant interius terrea, vel lignea, etsi exterius essent aurea, argentea, ænea, quare serpentes facile poterant illorum corda seu interiora comedere. Per SERPENTES intellige vermes qui ex corruptione nascebantur in ipsis idolis. Aliquis Commentatorum existimat Prophetam alludere ad superstitionem Babyloniorum erga serpentes, qui credebant in medio idolorum illos esse conclusos. Confirmat suam sententiam; quia Propheta non dicit cor idolorum lingere seu comedere serpentes; sed ita a vulgo Babyloniorum existimari: id enim, inquit, valet illud *dicunt*, nempe Babylonii qui certe potius dicerent deos suos a serpentibus qui intus vivebant animari, quam cum maximo ipsorum ludibrio, eos a tineis rodi. Hæc sententia subtilis quidem est & erudita, quia antiquitatis cognitionem includit; sed huic loco minus congruere videtur. Phrasis enim Græca non restringit φασὶ *dicunt* ad Babylonios Gentiles, sed designat communem hominum opinionem & sensum: quia Propheta ut Iudæos a cultu idolorum avocet, docet omnis generis idola vana esse & omnes qui ea colunt amentes esse; quia vero ad Iudæos Babylone plurimis annis inter Gentiles commoraturos scribebat, illa quæ omnibus idolis ubique terrarum conveniunt (eadem enim etiam Babyloniorum est conditio) enarrat; inter alia adfert idola a vermibus corrodi. Probat; *Dicunt* (seu *dicitur*, est enim impersonale) & dicent, quotquot veritatis amantes, ea proferre volunt, quæ oculis in idolis antiquis & cariosis usurparunt. Si tamen aliquis velit hanc sententiam tueri propter superstitionem Gentilium erga serpentes, cuius meminerunt Eusebius Lib. de Præparat. Evang. Iustinus Martyr, Clemens Alexandrinus, & plures alii; hac via progrederer, Gentiles quidem dicere, serpentes seu vermes in signum venerationis ablandiri diis, eorum simulacra elingendo, tum alluderetur ad simulacrum vel Bacchi, vel Apollinis, vel AEsculapii: sed iis respondendum, serpentes elingendo non lævigare idola; quod demulcentis esset, sed penitus consumere, quod deorum imbecillitatem, qui eos excutere nequeunt; aut ἀναισθησίαν, qui se comedi non sentiunt, demonstrat. Hac quidem ratione facilis est huius versus connexio; censeo tamen probabilius esse, dicere, Prophetam loqui de vermiculis (non de serpentibus quos pro diis colebant Gentiles [sicuti vers 11. de *ærugine & tinea*: nam serpentes proprie dicti terram quidem comedunt, sed non vestimentum; & serpentes proprie dicti nascuntur ex masculi & feminæ complexu, non ex terra, quod hic dicitur. Circa textum Græcum observandum, male scribi in variis Codicibus: Primo, ἐκλήχεσθαι pro ἐκλείχεσθαι: & λείχω deduci ab Hebr. לחך *lachac*, aut לקח *lakach*, aut לקק *lakak*, sicuti ex litteris & significationem patet. Secundo, videri omissum esse unum ἀπὸ, quia alterum sequebatur; sic igitur scribendum ἐκλείχεσθαι ἀπὸ τῶν ἀπὸ γῆς ἑρπετῶν. Utrumque Interpres noster legisse videtur, quia posterius expressit per præpositionem *de*, & prius insinuat, dum passivam constructionem in activam convertit: nam κατὰ πόδα vertendum *elingi a serpentibus*, non *elingere serpentes*.

V. 21. ET CATTAE. Iulius Firmicus omisit. Græce, ἢ οἱ αἴλουροι. Vitiose habent multi Codices ἔλουροι. Latine scribitur *cattæ* & *catæ*. Gellius Lib. X. cap. XXV.

po-

ponit *cattas* inter navium appellationes, fortassis quia apud Arabes biremis, dromo vocatur *kitaton*, a radice *katta*, quia velociter secat mare. Græci sequioris ætatis dicunt esse machinæ genus. Certum est, hoc loco significare felem feminam. Scholiastes Callimachi Hymno in Cererem, αἴλουρος, ait, ἰδιωτικῶς vocari *'τον*, *proprie & vulgariter appellari cattum*: scribitur etiam κάτος. Arabes videntur huius dictionis auctores: appellant enim felem, *kitton*; fortassis quia caudam crispat & contorquet. *Katata*, significat *crispare*, *contorquere*.

V. 24. Ex omni pretio; quasi dicat: Maximo pretio idola comparantur, tum propter materiam ex qua constant, aurum, argentum, & alia pretiosa; sive ob raritatem, sive ob nobilitatem. Vide Clementem Alexandrinum in Protrept. tum quia communem & privatam felicitatem in eis collocabant, sicuti compertum est Palladium carissimo pretio a Romanis comparatum. Vide Commentarios nostri De la Cerda in II. AEneid. ubi accurate & fuse argumentum istud explicatum reperies. In quibus spiritus non inest ipsis. Græce, *in quibus non est spiritus*. Quandoquidem manifestus sit in Vulgata Hebraismus, cuius nullum in Græcis Codicibus vestigium, videtur Interpres ex Hebræo transtulisse. Apud Græcos quidem sæpe videre est pronomen αὐτοῖς παρέλκειν seu redundare, verum hic locum habuisse minime videtur.

V. 26. Per semetipsum stabit. Græce, *per seipsum movebitur*: *neque si inclinatum fuerit*, *dirigetur*. Adverte hic quoque enallagen numeri a plurali ad singularem. Sed sicut mortuis munera eorum illis apponentur. Complutensis, *Sed sicut mortuis humeri illis apponentur*. Sic etiam quidam Codices manuscripti & typis excusi legunt *humeri*, pro *munera*. Verum lectio ista reiicienda est: quamvis enim δῶρον valeat *palmum*, sicuti ex Plinio, Vitruvio, & aliis constat; inde tamen non efficitur, hoc loco ita vertendum fuisse; sed quandoquidem Plinius dicat Lib. XXXV. cap. XIV. *Græci antiqui δῶρον palmum vocabant*: *& ideo δῶρα munera*, *quia manu darentur*; debuisset Pagninus potius *munera* vertisse quam *humeri*, tum quod Scriptura numquam δῶρον pro *palmo* usurpet, tum quod δῶρον apud nullum Auctorem *humerum* significet. Præterea, verbum παρατίθεται, sicuti legunt Septuagint. aut παρατιθέασι, sicut habent quidam Codices, satis indicabat sermonem esse de oblationibus; alioquin dictum fuisset ὑποτίθεται, aut ὑποτίθεασι: humeri enim mortuis efferendis supponuntur. Existimo Pagninum potius attendisse ad illa præcedentia, *in humeris portantur*, quam quasi indicaret δῶρον *palmum* aut *humerum* (sicuti aliquis ex Commentatoribus opinatur, nec improbat) significare, & noluisse lectionem quam in Codicibus quibus utebatur reperit, mutare. Liranus enim etiam ita legit & explicat *fulcimenta aliena quibus sustentantur*. Sed quandoquidem Codices melioris notæ habeant *munera*, & δῶρον nihil aliud in Scriptura significet quam *munus*, altera lectio bene reiecta fuit. Alludit ad munera pretiosa, quæ in funere Magnatum parentes & amici conferebant, atque in illorum sepulcris includebant. Vide vers. 17. Comparat deos Babyloniorum mortuis, quia neutri beneficium rependere, aut donaria conservare queunt; nam, ut sequitur, *hostias illorum vendunt sacerdotes ipsorum*, &c.

V. 27. Mulieres eorum decerpentes. Græce, *mulieres de eis condientes*. Videtur aliquod in utroque textu supplendum. In Latino subaudiri existimo hostias, condientes, atque ita integrandum esse, *Mulieres* (hostias) *eorum decerpentes* (condiunt;) ut sit sensus: Mulieres dividunt hostias quas a sacerdotibus vel acceperunt, si de uxoribus eorum intelligatur, sicuti dictio Græca permittit, & vers. 32. insinuat: vel emerunt, & partem earum statim comedunt; alteram vero partem condiunt, ut postea illa vesci queant: sicque pauperibus nihil elargiuntur. In Græco, Γυναῖκες ἀπ' αὐτῶν ταριχεύσουσι, (subaudiri videtur, μέρος) ἀφελόμεναι, ἐσθίουσι μέρος: *Mulieres de eis* (hostiis scilicet partem) *decerpentes*, *comedunt*, *partem condiunt*.

V. 28. Foetae et menstruatae. Græce Rom. ἀποκαθημένη καὶ λεχῶ, *menstruata & puerpera*. Complut. ἀποκαθημένη ἐν λόγῳ, *menstruata & sermone*, Aldina, ἀποκαθημένη ἐν λεχῷ. Basileensis, ἀποκαθημέναι καὶ λεχῶν, *menstruatæ & cubilia*. Ex his omnibus sola prima probanda est: sed Librarii error expurgandus; scribendum enim λεχώ. Hesychius, Λεχὼ προσφάτως τετοκυῖα, id est λεχώ, *recenter enixa*: quæ dictio alibi in Scriptura non extat. Altera vero

αὐτο

ἀποκαθημένη ſemper redditur *menſtruata*, & reſpondet dictionibus Hebraicis טמאה *temea*, quia eſt polluta & immunda; דוה *dava*, quia debilis, languida, nauſeabunda; נדה *nidda*, quia ob immunditiem ſeparata; עדים *iddim*, Iſa. LXIV. 6. quam dictionem Theodot. retinuit, expreſſo *y* per γ, ſicuti frequenter fit; habet igitur γεδδείμ. Symmachus κυουσῶν, *parientium*. Aquila, μαρτυριῶν, *teſtimoniorum*. Explicat S. Hieronymus in Comment. *quando ſanguis in primo coitu maritali virginis approbatur*. De his plura in Iſaia: ſatis ſit indicaſſe, ἀποκαθημένη reſpondere Latino *menſtruatæ*, ideoque ordinem permutatum fuiſſe ab Interprete noſtro; nam *fœtæ* reſpondet dictioni λεχώ, quæ in Græcis ponitur ſecundo loco: quæ dictio *partu ſolutas & ab onere veteri levatas* ſignificat. Apud Plinium Lib. VIII. cap. XLII. *Hippomanes, quod ſtatim edito partu devorat fœta*. Et Virgilius III. Georg. fœtas vocat, quæ fœtum enixæ; eaſque prohibet mulgeri, ne alimentum fœtui deſit. Verum frequentius ſignificat *gravidam*, *& quæ uterum gerit*. Utraque ſignificatio ex Scriptura probari poteſt. Sept. enim pro *fœta* dicunt θηλάζουσα, *lactans*: λοχεύεται, *fœtatur*; vel potius *parturit*; πρωτοτοκοῦσα, *primum enixa*; ἐν γαστρὶ ἔχουσα, *prægnans*, ſeu *uterum geſtans*; & pro *fœtoſæ*, πολυτόκα, *multiparæ*. Ex quibus patet, Primum, *fœta* in Scriptura ſignificare *gravidam*, & *enixam*. Secundo, quandoquidem, uti dixi, *menſtruata* reſpondeat Græco ἀποκαθημένη, & omnis menſtruata a templo arceretur, ſive profluvium pateretur ante conceptum fœtum, ſive poſt editum; nullibi vero in Scriptura mulier gravida prohibeatur templum ingredi: quia ſanguinem menſtruum non egerit, ſed in fœtus formationem & alimentum impendit, ideoque non habetur pro immunda. Exiſtimo *fœtam* hoc loco accipiendam pro *puerperam*, ſeu *fœtum enixam*; & *menſtruatam* ſumendum pro ea quæ menſtruis laborat antequam conceperit: alioquin non differrent *menſtruata* & *fœta*. Adde, Prophetam aſpexiſſe ad Levit. XII. 4. ubi agitur de fœtæ ſeu puerperæ purgatione; & Levit. XV. ubi agitur de menſtruoſæ ſeparatione. *Mulier quæ redeunte menſe patitur fluxum ſanguinis, ſeptem diebus ſeparabitur*. In magna apud Iudæos, erant abominatione menſtruatæ, idcirco Propheta ut ſuos ab idolis avertat, indicat ea a menſtruatis contingi.

V. 29. MULIERES APPONUNT. Duplex huius ſententiæ explicatio. Una, quod mulieres ſtultæ apponendo eſcas & anathemata ſuis idolis, colunt ea pro diis. Altera, quod mulieres apponendo idolis ludicra quædam ſigna a ſe effictà, veluti ſunt pupp æ, & turpium rerum indecoræ imagines, ſeu femineis ea exornando deliciis tamquam deos colunt. Olympiodorus tertiam ſuggerit, dicit enim: *Nota, mulieribus interdictum ſacra facere*. Quibus verbis in eam adductus ſum ſententiam, ut exiſtimem, Prophetam pergere in confirmando idolorum vanitatem, docendo quam indigna patiantur a ſacerdotibus & mulieribus, ſive ipſorum uxores intelligantur, ſive aliorum: dixerat enim verſ. 27. ſacerdotes deorum hoſtias vendere & abuti, mulieres vero partem hoſtiarum comedere, partem condire & adſervare: verſ. 28. mulieres menſtruo infectas idola contingere: verſ. 29. tertium adducit mulierum peccatum ſeu in deos opprobrium, nimirum, quod etſi mulieribus omnibus, quamvis puriſſimis, interdictum ſit ſacrificare, his tamen diis mulieres, & quidem menſtruatæ, non tantum appropinquant ut aliquid per ſacerdotes offerant; ſed non verentur propriis manibus, quamvis impuriſſimis, ſacrificare: verſ. 30. redit ad mores & actiones ſacerdotum.

V. 30. HABENTES TUNICAS SCISSAS, ET CAPITA. Quam diverſis moribus & geſtibus utantur ſacerdotes Iudæorum ab his, manifeſtum eſt ex præceptis quæ Deus ſacerdotibus ſuis dedit; Levit. X. 6. *Capita veſtra nolite nudare, & veſtimenta nolite ſcindere*. Vide XIX. 27. & XXI. 5. & 10. vide inſuper Ezech. XLIV. 20.

V. 31. RUGIUNT. Vide III. Reg. XVIII. 27. *Clamate voce maiore: Deus enim eſt, & forſitan loquitur, aut in diverſorio eſt, aut in itinere; aut certe dormit, ut excitetur*. CONTRA DEOS, id eſt ante deos. Græce, ἐναντίον, *ante*. SICUT IN COENA MORTUI. Vide Ierem. cap. XVI. Ezech. XXIV. Ioſephum Lib. II. de Bello, cap. I. Notum eſt, in funere præficas mulieres lacrymas ac gemitus artificioſos vendidiſſe; & menſam parentalem, ad quam parentes & amici convocabantur, in uſu fuiſſe, de qua

Homerus Iliad. XVIII. Virgil. AEnid. XI. S. Epiphanius in Ancorato.

V. 33. NEQUE REGEM CONSTITUERE. Illud enim vero Deo proprium, ſicuti docet Iob XII. 18. & Daniel. IV. 14. *Dominatur Excelſus in regno hominum, & cuicumque voluerit dabit illud.* Nota, Prophetam antea demonſtraſſe deorum vanitatem, quia opera & induſtria hominum exorti & effecti. A verſu 27. idem confirmat altero argumento, nimirum, quod omni facultate atque poteſtate deſtituantur, cum nequeant beneficia aut conferre, aut remunerari, neque iniurias propulſare & punire poſſint.

V. 34. NEQUE DARE DIVITIAS. Græci addunt, *neque æs.*

V. 40. ADHUC ENIM IPSIS CHALDAEIS; quaſi dicat: Ipſi Chaldæi ignominiam deorum ſuorum produnt, dum enim mutum illis ſanandum offerentes, nihil impetrare valent, fateri coguntur deorum ſuorum imbecillitatem; quare ipſos deſpiciunt & relinquunt. Aliqua mihi videntur in Latina & Græca editione conſideranda. Primo, in Latina videtur ſcribendum *illum* pro *illud*, quia refertur ad *mutum*, ſicque poſtea reperi in codice M. S. Moreti, & in Bibliis Benedicti Pariſiis anno 1573. editis: altera tamen lectio confirmatur ab Olympiodoro; dicit enim, *Mutum vocat idolum ſine voce.* Secundo, Græca variant, nam Romana habet, Ἔτι δὲ καὶ αὐτῶν τῶν Χαλδαίων ἀτιμαζόντων αὐτά· οἳ ὅταν ἴδωσιν ἐνεὸν, (Aldina & Baſilcenſ. ἐννεόν.) μὴ δυνάμενον λαλῆσαι, προσενεγκάμενοι τὸν Βῆλον, ἀξιοῦσι φωνῆσαι, ὡς δυνατοῦ αἰσθέσθαι, (Complut. ἔσεσθαι,) καὶ οὐ δύνανται αὐτοὶ νοήσαντες καταλιπεῖν αὐτά, αἴσθησιν γὰρ οὐκ ἔχουσιν. Tertio, Græca valde differunt a Latinis, ita enim ſonans. *Adhuc autem & ipſis Chaldæis inhonorantibus ea? qui cum viderint mutum non poſſe loqui, offerentes, Belum poſtulant loqui:* verſ. 41. *Quaſi potens ipſe ſit ſentire: Et non poſſunt ipſi intelligentes, relinquere ea: ſenſum enim non habent.* Complut: *Quaſi potente exiſtente illo eſſe.* Quarto, Conciliari poſſe videntur. Primo, ſi dicatur, ἴδωσιν vertendum fuiſſe *cognoverint*. Vulgata enim vertit *audierint*, quia cognitio viſu vel auditu acquiritur, & *video* ponitur aliquando pro *audio*, ſicuti Exod. XX. 18. *Populus videbat voces*, id eſt audiebat. Secundo, ſcribendo, *offerunt illum ad Bel, poſtulantes ab eo loqui*; tum enim ſola interpunctio mutatur. Tertio, dicendo Græca verſ. 41. referre ad dictionem *Bel*, Vulgatam vero ad dictionem *deos*, aut *ea*, ſcilicet idola. Quarto, Vulgatam explicationis gratia addidiſſe, *qui non habent motum.* Quibus verbis *Bel* etiam includit; quaſi dicat: Etſi Belus maximus atque ſummus ſit ipſorum deus; tamen ſicuti ceteri dii ſenſu caret, neque ſupplicum preces audit, neque muto, quem minores dii curare nequiverunt, ſermonem reſtituet, quandoquidem ipſemet omni ſenſu privatus ſit. Dici etiam poteſt, Chaldæos idolum cuiuſdam ex minoribus diis offerre Belo, ut ab illo tamquam ſupremo deorum facultatem & poteſtatem loquendi, hoc eſt, quæſitis reſpondendi (ſicuti Belus ſeu Iupiter, diabolo per eius idolum loquente, oracula edebat) acciperet. Confirmatur hæc ſententia iſtis verbis Prophetæ Habacuc II. 18. *Quia ſperavit in figmento fictor eius, ut faceret ſimulacra muta* verſ. 19. *Væ qui dicit ligno: Expergiſcere: Surge, lapidi tacenti: numquid ipſe docere poterit?* Quinto, illa contrarietas quæ apparet, & admittitur ab Interpretibus, inter Græca & Latina in iſtis verbis, *Et ipſi cum intellexerint, relinquent ea*: atque, *Et non poſſunt ipſi intelligentes, relinquere ea:* tolli videtur, ſi dicatur, Latina legenda eſſe per interrogationem; tum enim reſponſio negativa includitur, quæ expreſſe ponitur in Græcis. Sic Prophetia Michææ V. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Iuda*, ut conveniat cum verbis S. Matthæi, *Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda*, legenda eſt per interrogationem, etſi in Hebræo nullum eius ſignum appareat, quia illi iſto ſigno careat. Eodem modo locus Iſaiæ legitur interrogative Actorum VII. 51. quamvis in Iſaia affirmative pronuntietur. Quare ex contextu orationis colligendum eſt, quando interrogatione utendum ſit; ſicuti idem uſu venit, cum ſermo ironice explicandus eſt: quamvis enim nullum certum ſit ironiæ ſignum, tamen dum illam oratio exigit, uſurpamus, ſicuti Geneſ. III. 22. *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum.* Sexto, *ipſi dii illorum*, ab omnibus Græcis omittuntur, & fortaſſis in Latinis a Librariis intruſa ſunt, quia credebant præcedentia, *ſenſum enim non habent*, referri ad deos; quod verum eſſet, ſi interrogatio non includa-

cluderetur, quæ exigit ut de Chaldæis cultoribus deorum intelligantur: qui etſi percipiant idolorum ſuorum vanitatem, ita tamen addicti ſunt idololatriæ, ut communi ſenſu deſtituti videantur; ſicuti in dies evenit illis qui paſſione abrepti, aut nimio erga creaturas affectu correpti, ſynteresi fruſtra obnitente & revocante, felicitatem æternam temporanea voluptate illectl cum pœnis æternis commutant.

V. 42. CIRCUMDATAE FUNIBUS IN VIIS SEDENT. Hic locus, cum difficillimus iudicetur, varias habuit explicationes. Quidam cenſent ſignificari funes, quibus mulieres peccati alicuius conſciæ ſeipſas in punitionem conſtringebant, donec aliquis illas ſolveret, eiſque poſt concubitum abire liceret. Alii volunt ex Herodoto Lib. I. ſeu in Clio, & Strabone Lib. XI. & XVI. Curtio Lib. V. Iuſtino Lib. XVIII. S. Auguſtino Lib. IV. de Civitate Dei, cap. x. Prophetam alludere ad conſuetudinem Babyloniorum, Phœnicum, Cypriorum, qua virgines ante nuptias, immo omnes eorum mulieres obſtringebantur ſemel ſaltem ad templum Veneris deſidere, & ſuam pudicitiam exponere, pretiumque pro ea acceptum Veneri conſecrare, ideoque plurima erant iuxta templum Veneris diverticula funiculis diſtincta. Ne autem propter deformitatem diutius ibi deſidere cogerentur, quod nullus funem diſſolveret, pretiumque pro concubitu Veneri offerendum daret; ſolebant variis veneficiis & philtris tranſeuntes allicere, inter alia, olivarum etiam oſſa cremare, quorum cineribus amaſios conſpergebant; ſicuti ex Theocrito in Pharmaceutria patet. Alii per *funes* intelligunt fortia de iuncis & floribus contexta, quibus iſtæ proſtitutæ capita cingebant. Alii denique per *funes* accipiunt zonam qua corpus vinciebant, & ſignificabant ſe virgines, & Veneris religione ac amore captas detineri: idem faciebant coniugatæ quæ ſe Veneri dicabant, & pretium pudicitiæ offerebant. Omnes quidem hæ ſententiæ ad veritatem tendunt & accedunt, ſed nulla earum contingit. Non prima, quia ſine ratione & ſine priſcorum auctoritate profertur. Neque Secunda, quia ex ipſo Herodoto, quem columnam ſuæ ſententiæ ſubiiciunt, patet, funes minime diſrumpi ab eis qui meretriculas iſtas adibant, quod tamen de ſuis ait hic Baruch. Præterea, tantum vulgares mulieres confidebant in σχοινοτενέϊ διεξόδοις, nam ditiores ſeparatim habitabant, ſicuti ex Herodoio patet, qui ſatis obſcure loquitur de diſcrimine locorum & mulierum; quapropter nullum ex ipſo certum adferri poteſt pro iſta ſententia argumentum. Neque Tertia, quia etſi hæ proſtitutæ tempora ſua cinxerint thominge, ſicuti habet Strabo, vel corollis ſecundum Herodotum; de illis tamen non agit Baruch, quia περιθέμεναι. vel potius ἀμφιθέμεναι, *circumponentes*, non reſtringitur ad caput, niſi aliquid adiiciatur quod illud exigat, v. g. cidaris, aut aliquod aliud capitis ornamentum. Sic Strabo, quia uſurpabat θώμιγγα, pro corollis, quas apud Herodotum legerat, generalem eius ſignificationem de quovis fune reſtrinxit per verbum ἔστεπται, *coronata eſt*, ad corollas. Præterea neque thominx, neque corollæ iſtæ frangebantur, quod de funibus affirmat Baruch. Neque Quarta, quia σχοινία, aut *funes* apud nullum Auctorem, quantum memini, accipitur pro zona quam mulieres a partu Iunoni conſecrabant. Neque mihi probatur, aſſerere funes illos fuiſſe ex iunco, ut vox Græca indicat, meretriculas ex iunco fucum facere ſolitas & καλλωπίσματα; ideoque *ſchœniculas* a priſcis Latinis dictas. Præterea, tali præcinctione artem ſuam profiteri, & facilitatem ſolvendæ, ſeu potius frangendæ zonæ oſtendere conſueviſſe; & quiſqualias minutas iunci, quæ ad præcinctionem ineptæ erant, aut ex iunco in funem contorto deciderant, ante templum, Herodoro teſte, combuſſiſſe. Paucis reſpondeo, nullam extare memoriam apud Auctores alicuius pretii, familiare fuiſſe meretricibus faſcias periſcelidas, torques, armillas, & ſimilia ornamenta conficere ex iunco, niſi fortaſſis de pauperculis inter ſilvas commorantibus, de quibus hic non agitur: viros doctos dubitare, num ſcribendum ſit *ſchœniculæ*; an *ſcœniculæ*, an *ſchœnicolæ*, quæ modo examinare non vacat. Herodotus de iunco tacet. Exiſtimo Olympiodorum proxime ad veram difficultatis huius interpretationem acceſſiſſe. *Funes*, inquit, *vocat cingula*; *ſolas enim obſcœnas corporis partes tegentes*, *cetera nudabant ad alliciendos amatores*. Cenſeo itaque Prophetam ſignificare mulieres Babylonias Veneris cultum præcipue promovere quemadmodum verſ. 13. 14. 19. docuerat viros Iovem, & Martem, & Mer-

Mercurium aut AEsculapium coluisse; in illum finem sacerdotes [dabant illis aurum & argentum, sicuti ex vers. 9. & 10. constat, ut se exornarent, & postea pretium quod ab amatoribus suis acceperint, idolo consecrarent. Iam vero explicat ritum, quo Venerem colebant, nimirum sedentes in viis quæ ad templum Veneris ducunt, alliciunt illos qui transeunt ad turpem secum mixtionem: quod ut facilius consequantur, maximam sui corporis partem denudant, quam exornant & prætexunt catenis, monilibus, annulis, armillis, periscelidibus, mitris, redimiculis, strophio, torquibus, vittis, zonis, institis, prætextis, & similibus, quæ recenset Clemens Alexandrinus Libro II. Pædag. quæ omnia per *funes* intelligi possunt, per quos cutis suæ nitorem, & colorem multiplici arte comparatum ostentabant. Multis in hanc sententiam adducor argumentis. Primo, quia hæc interpretatio conformis est verbis Isaiæ cap. III. 16. usque ad finem capitis, ubi prædicit curiosam lasciviam filiarum Sion puniendam. Quid enim aliud per *& torques, & monilia, & armillas, & mitras, & periscelidas, & murenulas, & vitras, zona* significatur, quam diversa funium genera, ex bysso, auro, argento, gemmis confecta & contexta? Secundo, dictiones Hebraicæ, pro quibus Septuaginta reddiderunt σχοινίον, *funis*, plurimum hanc sententiam confirmant, חבל *chebel* enim significat quod ligat [& constringit, sive proprie, sive metaphorice, sive in bono, sive in malo: ideo redditur a Septuaginta frequentissime σχοινίον & σχοίνισμα, *funiculus*. Aliquando exprimitur per ἐνεχύρασμα, *pignus*; χόρος, *chorus*; κλῆρος, *possessio*; σειρά, *catena*; περίχωρος, *confinis*; ὠδὶν, *dolor*; φορβάια, *capistrum*; διαφθορὰ, *interitus*; διαλυτις, *dissolutio*. Ipsa radix חבל *chabal* apud Hebræos, & apud Arabes significat *concipere*, *impregnari*, quæ complexum personarum & constrictionem, quam mulierculæ istæ funibus suis intendebant, præsupponunt. Altera dictio est מיתר *methar*, qua excellentia aliqua, & abundantia ac superfluitas indicatur, sicuti ex significatione radicis patet. Tertia est מלחים *melachim*, quæ commixtionem, coniunctionem includit, ideoque bene convenit huic nostræ explicationi, qua volumus intelligi funes pretiosos; bysso, auro, gemmis, contextos & distinctos. Tertio, hæc sententia exprimit mores lascivarum] mulierculaarum, quos sacri & profani Auctores referunt, præcipue Clemens Alexandrinus Lib. II. Pædag. Aristophanes & Plautus, ut ceteros omittam, ne Scholia in Commentarios convertam. Quarto, nullæ obiectiones contra alias sententias allatæ locum hic habent, neque quid opponatur video; itaque alteram huius] versus partem aggredior. SUCCENDENTES OSSA OLIVARUM. Græce, θυμιῶσαι τὰ πίτυρα, *adolentes furfura*. Puto scribendum *furfures*; etsi multi existiment valde discrepare inter se *furfures* & *ossa olivarum*, ideoque Novatores omnes a Vulgata discedant, ponendo *furfures*: ego tamen credo hoc loco idem significare, nimirum *furfures* accipiendos de ossibus olivarum contusis; sicuti patet ex Theocrito, apud quem πίτυρα distinguuntur ab ἄλφιτα: ἄλφιτα enim ponit pro mola seu farina cum sale mixta, qua igne tosta, & quasi in pulverem redacta a Thestyli venefica spargebatur, quæ deinde dicit, νῦν θυσῶ τὰ πίτυρα, *nunc nucleos olivæ comburam* & redigam in furfures vel cineres. Quandoquidem Thestylis agnoscat se didicisse artem φίλτρα conficiendi ab Assyrio hospite, qui sicut explicat Scholiastes, habitat inter fluvios Tigrin & Euphratem, hoc est in Babylonia; videtur mihi clarum, Prophetam de eadem arte amatoria loqui, & in uno philtro omnia complecti: apud Theocritum autem πίτυρα significare *ossa* seu *nucleos olivarum*, sicuti Vulgata habet, probatur. Primo, quia si pro furfuribus acciperetur, tum Theocritus secundo idem repeteret; nam teste Eustathio β. Ῥαψωδ. τῆς Ὀδυσς, post tempora Homeri, Ἐπὶ κριθίνων ἀλεύρων ἢ καὶ πιτύρων τὸ ἄλφιτον τίθεασι, παρὰ τὸ ἀλφεῖν ... ὃ ἐστιν εὑρίσκεσθαι πτωχοῖς διὰ εὐτέλειαν, *Usurpant* ἄλφιτον *pro farina hordeacea aut furfuribus, quia* ἄλφιτον *facile propter vilitatem a pauperibus invenitur*. Secundo, Constat ex Athenæo Libro II. olivas quasdam vocari θλαστὰς, *contusas*, quas Aurelianus *fractas* vocat, & Philemon πιτυρίδας appellat *olivas furfuraceas*, Didymus δρυπεπεῖς, *olivas*, accipit pro iis quæ maturæ torculari subiiciendæ sunt, ut expressis fiant στέμφυλα *fraces*. Apud Varronem Lib. VI. de Lingua Latina, *Epityrum est vocabulum cibi, cuius meminit Plautus in Milite glorioso*. Aliqui dictum volunt, quod fieret ex pityrodi oliva confricta, quasi ἐπίτυρον, & existimant

ἐπι-

θλίτρα apud Hesychium exponentem τὰ ἀκπιάσματα ἐλαίων, *expressiones olivarum* seu *fraces*, scribendum θλίτυρα. Neutrum commentum placet, quia θλίτυρον nomen habet a τυρὸς *caseus*, quod caseo accederet, & θλίτρα deducitur a τρίβω, unde superius diximus olivas quasdam appellari θλασὰς, quas alii vocant τετριμμένας: Columella Libro XII. cap. I. vocat nucleos olivarum *sampsas*, aut *samsas*, aut *sansas*; ita enim diversimode scribitur. Vetus Lexicon σίπτον *sansa*; fortassis a στίζω deducitur, & scribendum σίπτον, quia calcatur oliva ut sansa exprimatur. Olympiodorus censet ossa olivarum combusta fuisse vel in honorem Veneris, ἢ τινὶ πορνοταγῷ, explico, aut alterius numinis, quod amorem impurum ciere potest, sicut lenones faciunt. Addit: Ἴσως δὲ εἰς καθαρμὸν τοῦτο ἐποίουν οἱ δυστυχεῖς: scribo αἱ, & verto: *Forte etiam ad purificationem miseræ hoc agebant*. Strabo de Assyriis agens Libro XVI. aliquam huic sententiæ præbet lucem, dicit enim: Ὁσάκις δ' ἂν μιχθῶσιν ἀλλήλαις θυμιάσαντες ἐξανίστανται ἑκάτερος χωρίς ἄρθρου δὲ λούονται, πρὶν ἀγγείου τινὸς ἅψασθαι. παραπλησίως γὰρ ὥσπερ ἀπὸ νεκροῦ τὸ λουτρὸν ἐν ἔθει ἐστίν, οὕτω καὶ ἀπὸ συνουσίας. Quæ sic reddenda erant. *Quoties commixti fuerint, postquam suffierint* (*ossa olivarum succenderint*) *uterque seorsum surgit. Mane vero priusquam vas aliquod contingant lavantur; perinde enim lavacrum eis in more est a coitu, atque a cadaveris* (*contractu.*) Herodotus quoque Lib. I. hanc interpretationem fulcire videtur, dum ita de Babyloniis mulieribus loquitur: Ἐπεὰν δὲ μιχθῇ ἀποσιωσαμένη τῇ θεῷ ἀπαλλάσσεται ἐς τὰ οἰκία. *Postremo ubi iam congressa fuerit, rite factis deæ sacris, domum revertitur*. Prior tamen interpretatio magis mihi arridet, quia perfectius exponit meretricularum artes; nam cremando olivarum osſa, duritiem amasiorum frangere & incantare studebant; & ex obscœno falsorum deorum cultu idolorum vanitatem Propheta demonstrat; verus enim Deus castitatem a suis cultoribus exigit, & victimis purissimis ac thymiamate odoratissimo gaudet.

V. 43. SACERDOTES. Græce, τεχνῖται, *artifices*. Aliqui ita conciliant, *sacerdotes* dici *artifices*, quia curabant idola fieri, vel ipsi ea faciebant: antequam enim illorum voluntas aut manus accessisset, truncus aut saxum non magis aptus erat ut esset Iupiter quam Mars, Bacchus quam Silenus. Vide Isaiam XLIV. 14. & Horatium Lib. I. Satyra VIII.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum:
Cum faber incertus, scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse deum: deus inde ego furum, aviumque
Maxima formido.

Cassiodorus in Psal. CXIII. *Pudor est dicere simulacra ab illo coli, cuius ipse auctor potuit inveniri: aut quid mortali valeat præstare: qui nisi voluisset homo, idolum non potuisset existere? Sic & Ieremias talia deliramenta pulchra definitione conclusit, dicens: Nihil aliud erit, nisi quod volunt esse aurifices*. Sequitur versionem Sept. Scribendum igitur *erunt*, pro *erit*, & *artifices* pro *aurifices*; sicuti in multis Codicibus Latinis in sequenti versu vitiose habetur *aurifices* pro *artifices*; nam Græce est οἱ κατασκευάζοντες, *fabricantes*. Hæc quidem consociandi ratio probabilis videtur; verum existimo potius dicendum esse, τεχνῖται significare *artifices* quidem, sed doli & impostores, sicut τέχνη ponitur pro *dolo* & *mala arte* apud Homerum Odyss. θ. & passim apud Auctores sacros & profanos, sicuti Latine dicitur, *Sic ars deluditur arte*. Τεχνῖται usurpatur frequenter pro *histrionibus*, *sophistis*, quorum in decipiendo præcipuum erat studium. Unde apud Plutarchum, Οἱ περὶ τὸν Διόνυσον τεχνῖται. & Διονυσιοκόλακες apud Aristotelem τεχνῖται appellantur, quia parasiti dolis pleni. Sacerdotes autem decipiebant populum, affingendo idolis quæ volebant nomina, & plurima de illis falsa mentiebantur, ut ex eorum cultu & adoratione maius lucrum compararent.

V. 46. NUMQUID ERGO POSSUNT EA QUAE FABRICATA SUNT AB IPSIS ESSE DII? Sept. *Quomodo igitur futura sunt quæ ab illis fabricata?* ceteri Codices addunt εἶναι θεοί, *esse dii*. Omissionem illam exortam credo, quod Librarius vim verborum Græcorum non perciperet; videtur enim existimasse, μέλλει significare hoc loco *futura sunt*, & subaudiendum fuisse πολυχρόνια *multi temporis*, sicuti præcesserat de artificibus πολυχρόνιοι: sed manifestus est error. Græca igitur sic vertenda erant: Πῶς γε δὴ μέλλει τὰ ὑπ' αὐτῶν κατασκευασθέντα: *Quomodo igitur debent quæ ab illis sunt fabricata*

cata, εἶναι θεοὶ, *esse dii?* vel, *Quomodo igitur quæ ab illis fabricata, erunt dii?* nullum puto dubitaturum, qui usum verbi μέλλει noverit, de quo fuse Budæus. Patet etiam ex sequenti versu, *reliquerunt autem falsa*, Græce, κατέλιπον γὰρ ψευδῆ, *reliquerunt enim falsa*; id est, artifices isti qui non fuerunt multi temporis, reliquerunt post mortem suam idola, quæ sunt res vanæ & fallaces.

V. 49. QUOMODO ERGO SENTIRI [DEBEANT QUONIAM DII SUNT. Græce, Πῶς οὖν οὐκ ἔστιν αἰσθέσθαι, ὅτι οὐκ εἰσὶν θεοί; *Quomodo ergo non est sentire, quia non sunt dii*. Hinc perspicuum est, Vulgatam ex Græco non ex Hebræo versam esse, sed Interpretem nostrum duplicem negationem in unam affirmationem eodem sensu convertisse, & αἰσθέσθαι in passiva significatione accepisse.

V. 50. UNIVERSIS GENTIBUS. Videtur prædicere, Gentes ex verbo Dei atque Evangelio cogituras idolorum suorum vanitatem, & unius Dei, quem Iudæi adorabant, veritatem. Psamo LXXXV. 9. *Omnes gentes quascumque fecisti venient, & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum:* ves. 10. *Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus solus.*

V. 51. UNDE ERGO NOTUM EST, &c. Græce, Τίνι οὖν γνωστόν ἐστι, ὅτι οὐκ εἰσὶν θεοί: *Quo ergo cognoscendum est, quia non sunt dii?* In Complutensi τίνι redditur *cui*; & ab aliquibus explicatur, *quis tam hebes est, ut debent doceri idola non esse deos?* Sed dicendum cum Vulgata, esse a τὶ, non a τί; ideoque vertendum *unde*, aut *quo*, id est ex qua re vel per quam rem. Videtur Vulgata legisse γνωστὸν, pro γνώσιος: in idem recidit. Observandum autem est, reliqua huius versus abesse ab omnibus Græcis; quare videntur tamquam ex præcedenti versu repetita a Librariis omissa, vel ab Interprete ad maiorem lucem & emphasim iterum dicta; nec refert antea haberi *opus cum ipsis*, hic autem *opus in ipsis*, quia aliqui Codices editi legunt utrobique *in ipsis*, & ita expresse habet Manuscriptum exemplar Moreti.

V. 52. REGEM REGIONI. Græce, χώρας, *regionis*. Opponit Propheta dignitatem, potentiam, prudentiam, protectionem veri Dei, vilitati, imbecillitati, insipientiæ & vanitati falsorum deorum. Dignitas eius & maiestas elucet] in constituendo regionibus Regem, sicuti præstitit in præficiendo Saulem, Davidem, duodecim tribubus populi Iudaici. Potentia eius manifesta fuit, cum precibus Eliæ pluviam concessit, III. Reg. XVIII. 1. *Vade, & ostende te Achab, ut dem pluviam super faciem terræ*; quam frustra 450. Prophetæ a deo suo baal per triennium expetebant. Prudentia illuxit in dirimendo litem Aaronis contra Core, Dathan, & Abiron, Numer. XVI. & alias sæpe. Protectio eius innotuit in eductione populi sui ex AEgypto, deductione per mare & desertum, subiciendo ei tot Gentes & regiones. Nota, dictionem *regiones* desiderari in Græcis Codicibus; Firmicum & aliquot Codices excusos, atque Manuscriptum Moreti habere *regionem*. Existimo Prophetam alludere ad cap. XVIII. & XIX. Lib. IV. Regum, ubi narratur quomodo Deus liberaverit Ierusalem, & totam regionem, ab iniuria & blasphemiis Sennacherib, occisis una nocte ab Angelo in castris Assyriorum centum octoginta quinque millibus. Nota secundo, Græcos Codices variare; editio Romana habet, κρίσιν τε οὐ μὴ διακρινοῦσιν ἑαυτῶν: *Iudicium quoque non discernent suiipsorum*. Complut. αὐτῶν, *ipsorum*, refert ad homines, quia præcesserat *hominibus*. Utraque lectio probanda videtur; quia Propheta ostendit, idola neque seipsa neque cultores suos tueri posse, aut ullam iniuriam propulsare, sed simul cum suis cultoribus, opprobria, iniurias sustinere, & dum regio aliqua vastatur, pariter cum illa gladio aut igne perire. Rationem adfert, quam versu sequenti explicabo.

V. 53. SICUT CORNICULAE. Iulius Firmicus hæc omisit, in omnibus tamen Codicibus Græcis & Latinis reperiuntur. Ex diversis proprietatibus cornicularum interpretationes diversæ a diversis adferuntur. Aliqui enim dicunt, corniculas, quamvis ceterarum avium putentur esse duces, tamen quia ignave volant, facile lædi, & hosti cedere; sic idola, etsi dii putentur, posse tamen a quovis frangi & dirui. Alii, corniculas præter crocitationem (fastus & tumoris hieroglyphicum) nihil habere; sic idola nihil præter superbum cultum habere, & suorum sacerdotum fastuosam & supercilosam laudationem: illi enim de suis idolis, *sublatis in altum humeris* (verbis S. Hieronymi utar) *& intra se nescio quid* coi-

cornicantes, *stupentibusque in terram oculis tumentia verba trutinabantur*, *admiranda de suis idolis effutientes*. Alii adaptant corniculæ alienis plumis exornatæ, quæ ab aliis avibus receptæ, eam nudam relinquunt: sic idola, si forma & ornamentis, quibus tamquam puppæ ab artificibus & mulieribus condecorabantur, exuantur, remanebunt, quod prius erant, lignum aut saxum, & quidem rude & informe. Quare vocula mutata, commode Horatianum illud notissimum aptabitur carmen:

Nam cum forte suas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula risum,
Furtivis nudata coloribus. -----

Alii denique pro certo existimant, Prophetam alludere ad artes divinatrices Gentilium. inter quos excellebant Chaldæi; qui observabant volatus & clamores corniculaurum, ut futura præsagirent. Idcirco antiqui, dum auguria captant, sæpe cornicum meminerunt. Virgilius Ecloga I.

Sæpe sinistra cava prædixit ab ilice cornix.

Horat. Lib. III. Carm. Ode XXVII.

Teque nec lævus vetet ire picus,
Nec vaga cornix.

Quantum autem fidei tribueretur cornicis crocitationi, colligitur ex Cicerone, qui Libro II. Academ. Quæstion. tam certum dicit quibusdam videri quod cecinit cornix, quam lucere diem. *Non*, inquit, *magis assentiuntur neque approbant lucere nunc, quam cum cornix cecinerit, tunc aliquid eam aut iubere aut vetare*. Omitto alia testimonia quæ adferuntur ab iis qui de Avibus & Hieroglyphicis disserunt. De illa divinatione ita loquitur S. Isidorus Lib. XII. Orig. cap. XXVII. *Cornix annosa avis apud Latinos Græco nomine appellatur. Quam aiunt augures hominum curas significationibus augere, insidiarum vias monstrare, futura prædicere. Magnum nefas hæc credere, ut Deus consilia sua cornicibus mandet*. Itaque Propheta docet non maiorem adhibendam fidem idolis, si quid ex illorum victimis, earumque gestu & motu sacerdotes prædicerent, quam corniculæ quæ in aere crocitat, cuius vox inanis, & augurium fallax. Brevitatis mihi propositæ memor, nolo immorari in pondere sententiarum istarum trutinando; sufficiat dixisse, mihi videri perspicuam esse Prophetæ mentem atque ex ipso orationis contextu elucere; nimirum sicuti antea vers. 21. dixerat: *Supra corpus eorum, & supra caput eorum volant noctuæ, & hirundines, & aves etiam similiter & cattæ*; & idcirco concludit vers. 22. *Unde sciatis quia non sunt dii. Ne ergo timueritis eos*. Ita hoc loco dicit: *Quia nihil possunt, sicut corniculæ inter medium cæli & terræ*; id est, idola non sunt dii, quia nequeunt a se abigere aves, sed earum sordibus conspurcantur; & si aliquid prædicere videntur, sive de Rege constituendo, sive de pluvia futura, sive de lite dirimenda, sive de regione liberanda a bello aut peste, non magis sciunt quid dicant quam corniculæ supra eorum capita crocitantes. Non credo Prophetam alludere ad vim fatidicam, quam Gentiles cornicibus tribuebant, neque ex aliquo Scripturæ loco probari posse, Chaldæos ex cornicum crocitatione aut volatu præsagium petivisse. Corniculas frequentasse templa, experientia docet; & noctua, cuius ova sorbere solent, satis probat; dum par pari referre studet, ac norunt eruditi, Græcos existimasse, cornicem abiectam & repulsam a Palladis templo, quod meditationum pervigilio infesta sit, & mentis agitationem interpellet obturbetque garrulitate sua: quamvis Lucretius Lib. VI. de Natura rerum aliter sentiat, & tribuat naturæ loci in quo arx Palladis sita, quam aliis examinandam relinquo. Græcorum sententia confirmari videtur hoc Proverbio Arabico.

Phatakallam billali chatso lasa tarellali.
Loquere in nocte, ubi non (est) *avis Nocturna*.

Thomas Erpenius in Notis ad hoc Proverbium fatetur se non satis scire quid intelligatur per *avem nocturnam*, ideoque ipsum Proverbium sibi esse obscurius. Mihi clarum videtur significari per *avem nocturnam* corniculam, quæ, uti Græci opinantur, garrulitate sua nocturnam meditationem perturbat; & auctor Proverbii, dum monet occultandum arcanum & dignitatem a turba idiotarum & stultorum, satis ostendit, idiotas & stultos statim eloqui & effutire quod audiverunt, garrulitate sua sapientum consilia detegere, & illis quandoque magnum periculum creare.

V. 56. ET LAPIDEI. Græci omittunt, sicu-

ſicuti verſ. 3. & 38. atque ipſa Vulgata omiſit verſ. 69. 70.

V. 58. In quo gloriabitur. Sept. *in quo uſum habebit*. Codices aliqui habent, ἐφ' ᾧ κεχρήσεται: alii, ἐφ' ὃ χρήσεται. Apud nullum Auctorem ſacrum aut profanum reperire eſt χράομαι pro *utor* cum præpoſitione ἐπὶ, illa tamen in omnibus Codicibus Græcis extat; quare Interpres noſter recte vertit *gloriabitur*: nam καυχάομαι, *glorior*, iſtam præpoſitionem admittit: χράομαι vero, teſte Heſychio, ſignificat etiam *gloriari*: quæ ſignificatio Theſaurum Stephani locupletare debet: ita Heſychius, χρῆσθαι· καυχᾶσθαι· πράττειν, προσφέρεσθαι, χρησμῷ χρῆσθαι, id eſt, χρῆσθαι, ſignificat *gloriari*, *facere*, *utile eſſe*, *oraculum conſulere*. Poſt illa verba, Qui possidet illud, omnes Codices Græci adiiciunt, ὡς οἱ ψευδεῖς θεοὶ, *quam falſi dii*: quomodo etiam habet Moreti Manuſcriptus liber: & fartaſſis omiſſa ſunt a Librario, quia ſtatim iterum ſubſequebantur. Omnes Græci Codices addunt in fine huius commatis, *& lignea columna in regiis quam falſi dii*.

V. 60. Spiritus in omni regione spirat. Idacius Clarus Lib. III. Adverſus Varimundum, aliquot verſus ſequentes profert, ſed tali ratione, ut, quod antea etiam monui, facile appareat, illum ex memoria non ex libro pronuntiaſſe; ita enim habet: *Spiritus in omni regione ſpirat in nubibus, cui cum imperatum fuerit perambulare per totum orbem, perficit quod imperatum eſt. Fulgura etiam deſuper miſſa, ut comburant montes & ſilvas, faciunt quod præceptum eſt. Hæc autem neque in ſpecie, neque in virtute illi uni ſimilant: unde neque exiſtimandum eſt, neque dicendum eſt illos deos, cum non poſſint neque iudicium iudicare, neque hominibus benefacere, quia non ſunt dii.*

V. 62. Haec autem neque speciebus. Olympiodorus in Catena Vaticana: *Idola*, inquit, *neque ſplendent, ut ſol & luna; neque activa ſunt, ut ignis & ventus. Quod ſi hæc ſpecie & virtute incomparabiliter illis præſtantia dii non ſunt, quomodo ipſa pro diis habenda ſunt?*

V. 66. Signa etiam. Vide Ierem. x. 2. 3. 4.

V. 69. Formido. Olympiodorus: *Græco ſermone probaſcania & cerambela dici ſolent, quæ præfigunt agrorum cuſtodes ad deterrendas aves, ſive homines, quæ etiam* μορμολύκεια, *terricula vocantur*. Hæc ipſiſſima verba referuntur in Notis ad editionem Romanam τῶν ό præmiſſo Scholion: quare videtur Olympiodorus inde hauſiſſe. Suſpicor enim Scholion illud antiquum eſſe, & margini Bibliorum adſcriptum, dum loca quædam obſcuriora occurrebant. Vide Horat. Lib. I. Satyr. viii. de Priapo, quem ſuperius ad verſ. 45. attulimus.

— *Deus inde ego furum, aviumque*
Maxima formido.

Formido apud profanos eſt etiam linea venatoria, cuius funiculis intextæ erant avium pinnæ ad feras terrendas & coercendas, ut in retia adigerentur. De qua Oppianus Libro IV. Halieut. dum explicat modum quo cervi a venatoribus capiuntur, ita canit:

— Ἐν ξυλόχοισιν ὀρέστεροι ἀγρευτῆρες
Εἷλον ἀναλκείην ἔλαφον εὐαγρέϊ τέχνῃ.
Μηρίνθῳ στέψαντες ἅπαν δρίος· ἀμφὶ δὲ κεῖνον
Ὀρνίθων δήσαντο θοὰ πτερά· ταὶ δ' ὁρόωσαι
Ἠλέματα πτώσσουσι κενὸν φόβον, οὐδὲ πελάσ-
σαι
Μαψιδίως πτερύγεσσιν ἀτυζόμεναι μεμάασιν,
Εἰσόκε θηρητῆρες ἐπαΐξαντες ἕλωσι.

— *In ſilvis montani venatores*
Ceperunt imbellem cervum feliciter venanti arte,
Poſtquam linea coronaſſent totum querceetum, circum autem levium
Avium ligaſſent veloces pennas: hæ vero videntes
Incaſſum trepidant vano metu, neque propinquare
Fruſtra alis territæ audent,
Donec venatores poſtquam irruerint (eas) *ceperint*.

Epictetus alludit ad hanc formidinem, apud Arrianum XI. Diſſert. cap. I. Eius verba referam, quod videam a viro eximio atque de politioribus litteris optime merito in Commentariis ad Senecam haud recte interpuncta, atque ideo minus intellecta. Sic igitur ſe habent: Λοιπὸν ἡμεῖς τὸ τῶν ἐλάφων πάσχομεν, ὅτι φοβοῦνται φεύγουσαι αἱ ἔλαφοι τὰ πτερὰ, ποῦ τρέπονται; καὶ πρὸς τίνα ἀναχωροῦσιν ὡς ἀσφαλῆ; πρὸς τὰ δίκτυα. καὶ οὕτως ἀπόλλυνται, ἐναλλάξασαι τὰ φοβερὰ καὶ τὰ θαρσαλέα. Atque ita vertenda erant: *Ceterum, nos idem quod cervi facimus, dum exterriti fugiunt pennas quo ſe vertunt? & ad quænam ſecedunt, quaſi ſecura? ad ipſa retia, atque ita pereunt, permutantes timenda non timendis*. En alteram interpretationem, ut utramque committas: *Ceterum, nos idem quod*

quod cervi facimus, qui dum exterriti fugiunt pinnas, alio se vertunt, & quasi ad secura loca in ipsa retia concedunt, atque ita pereunt, permutantes timenda non timendis. Ansam huic lapsui præbuit parum considerata vis dictionis πȣ̃, quæ per interrogationem interpretanda fuit, sicuti ex sequentibus patet: Οὕτω ἡ ἡμεῖς πȣ̃ χρώμεθα τῷ φόβῳ; πρὸς τὰ ἀπροαίρετα· ἐν τί τοι πάλιν θαῤῥοῦντες ἀναστρεφόμεθα ὡς ȣ̓δενὸς ὄντος δεινȣ̃, ἐν τοῖς προαιρετικοῖς: *Sic & nos ubi timemus? in iis quæ nostri arbitrii non sunt.* Contra, *quibus in rebus ita nobis fidimus, quasi, nihil sit periculi? in iis, quæ nostræ potestati parent.* Ex accentu quoque manifestum est, πȣ̃ non esse ἀορίςως, seu pro *alicubi*, vel ςοχαςικῶς, seu pro *fortassis* acceptum, quandoquidem circumflexo notetur; sed has minutias, sine quibus tamen magna perfectionem non obtinent, Grammaticis relinquamus. Verba autem Senecæ Lib. de Clementia, cap. XII. sic se habent: *Temperatus timor cohibet animos; assiduus vero & acer, & extrema admonens, in audaciam iacentes excitat, & omnia experiri suadet. Sic feras lineis & pinna clusas contineas, easdem a tergo eques telis incessat: tentabunt fugam, per ipsa quæ fugerant, proculcabuntque formidinem. Acerrima virtus est, quam ultima necessitas extundit.* Idem Lib. II. de Ira, cap. XII. causam appellationis exponit hisce verbis: *Nec ideo iram magnam quisquam putet, quia formidini est: quoniam quædam etiam contemptissima timentur: venena, & ossa mortifera, & morsus. Nec est mirum, cum maximos ferarum greges linea pennis distincta contineat, & in insidias agat: ab ipso effectu dicta formido. Vanis enim vana terrori sunt.* Eamdem appellationis causam adfert Nemesianus Lib. Cyneg.

Linea quin etiam magnos circumdare saltus
Quæ possit, volucresque metu concludere prædas,
Digerat innexas non una ex alite pennas.
Namque ursos, magnosque sues, cervosque fugaces
Terrificant, linique vetant transcendere septum.

V. 71. ET MURICE. Græce, ἡ τῆς μαάρω; ideo aliqui existimarunt legendum in Vulgata, *& marmore.* Falluntur: errorem illos dedoceat Hesychius; dicit enim: Μαρμάραι!, αἱ τῷ ἐρυθροδάνῳ βεβαμμέναι, id est *rubro colore tinctæ.* Μαρμάρμειο, (scribe μαρμάριον) λευκὸν. λαμπρὸν ἄνθος, id est λιαμάρηον, *candidus & splendicans flos*: Μαρμαίροντα λάμποντα, id est μαρμαίροντα significat *splendentem* ex quibus patet, μάρμαρος non tantum significare *marmor*, & secundum Hesychium, λευκὸν λίθον, *album lapidem*, atque apud Septuaginta πάριον, id est *lapidem Parium*, quem Hebræi vocant שש *ses*, quod colore similis sit bysso subtilissimæ & candidissimæ: sed etiam colorem purpuræ quidem similem in rubedine, sed qui maiorem habeat fulgorem, ideoque a purpura distingui. Prophetam vero agere de veste murice infecta, non autem de marmore, patet ex dictione *tineant*, Græce, σηπομένης, *putrescente*: tinea enim & putredo vestes non marmora occupant. Videtur etiam dici *tineant*, quia in Gloss. Cyri *Tiniatum* σητόκοπος, id est a tinea exesum & vitiatum. Isidorus Lib. XII. cap. v. docet, tineam nomen accepisse, *quod teneat & eousque insideat, quo erodat.* *Murex* enim est piscis marinus, ex concharum genere, cuius succo purpura tingitur. Martialis Lib. XIII.

Sanguine de nostro tinctas ingrate lacernas
Induis, & non est hoc satis, esca sumus.

Purpura cum Regum sit, per eam indicari Regnum Gentiles credebant: immo, si aliquid purpurei coloris nasceretur, Regnum præsagiri censebant. Vide Macrob. Lib. III. Saturn. cap. VII. sic Imperium prædictum Albino apud Capitolinum; & Maximino, Antonio Getæ apud Spartianum; Diadumeno & Alexandro Severo apud Lampridium; Aureliano apud Vopiscum. Scriptores sacri hæc omnia in fabulis numerant. Tertullianus Lib. de Habitu mul. *Non placet Deo, quod non ipse produxit, nisi si non potuit purpureas & aerinas oves nasci iubere: si potuit, ergo iam noluit: quod Deus noluit, utique non licet fingi.* Vide Cyprian. de Discipl. & habitu virg. Vocatur *conchylium* per excellentiam. Gloss. *Murices*, κήρυκες, κογχύλια. Ideo & metonymice pro ipsa purpura ponitur: & quia vertigo conchæ in acutum tendit, ideo & acutas quasdam res significat. Servius AEneid. V. ad illud, *Acuto in murice remi*, exponit, *saxi cacumine eminente.* Isidorus Lib. XVI. cap.

cap. III. *Murices petræ in littore similes muricibus vivis, acutissimæ, & navibus perniciosæ*. Ita & *triboli*, *murices* dicuntur, hoc est machinulæ ferreæ, dolosæ, tetragona forma, quæ in quamcumque partem incubuerint, unam, aut plures aculeos infestos protendunt. Valerius Maximus Lib. III. *Suadentibus quibusdam, ut circa mœnia urbis, quam obsideret, ferreos murices spargeret, ne subita eruptione hostes impetum in præsidia nostra facere possent*, &c. Ingeniosa & lepida est allusio Stratonici inter κήρυκα *præconem*, & κήρυκα *tribolum*: ea extat apud Athenæum Lib. VIII. Paucis narrationem constringam, & quibusdam locis medicinam faciam. Stratonicus igitur cum Abdera profectus ad certamen illic statutum, adverteret cives singulos suum κεκτημένον κήρυκα, *possidere præconem*, qui novilunium pro lubitu civis qui proprio sumptu certamen exhibebat, annuntiaret, atque præcones numero fere superare cives, summis unguibus pedetentim defixis in terram oculis per civitatem incedebat; hospitum vero aliquo cum interrogante, quis morbus subitaneus pedes occupasset; hoc, inquit, Τοῖς ὅλοις μὲν ἔῤῥωμαι, *prorsus quidem valeo*, seu *integris*, scilicet pedibus, *quidem valeo*, (Casaubonus haud recte corrigit τοῖς κώλοις, quia etsi κῶλον *membrum* & *pedem* significet, tamen cum ea lectio nullo firmetur Codice, temeritatis est propria auctoritate communem, & quidem meliorem, immutare) *& quovis assentatore ad cœnam celerius excurro; anxius tamen sum, & omnino metuo*, μή ποτ' ἐπιβὰς κήρυκι, τὸν πόδ' ἀναπείρω, *ne calcando* τὸν κήρυκα, *præconem* explico, ob nimiam scilicet præconum in civitate frequentiam, *pedem transfixero*, scilicet *tribolo*, quia κήρυξ *præconem* & *tribolum* significat. Notetur obiter, virtutem illam celebratam Scriptoribus de Echeneide pisciculo, alio nomine *Remora*, convenire etiam generi cuipiam *muricum* & concharum. Plin. Lib. XI. cap. XXV. ait ex Mutiano, *muricem esse latiorem purpura, neque aspero, neque rotundo ore, neque in angulos prodeunte rostro; sed simplice, concha utroque latere sese colligente, quibus inhærentibus, plenam ventis stetisse navem, portantem nuntios a Periandro, ut castrarentur nobiles pueri: conchasque quæ id præstiterint, apud Gnidierum Venerem coli*: idem confirmat Libro XXXI. cap. I. SCIETIS ITAQUE QUIA. Maior erit connexio si legatur *utique*, vel *scietisque*: tum enim connectentur præcedentia, & hic explebuntur. Vel dicendum *itaque* sumi pro *utique*. Græce, *scietis quia*.

Hic finis esto, ad maiorem utinam Dei gloriam, cui soli studia mea dedicata, consecrata volo. Tu vero, ὦ Θεοτόκε προτερυστειοπαρθένε, Te προαγωγὸν, καὶ τὴν τῆς προσφορᾶς ἄρχουσαν præbe, sicuti Te πάροχον eorum quæ hic recte pronuntiata censebuntur agnosco, semperque profitebor.

MALVENDAE.

Vers. I. EXEMPLUM EPISTOLAE, &c. Alii hunc versum reddunt: I. *Exemplum epistolæ, quam Ieremias misit ad captivos Babylonem a Rege Babyloniorum abducendos, ut ipsis exponeret, quæ a Deo mandata habuit*. II. *Exemplum epistolæ, quam misit Iirmeia ad eos, qui agendi erant in Babyloniam a Rege Babyloniorum, renuntians eis quemadmodum mandatum acceperat a Deo*. Certum est hanc epistolam a Ieremia Hebraice conscriptam: nunc autem exemplar eius Græce tantum, a Barucho, vel LXX. Interpretibus conversum extare. Haud vane putant partis huius epistolæ fieri mentionem II. Machabæorum, II. I. sequentibus. Constat Patres huius epistolæ meminisse, & pro divina & canonica Scriptura habuisse: vide Explanatores, & supra ad initium cap. I.

V. 2. USQUE AD GENERATIONES SEPTEM. Iunius: *Id est, decades septem annorum, sive bina lustra: qua quidem significatione in vetere Testamento spondere possumus non accipi generationis vocabulum. Quam ob rem Epistolam hanc, ut alia id genus, adulterinam esse confirmamus, etsi rem & argumentum ducimus non esse inutile*. Os impudens hominis, qui & Patribus & Ecclesiæ obluctari audet! Quale argumentum ut ex singulari una vocis *generationis* acceptione, divinam huius epistolæ auctoritatem infringere audeat! Sed accipe, ut hoc nomen γενεὰ, *generatio*, *ætas*, auctoribus usurpetur. Plutarchus de Oraculorum defectu: *Ætatem viri triginta annos intelligunt de Heracliti sententia, quod tanto tempore natum genitor gignentem præbet*. Eustathius id temporis spatium triginta annis includit, secutus forsan Herodotum

in

in Euterpe dicentem: *Tres generationes virorum centum anni sunt*: Suidas, γενεὰ, ætas, *secundum quosdam quidem continet septem annos. Unde etiam medici dicunt, ante duas ætates venam non esse incidendam: intelligentes illum qui natus est annos quatuordecim, quod sanguine adhuc egeat, & nondum superfluum sanguinem habeat: Secundum vero nonnullos triginta continet; unde etiam volunt Nestorem annos nonaginta natum fuisse. Et Trigeron; quasi dicat: Tersenex, qui tres ætates vixit, hoc est qui nonaginta annos vixit*. Eusebius Lib. X. Præparationis Evangelicæ, cap. III. *Fuerunt autem ab Inacho ad bellum Troianum generationes viginti: quare ante Iliacum bellum quadringentis ad minus annis ipsum fuisse concedendum est*. Vides ut generationem spatio viginti annorum definiat. Qua etiam ratione Herodotus Lib. I. Numero 7. inquit: *Heraclidæ imperium Lydiæ per quingentos & quinque annos, duas & viginti virorum ætates tenuerunt*. Censorinus de die Natali cap. VI. *Hoc enim tempus triginta annorum γενεὰν vocari Heraclitus auctor est, quia orbis ætatis in eo fit spatio: orbem autem vocant ætatis, dum natura humana ad sementem revertitur. Hoc quidem γενεᾶς tempus, alii aliter definiere. Heraclitus annos quinque & viginti scribit dici γενεὰν, Zenon, triginta*. Servius in illud Georgicor. III.

—— *Ubi quarta accesserit ætas*,

inquit; *Quartus annus. Nam ætatem plerumque generaliter dicimus pro anno, pro triginta, pro centum, pro quovis tempore*. Quid igitur mirum Ieremiam hic septem annorum decadas, septem generationes appellasse? Perspicuum enim est eum dixisse, Iudæos septuaginta annos in captivitate futuros, uti prædixerat Ierem. XXV. 11. & 12. & cap. XXIX. 10.

V. 4. VIDETE ERGO NE ET VOS &c. Multifariam hunc versum ex Græco transferunt: I. *Cavete igitur ne similitudine vos ad exterarum gentium mores ritusque conformetis, eorumque deorum metu terreamini*: Sic Ierem. X. 5. II. *Ergo religiose cavete, ne & vos alienigenarum exemplum imitemini, aut metus illorum incesserit vos*. III. *Cavete igitur, ne vos etiam conformati alienigenis conformemini*; vel *ne vos etiam ullo pacto alienigenis conformemini, qui metum essentiant gentibus*.

V. 5. VISA ITAQUE TURBA, &c. Alii: I. *A fronte & a tergo turbam adorantium talia videntes; sed animo dicite: Tibi, Domine, debetur adoratio*. II. *Cum videbitis turbam ante & post eos adorantium eos; sed dicite cogitatione vestra: Te oportet adorare, Domine*.

V. 6. ANGELUS ENIM MEUS, &c. Alii: I. *Nam angelus quidem meus vobiscum est, vestrarum vindex animarum*. II. *Angelus enim meus præsens vobis est, & ipse requirens animas vestras*; id est, curam earum suscipiet, neque iniurias illatas impunitas esse patietur. Sic Psalm. IX. 13. III. *Nam angelus meus*, de quo Exod. XXVII. 20. *vobiscum est, qui idem reposciturus est animas vestras*.

V. 7. NAM LINGUA IPSORUM, &c. Alii hunc versum ex Græco transferunt: I. *Nam lingua istorum ab artifice polita est, ipsaque auro & argento inducta*, seu *obducta sunt: vana vero sunt, & loquendi facultate vacua*. II. *Lingua enim illorum est expolita a fabro, ipsaque idolo deaurata & argentea: sed falsa sunt, cum loqui non possint*.

V. 8. ET SICUT VIRGINI AMANTI ORNATUM, ITA ACCEPTO AURO. Alii: I. *Et sicut virgini ornamentum appetenti aurum sumunt*. II. *Et tamquam virgini aut puellæ ornatum adamanti atque affectanti, ita cultum ornatumque adsciscunt diis suis*: quasi hac pulchritudine venustateque delectentur, studiumque puellarum imitentur. III. *Tamquam virgini cupidæ ornamentorum aurum sumunt*. IV. *Etiam tamquam virgini amanti mundum accipientes aurum*. Est enim φιλόκοσμος, qui mundum hunc creatum amat, & qui mundum muliebrem; quam posteriorem interpretationem magis probant sequentia.

V. 9. FABRICATI SUNT CORONAS, &c. Alii hunc versum ex Græco convertunt: I. *Coronasque conficiunt, quas deorum suorum capiti imponunt: evenit autem aliquando, ut sacerdotes aurum & argentum a suis diis ablatum in se ipsos consumant*. II. *Et coronas concinnant deorum suorum capitibus. Est autem & cum Sacerdotes aurum & argentum a diis suis ablatum, impendant in usum suum*. III. *Comparant coronas, imponuntque capitibus deorum suorum: aliquando vero etiam subducentes sacerdotes a diis suis aurum & argentum, in suos usus consumunt*.

V. 10.

V. 10. DANT AUTEM ET EX IPSO PROSTITUTIS, &c. Hunc versum ex Græco reddunt: I. *Aut etiam meretricibus domesticis impertiant; ipsos rursum deos argenteos, aureos, ligneosque, vestimentis quasi homines exornant.* II. *Indeque tecto latentibus impertiant meretricibus: rursusque deos illos aureos, argenteos & ligneos vestimentis ornent ut homines.* III. *Donantque ex illis etiam meretricibus, quæ sub tecto ipsorum sunt: & ornant deos ipsos argenteos, aureosque ac ligneos, tamquam homines, vestimentis.*

V. 11. HI AUTEM NON LIBERANTUR AB AERUGINE ET TINEA. Alii: I. *Non tamen illi vindicantur ab ærugine aut carie.* II. *Hi autem ab ærugine & tinea ne vendicare quidem se possunt.* III. *Hi autem non servant eos constanter ab ærugine & tineis.*

V. 12. OPERTIS AUTEM ILLIS VESTE PURPUREA, &c. Hunc versum ex Græco exponunt: I. *Quamvis veste purpurea eos induant, eorumque faciem extergant propter pulverem, qui e domo cupiosus super eos excitatur.* II. *Quamvis purpureo sint amicti vestimento, faciesque eorum extergantur a pulvere, qui excitatur e domo, & plurimus ipsis insidet.* III. *Quamvis circumamicti sint indumento purpureo, extergentes faciem eorum propter pulverem ex æde, qui plurimus est in eis.*

V. 13. SCEPTRUM AUTEM HABET UT HOMO, &c. Alii hunc versum reddunt: I. *Hic sceptrum tenet ut rector quispiam regionis, qui tamen peccantem in se non interficit.* II. *Ac habet quidem sceptrum ut iudex aliquis regionis, qui tamen ullum peccantem in se non sublaturus est.* III. *Sceptrum etiam habet in manu ut quidam regionis gubernator, qui tamen in se peccantem non occidit.* Quidam hunc concipiunt sensum: Sceptrum habet falsus deus, ut iudex aliquis parvæ alicuius regionis, hoc est villæ, pagi; seu ut iudex aliquis rusticus & paganus, qui etsi baculum aut virgam quasi sceptrum gestet; neminem tamen capitis damnare potest. Fere tamen accipiunt: Habet idolum sceptrum ut quisque magnæ regionis præses, sed ipsum idolum nullum in se peccantem interficere potest.

V. 14. HABET ETIAM IN MANU GLADIUM &c. Hunc versum ex Græco alii transferunt: I. *Ille pugionem dextera gerit, aut securim, qui seipsum tamen a bello & latronibus non eripiat. Unde liquet illos non esse deos.* II. *Habet quoque gladium in dextera & securim; seipsum vero ex bello & latronibus non eximit; unde perspectum est non esse deos.* III. *Præterea pugionem gestat in dextera atque securim, qui se a bello latronibusque non eripiat: quibus ex rebus facile intelligitur illos non esse deos.*

V. 15. NON ERGO TIMUERITIS EOS, &c. Alii: I. *Ne ergo timueritis eos: quemadmodum enim vas hominis comminutum inutile efficitur, ita istorum dii existunt.* II. *Ergo ne metuatis eos: nam quale vas hominis, quod contritum, redditur inutile, tales sunt & istorum dii.* III. *Ne igitur metuatis ab eis: nam æque ut vas hominis confractum inutile est, eiusmodi sunt illorum dii.*

V. 16. CONSTITUTIS ILLIS IN DOMO, &c. Alii: I. *In ædibus collocati, quorum oculi opplentur obsiti pulvere pedibus ingredientium excitato.* II. *Quorum in ædibus positorum oculi pulvere pedibus ingredientium excitato sunt obsiti.* III. *Cum illic constituti sunt in suis domibus, oculi ipsorum pleni sunt pulvere a pedibus ingredientium.*

V. 17. ET SICUT ALICUI, QUI REGEM OFFENDIT, &c. Alii ex Græco hunc versum convertunt: I. *Et sicut cuipiam, qui regem læsit, vel iniuria affecit, atria circumsepta claudi solent; aut ei, qui ad supplicium capitis ducendus est: ita sacerdotes ædes eorum ostiis, claustris, ac vectibus muniunt, ne a latronibus exspolientur.* II. *Et ut cuipiam, qui regem offenderit, atria circumcludi solent tamquam ad supplicium abducendo: ita sacerdotes ædes eorum muniunt ostiis, claustris, & vectibus ne a furibus compilentur.* III. *Et sicut alicui, qui regem offenderit, circumsepta sunt atria, tamquam in virum qui ad mortem rapiendus est, domos illorum muniunt Sacerdotes ianuis & claustris, & vectibus, ne a latronibus spolientur.*

V. 18. SUNT AUTEM SICUT TRABES IN DOMO. Alii: I. *sed instar trabis cuiuspiam sunt in domo.* II. *est enim profecto idolum quodque tamquam trabs aliqua earum, quæ in æde sunt:* ut Ierem. x. v.

V. 19. CORDA VERO EORUM DICUNT ELINGERE SERPENTES, &c. Alii hunc versum e Græco transferunt: I. *Corda eorum aiunt elingi a natis terra serpentibus, a quibus ipsi eroduntur cum vestimentis suis, nec sentiunt.* II. *Intima vero illorum aiunt elingi terrestribus insectis;* id est, ipsa idola

testantur & loquuntur se facillime quasi fuctu quodam a tenuissimis vermiculis lingi & erodi in partes intimas usque: *comedentia ipsos, & indumentum ipsorum non sentiunt*.

V. 20. NIGRAE FIUNT FACIES EORUM, &c. Alii: I. *Facies eorum nigrescunt fumo in aedibus orto obscurata*. II. *Prae fumo in aedibus orto nigrescunt facies eorum*. III. *Atrantur facie sua ex fumo, qui ab aede est*.

V. 24. EX OMNI PRETIO EMPTA SUNT, IN QUIBUS SPIRITUS NON EST IN IPSIS. Alii: I. *Summoque empti pretio, spiritu tamen sunt vacui*. II. *Omni pretio empta sunt ea, quibus non inest spiritus*; quasi dicat: Cum mortua & insensibilia sint, quovis tamen pretio etiam carissimo a suis cultoribus comparantur. Sic Ierem. X. 14.

V. 25. SINE PEDIBUS IN HUMERIS, &c. Alii hunc versum efferunt: I. *Pedibus destituti portantur humeris hominum suam ipsorum ignominiam hominibus ostentantes: cultores etiam illorum pudore afficiuntur*. II. *Inopia pedum gestantur humeris, suam ipsorum ignominiam significantes hominibus*. III. *Carentes pedibus, humeris feruntur, demonstrantes suam ipsorum ignominiam hominibus*. Sic Ierem. X. 5.

V. 26. PROPTEREA SI CECIDERINT IN TERRAM, &c. Quidam hunc versum ex Graeco reddunt: I. *Ne si forte aliquod eorum in terram ceciderit, resurgere non queat: aut si rectum fuerit, se ipsum commovere, aut inclinatum, seipsum erigere non possit: plane tamquam mortuis donaria ipsis apponuntur*. Alii postremum membrum superioris versus huic annectunt. II. *Erubescere etiam oportet cultores talium, cum numquam, si ceciderint, per se queant resurgere, neque si quis erexerit illa, moveri per se ipsa, neque inclinata, se umquam erigere; sed donaria tamquam mortuis apponantur*. III. *Pudore etiam urgentur, qui ministrant eis, quia si quando in terram ceciderit, non exurgit per se, neque si quis eum erectum statuerit, movetur per se, neque si inclinatus fuerit, umquam erigitur: sed tamquam mortuis palmas eis ad hibent*; id est, manus, synecdochice, ad erigenda idola collapsa: hanc enim propriam esse significationem δῶρα fatentur Graeci, & Plinius Lib. XXXV. cap. XIV. & Vitruvius Lib. II. cap. III.

V. 27. SIMILITER ET MULIERES EORUM DECERPENTES. Alii: I. *eodem quoque modo mulieres ab eisdem*, scilicet donariis rebusque oblatis, *in penum recondentes atque asservantes*. II. *similiterque & mulieres penum curantes inde*. III. *similiterque etiam mulieres ex eis salsamenta facientes*; nempe ut condita sibi asservent ea, quae in egentes fuissent eroganda.

V. 28. DE SACRIFICIIS EORUM FOETAE ET MENSTRUATAE CONTINGUNT. Alii: *sacrificia eorum, quae ex menstibus laborat, & puerpera contingunt*: quod impurum & indecens per se videtur. Hic noster *foetas*, non pro gravidis aut praegnantibus, sed pro partu levatis, seu puerperis accepit. Genes. XXXIII. 13.

V. 29. UNDE ENIM VOCANTUR DII? &c. Alii hunc versum ex Graeco reddunt: I. *Nam unde vocentur dii? An quia mulieres ad deos aureos, argenteos, & ligneos donaria deponunt?* II. *Unde enim vocarentur dii? scilicet, quia mulieres offerunt diis argenteis, aureisque, & ligneis?*

V. 30. ET IN DOMIBUS EORUM SACERDOTES SEDENT, HABENTES TUNICAS SCISSAS, ET CAPITA ET BARBAM RASAM. Quod sane indecorum & turpe videtur in cultu religioso: ob idque Deus suis Hebraeis prohibuerat Levit. X. 6. & cap. XXI. 10. QUORUM CAPITA NUDA SUNT. Equidem Romanis usu receptum, ut diis sacrificantes, praeterquam Saturno, capite obtecto & obvelato essent, reverentia numinum, auctor Plutarchus in Quaestionibus Romanis, cap. X. & XI. Macrobius III. Saturnalior. cap. VI. haec annotat: *Cornelius Balbus Exegeticon Lib. XVIII. ita ait: Apud Aram maximam observatum, ne lectisternium fiat. Custoditur in eodem loco, ut omnes aperto capite sacra faciant. Hoc fit, ne quis in aede Dei habitum eius imitetur: nam ibi operto ipse capite est. Varro ait Graecum hunc esse morem: quia sive ipse Hercules, sive ab eo relicti, qui aram maximam statuerunt, Graeco ritu sacrificaverunt. Hoc amplius addidit C. Bassus. Icirco enim hoc fieri dicit, quia Ara maxima ante adventum AEneae in Italia constituta est, qui hunc ritum velandi capitis invenit*. Et sane Romani Pontifices olim velato capite exprimebantur in nummis & lapidibus: de quo vide Iacobum Gutherium Lib. I. de veteri Iure Pontificio, cap. XXIX.

Sa-

Sane morem illum sacrificandi velato capite mirifice tangit Virgilius AEneidos III.

---- *Purpureo velare comas adopertus amictu*.

Vide ibi Servium.

V. 31. RUGIUNT AUTEM CLAMANTES CONTRA DEOS SUOS, SICUT IN COENA MORTUI. Alii: I. *Coramque diis suis tamquam in ferali cœna vociferando rugiunt*. II. *Rugiuntque clamantes coram diis suis, ut quidam solent in epulo ad mortuum facto*; nempe unica voce, *silicernio*: de qua vide Ierem. XVI. 7. sed cum duplex esset silicernium, alterum, quod ipsis mortuis exhibebatur, alterum quod vivis, in honorem tamen mortuorum, dabatur; dubium est, in quo rugiebant & clamabant cœnantes, ut hic dicitur. De priore S. Epiphanius in Anchorato, de Græcorum seu Gentilium consuetudine: *At vero Græci rursus redarguuntur, resurrectionem in totum negantes, deferentes in monumenta cibos & potus. Nam ubi posita sunt corpora defunctorum, accedunt & inclamant, nomina proferentes sepultorum mortuorum, Resurge, dicentes, tu comede & bibe, & lætare*. De posteriore, forte alludit ad ultimum *vale* quod peracto funere, discessuri ter in defunctum inclamabant; de quo ritu vide Kirchmannum Lib. III. de Funeribus Romanorum, cap. IX. vel ad querelas, & convicia, & maledicta, quæ in funere in deos iaciebant, de quo more idem Kirchmannus Lib. II. cap. XII. ut hic περίδειπνος, synecdochice ponatur pro apparatu funebri.

V. 32. VESTIMENTA EORUM AUFERUNT SACERDOTES, &c. Alii: *Ex indumento eorum ablato sacerdotes vestiunt uxores suas & liberos*.

V. 33. NEQUE SI QUID MALI, &c. Alii: I. *Neque si malum acceperint a quopiam, aut beneficium, illi possunt rependere: neque dare regnum cuiquam aut abrogare queunt*. II. *Neque si malum perficiatur ab ullo; neque si bonum, possunt reddere: neque constituere regem possunt, tollere*, seu *regnum abdicare*.

V. 34. SIMILITER NEQUE DARE DIVITIAS, &c. Alii: I. *Neque item divitias aut æs umquam valent tribuere: quod si quis votum nuncuparit ipsis, nec reddiderit, haudquaquam id exposcerent*, vel *illud quidem numquam requirent*. II. *Similiter neque divitias, neque æs ullo pacto possunt dare: si quis ubi votum voverit eis, non præstiterit, minime reposcituri sunt*.

V. 35. HOMINEM A MORTE NON LIBERANT, &c. Alii: I. *Hominem a morte non vindicarint, nec infirmiorem liberarint a potentiore*. II. *Ex morte quemquam minime liberant, neque inferiorem a potentiore umquam eripiunt*. III. *Periculo mortis hominem numquam liberabunt, neque imbecillum a potentiore eripient*.

V. 36. HOMINEM CAECUM AD VISUM, &c. Alii: I. *Non restituerint homini cæco visum, in necessitate constitutum nequaquam eripuerint*. II. *Hominem cæcum ad visum minime revocant, versantem in necessitate hominem minime eximunt*.

V. 37. VIDUAE NON MISEREBUNTUR, &c. Alii: I. *Non miserti fuerint viduæ, pupillo beneficium non dederint*. II. *Viduæ non miserentur, neque orphano benefaciunt*, vel *in pupillum nullum beneficium conferent*.

V. 38. LAPIDIBUS DE MONTE, &c. Alii: I. *Lapidibus e monte petitis similia sunt ista lignea, & aurata, & argentata: qui vero colunt ea, dedecus concipient*. II. *Lapidibus erutis e monte similia sunt ista lignea, aurata, argentataque idola: qui vero ea colunt, pudore afficientur*. III. *Erutis e monte lapidibus dii similes sunt, idola lignea, & deaurata, & argentea: & qui ministrant eis, pudorem consequentur*.

V. 40. ADHUC ENIM IPSIS CHALDAEIS, &c. Diversimode hunc versum ex Græcis reddunt: I. *Cum ipsi quoque Chaldæi dedecus illis concilient, qui, si viderint mutum loquendi facultate destitutum, adhibito Belo*, vel *admonentes Belum*, seu *admoto Belo, postulant ut loquatur*. II. *Cum ipsi quoque Chaldæi prodant horum ignominiam: qui, ubi mutum viderint sermonis usu carentem, offerentes Belo, ut loquatur, postulant*. III. *Quin etiam ipsi quoque Chaldæi ignominia afficiunt ea, quando viderunt mutum non valentem loqui, ad Belum adducentes, petunt ut loquatur*; id est, adducentes eum ad summum deorum suorum Belum, de quo Isaiæ XLVI. 1. quasi dicat: Cum dii minorum gentium curare non possunt, recurrunt ad eum, qui in summa apud Assyrios & Babylonios existimatione est.

V. 41. QUASI POSSINT SENTIRE, &c.

Græ-

Græca hoc versu variant: I. *Quasi ille sensu sit præditus: non tamen possunt re perpensa missa facere talia, ut quæ sensu careant.* II. *Quasi ille* Belus *ullum sensum habeat: atque hæc, cum ipsi animadvertant, non tamen possunt missa facere, ut sensu quoque ipsi careant.* Græce ad verbum: *sensum enim non habent.* Hoc quidam ad idola referunt: sed aptius alii ad eorum cultores: ut Ierem. x. 8. & Isa. xliv. 19. III. *Tamquam posset illud esse*, scilicet quod Belus curet mutum: *nec possunt ipsi percipientes mente relinquere illa: nam sensu carent ipsi.*

V. 42. Mulieres autem circumdatae funibus, &c. Impudicum hunc Babylonicarum mulierum ritum, quem duobus his versibus describit Baruch, præter Explanatores, alii non pauci peculiaribus etiam editis tractatibus conati sunt ex Herodoto & Strabone elucidare. Sed nos cum cura breviter expediemus. *Mulieres autem circumdatæ funibus*, seu *funiculis*, *&c.* Herodotus Lib. I. Numero 199. *Ad templum Veneris sedent nodis corollisque tempora revinctæ multæ mulieres, e quibus aliæ accedunt, aliæ discedunt.* Strabo Lib. XVI. pag 745. *Omnibus Babyloniorum mulieribus non est, ex quodam oraculo apud quoddam Veneris fanum cum hospite corpus miscere: cum turba & cultu plurimo ad illud veniunt, quælibet thominge*, id est *funiculo coronatur*. Aut est illud quod Herodotus addit: *Nam diverticula undecumque sic funiculis distincta aditum præbent externis ad mulieres illas, quam cuique libuerit, deligendum.* Iunius reddit: *Mulieres vero cinctæ funiculis: e iunco, ut vox Græca indicat;* quia duplicem usum præstabat meretricibus: alter est, quod ex iunco faciebant fucum seu unguentum, & callopismata, id est exquisitos cultus & ornamenta, seu munditias, unde schœniculæ Latinis priscis dicebantur: alter vero, quod illa præcinctione artem suam profitebantur, & facilitatem solvendæ zonæ, vel celli suæ ac potius frangendæ ostendebant. Mira argutia! De Schœniculis meretricibus vide Varronem Lib. VI. de lingua Latina, cap. III. & Festum, & Iosephi Scaligeri Commentaria in utrumque. Succendentes ossa olivarum. Alii: I. *dolentes furfures*, sive farinæ excrementa seu purgamenta, quæ meretrices diis suis adolebant, hunc furfuraceum odorem illis suavissimum esse existimantes: dignum talibus diis incensum. II. Iunius: *accendentes acus eorum*, id est, *glumam*, *paleas*, *&* *quisquilias minutas iunci*, *ex quo sibi funiculos faciebant*, *quas ad præcinctionem suam videbant ineptas esse*, *aut ex virili iunco inter conferendum decidere: quod genus Latini veteres titivillitium nominabant.* Levis & futilis expositio. Fulgentius, de Prisco sermone: *Titivillitium dici voluerunt fila putrida, quæ de telis cadunt.* Festus: *Titivillitium nullius significationis est, ut apud Græcos Blityri, & Scindapsos. Plautus: Non ego istud verbum empsitem titivillitio.* Ceterum *Pityra* esse quoque ossa olivarum, seu surfures olivarum, aut surfuraceas seu contusas olivas, ostendunt ex Athenæo Lib. II. Deipnosophistarum, cap. xv. ubi inquit: *Philemon scribit miscellas & improbas olivas*, vel ut alii ex Græco legunt, *contritas* seu *contusas olivas pityridas nuncupari. Callimachus in Hecate, olivarum genera recenset gergirimon, & pityrin.* Beroaldus apud Columellam *pityrin* interpretatur *olivæ ossiculum*. Columella *sansam*, sive, ut quidam codices habent, *Sampsam*, vel *samsam* nuncupat. Qua voce hodieque in Catalonia officula olivarum contusa, quæ remanent expresso oleo, vocantur: quæ Valentini appellant *pinol*. Fuit forte muliebris philtri, seu amatorii veneficii ritus, quasi illa Pharmaceutria, quam Theocritus & Virgilius describunt, edere solebat. Virgilius Ecloga VIII.

Verbenasque adole pingues, & mascula tura.

Ubi Servius: *Verbenæ dicuntur virgulta, quæ semper virent iucundi odoris. Alii, verbenas virgulta religioni apta. Alii proprie olivarum ramos: nam ideo & pingues ait, quamvis hoc & de palma & de lauro dici possit. Alii rorem marinum dicunt: omnia tamen hæc a viriditate verbenæ dicuntur.* Et postea idem Maro:

---- & fragiles incende bitumine lauros.

Sed Theocritus Eidullio II. Simetam Daphnidis amore captam, veneficiis magicis operantem inducit: *Nunc sacrificabo pityra*, id est, vel *surfures*, vel *ossa olivarum*. Quod genus veneficii se Pharmaceutria ab Assyrio hospite didicisse affirmat: quod huic loco Baruchi adamussim congruit. Eiusmodi enim in amatoriis Philtris accendi solebant.

V. 43. CUM AUTEM ALIQUA, &c. Alii hunc versum ex Græco exponunt: I. *Ac cum quæpiam ipsa ab aliquo prætereunte ad stupri consuetudinem adducta, attractaque fuerit, alteri exprobrat, quod non digna, sicut ipsa, habita fuit, nec funiculus eius fuerit diruptus*. II. *Cumque quæpiam ipsarum ab aliquo prætereuntium attracta, compressaque fuerit, alteri exprobrat, quod non eam, quam ipsa, dignationem consecuta sit, nec funiculus eius fuerit diruptus*. III. *Sed quando aliqua illarum abstracta ab aliquo uno ex transeuntibus compressa fuerit, propinquam*, seu *proximam probro afficit, quod non fuerit appetita, sicut ipsa fuit, neque funiculus eius disruptus fuerit*. Hunc versum mirifice illustrat Herodoti narratio, quam totam subiicio. *Una iisdem Babyloniis lex est omnibus modis fœda, nempe omnibus mulieribus indigenis commune est, semel in vita ad Veneris templum desidentibus, cum externis viris consuetudinem habere. Ceterum, cum pleræque sint divitiis tumentes, quæ sui copiam facere recusant, hæ vehiculis cameratis vectæ, pro templo consistunt, relicta interim a tergo magna famulitii turba. Pleræque etiam hunc in modum faciunt: Ad templum Veneris sedent nodis, corollisque tempora revinctæ multæ mulieres, e quibus aliæ accedunt, aliæ discedunt. Nam diverticula undequaque sic funiculis distinguunt, ut aditum præbeant externis ad mulieres illas, quam cuique libuerit, deligendum. Porro cum semel illic consederint, non prius domum regrediuntur, quam hospitum aliquis pecuniam mulieri in sinum iniecerit, & cum eadem a fano sursum abducta rem habuerit. Hospitem autem illum, qui pecuniam obtulit, dicere oportet: Ego tibi deam Mylittam imploro. Mylittam enim Assyrii Venerem appellant. At vero pecuniam illam, quantulacumque sit, non fas est reiicere siquidem in sacrum convertitur usum. Neque mulieri etiam permittitur hospitem aliquem repudiare: sed quicumque is est, qui pecuniam obiecerit primus, hunc illa sequitur citra delectum. Postremo, ubi iam congressa fuerit cum externo mulier, dea expiata, domum revertitur. Ac deinde nihil tam magnum est, quo dato potiri illis possis. Iam, quæ forma sunt elegantiores, citius discedunt: quæ vero deformes, diutius coguntur desidere pro templo, antequam legi faciant satis. Fitque interdum, ut uno atque altero anno, aut etiam triennio, atque diutius expectare oporteat miseras. Alicubi, nempe in Cypro, similis quædam lex est*. Hactenus Herodotus: ex quo brevius Strabo: *Omnibus Babyloniorum mulieribus mos est, ex quodam oraculo, apud quoddam Veneris fanum cum hospite corpus miscere, cum turba & cultu plurimo ad illud veniunt, quælibet funiculo coronatur: qui vero ad eam admittitur, posito super genibus eius argento quantum convenire videtur, init eam longe a fano abductam: id argentum Veneri sacrum est*.

V. 47. RELIQUERUNT AUTEM FALSA, ET OPPROBRIUM POSTEA FUTURIS. Alii: I. *Reliquerunt enim vana, & opprobria futuris hominibus*; id est, res vanas ac fallaces, dignasque confusione & dedecore. II. *Etenim mendacium posteris, opprobriumque reliquerunt*. III. *Reliquerunt enim mendacia & opprobria iis, qui adsunt ad ipsa*.

V. 48. NAM CUM SUPERVENERIT ILLIS &c. Alii: I. *Nam ubi bellum ipsis, malaque ingruerint, consultant apud se sacerdotes, quonam se abdant cum illis*. II. *Nam cum supervenerit eis bellum & mala, ineunt consilium de eis sacerdotes, ubi simul absconderentur cum eis*.

V. 49. QUOMODO ERGO SENTIRI DEBEANT QUONIAM DII SUNT? Alii: I. *Quid est igitur, cur non existimemus eos nullo modo esse deos?* II. *Quid igitur vetat, quod dii non sint, intelligere?* III. *Quomodo igitur non potest ex sensu cognosci hos non esse deos?*

V. 50. NAM CUM SINT LIGNEA, &c. Alii hunc versum ex Græco reddunt: I. *Quæ sunt lignea, & deaurata atque argentata, hæc cognoscentur postea a gentibus omnibus esse falsa, regibusque manifestum erit non esse Deos, sed opera manuum humanarum, nec ullum Dei opus inesse eis*. II. *Nam lignea cum sint auro argentoque inducta, falsa esse posthac palam erit, liquidoque constabit gentibus omnibus ac regibus non esse deos, sed opera manuum humanarum, quibus nihil insit divini*. III. *Nam lignea cum sint, & auro argentoque obducta, ea falsa esse posthac facile intelligetur: omnibus gentibus ac regibus notum erit non esse deos, sed opera manibus hominum effecta, nec ullum Dei opus in his esse*.

V. 51. UNDE ERGO NOTUM EST QUIA NON SUNT DII? Alii: I. *Quare igitur cognoscetur quod non sunt dii?* II. *Quis nesciat*

sciat non esse deos illos? III. *Qua igitur re cognoscendum est non esse deos*. Græca ex verbo *: Cui igitur cognoscendum est, quod non sunt dii?* quasi dicat *:* Nullus restat, cui id sit cognoscendum, omnes norunt: vel, quis tam hebes, qui id non cognoscat, ut sit edocendus?

V. 52. REGEM REGIONI NON SUSCITANT: vel a mortuis, vel imponunt. Alii *:* I. *Neque enim regem regioni alicui præficient*. II. *Nam regem minime instituunt regioni*, III. *Neque enim crearint regioni regem*, seu constituent.

V. 53. IUDICIUM QUOQUE NON DISCERNENT &c. Alii hunc versum e Græco reddunt: I. *Nec iudicium inter eos constituent, nec, cum sint imbecilles, iniuriam propulsabunt: sunt enim quasi corniculæ inter cælum & terram pendentes*. II. *Iudicium inter eos non exercuerint, nec iniuriam propulsarint imbelles: cornicibus enim inter cælum & terram pendentibus, sive volantibus sunt similes*. III. *Iudiciumque minime faciunt illorum, neque liberant ab iniuria, ut qui impotentes sunt: sunt enim quasi corniculæ inter cælum & terram, quæ sunt aves infirmissimæ, ac serviunt vanis captandis auguriis, suntque inauspicatæ*.

V. 56. QUIBUS HI, QUI FORTIORES SUNT, AURUM ET ARGENTUM, &c. Alii hunc versum e Græco convertunt*:* I. *Cum illi istis potentiores, aurum, argentum, vestitumque, quo sunt amicti, ablatum habentes secum abeant: nec isti sibi ipsis opem ferant*. III. *Cum potentiores ipsis, aurum, argentum, & vestitum, quo sunt amicti, ablatum gerentes, abeant: nec illi opem sibi ferant*. III. *Quorum illi valentiores ipsis detrahunt aurum & argentum, & indumentum, quod circumstat eos; & habentes discedunt cum illi ne seipsos adiuverint*.

V. 58. ITAQUE MELIUS EST, &c. Alii hunc versum reddunt: I. *Potior itaque est rex suam declarans fortitudinem, aut vas in domo utile, quod domino sit usui, quam falsi, fictique dii: potior domus ianua, quæ in ea sunt, custodiens, aut columna lignea regiarum, quam dii falsi*. II. *Potior itaque rex est probans suam potentiam, aut in domo vas utile, quod Domino sit usui, quam dii falsi: potior ianua domus, quæ in ea sunt, custodiens, quam dii falsi: potiores & columnæ ligneæ regiarum, quam dii falsi*. III. *Itaque præstat esse regem, qui ostendat suam ipsius fortitudinem, aut instrumentum domui utile, quo utatur possessor, quam falsos deos; aut ligneam columnam esse in basilicis, quam falso deos*.

V. 59. SOL QUIDEM ET LUNA, &c. Alii*:* I. *Nam sol quidem & luna, astraque splendentia, cum emittuntur ad usus necessarios, facile parent*. II. *Nam sol quidem & luna, & astra, quæ splendida sunt, cum mittuntur ad usum suum, optime auscultant*.

V. 60. SIMILITER ET FULGUR, &c. Alii: I. *Similiterque fulgur, cum apparet, perspicuum est; & ipse ventus regionem totam perspirat*. II. *Similiter & fulgur, cum emicat, perspicuum est; eodem modo ventus regionem omnem perflat*.

V. 62. & 63. IGNIS ETIAM MISSUS DESUPER, &c. Alii *:* I. *Et ignis demissus superne ad desolandum montes & silvas, facit quod imperatum est*. II. *Ignis quoque ad montes, arbustaque consumenda desuper demissus, iussa perficit*. HAEC AUTEM NEQUE SPECIEBUS, &c. Alii hunc versum e Græco transferunt*:* I. *Hæc vero nec formis nec potentiis*, aut *facultatibus eis sunt similia*; vel *hæc vero idola nullam neque formam, nec vim habent, ut illis* soli, lunæ, astris, nubibus, fulguri, igni, *similia videantur:* sunt enim idola stolida & inutilia, omni forma naturali, & facultate efficaci cassa*: ex quo dii nec habendi sunt, neque appellandi, cum nec iudicium exercere possint, nec ullum in homines beneficium conferre*. II. *Ista vero* idola *nec formis, nec viribus suis sunt his similia: unde nec dicendum illos esse deos, qui nec iudicium exercere, nec beneficium dare queant hominibus*. III. *Ista autem ne formis quidem facultatibus suis conformata sunt:* id est, nec formæ istorum idolorum facultatibus eorum respondent*: quamobrem nec putandum, nec prædicandum est istos esse deos, cum non possint isti neque iudicium facere, neque benefacere hominibus*.

V. 65. NEQUE ENIM REGIBUS MALEDICENT, NEQUE BENEDICENT. Alii: *Siquidem reges nec felices reddiderint, nec infelices*.

V. 66. SIGNA ETIAM IN CAELO, &c. Alii: I. *signaque apud gentes in cælo minime ostensuri sunt, neque ut sol lucebunt, neque lumen præbebunt ut luna*. II. *signa gentibus in cælo non ediderint, non fulserint instar solis, nec ut luna luxerint*.

V. 67. Bestiae meliores sunt illis, &c. Alii: I. *Bestiæ præstantiores sunt illis, quæ sub tectum fugiendo sibi prodesse possunt.* II. *Bestiæ ipsæ meliores sunt eis, quæ fugientes in specum possunt sibi ipsis prodesse.*

V. 68. Nullo itaque modo, &c. Alii: I. *Nullo itaque modo deos esse liquet nobis, quapropter ne metuatis illos.* II. *Igitur manifestum est nobis, nullo pacto esse deos:* ut sit traiectio; *quapropter ne metuatis illos.*

V. 69. Nam sicut in cucumerario, &c. Hunc versum alii ex Græco explanant: I. *Nam, quod est in cucumerario terriculamentum*, seu *terriculum nihil defendens*; id est, imago ex centonibus, aut aliquid eiusmodi ad territandas aves, quæ vita & sensu caret; & quamvis aves arceat, at non fures: *hoc dii sunt istorum lignei, aurati, & argentati, instar spinæ hortensis, cui quævis insidet avicula.* II. Iunius: *Nam quemadmodum in cucumerario pudenda statua nihil observans: ita sunt dii illorum lignei, & deaurati, & argentati eodem modo, & quemadmodum in horto rhamnus, cui avis quælibet insidet.* Græca, inquit, vox προβασκάνι vel προβασκανιον, nihil aliud sonat quam rubrum hortorum deum, ut vocat Horatius, nempe Priapum: nam infamis illa statua præferebat pudenda amplissima, quæ Græci appellant βάσκανος: quamobrem nos rem infamem attigimus casta appellatione: alioqui προβασκάνιον, si iustam vocis notationem spectes, illud sonat, quod Festus appellat *præfiscine*, vel *præfiscini*, alii *amuleta* ab amoliendo fascina. De Priapo vide plura apud Lilium Gyraldum Syntagmate VIII. de diis gentium: de Præfiscine adito Festum in *Prospera*, & Notas Iosephi Scaligeri in eum locum, & Marci Varronis Lib. VI. de Lingua Latina, cap. v. Nos ex proprietate Græci nominis *fascinum* diximus, id est amuletum ad amoliendas & avertendas fascinationes, quod in modum membri virilis antiqui efformabant, & deum esse volebant. M. Varro Lib. VI. de Lingua Latina cap. v. *Pueris turpicula res, scilicet veretrum, in collo quædam suspenditur, ne quid obsit bonæ scævæ causa.* Plinius Lib. XXVIII. cap. iv. *Fascinus, Imperatorum quoque, non solum infantium custos, qui deus inter sacra Romana a Vestalibus colitur, & currus triumphantium subtus spendens defendit medicus invidiæ.* Vide Cælium Lib. IV. Lectionum Antiquarum, cap. vi. & Turnebum Lib. IX. Adversariorum, cap. xxviii. Sed quod proprie ad hunc Baruchi locum spectat, Plinius Lib. XIX. cap. iv. *Hortosque & fores tantum contra invidentium fascinationes dicari videmus: in rimedio Satyrica signa:* alias *Saturnia*, ut Priapi *quamquam hortos tutelæ Veneris assignante Plauto.* Vide in hunc locum Notas Iacobi Dalecampii. Porro Phallum, seu Priapum, aut Fascinum apponi solitum in hortis tamquam custodem, & amuletum ad averruncandas fascinationes, notissimum est: vide Gyraldum Syntagmate VIII. in Priapo.

V. 71. A purpura quoque, &c. Alii hunc versum ex Græco reddunt: I. *A purpura denique, & splendore marcescente in ipsis, deos non esse cognoscatis: nam ipsi quoque tandem consumentur, & dedecus afferent regioni.* II. *Quæ non esse deos cognituri estis a purpura & splendore, qui inerat illis, putrescente; & eo quod ipsa postea exeduntur: itaque sunt probro regioni suæ.* Et murice. Græce: & μαρμάρῳ, *marmore*, qui lapis Græcis sic dictus a candicante & splendente colore. Qua ratione Nostri plerique olim exemplaria habebant: Romani Correctores substituerunt *muricem*.

V. 72. Melior est homo iustus, &c. Alii: I. *Præstat igitur homo integer, qui caret simulacris*; id est, qui non colit idola: *nam ab ignominia procul aberit.* II. *Itaque melior est homo iustus non habens idola: nam procul a probro futurus est.* Nam idola nihil nisi probrum & pudendam ignominiam afferunt credentibus suis.

Valentiæ II. Februarii 1628. Natali meo 62. intermissa plus mense scriptione ob intoleranda frigora, & alias occupationes.

MENOCHII.

Vers. 1. EXEMPLAR EPISTOLAE, &c. Ieremias Iudæis captivis per Nabuzardan collectis, in Babylonem, iamiam ituris, hanc dedit epistolam, qua eos dehortatur, ne Chaldæorum idola sequantur.

V. 2. Usque ad generationes septem. Vox Græca γενεὰ *generatio* spatium significat decem annorum; septuaginta enim annos tenuit captivitas Babylonica. Cum pace; pacifice, & prospere.

V. 3.

V. 3. OSTENTANTES METUM GENTIBUS: ad incutiendam hominibus religionem, & sacrum quemdam metum, ac reverentiam.

V. 4. FACTIS ALIENIS, id est Chaldæorum idololatriæ participes efficiamini.

V. 5. ADORANTES, idola: turbam Chaldæorum intelligit.

V. 6. ANGELUS ENIM MEUS, &c. quasi dicat: Non debetis timere hoc facere propter Chaldæos; Angelus enim meus vos ab illis defendet. Intelligit Angelum Michaelem custodem & præsidem Hebræorum: vide Daniel. XII. 1. EXQUIRAM ANIMAS VESTRAS: vindex vester ero: ulciscar mortem vestram, si quis eam vobis intulerit.

V. 8. ET SICUT VIRGINI, &c. id est, tanto studio ea vestiunt, & ornant auro, quanto ea vestient, si virgo aliqua esset, quæ ornatum amaret. AURO ACCEPTO, &c. Chaldæi aurum accipientes ornamenta cudunt.

V. 9. UNDE SUBTRAHUNT, &c. auferunt, ut in suos usus convertant; ex quo probat deos non esse, qui patiantur sua sibi ornamenta eripi.

V. 10. EX IPSO: auro, quod detraxerunt idolis. PROSTITUTIS, meretricibus.

V. 11. HI AUTEM, dii gentium, idola.

V. 13. SCEPTRUM HABET, idolum. NON INTERFECIT: ulcisci non potest in se peccantes.

V. 14. A LATRONIBUS, ipsa idola spoliantibus.

V. 16. A PEDIBUS INTROEUNTIUM, excitato.

V. 17. CIRCUMSEPTAE SUNT IANUAE, id est sicut læsæ maiestatis reus in carcere clausus custoditur. AUT SICUT AD SEPULCRUM, &c Sicut cadaver mortuum cum ad sepulcrum adducitur, tutari solent custodes, ne pretiosis ornamentis spolietur. In Græco est ὡς ἐπὶ θανάτῳ ἀπηγμένῳ, *sicut ad mortem abducto*; id est, sicut homo ad mortem damnatur, ita dii illorum in templis, quasi in carceribus a sacerdotibus custodiuntur, ne quis eos spoliet.

V. 18. SICUT TRABES; id est, sunt enim ligna, & stipites, qui lumen videre non possunt.

V. 19. CORDA VERO EORUM, &c. Aliqua enim idola erant interius terrea, vel ex alia fragili materia, exterius vero erant ænea, vel aurea, & sic serpentes, qui terra comedunt, comedebant corda, id est interiora horum deorum. Potest etiam per cor eorum intelligi medulla ligni, ex quo facti sunt, quam vermes erodunt.

V. 21. CATTAE: catti, feles, Græce enim est αἴλουροι. EX OMNI PRETIO EMPTA SUNT, id est carissimo pretio empta sunt, & tamen carent spiritu. IN IPSIS: relativum redundans more Hebræorum.

V. 25. IGNOBILITATEM SUAM, infirmitatem suam.

V. 26. SICUT MORTUIS, &c. *quasi appositiones epularum circumpositæ sepulcro*, ut dicitur Eccles. XXX. 18. solebant enim veteres Hebræi sepulcris cibos imponere, ut cederent in usum pauperum, quorum orationes pro defunctis expetebant; sensus ergo, ut epulis sepulcris impositis mortui non vescuntur; sic nec idola oblationibus, aut sacrificiis, aut placentis quæ illis exhibentur.

V. 27. DECERPENTES: ex donis idolis oblatis; in Græco est ταριχεύουσαι; id est, quæ consumere non possunt, sale inspergunt, & condiunt, ut alio tempore absumant, vel vendant.

V. 28. FOETAE, ET MENSTRUATAE: puerperæ, & menstruum sanguis fluxum patientes, quæ, quia immundæ arcentur templo, & sacris, Levitic. XII. 4. & XV. 19. licet enim hac lege Iudæorum gentiles non obligarentur, tamen hoc Iudæi abominabile esse existimabant.

V. 28. APPONUNT, dona, anathemata suspendunt.

V. 30. IN DOMIBUS EORUM, templis idolorum. TUNICIS SCISSIS, id est præ se ferentes habitum lugentium, quod Hebræorum sacerdotibus prohibitum erat, Levit. X. 6. & XXI. 5. 10. solebant autem antiqui in luctu vestes discindere, barbam, & capillum radere.

V. 31. CONTRA DEOS SUOS: coram diis suis. SICUT IN COENA MORTUI; id est, sicut solent audiri lugubres clamores, & gemitus in cœna funerea alicuius mortui, vel propinquis mortuorum, vel præficis mercede conductis clamantibus.

V. 32. EORUM, idolorum. REGEM CONSTITUERE: quod Dei est proprium, Iob XII. 18. *Baltheum regum dissolvit, & præcingit fune renes eorum.* Et Daniel. IV. 14. *Dominatur excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit, dabit illud.*

V. 34. Neque hoc requirunt: non expostulant, non ulciscuntur.

V. 40. Adhuc enim ipsis Chaldaeis, &c. quasi dicat: Præsertim cum etiam ipsi Chaldæi contemnant idola sua; cum enim muto loquelam petunt a Belo idolo pariter muto, nec impetrant, sua idola contemptui habent.

V. 41. Cum intellexerint, se frustra ab idolo postulare muto loquendi facultatem.

V. 42. Mulieres autem circumdatae funibus, &c. Alii aliter hunc locum interpretantur; probabilior videtur eorum explicatio, qui aiunt has mulieres funiculo corpus vincere solitas, ut significarent se virgines, & Veneris religione, & amore captas detineri: hocque signo quasi Veneri sacras, primo obvio sui copiam facere, & petere, ut funem solvat, & nefaria sacra Veneri faciat; sicque incesta copulatione, cesto, sive zona dirupta matrimonium inibant. Ossa olivarum. In Græco est, τὰ πίτυρα; quam vocem aliqui *furfures* interpretantur. Bene tamen etiam noster *ossa olivarum* vertit, nam apud Athenæum Lib. II. cap. xiv. πιτυρίδες sunt olivæ, θλασταί, id est tritæ, & contusæ, recrementa nimirum illa, quæ ex oleis contusis remanent, & sunt quodammodo eius furfures: incendebant autem hæc ossa olivarum, quod vim philtri habere crederent, & apta esse ad procorum duritiem molliendam, & amoris ignem in illis accendendum.

V. 44. Falsa sunt: vana, & superstitiosa.

V. 45. Sacerdotes. Græce est, τεχνῖται, id est fabricatores, sive artifices idolorum, quales erant sacerdotes, quia ea curabant fieri, vel ipsi ea faciebant.

V. 46. Non sunt multi temporis, id est sunt brevis vitæ; quasi dicat: Quomodo ergo facere possunt deos immortales?

V. 47. Falsa: falsa numina, idola. Opprobrium postea futuris: quæ tandem a posteris ludibrio, & contemptui habebuntur, cum scilicet intelligent necessitatibus urgentibus opem ferre non posse ut patet ex sequentibus.

V. 48. Ubi se abscondant cum illis. Tantum abest, ut ab ipsis eripi queant a malis, ut sibi, & idolis suis latebras quærant, quibus tuti esse possint.

V. 49. Quomodo ergo sentiri debeant quoniam dii sunt. In Græco est πῶς οὖν οὐκ ἐςὶν αἰσθέσθαι ὅτι οὐκ εἰσὶν θεοί; *quomodo non est sentire, & deprehendere, quod dii non sunt.*

V. 50. Scietur postea, &c. id est, quamvis colantur nunc a multis, experientia tandem omnes gentes, & reges docebit, ea nihil aliud esse quam opera manuum hominum. Factum hoc beneficio lucis evangelicæ. Nullum opus Dei cum illis, id est nihil posse facere quod proprium Dei sit.

V. 51. Unde ergo notum est, &c. quasi dicat: Non aliunde, quam ex ipsa experientia; quasi dicat: Quid opus est argumentis, ut id probemus; in Græco est τίνι οὖν γνωςέον ἐςὶν ὅτι οὐκ εἰσὶν θεοί; *cui ergo cognoscendum est, eos non esse deos;* id est, Quis adeo hebes est, & rudis, ut opus sit eum doceri idola non esse deos?

V. 52. Regem regionis, &c. id est, cum unius provinciæ regem creare, & constituere non possint, ut supra num. 33.

V. 53. Iudicium non discernent: non diriment lites hominum edito miraculo, uti Deus diremit litem Aaronis contra Core, Dathan, & Abiron, Num. xvi. & alibi sæpe. Sicut corniculae, &c. id est, non magis iuvare possunt quam corniculæ inter cælum, & terram volantes, quæ præter clamorem nihil habent: comparat corniculis, quia earum volatus, & crocitatio superstitiose solebant ad divinandas res futuras observari.

V. 59. Sol quidem, et luna, &c. Sol, & luna, & sidera meliora sunt, & mundo utiliora, quam idola; nam Deo iubente lucem suam spargunt ad mortalium commodum, & bonum; idolorum vero nullus usus, nisi malus.

V. 60. Perspicuum est: clarum, fulgens, illustre; cum e contra idola turpia sint, fuligine obsita, vilia & obscura. Idipsum autem, id est similiter. Spiritus in omni regione spirat: ventus ex variis regionibus varie spirat, & suas commoditates mundo affert.

V. 62. Neque speciebus, &c. id est, neque pulchritudine, neque usu cum enumeratis rebus comparanda sunt. Virtutibus: viribus, & facultatibus.

V. 65.

V. 65. NEQUE MALEDICENT, NEQUE BENEDICENT: nec bene facere possunt, nec male.

V. 69. FORMIDO: terriculum, quod in cucumerario poni solet ad terrendas aves.

V. 70. IN HORTO SPINA ALBA, &c. non plus habent divinitatis quam ramus spinæ albæ, cui sine timore, & reverentia aves insident.

V. 71. A PURPURA QUOQUE, &c. ex vestibus idolorum purpura, & murice tinctis, quæ a tineis consumuntur, utique scietis, quid sint idola, scilicet quod sint saxa & ligna, non dii. SCIETIS ITAQUE. Maldonatus, & Corn. a Lapide legendum putant, *scietis utique*. ERUNT OPPROBRIUM: contemnentur, & erunt omnibus despectus, & irrisionis materia.

V. 72. ERIT LONGE AB OPPROBRIIS. Est tapinosis, sive miosis, plus enim significatur, quam dicitur; nam adeo erunt huiusmodi iusti longe ab opprobriis, ut etiam summam, & æternam gloriam sint consecuturi.

TIRINI.

Vers. 2. ERITIS IN BABYLONE USQUE AD GENERATIONES SEPTEM, id est usque ad expletos 70. annos captivitati & servituti vestræ præfixos. Per *generationem* enim, græce γενεὰν, id est ætatem vel progeniem, intelligit spatium *decem annorum*, inquit & probat Cornelius a Lapide: vel spatium *septem annorum*, ut solent medici, dum vetant ante duas generationes venam puero incidi; id est ante 14. ætatis annum: & Orpheus apud Suidam dicitur vixisse novem generationes, id est 63. annos. Secundum has varias acceptiones vario modo & a variis initiis inchoandæ sunt hæ SEPTEM GENERATIONES; nempe verosimilius a 13. anno Iosiæ regis Iuda, (secundum dicta in Chronico *a*) si singulis generationibus denarium annorum adsignes: sin septenarium, a 4. anno regis Ioakim, a quo usque ad annum primum monarchiæ Cyri fluxerunt anni 49. [comprehensis extremis] id est, septies septem anni.

V. 3. Idola OSTENTANT METUM, id est incutiunt religionem hominibus, & sacrum quemdam metum, horrorem ac reverentiam.

V. 4. VOS NE illa METUATIS, neque SIMILES EFFICIAMINI FACTIS ALIENIS; Græce, ἀλλοφύλοις, id est *alienigenis*, nempe Chaldæis; quasi dicat: Ne vos conformetis Chaldæis, idola cum ipsis colendo. Neque est quod ipsos ita iubentes, & minas intentantes timeatis.

V. 6. ANGELUS ENIM MEUS VOBISCUM EST: nempe Michael, præses, princeps & tutor Synagogæ, ut dicitur Dan. XII. 1. is ut olim vos in AEgypto & in deserto tutatus *b* est, tutabitur etiam nunc in Babylonia. Et ego IPSE quoque EXQUIRAM ANIMAS VESTRAS, id est ultor pro vobis exsurgam, si quis ob cultum divinum vobis iniurias irrogarit: ita Hugo & Lyranus.

V. 8. SICUT VIRGINI AMANTI & affectanti ORNAMENTA, undique illa conquiruntur; ITA Chaldæi, ACCEPTO AURO, inde ornatum conquirunt & *fabricant* idolis suis. Quæ

V. 11. NON LIBERANTUR AB AERUGINE, ET TINEA, &] pulvere, nec possunt illa excutere, utpote inanima saxa vel ligna.

V. 13. SCEPTRUM quidem manu tenet idolum, perinde ac si rex & IUDEX esset omnia gubernans, cum tamen neminem, quantumvis IN SE PECCANTEM, damnare, mulctare, percutere vel *interficere* possit.

V. 17. SICUT ALICUI QUI REGEM OFFENDIT, mortis reo CIRCUMSEPTAE SUNT custodibus IANUAE carceris; & SICUT AD SEPULCRUM ABDUCTUM MORTUUM cadaver TUTANTUR custodes, ne spolietur pretiosis vestibus, armis & monilibus, cum quibus humari solet; ita tutari debent SACERDOTES idola sua, ni velint ea A LATRONIBUS *expoliari*.

V. 19. CORDA, id est interiora, seu medullam lignearum statuarum, *elingunt* & corrodunt SERPENTES ac vermes.

V. 21. CATTAE, id est feles.

V. 24. EX OMNI, id est maximo, PRETIO *coemuntur*, & tamen carent *spiritu*, seu vita, inquit Vatablus.

V. 26. SICUT MORTUIS cadaveribus, ne corruant, apponuntur manus; ita idolo apponitur δῶρον, id est palmus humanus; pro singulari *munere*, ne corruat: ita Pagninus & a Lapide. Porro ex donariis idolo oblatis

V. 27. MULIERES, uxores & concubinæ *sacerdotum* semper aliquid DECERPENTES;

TES; Græce, *in penum recondentes*, omnia in suos usus convertunt, nihil infirmis, nihil pauperibus communicantes. Quam parvi vero faciant ipsimet

V. 28. *Sacrificia* idolis oblata, vel inde colligite, quod ex illis edant etiam FAETAE, seu puerperæ, ET MENSTRUATAE: quæ, quia immundæ, lege divina arcentur templo & sacris, Levit. XII. 2. Licet enim Gentiles illa Iudæorum lege non obligarentur, quia tamen per se indecens erat, personas tam sordidas sacra contingere; satis efficax est argumentum ad indignationem & stomachum movendum Iudæis, quibus id extreme erat abominabile.

V. 29. UNDE vero idola VOCANTUR DII? QUIA MULIERES aliquot stultæ & superstitiosæ eis quasi DIIS dona APPONUNT; v. g. escas, monilia, aliaque donaria & anathemata, opem eorum & tutelam hac via deposcentes. Sed & huc conferunt superstitiosæ ceremoniæ & profani ritus sacerdotum idololatrarum, prorsus repugnantes legi vestræ: nam

V. 30. SACERDOTES EORUM ex hypocrisi & simulata pietate *habent* TUNICAS SCISSAS, quod vobis vetatur Levit. X. 6. habent CAPITA NUDA, id est capillis nudata, ET BARBAM RASAM, quod vobis prohibetur Levit. XIX. & XXI.

V. 31. RUGIUNT CONTRA, id est ad, DEOS SUOS lugubri & miserando ciulatu; SICUT IN CAENA funebri alicuius MORTUI fieri consuevit, quæ a Græcis περίδειπνον, a Latinis *silicernium c* vocatur, ut alibi *d* dixi. Hic enim solebant edi clamores inconditi & gemitus insolentes, quorumdam defunctos evocantium, aliorum iis valedicentium, bene precantium, laudibus extollentium, &c. ita Hugo, Dionysius & Lyranus.

V. 34. NEQUE HOC REQUIRUNT, id est non expostulant, non ulciscuntur neglectum voti, seu promissi sibi facti.

V. 40. ADHUC ENIM crescit merito contemptus idolorum, cum *ipsi* quoque *Chaldæi* EA NON *honorent*, sed rideant subinde & contemnant: CUM enim AUDIERINT alicubi esse MUTUM, OFFERUNT eum *Belo* Deo suo æque muto, POSTULANTES AB EO *loquelam* muto reddi. Id autem a Belo postulant stulti homines:

V. 41. QUASI POSSINT SENTIRE & audire QUI NON HABENT MOTUM: de quo vide Valesium & alios Philosophos. Sed stulti mox damnata sua stultitia, CUM INTELLEXERINT Belum suum, aliaque idola sensu destituta esse, neque audire preces suas, cum stomacho & sannis *relinquunt* EA, & missa faciunt. Et cui non moveant stomachum obscœna & impudica sacra quæ fiunt eiusmodi diis?

V. 42. MULIERES tam nuptæ, quam innuptæ, exponentes publice cuique volenti pudicitiam suam, SEDENT IN VIIS templorum CIRCUMDATAE FUNIBUS, id est cingulo seu zona quasi virginali: testantes hoc signo se Veneri sacras esse, & primo cuique obvio copiam sui facere, ut cesto sive zona dirupta, Veneri nefaria sacra sic peragant. Ita ex Herodoto *e*, Strabone, Curtio Polydoro Virgil. S. Augustino & aliis noster a Castro & lapide. Interim *succendunt* OSSA, id est nucleos duros & quasi osseos, OLIVARUM. Græci πίτυρα vocant teste Beroaldo *f*. Erat hoc genus philtri, seu veneficii, quo diobolares istæ, quas nec forma, nec genus, nec divitiæ commendabant, procorum duritiem incantare, & in iis concupiscentiæ flammam succendere conabantur, addita imprecatione, ut, sicut ossa illa ignibus, sic hospites earum amore torrerentur. Et hos ritus a Babyloniis Græcos didicisse docet Theocritus, & Guevara, & Pererius, & Delrio *g*. Utebantur vero potius *olivæ*, quam aliarum arborum nucleis, ut certius ac clarius testarentur suæ concupiscentiæ flammas, cum nuclei olivarum, utpote magis oleati & pingues, vehementius ardeant.

V. 44. OMNIA etiam alia QUAE idolis FIUNT, omnes ceremoniæ, omnis cultus & colendi ritus, FALSA SUNT, id est vana, ficta, & a superstitiosis stultisque hominibus adinventa.

V. 46. ARTIFICES ETIAM IPSI idolorum, NON SUNT MULTI TEMPORIS, sed brevis ævi ac vitæ; *quomodo* ERGO POSSUNT *fabricare deos* æternos & immortales? Interim stultis mortalibus, loco deorum,

V. 47. RELIQUERUNT posteris suis FALSA, id est materiam falsitatis & opprobrii, nempe lapides & ligna pro diis, inquit Maldonatus.

V. 50. POSTEA SCIETUR: nempe prudentia naturalis ex eventu & ab experientia, quod idola nec sentiant, nec suos iuvent, certissimo tandem docebit omnes gen-

gentes, ea *non* esse *deos*, ET NULLUM DEI proprium OPUS *cum illis* esse, vel ab illis proficisci, quale est cæcos illuminare, mutis loquelam, mortuis vitam reddere, reges creare, pluvias ciere, & alia quæ hic subiungit: ita Hugo & Lyranus, qui addit, in lege Evangelica fraudes idolorum toti demum mundo innotuisse.

V. 53. IUDICIUM NON DISCERNENT; id est, lites dissidentium non diriment, prolata sententia, ut solent iudices; vel edito miraculo, ut solet Deus, QUIA NIHIL POSSUNT, SICUT CORNICULAE, quæ exterius videntur robustæ aves esse, & sua crocitatione nonnullis terrori sunt, sed revera imbelles, infirmæ admodum, & imbecilles sunt, & cum hostis adest, primo pugnæ initio cedunt ac succumbunt.

V. 56. & 57. QUIBUS idolis QUI FORTIORES SUNT, v. g. fures, AUFERENT vestes pretiosas & monilia.

V. 59. SIDERA *h* OBAUDIUNT, seu obediunt, Deo creatori & gubernatori suo.

V. 60. IDIPSUM facit SPIRITUS, id est ventus, IN OMNI REGIONE *spirans*. *Nulla enim propemodum regio est*, inquit Seneca, *quæ non habeat aliquem flatum ex se nascentem, & circa se cadentem.*

V. 62. HAEC AUTEM idola NEQUE SPECIEBUS; Græce, ιδέαις; id est formis, seu pulchritudinibus, NEQUE VIRTUTIBUS, id est viribus, SIMILIA SUNT UNI EORUM: v. g. vento, soli, lunæ, fulguri, nubibus, &c. sed informia sunt, imbecilla, mortua, inepta ad omnia.

V. 66. SIGNA ETIAM IN CAELO GENTIBUS NON OSTENDUNT: sicut ostendit sol & luna, quæ sunt signa dierum: mensium, annorum ac tempestatum.

V. 69. FORMIDO, Græce, προβασκάνιον, id est terriculamentum, v. g. puer straminеus cum arcu, perticæ impositus, ut aves terreat ac fuget. Græci μορμολύκεια vocant, quæ fructus hortenses vel agrarios vere *non custodiunt*, sed tantum ex opinione, seu phantasia avium: nam simul ac viderint puerum non moveri, pulso timore libere involant in fructus.

V. 70. SUPRA SPINAM ALBAM, seu rhamnum, SEDET OMNIS AVIS, simul ac compererit spinam sine aculeis esse. Denique cadaver *mortui proiectum in tenebras*, id est in tenebrosum sepulcrum, nulli amplius est horrori; ita nec idola. Tropologice, quadrant omnia hæc etiam in principes & Prælatos iusto timidiores ac segniores k, inquit Hugo & Delrio *l*.

V. 71. A PURPURA QUOQUE ET MURICE, id est ex vestibus idolorum purpureo, & muriceo, seu conchyliato colore infectis, *quæ* statuis impositæ TINEANT, id est a tineis arroduntur & consumuntur; SCIETIS ITAQUE, Maldonatus ex Græco legit, *utique*, *quod* NON SINT DII: sed OPPROBRIUM IN REGIONE, id est passim omnibus risui & probro. Quis enim non rideat eum videt truncum cariosum, pedibus, manibus, naso mutilum adorari, vel adoratum fuisse? Ex quibus omnibus hoc toto capite deductis manifeste refellitur Calvini mendacium, quo ait, Gentiles non adorasse ligna vel lapides, sed in iis tamquam in imagine, verum Deum, ut nunc faciunt Catholici. Nam singuli pene versus huius capitis perstringunt hic Babylonios, quod ipsamet ligna & lapides pro diis colerent: & hoc eodem nomine Gentiles alios rident passim Arnobius, Lactant. Tertull. Iustin. Athenagoras, & alii Patres. Et experientia hodierna apud Indos id ita habere, ad oculum testatur.

(a) Chron. cap. xxxv.
(b) Exod. xxxiii. vers. 2.
(c) Tertull in Apolog.
(d) Tobiæ iv. 18.
(e) Vales. sacræ Philosophiæ lxxix.
(f) Apud Henr. Stephanum in Lexico.
(g) Theocritus in Pharmaceutria. Guevara præfat. in Habacuc. Perer. in Dan. v. 4. Delrio l. p. Magic. q. 3 sect. 2.
(h) Eccles. i. 5.
(i) Seneca Lib. V. Nat. quæst. cap. xvi. xvii. xviii.
(k) Isaiæ xxii. 15. Ierem. xxiii. 13. Zachar. xi. 17.
(l) Delrio adagio 885.

GORDONI.

Vers. 1. HANC Epistolam esse Ieremiæ constat ex II. Machab. ii. 1. ubi citatur; idemque notavit Tertul. in Scorpi. tractans illud Daniel. iii. de tribus pueris, & hoc ipsum testatur hic præfatiuncula ad Epistolam. Scripta vero & data est captivis post urbis & templi excidium, & forte eo ipso anno.

V. 2. ERITIS IBI ANNIS PLURIMIS, &c. Plures sunt, qui per septem generationes intelligunt annos septuaginta, (ita ut decennium sufficiat, ex hoc modo loquendi ad constituendam generationem,) & hoc

de

de annis 70. veriſſimum eſt tot fuiſſe, putando annos (ut nos facimus) a prima captivitate (quæ incidit in primum annum Nabuchodonoſori) alioqui ab excidio templi & data hac epiſtola, non ſunt tot generationes, nec anni 70. uſque ab libertatem ſub Cyro : vide ſupra Ierem. xxv 4. & 11. & diagramma ad cap. xvii. Sed plenius dedi rem explicatam in opere Chron. qq. cap. xiii. num. 7. & 12. ubi dixi Ieremiam hic non loqui de recepta ſeptuagenaria captivitate, ſed de pleno reditu Iudæorum.


V. 7. Nam lingua. Ita legendum, non autem ligna; ita enim Vulgata, & Septuaginta: ita porro legit & explicat Iulius Firmicus Maternus, ut videre licet Tom IV. Bibliot. vet. Patrum libro de erroribus profanarum relig. cap. xxix. idem habetur ex Scholiis Olympiodori, apud Ghislerium in Ieremiam: nam lingua, inquit, ipſorum Idolorum, ſcilicet Pſeudomagiſtrorum, a malorum artifice diabolo, velox ad mendacium fit lingua. Hactenus Olympiodorus.

V. 19. Pergit excitare Iudæos ad deteſtationem Idolorum: ſerpentes vero dicuntur comedere corda Idolorum, quia ænea hæc idola intus replebantur terra, & hanc lingebant ſerpentes, qui terram comedunt.

V. 28. Erat prohibitum Levit. xii. 2. ne puerperæ, & immundæ perſonæ, templo & ſacris adeſſent, ut pote quod indecorum hoc eſſet. Iam ergo inter alia, hoc etiam velut probroſum notat contingere in cultu idolorum: immo mulieres (ut ſubdit) apponunt his diis donaria, &c. Denique pleraque habent [ex verſ. 30.) pugnantia cum ritu & legibus populi Dei.

V. 42. Mulieres sedent in viis, &c. Deſignat morem impium, quo fiebant Veneri ſacra nefaria, apud Cyprios & Babylonios, cuius rei mentionem facit Herodotus Lib. I. quando feminæ etiam virgines, dandæ in matrimonium litabant Veneri; proſtitutione corporis, primum obvio, in viis. Per funem hic intelligi poteſt ceſtus ſeu cingulum Veneris, quod in ſignum proſtitutionis ſolvebatur, & virginitatis amiſſæ. Oſſa vero, hoc eſt nucleos olivarum comburebant, præſtolantes amaſios ſuos: ſic certe dæmoni placent turpia quævis, & obſcœna ſacra.

V. 71. Legendum plerique putant, quae supra illos tineant, ſcilicet veſtes quæ a tineis conſumuntur. Græce ἀπὸ τῆς πορφύρας, τῆς ἐπ' αὐτοῖς σηπομένης, *a purpura putrefacta, ſcietis non eſſe deos.*



FINIS TOMI DECIMINONI.





